


6
40/N
25

R. P.

ALOYSII NOVARINI

VERONENSIS.

Variorum Opuſculorum

Tomus Vnus.

R. P.

ALOYSII NOVARINI VERONENSIS CLERICI REGVLARIS.



Variorum Opuſculorum Tomus Vnus.

In quo varia variæ ERVDITIONI, quà ſacræ, quà prophanæ ſeruientia, exhibentur, pleriq; PRISCI RITVS non adeo notitiæ expoſiti, educuntur in lucem, aliqua aliquorum probæ notæ auctorum LIPSANA inſeruntur, quædam quorundam LOCA illuſtrantur, & explicantur.

Paſſim quoque vtilia, & pietatem nutrientia, moribusq; informandis apta MONITA offeruntur, quin & integra OPVSCVLA, huc ſpectantia, dantur.


Pro operis coronide adiectus Operi eſt INSCRIPTIONVM LIBER SINGVLARIS FRANCISCI POLÆ Iuriſconſ. Veron. Viri magni nominis, magni in re litteraria meriti, & qui in hoc ſcriptionis genere parem ſuo ſeculo non habuit, fors nec habebit non ſuo.





VERONÆ. Typis Bartholomæi Merli. M. DC. XLV.

SVPERIORVM PERMISSV.



Illustrissimo, Excellentissimo Viro

ALPHONSO DEL RIO

Senatori Optimo.



Ine me, Vir magne, eo opusculo te colere, quod in magnorum virorum cultum, amicorumque obsequium cudi. Possunt ad vnum ferri, quæ ad multos ferebantur, si vnus ille multos referat. Pietatem tuam, doctrinam, nobilitatem, cæterasque animi tui dotes, si respicimus, vix à nobis exculpimus, vt credamus, hæc omnia in te vno coalescere. Largus hic mihi se se offert campus, in laudes tuas excurrendi, sed ipsa dicendorum copia frænum nobis inijcit, ne de Te aliquid dicamus. Accedit & modestia tua, quæ adeò Te intra Te continet, vt non ferat Te ab aliorum ore & calamis efferri. Nimirum Tu inter illos es, quibus laudari tàm est graue, quàm est leue semper fieri laudabiliores. Vt omnia supprimam, hoc vnum hic adiectum volo, in Te vno esse, quæ optimi

æmulen-

æmulentur, quæ timeant mali, quę docti suspiciant, admirentur magni. Et verò dum te laudo, aut omni laude te maiorem indico, damno me, qui tàm leue munus tàm magno viro sistere non erubui. Vt leuia sint, quæ offero ab ea parte, qua à ruditate mea nata sunt, tot Virorum magnorum nomina hic adiecta, nomen Libro facient, & quod est consequens, pondus adijcient muneri. Deniq; exiguum reipsa sit, quod offero, significatione grande est: & plerumque quò aliqua exiliora sunt, eò rerum magnitudini significandæ, & indicandæ sunt aptiora. Hic quoque munus istuc exiguum eximium offerentis affectum, aptè prodet. Specta igitur istum, nec contemnes illud. Interim Deum precor, vt Te illis donis cumulet, quæ Deum secum ferunt, & habentem efferunt ad Deum.


Veronæ kal. Octob. M. D C. X L I V.

Ill.^me & Excell.^me Dominationis Tuæ

Seruus addictissimu

D. Aloysius Nouarinus Clericus Regularis.

LECTORI



Lectori meo.

EPistolas aliquot, quas ad Viros magnos, & ad Amicos misi, nunc emitto, easque non nudas, solisque verborum floribus ornatas, sed rebus oneratas. Litteras à multis, Lector, habuisti, sed à paucis litteratas, litterarijsq; vt ita loquar, diuitijs grauidas. Huius notæ studui vt essent, quas hic exhibeo, quò paupertatem, quam à me habent, hac ratione ponerent, inciperentque eò minus displicere, quò magis ea placerent, quæ secum deferunt. Tantùm hac lege hæc, Lector, lege, vt amicè respicias, quæ sunt ad Amicos, nec exquisitum verborum cultum, in hac scriptione quære, quæ tota in Amicorum cultu est. Epistola adscitis dicendi formulis formata Epistolæ forma destituitur, & desinit esse quod dicitur. Ea mente Epistolas hic colligatas excipe, quæ exceptæ à singulis singulæ fuerunt, & seueriorem censuram adeo à te non timeo, vt nimias potius laudes verear, quas quia non mereor, non quæro, & omninò repudio, etiamsi mererer. Satis labori meo laudum dabitur, si ille qui illum versat laudabilior fiat.

Epistolis alia quædam opuscula adieci, non solum vt iustius volumen formaretur, sed etiam vt ipsorum opusculorum perennitati consuleretur, nam exiguitas illis non exiguum præiudicium afferebat, cum facilè ab hominum notitia abeant, nec diuturnam, liceat sic loqui, vitam sint habitura, quæ ob suam paruitatem vix apparent cum disparent. Hac igitur arte hæc omnia, quæ hic offero, iunxi, & inter se copulaui, vt se inuicem fouerent, ac mutuo auxilio ab iniuria, quæ illorum paruitati imminebat, vindicarent, diuturnioraq; redderentur, dum maiora se ista colligatione, ac chartacea mixtione facerent. Quòd in hoc volumine præstiti, præstabo & in alijs, quæ paro, & tibi, si Deus dederit sum daturus. Interim preces pro illo funde, qui tàm effusus in Operibus exhibendis est, quæ & in gustum tuum sint, et in profectum.

Operis

Operis approbatio.



Oc opus inſcriptum Variorum Opuſculorum Tomus Vnus à Reu. P. D. Aloyſio Nouarino noſtræ Congregationis Theologo compoſitum, & à quibuſdam ex noſtris Theologis, quibus id iniunximus, recognitum & probatum, vt Typis mandari poſſit (quo ad nos ſpectat) facultatem concedimus. In quorum fidem has litteras noſtra manu ſubſcriptas, & noſtræ Congregationis ſigillo munitas damus. Romæ die XXIII. Octobris M. DC. XLIV.

D. Stephanus Medices Præpoſ. Gen. Congreg. Cler. Reg.

Locus ✠ ſigilli.

D. Io. Baptiſta Lanfranchi
Cler. Reg. Secret.

Imprimatur.

Fr. Petrus Maria Dulcettus Magiſter Inquiſitor Veronæ.

Noi Reformatori dello Studio di Padoua.

H*Auendo veduto per fede del M. R. P. Inquiſitor di Verona, che nell'Opera intitolata* Variorum Opuſculorum Tomus Vnus R. P. Aloyſij Nouarini, *non vi ſi troua coſa alcuna contra la Santa Fede Cattolica, & particolarmente per atteſtato del Segretario noſtro, che non vi ſi troui coſa alcuna contra Prencipi, & buoni coſtumi, concediamo licenza che ſia ſtampata, douendoſi oſſeruare quanto per legge in propoſito di ſtampe, con conditione, che non ſia venduta ſe prima non vi ſarà portato il medeſimo Libro legato per la Libraria publica, giuſta la Parte dell'Eccllentiſſimo Senato de' 2. Decembre 1628. In quorum fidem &c.*
Dat. à 26. di Nouembre 1643.

Battiſta Nani Reff.

Pietro Foſcarini Reff.

Aluiſe Querini Secret.

Index



INDEX ARGVMENTORVM.

Quæ in singulis Epiſtolis in hac Epiſtolari Encyclopædia pertractantur.

†

Epiſt.

I N D E X

SYL.



SYLLABVS VIRORVM.

Ad quos directæ Epiſtolæ Alphabeti ordine ſeruato.

ꝉ 2 Fede-

Lau-



INDEX CAPITVM.

In quæ diducitur Opuſculum, quod Deliciæ Diuini amoris dicitur.

alys

Cap.

INDEX CAPITVM.




ENCY-



INDEX

Capitum, quæ in opuſculo Riſus Sardonici continentur.

IN-



INDEX
INSCRIPTIONVM.



EN-



ENCYCLOPÆDIA EPISTOLARIS

R. P. D.

Aloysij Nouarini Veronensis Clerici Regularis.

Illustriss. & Reuerendiss.
FRANCISCO SVRGENTI
Archiepiscopo Monopoliensi.

Epist. I. Neapolim.

Hilaria preces quæ, quædam alia de precibus adiecta.

1 Litteras, quas misisti, ab ipsâ humanitate tibi dictatas si dixero, non aberrabo; ipsæ de se loquuntur, dum loquuntur de me; vix legere illas incæpi, cum sensi eas ab omni parte affectum, amorem, beneuolentiamque in me, in meos labores, & studia mea spirare. Hoc magnorum virorum est, magni illa quoque facere, quæ magna verè non sunt, sed tantum in existimantium affectu, & amore. Det mihi Deus, vt & eruditione, &c, quòd magis est, probitate eò possim peruenire, quò tu me censes peruenisse; aliter iudicium tuum non solum deuenusto, sed & penitùs, quòd nolim, euerto. Volupe fuit audire, tibi quoque placuisse imaginem, quâ Virginem Deo plenam pietati fouendæ, nutriendo cultui erga Dei matrem, primus hoc æuo curaui fidelium oculis repræsentari; effigies respondet opusculo, quo vitam, quàm Iesus in matris ventre egit, explicaui, vtinam & Matri, & Filio gratum sit, quòd in vtriusque gloriam ac honorem præstiti. Tu interim magne Præsul lubens accipe, quæ tibi hîc fisto non vt notitiæ tuæ limites extendam, sed ne obsequij mei terminos coerceam; tantùm qui de precibus aliqua offero, precum tuarum fructu non destituar, & preces eliciant preces.

PReces Hilariæ quænam olim dicerentur, & quinam dies Hilariæ; disco ex his Pachymeræ verbis in Epist. 8. Sancti Dionysij Areopagitæ; *Verùm quasnam* PRECES HILARIAS *appellabant? Erant quædam dies idololatris, quas hilarias vocabant: priuatæ autem hæ censebantur, vt cùm quis vxorem duxerat, vel filium genuerat; communes verò ac publicè, vt cùm quispiam Rex inauguratus seu declaratus, publicas* HILARIAS *indicebat. Nulli per eos dies licebat quidquam lugubre gestare, sed spectacula, sacrificiaq; in dies singulos celebrabantur. Lugentes tum sibi à luctu temperabant, atque spectaculis intererant, inquè publicis conuiuijs istiusmodi dies hilarias transigebant. Adhæc erat etiam Romana Vrbi peculiariter festa* DIES HILARIA, *in honorem Matris Deorum ipsorum.* Hactenus ille. 2

In cultum tot quandoque orationes Dominicas recitabant, quot erant membra in sancto, quem illo obsequio honoratum, oratumque volebant: in vita S. Liduuinæ Virginis hæc habet Thomas à Kempis part. 2. cap. 33. *In ciuitate Delphensi erat Virgo quædam ægrotans, quæ Sanctæ Liduuinæ miracula audiens ex propria deuotione, aut potiùs diuina inspiratione accensa, legit* TOT ORATIONES DOMINICAS *(Pater noster vulgariter dictas)* QVOT SVNT MEMBRA IN CORPORE HOMINIS, AD HONOREM DEI, ET ISTIVS 3

SANCTAE LIDEVVIGIS VIRGINIS. *Contigit ergò post hæc, quòd felix Lydewigis Virgo apparenter visitauit virginem languentem, dando ei remedium artis medicinæ, & veraciter curata, surrexit sana, ambulans, comedens, & opera sanarum virginum exercens.*

4 Quanta religione sacri, & Ecclesiastici viri horas canonicas persoluant apud Moscouitas ex Moscouitarum rerum commentarijs colligi potest, qui hæc offerunt. *Nullus monachorum, nec Sacerdotum* HORAS CANONICAS, *vt vocant, orat, nisi habeat imaginem præsentem, quam etiam nemo nisi magna veneratione attingit. Qui eam autem in publicum profert, manu eam in altum tollit, quam omnes prætereuntes aperto capite cruce se signantes inclinando plurimum venerantur.*

5 Apud nonnullos ascetas à Paschate vsque ad octauam Pentecostes antiphonarum fines protrahere non solebant; rem & causam habet rituale antiquum ordinis Præmonstratensis in hæc verba; *A Pascha vsque ad octauas Pentecostes nullius antiphonæ* FINIS PROTRAHITVR; *quia hoc tempus, non vt alia tempora, beatitudinis expectationem, sed ipsam requiem nobis præsignat.*

6 Hymnologia, Hierarchia, Eucharistia quænam dicatur, colligitur ex his Pachimetæ verbis in cap. 3. Hierarchiæ Ecclesiasticæ: *Tùm demum sacratissimi spectatores Hostiam contemplantes vniuersale quoddam laudis canticum concinunt, quòd vel ab omnibus canitur, vel pro vniuersali quasi gratia offertur. Hunc Hymnum autem alij quidem hymnologiam, alij Religionis symbolum appellant: alij vero diuinius,* HIERARCHIAM, EVCHARISTIAM *vocant, vt quæ omnem pro omnibus erga nos bonis gratiarum actionem complectatur: continet enim illa sacra munera, quæ diuinitùs ad nos dimanant, rectèque pro omnibus gratiarum actio nuncupata est, quia quidquid ad salutem nostram spectat, operata est.*

7 Pix quibus ritibus olim fieret, quæ sacrificia offerrentur, quæ precationes effunderentur discere cuiuis erit procliue ex his Theophrasti verbis lib. 8. de historia Plant. cap. 3. PICEM *vrere hunc in modum consueuerunt. Cùm locum æqualem præparauerint, & veluti àrea factâ concursum habente in medium diligenter pauimentarint; truncos fissos componunt. Fere eodem modo quo carbonarij cum carbones faciunt. Præterquam quòd fuè fossa opus perficiunt lignis erectis, & inter se cohærentibus; ità vt altitudinem assiduè pro multitudine capiant. Quot fieri aiunt cum compositionem descripserunt circuitu centenorum octuaginta cubitorum. Altitudine verò amplius sexagenorum, aut quinquagenorum: vel centum ambabus si tæda pinguissima sit; cùm igitur tædam ita construxerint, & materiam pertexerint aliqua terra superinfusa vndiquè summa cùm diligentia occultant, vt ignis nullà ex parte emicare possit; Pix enim peribit, si id acciderit. Succendunt autem per aditum relictum. Dein eam quoque partem stipant materià, & obstruunt terra. Reliquasque omnes obseruant, & quacumq; fumum protrudi viderint scalis scandentes, terram assiduè infundunt, quò nullo pacto flamma erumpere possit; Canalis verò per medium fructus aceruum picem fluentem in foueam ducit. Cubitis circiter quindecim ab aceruo pix effluens tactu frigida fit. Vritur duos dies, & totidem noctes cum plurimum. Sæpè enim postridie ante solis occasum exusta tamen est, rogusque cessit. Id enim euenit cum nihil reliquum est, quòd amplius fluat. Totum autem tempus, quo tæda vritur, vigilantes obseruant nequid ignis erumpat, & sacrificant atq; concelebrãt precantes, vt pix sibi copiosa, bonaq; benignitate fiat Deorum.* Digna hæc non minus risu, quàm notitià dixeris.

In antiquis Litanijs, quas olim apud nonnullos recitabant pro infirmis peculiari formula 8
vtebantur; in Rituali antiquo Neapolitano hæc habentur:

Christe audi nos.
Pater de Cælis Deus miserere animæ eius.
Fili Redemptor mūdi Deus miserere animæ eius.
Spiritus Sancte Deus miserere animæ eius.
Sancta Maria intercede pro animà famuli tui.

Et post multorum Sanctorum inuocationem subditur,

Propitius parce peccatis eius Domine.
Propitius esto dele peccata eius Domine.
Propitius esto, libera animam eius Domine.
Ab ira tua libera animam eius Domine.

Et post multa,

Agnus Dei qui tollis peccata mundi miserere animæ famuli tui.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, parce animæ famuli tui.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona ei
pacem, & beatam æternam requiem, & gloriam sempiternam. 9

Hæc ibi, quæ in omnium notitiam ire volui, cum liber ineditus sit. Addo catenæ comparatam orationem. Sanctus Maximus in cap. 3. de diuinis nominibus ad illud: *Lucidissimam* CATENAM, hæc subdit: *Pulchrè nostram precationem* CAELESTI CVIDAM CATENAE *assimilauit: qui enim Cæli fastigium adire cupit manibus quibusdam Catenam hanc prehensat.*

Orationem maximè effert, & summis exornat titulis B. Laurentius Iustinianus de discipl. Monast. Conuersat. cap. 18. vbi de illa; *Est beatissima virtutum nutrix, vitiorum interemptrix, culpæ venia, peccatorum abolitio, interuentrix mundi salus hominum, charitatis mater, castitatis robur, iustitiæ regula, prudentiæ speculum, sanctitatis decus, scientiæ lumen, sapientiæ cellarium, domestica Dei, fiducia animæ, medicamentum pusillanimitatis, gaudium cordis, fida huius peregrinationis comes mæstorum consolatio, impugnatorum impenetrabile scutum, secretorum Dei cognitrix, humilitatis norma, fidei clauis, honestatis praxis, obedientiæ plenitudo, securitatis fons, Angelorum imitatrix, iustorum exultatio, temperantiæ magistra, pacis pelagus, Dæmonum fugatrix, quiescentium refugium, conscientiæ ornamentum additamentum gratiæ, amoris incentiuum, porta Cæli, petitionum nuncia, auxiliatrix strenua, mediatrix præcipua, & cælestium sacramentorum reseratrix optima.*

Placet oratio Deo, quàm deuotio veluti animat, & informat, præclarè Porrecta: *Ad deuotionem,* inquit, TANQVAM AD ORATIONIS FORMAM, *magis attendit Deus, eò magis eam pensat quam ad orationem, tanquam ad materiam nobilior enim est forma, atque Deo similior, quàm materia.* Informis oratio est, cum hâc formâ destituatur. Plura prudens non adijcio, obsequio in te meo significando hæc sufficient, doctrinæ tuæ limitibus extendendis vix afferre aliqua possem, quòd nec tento.



Illustris.

Illustriss. & Reuerendiss.

PAVLO ARESIO

Episcopo Derthonensi.

Epist. II. Derth.

De Missæ Sacrificio aliqua notata: aliqua de alijs Sacrificijs.

10 NAm cùr te in litterario hoc cultu, Magne Præsul, prętercam, quem præcipua virtus atq; doctrina etiam maiori obsequio dignum exhibet? Liceat mihi me sequi; &, quod affectu non semèl feci, etiam calamo nùnc præstare. Te igitur hac scriptione adeo; & nescio quid, quod ab Eucharistico Agno excidit, tibi offero in reuerentiæ animiq; obsequentis specimen. Sed quì non vereor te adire, ad doctrinæ tuæ fores accedere, ac ad iudicij tui tribunal me sistere? Quid timeam? Vt iudicij tui pondus doctrinæq; magnitudo me terreat, affectus allicit & amor, quo spectare mea soles, excipere, &(quod grandius) efferre. Quod ad Simplicianum scribens Simpliciano dixit S. Ambrosius, id ego tibi dico & eâdem mente. *Licet difficilius sit tuo iudicio quàm plurium non displicere; sed iudicij tui pondus affectu ableuas, eoq; mihi blandior*; &, quãuis illud premat, istuc erigit. Tu ergo ipse viam mihi sternis ad teipsum, quem reuereor semper, non semper vereor. Tùnc verò maximè timorem pono, quùm humanitas tua manum porrigit, cui potiùs, quàm eruditioni tuæ (quid eam fugiat?) hæc porrigo, quæ subijcio, & sunt ista.

11 IN Missæ Sacrificio alicubi mos vigebat, vt, post Dominici corporis sanguinisq; eleuationem, antiphonas canerent pro pace, aut contra pestilentiam & mortalitatem: quod Concilium Colon. par. 2. cap. 14. non probat; ait enim: *Post eleuationem consecrati corporis ac sanguinis Dominici in nonnullis templis canunt antiphonas pro pace aut contra pestilentiam & mortalitatem, cùm potiùs tùm videretur silendum, & ab omni populo mortis Dominicæ commemoratio habenda; prostratisq; humi corporibus, animis in Cœlum erectis, gratia agenda Christo Redemptori, qui nos sanguine suo lauit, morteq; redemit. Cantiones verò illa contra mortalitatem seu cladem aut pro pace satiùs post finitam missam canantur: quæ, vt ad Deum dirigantur, excerpta ex Canonica Scriptura plus placuerint, quales sunt antiphonæ, Media vita, ac da pacem, Domine, & similes. Sit tamen, vt illis etiam, quæ Gloriosæ Virgini Matri dicatæ sunt, suus honos ac locus seruetur.*

Inhibitum olim lego in eodem altari bis eadem die sacrum facere. Concilium Antisiod. hæc habet. *Non licet super* VNO ALTARIO *in vna die duas Missas dicere: nec in altario, vbi Episcopus Missas dixerit, presbyter in illa die Missas dicat.* 12

Olim feria quinta hebdomadæ Sanctæ Missa centum pauperibus dicebatur, singulisq; hostiæ singulæ dabantur. Veteres consuetudines Floriacensis cœnobij: *Ipsa die post capitulum Sacerdos, qui Missæ minoris hebdomadarius est, cum diacono cantat Missam de die ad altare Sanctæ Crucis* AD CANTVM PAVPERES: *&, finita Missa, singulis singula dentur hostia non consecrata. Qui pauperes ab hospitario eliguntur, vt tales sint, quibus pedes conuenienter lauari possint. Postmodum, conductis in hospitale, bina dantur edulia, fabarum scilicèt & mily. Deinde à famulis eleemosynary, & hospitali aqua calida pedes eorum lauantur.*

Iniunctum animarum rectoribus & Sacerdotibus curatis lego, vt in Missis, quas parochiales vocabant, post offertorium alta & clara voce populoq; audiente idq; diebus Dominicis, Dominicam orationem, salutationem Angelicam, Symbolumq; Apostolorum recitarent, quò rudis plebs ità disceret idem ritè integrèq; præstare. In Synodo Lingoniensi hæc habentur: *Multi sunt homines vtriusq; sexùs non solùm pueri, verumetiã antiqui, qui nesciunt orationem Dominicam, scilicèt* PATER NOSTER, AVE MARIA, CREDO IN DEVM. *Et aliqui sunt ità malè scientes, quòd est turpe & derisorium audire verba etiam malè sonantia, quæ ipsi proferunt, credentes benè dicere suum Pater noster, &c. Vnde præcipimus Sacerdotibus, Curatis, & Parochialium Ecclesiarum Rectoribus maximè in villis vbi habitant homines rurales, vt ipsi singulis diebus Dominicis in Missis Parochialibus post offertorium, quandò faciunt mandata, ipsi audiente populo ad instructionem ipsorum dicant alta & intelligibili voce Pater noster, Aue Maria, Credo in Deum: & taliter proferant verba seriosè & tractim, quòd quilibet de populo possit faciliter audire, intelligere & retinere. Nos etiam multùm desiderantes talium personarum ignorantia subueniri, omnibus & singulis personis qui docebunt gratis, & instruent aliam personam ignorantem dicere perfectè Pater noster, Aue Maria, Credo in Deum, quadraginta dies de sibi iniunctis pœnitentijs in Domino misericorditer relaxamus.* 13

In primæ Missæ celebratione tibicines aduocare, choreas ducere, tripudia agitare, ludos admittere non licebar. Certè Ioannes Matthæus Gibertus tit. 2. cap. 46. Constit. Eccl. Veronen. hæc omnia inhibuit, dùm ait. *Prohibemus etiam, ne quis, siue secularis siue Religiosus sit, etiamsi per nos ad Sacerdotium ordinatus fuerit, audeat suam primam Missam celebrare sinè nostro aut vicarij nostri consensu sub pœna XXV. librarum. Item prohibemus, tàm in Missarum nouarum quàm Euangeliorum decantatione* CHOREAS SIVE TRIPVDIA FIERI, AVT LVDOS TAXILLORVM VEL CHARTARVM, AVT CONDVCI TIBICINES, ET ALIOS SONATORES, *pro sonando aut ad Missam aut ad conuiuium. Qui autem huiusmodi mandatis non paruerit, pœnam carceris eo facto incurrat.* 14

Missæ solemnes alicubi dùm dicerentur, priuatæ in aliud tempus differri iubebantur. Concilium Bituricense hæc habet: *Dùm Missa solemnis in Ecclesijs dicuntur, aut concio publica habetur,* PRIVATAE *MISSAE* DIFFERANTVR.

Statum pondus candelis, quæ in Missæ Sacrificio adhibetur, assignatum reperio, quod minuere non liceret. In Synodo Aquensi hæc leguntur: *In posterum decernimus, in Sacrificio Missæ adhibe-* 15

A 2 riab

ri ab omnibus candelas duas cereas, ita VT QVAEVIS VNCIAE VNIVS SIT AD MINIMVM, *nec vltra quis Miſſa ſacrificium ſinè talibus candelis celebrare audeat ſub pœna auri vnius pro qualibet vice, applicandi pro medietate ſeminario, & pro medietate ſcholæ Sacratiſſimi Sacramenti, & alijs pœnis arbitratu Epiſcopi.*

In candelis longitudinem quoq; decretam obſeruo, intra quam celebrandum Miſſæ Sacrificium non erat. Ioannes Matthæus Gibertus in Conſtit. Eccleſ. Veron. tit. 2. cap. 25. ità ſtatuit: *Quùm ſcriptum reperiatur: Ignis in altari meo ſemper ardebit; vt maiori fide & deuotione à fidelibus inuiſtitia Sol, qui eſt Chriſtus Deus noſter, candor lucis æternæ, veneretur, prohibemus, ne quis celebrare audeat niſi cum duabus candelis accenſis, quæ accenſæ teneantur vſq; poſt, Ite Miſſa eſt, & benedicto populo. Et ad omnem auaritiæ notam euitandam, ſtatuendo prohibemus, ne in Miſſarum cæterorumq; Diuinorum Officiorum celebratione* CANDELARVM FRVSTIS MINORIBVS QVATVOR DIGITIS, *duplerijs vel intortitijs palmo vno breuioribus vtantur.*

16 Sacri libri, qui Miſſæ cantuiq; Eccleſiaſtico deſeruiunt, paſsim à laicis contrectari non poterant. Certè ita decernitur in Concil. Bituric. *Curent Eccleſiarum cuſtodes, ne libri cantus Eccleſiaſtici, lectionum Miſſæ, & alij intercidant, confringantur vel obliterentur,* NEVE A LAICIS TRACTENTVR PROMISCVÈ.

Omnibus Sacrificijs, quæ in varijs mondi partibus celebrantur licet quis corporali præſentia adeſſe non poſſit debet ſpirituali vi affectus latiores terminos quam corpus ipſum habeat. Bene Ioannes Euſebius. *Habe quoq; affectum erga omnia ſacrificia Corporis, & Sanguinis Domini quæ fiunt in mundo,* VT VELIS OMNIBVS ASSISTERE SI POSSES. *Offer illa omnia Deo; ſic diſpoſitus maiorem fructum ex illis conſequeris. Pari deuotione afficiaris erga omnes preces Eccleſiæ generales pro filijs ſuis, & ardentes fidelium orationibus vt ita deuoto affectus, fias illarum magis dignus & particeps.* Spiritales diuitias qui amat hanc ſpiritalem induſtriam non contemnat.

Quodnam Altare, ſanctum, dictum ſit & qua cauſa, diſces ex his, quæ habet authot Martyr. Gallic. 8. id. Octobris in hæc verba: *Natalis ſancti Simeonis Sacerdotis & Prophetæ, qui ſenex, probatus, & coronatus Dominum in Templo ſuis vlnis excepit; viſoq; & adorato ipſo deſideratiſſimo hominum ſaluatore, felix quieuit in pace. Eius brachium, quo Chriſtum amplexus eſt, à Carolo Magno cum multis, quæ ſollicitè toto Orbe conquiſiuit, pretioſis pietatis Chriſtianæ monumentis, & Cœlitum memorandis pignoribus, Aquiſgrani in baſilica ipſi glorioſo regi dilectiſſimam Almæ Dei Genitricis collocatum, à Carol. Caluo eius nepote ex nobilis ædis ſacrario depromptum, ad cœnobium regale Sancti Dionyſii prope Auguſtam Lutetiam perpetuo honore colendum magna deuotione delatum eſt, atq; ſuper altare impoſitum; quod, propter ſacrorum numerum ibi conditorum excellentiam,* ALTARE SANCTVM, *ab hinc cœpit paſſim appellari.*

17 Electum Deo Sacrificium fit, quùm quis ſe Deo offert, vitæq; innocentiam, & morum Sanctitatem, tanquàm libamina ſacra, Deo exhibet. Scitè S. Proſper lib. Epigramm. num. 20.

Quid voueat Domino, quiſquis benè corde volutat,
Ipſum ſe totum præparet, & voueat.
Maior enim offerri neque hoſtia mentis in ara,
Nec Chriſti ex templo ſuauior exit odor;
Quàm quùm homo caſtorū profert libamina morū,
Et de virtutum munere ſacra litat.
Sic tamen, vt norit, qui reddit vota Tonanti,
Vnum Diuinis cultibus eſſe locum
In toto Mundo, quem vera Eccleſia præbet,
Et ſinè quo nullum iuſtitiæ eſt meritum.

18 Iuſtorum eſt, ſacrificia gratuita Deo offerre, non coacta. Sanctus Ambroſius lib. de Noë, & Arca cap. 22. *Ædificauit Deo: & non dixit Domino, ſed Deo. Secundum nominis interpretationem non coacta videtur hac actio eſſe gratiarum quaſi Domino, ſed virtus iuſti morigera & grata quaſi Deo. Quod imperiale eſt ſequeſtrauit: quod beneficij nominauit.*

Quàm electum ſacrificium ſit pro Dei amore aurum contemnere, ità expendebat Hildebertus epiſt. 47. *Dauid regis factum mihi ad memoriam venit, cui dum concupita aqua de ciſterna Bethlehem, quæ inter hoſtiles cuneos habebatur, ab obſequentibus militibus fuiſſet allata, protinus dixit: Abſit à me, vt ſanguinem iſtorum hominum bibam; quam quia fudit & bibere noluit, ſcriptum eſt: Libauit eam Domino. Sic ergo ab armato rege* IN SACRIFICIVM DEI *verſa eſt aqua contempta: penſemus quale Sacrificium Omnipotenti Deo rex obtulit, qui pro amore illius, non aquam, ſed aurum accipere contempſit.*

19 Gratum patientiæ Sacrificium Deo offert, qui perſequutores non ſolùm fert ſed etiam diligit. Scitè B. Laurentius Iuſtinianus de Patient. cap. 2. *Patientia virtus eſt coram hominibus perſequutores tolerare ſed coram Deo eſt ipſos diligere quia hoc ſolum Deus* PATIENTIAE SACRIFICIVM *accipit, quod ante oculos eius in altari boni operis per dilectionem perſequutorum homo incendit.*

De Sacrificio Iuſtitiæ, quod offerendum monet Propheta Regius ità ſcribit Sanctus Auguſtinus in Pſal. 4. *Quid enim iuſtius, quàm vt ſuis vnuſquiſq; peccatis, quam alienis potiùs iraſcatur; ſeq; ipſum puniens mactet Deo? An Sacrificium Iuſtitiæ opera noſtra ſunt poſt pœnitentiam? nam & interpoſitum diapſalma non abſurdè fortaſsis inſinuat etiam tranſitum de vita veteri ad vitam nouam.*

Electum Deo Sacrificium ſpiritus eſt, ſi corpus quoq; per ieiunium Deo immoletur. Egregiè id colligebat ex Dauidicis illis verbis: *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus.* Pſal. 50. Sanctus Bernardinus Senenſis ſer. 5. de ſacro ieiun. art. 1. dùm inquit: *De vtroq; ſacrificio Pſalmus ait: Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus; id eſt ſimùl cum corpore per ieiunium tribulatus.*

FRANCISCO RVGERIO

Viro Eruditiſſimo.

Congr. Cler. Regul. Somaſchæ.

Epiſt. III. Mediolanum.

De feſtis aliqua exhibentur.

20 SVbpalpandi neſcius, Eruditiſſime Rugeri, ijs te coloribus pinxi, quibus priùs te fama virorum linguis velùt penicillis, immò & rudiùs. Quòd laudes non agnoſcis, non falſum, aut creperum reddit commune teſtimonium; ſed maiores in te radices egiſſe virtutes probant, quę te non efferant, ſed ornent.

Veriùs

Veriùs laudes mereris, dùm fugis. Non omnium eſt, magna præſtare, & magnum ſe neſcire. Benè eſt, quòd bona tua extenuas, & humilitatis puluere ea (vt ita loquar) adſpergis. Vbi quis conneinnè litterarum formauerit elementa, ſtatim operit arena, ne eorum forma pereat, ſed ſeruetur: eòdem ſpectant, qui ſe demittunt, eùm aliqua luce digna produxerint: ſeruant ſua, ſeruant ſe, dùm humilitatis puluere operiunt ſua. Probo, quòd laudes reijeias: ſed ſcito, in his caſtris laudes ad ſe trahere, qui reijcit; reijcere, qui ad ſe trahit. Etiam ab hoc capite laudo te, quòd laudes non admittis. Sed, his omiſſis, ſine ſub tuo nomine aliqua, quæ de feſtis adnotaueram præter illa, quæ in meis voluminibus ſparsìm dedi, prodire.

21 OLim tota paſchæ hebdomada ab operibus ſeruilibus fideles abſtinebant. Concilium Melden. c. 77. ait: DIES QVOQ; OCTO *Sacroſanctæ paſchalis feſtiuitatis omnibus Chriſtianis feriatos eſſe decernimus ab omni opere rurali, fabrili, carpentario, gynæceo, cæmentario, pictorio, venatorio, forenſi, mercatorio, audientiali; ac Sacramentis exigendis, quatenus eiſdem diebus tantò licentiùs, quantò liberiùs omnibus Chriſtianis ſancta reſurrectionis laudibus, & ſacroſanctæ prædicationi iugiter inſiſtere liceat. Quod ſi quis temerare præſumpſerit, excommunicetur.*

Alicubi fatuorum & innocentium feſtum celebrabatur. Indicat Concil. Colon. cap. 16. dùm iſtuc damnat. *Prohibemus inſuper, ne fiat deincèps* FESTVM FATVORVM, ET INNOCENTIVM.

22 In quodam feſto olim palmites vuis maturis refertos ab adoleſcentibus muliebri veſte indutis delatos obſeruo. Offerunt iſtuc hæc Procli verba in Chreſtom. *Oſchophorica carmina ab Athenienſibus canebantur: Chori autem adoleſcentes duo muliebri veſte induti* PALMITES VITIS GESTANTES, *plenos maturis vuis (quod ipſi ὄσχην vocarunt, vnde et carminibus nomen inditum) feſtum auſpicabantur.*

Non eſſe indigentiæ causà facilè feſta violanda, rectè colligit Oleaſter in cap. 16. Exod. *Audis*, inquit, *hic quanti fecerit Dominus Sabbati obſeruantiam, vt noluerit Iudæos ea die cibum quærere neq; parare. Vbi ſimul diſce, non tibi defuturum cibum ob feſtorum obſeruantiam; quoniam nouit Dominus dare duplum ad dies feſtos, ſi modò ex eius imperio colas.*

23 In feſtorum celebratione virtute potiùs ſplendere Chriſtianos debere, quàm nitidis pretioſiſq; veſtibus, docet S. Cyrillus Alexandrinus hom. 16. de Feſt. Paſch. *Ac ſi quidem eos*, QVI FESTAM CELEBRITATEM *agunt ſplendidis veſtibus ornatos eſſe maximè decet; nobis quoq; non alienum fuerit effulgere virtutis gloria, quin porrò vehementer conſentaneum ingredi volentibus in ſancta ſanctorum, quò ingreſſus eſt pro nobis præcurſor Ieſus iuxta D. Pauli vocem.*

LEONI ALLATIO, 24

Viro Clariſſimo.

Epiſt. IV. Romam.

De ſtatuis quædam ſtatuuntur, quædam de imaginibus ex antiquisruderibus exſculpta.

NOli me nimis extollere, mi Allati: noli nimis efferre mea. Humi ego ſerpo, dùm ſcribo. Qui paulò altiùs me ducunt, vereor, ne ab amore potiùs ipſi ducantur, quàm à iudicio. Et verò, etſi probare non poſſum, quæ de me ſentis; amare tamen in ijs te debeo, quia me amas, dùm laudas, & laudes ab amore profectæ ſunt. Amo te igitur ob laudes tuas: non amo laudas tuas, quia nec mereor. Aut ergo eas amolior, aut ſtimuli loco habebo, vt non ſiſtam in illis, ſed per illas vlterius pergam. Opuſcula, quæ nouiſſimè edidiſti, vidimus; & placere debent non ſolùm pijs, ſed etiam eruditis. Agè, prome & reuela alia, quæ apud te habes. Me vide, qui tàm facilis mea eudo, vt vix affecta foràs prodire ſinam. Te hac quoq; Epiſtola prouoco, dùm quædam, quæ de ſtatuis & imaginibus collegeram, tuo nomini eo inſcriptum. Tuum erit illa cenſere, & me amare, ſi non mea; quia ego & te amo, & tua.

MErcuriales ſtatuæ quænam eſſent, & quinam formarentur, ſic explicat Pachymeras in cap. 2. de Cœleſ. hier. *Hoc ab ethnicis acceptum: ſiquidem ipſi faciebant quaſi quædam ſimulacra, manibus pedibuſq; deſtituta, quæ* MERCVRIALES STATVAS VOCABANT; *quippe quòd occultè intus ſimulacrum aliquod abſconderent: nam, quæ occulta erant, Mercurio adſcribebant. Faciebant autem in ijs cùm oſtia, tum concauitates, quibus deorum, quos colebant, ſimulacra imponebant. Apparebant itaq; viles einſcemodi ſtatuæ Mercuriales, ſed intra ſe deorum ornamenta continebant. Studioſi itaque illorum contemplatores non tàm ſtatuis iſtis quadratis attendebant, quàm interioribus ſimulacris.* 25

Eorũ, qui tyrannos occiderunt, ſtatuæ ac in templis poni ſolitas, euincit illud, quod refert Stobæus ſerm. 49. in hunc modum: *Contra tyrannos hoc quoq; vertitur in diuerſum: ciuitates enim non ſolùm non afficiunt ſupplicio, ſed magnifica præmia decreuerunt tyrannicidis: cùmq; eos è templis eijciant, qui priuatos homines occiderunt; his, qui tale quid patrarunt, reſpublica* STATVAS PONIT IN TEMPLIS. 26

Romuli triumphales ſtatuæ omnes pedeſtres erant. Quod teſtatur Plutarchus in eius Vita; *Romuli*, inquit, *ſtatuas triumphales videre eſt omnes pedeſtres.*

Nouem Muſarum ſimulacra vndè ortum ha- 27

buerint, refert hisce verbis S. Augustinus li. 2. de Doct. Christi cap. 14. *Non audiendi sunt errores Gentilium superstitionum, qui nouem Musas Iouis, & Memoriæ filias esse finxerunt. Refellit eos Varro, quo nescio vtrum apud eos quisquam talium rerum doctior vel curiosior esse possit. Dicit enim ciuitatem nescio quam (non enim nomen recolo) locasse apud tres artifices terna simulacra Musarum, quæ in Templo Apollinis dono poneret, vt, quisquis artificum pulchriora formasset, ab illo potissimum electa emeret; itaq; contigisse, vt opera sua quoq; illi artifices æquè pulchra explicarent; & placuisse ciuitati omnes nouem, atque omnes emptas esse, vt in Apollinis templo dedicarentur; quibus postea dicit Hesiodum Poetam imposuisse vocabula. Non ergo Iupiter nouem Musas genuit, sed tres fabri ternas creauerunt. Tres autem non propterea illa ciuitas locauerat, quia in somnis eas viderat, aut tot se cuiusquam illorum oculis demonstrauerant; sed quia facile erat animaduertere omnem sonum, qui materies cantilenarum est, triformem esse natura. Aut enim editur voce, sicuti eorum est, qui faucibus sine organo canunt; aut flatu, sicut tubarum & tibiarum: aut pulsu, sicut in citharis, & tympanis, & quibuslibet alijs, quæ percutiendo canora sunt.*

28 Annulum quænam statuæ in capitolio haberent, & quæ non, ex his Plinij verbis habes li. 33. cap. *Nullum habet Romuli in Capitolio statua, nec (præter Numæ, Seruijq; Tulij) alia, ac ne si quidem Bruti. Hoc in Tarquinijs maximè miror, quorum è Græcia fuit origo, vnde hic annulorum vsus venit; quanquàm etiam nunc Lacedæmone ferreo vtantur.*

Mirum est, quanta religione Sanctorum imagines in vniuscuiusq; domibus exponantur apud Moscouitas; & ab ijs, qui aliorum domos adeunt, honorentur. Rem dabo vt in ~~rerum~~ Moscouitarum commentarijs habetur iii. *De ingressu in alterius domum.* vbi ità scribunt. *In singulis ædibus & habitationibus habent* IMAGINES SANCTORVM PICTAS AVT FVSAS *loco honorificentiore; &, quum alius alium accedit, ingressus habitaculum, continuò caput operit, ac, vbi imago sit circumspicit: qua visa, ter se Crucis signo munit, caputq; inclinans inquit: Domine, miserere. Dein salutat hospitem his verbis: Deus det sanitatem. Mox, porrectis manibus, deosculantur se mutuò, capitaq; inclinant. Dein continuò alter alterū intuetur, vter minoriùm se magis inclinaret demitteretq; atq; ità ter quaterq; alternatim caput inclinantes, honoremq; mutuo exhibentes, quodammodò concertant. Pòst sedent, negotioq; suo confecto, hospes rectà in medium habitaculi procedit, facie ad imaginem conuersa; rursùsq; ter signo se Crucis munit, prioraq; verba inclinato capite repetit. Postremò, data acceptaq; prioribus verbis salute, abit.*

29 In Ecclesijs brutorum imagines depingi lege vetitum lego. In Constitut. Eccl. Mant. num. 7. hæc leguntur: *Effigies iumentorum, canum, aliorumue* BRVTORVM IN ECCLESIIS NE FIANT. De aulæis & istuc addit: *Nemo in earum ornatu illis peristromatis aulæisq; vtatur, quæ obscænis figuris intexta sunt.* Res ad eos transferri potest, qui Ecclesiam adeunt, vt scilicèt in mente, ea, cogitationis penicillo depingant, quæ brutales sapiunt mores, aut aliquam impuritatem præseferunt.

Maiorum imagines vultusq; cera expressos singulis armarijs olim disponebantur. Disco id ex Plinio lib. 35. cap. 2. *Expressi cera vultus singulis disponebantur armarijs, vt essent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera.*

30 De Imperatorum imaginibus, eàrum cultu, varijsq; rebus, quæ illis adijciebantur, hæc habet S. Gregorius Nazianzenus Orat. 47. *Est hoc in imperatorio more positum; haud quidem scio, an apud omnes quoq; alios homines, qui imperio subsunt: cæterùm apud Romanos studiosissimè obseruatum, vt publicis statuis Imperatores ornentur. Nec enim coronæ, & diademata, & purpuræ nitor; & memorabiles leges, & tributa, & subditorum multitudo ad approbandum gratulandumq; ipsis imperium, sufficiunt; sed adorationem quoq; accedere necesse est, vt augustiores appareant; parumq; habent ipsi adorari, nisi idem quoq; sibi in imaginibus picturisq; præstetur, quò cumulatior sit ipsis perfectiorq; veneratio. His porrò imaginibus alij Imperatores aliud quiddam prætereà appingi gaudent; quidam clarissimas vrbes, dona afferentes; alij victorias, caput corona cingentes; nonnulli magistratus adorantes, & præfecturarum tesseris exornatos. Sunt, qui ferarum iugulationes & iaculationes; alij Barbarorum domitorum, vsq; ad pedes prouolutorum vel trucidatorum varias multiplicesq; figuras.*

Tiberij imagines Pilatus in Iudæam tectas in- 31
tulit; quia scilicèt nolebant Iudæi, imaginem aliquam in vrbem inferri. Ità notabant Suidas: *Pilatus* TIBERII IMAGINES *(quæ signa vocantur) in Iudæam tectas intulit: & Iudæi sic perculsi sunt, tanquàm patria eorum instituta conculcata essent; nolebant enim vllam imaginem in vrbem inferri.*

Magnum Alexandrum olim hoc cultu cultum reperimus, vt eius imaginem viri in auro, & argento exculperent; mulieres verò in reticulis & dextrocherijs & in annulis, & alijs ornamentis haberent. Pollion de Quieto, 14. *Alexandrum Magnum Macedonem viri in auro & argento, mulieres in reticulis & dextrocherijs & in annullis, & in omni ornamentorum genere exculptum semper habuerũt; eòusq; vt tunicæ & libi & penulæ matronales in familia eius hodièq; sint, quæ Alexandri effigiem delitijs variantibus monstrent.*

Cui rei prauorum hominum imagines in Eccle- 32
sijs videndæ proponerentur, explicat Lucas Tudensi li. 2. de Altera vita cap. 20. *Quorundam* PARVORVM HOMINVM IMAGINES, *eorum detegentes malitiam, & tormenta, & quasi effigies dæmonum sculpuntur in Ecclesia; vt videntes homines terreantur, &, præsentibus malis, atq; futuris ad mentem reuocatis supplicijs, discedant ab operibus prauitatis.*

Monstruosas, & portentosas quasdam imagines spectandas olim exhibitas indicat his verbis Plutarchus de Curiosit. *Quomodò Romæ aliqui tabulas pictas, & statuas, & verò formas egregias venalitiorum puerorum, & mulierum flocci pendentes, in monstrorum foro versantur; atq; ea, quæ suris carent, felinis vlnis, tribusq; oculis prædita sunt, & capite repræsentant passeres, contemplantur; & quærunt, si quod sit mixtum genus vel portentosum monstrum; quibus si perpetuò exhibueris eiuscemodi spectacula, citò res stomachum, & nauseam eis faciet.*

Imago depicta nullam à coloribus iucundita- 33
tem, commodum nullum capit: nec homo à terrena felicitate vllum fructum. Dauidis verba sunt Psal. 38. 7. *Veruntamen in imagine pertransit homo,* quæ hoc explicatu donat Euthymius: *In imagine, hoc est instar imaginis: nam, quemadmodum* DEPICTA IMAGO *nullum de pulchritudine sua, aut de colorum varietate, aut alia huiusmodi re commodum capit; ità nullum homo ab humana felicitate* FRVCTVM *decerpit.*

Adm.

Adm. Reu. P.

MAVRITIO LVZZARIO

Oratorij Sancti Philippi Nerij Presbytero.

Epiſt. V. Brixiam.

Quædam de Ieſu Infantia : infantis cultu.

34 INfantiam meam me iubes prodere, dùm aliqua de Ieſu infantiâ, ac Natiuitate me litteris conſignare nô vnis litteris poſtulas. Quid afferam? Quę dicta ab alijs? At hoc eſſet actum agere, & in re fruſtrà laborare, à quâ me aliorum labores exemerunt. Quę ab alijs indicta dicerē alijs, & tibi? Sed vnde mihi illorum notitia? Scripſi (fateor) vitam, quam in Matris vtero Chriſtus egit: verùm hîc ex Diuinis litteris exq; ſacrâ Theologiâ habui, quę huic (vt ità loquar) fabricę ſubſternerem. In re, quam ab imperitiâ meâ quęris, vix aliquid certi habemus. Pauca dederunt Euangeliſtę: pauca Doctores cæteri. Vt tibi tamen morem geram, piorumque hominum pietatem nutriam, de Ieſu ortu aliqua dabo; Ieſuų vitam, quàm in præſepi tranſegit, in tui, omniumque guſtum exhibebo. Interim dùm ſoluo, quòd promitto, pauca hęc in datę fidei fidem accipe; & tuis orationibus effice, vt perficere, quòd exigis, queam. Vale.

35 OLim apud nonnullos aſcetas hic mos vigebat, vt ſuperiores in die Natalis Domini vilibus ſe coquinæ miniſterijs darent. In Chronico Cluniacen. hæc habentur: *In libro conſuetudinum in hunc modum ſequitur; Aliquando, inquit ipſe Vuldaricus, forte libellus venit in manus noſtras, in quo inter cætera habetur, noſtram eſſe conſuetudinem in hoc ſacro Monaſterio Cluniacenſi,* VT IN NATALI DOMINI *miniſterium coquinæ faciant Dominus Abbas, & Celerarius ſimul cum Decanis: quòd ideò tacere nolui, vt animaduertas à quanta ſanctitate locus noſter incæpit.*

Quiſnam ritus, quiſnam Ordo in Chriſti adoratione ſeruatus à Magis fuerit, ex Euangelio colligi non poteſt: colligitur ex B. Veronica è Cœlo edocta, quæ (vt ait Iſidorus de Iſolanis in eius Vita lib. 4. cap. 4.) hæc habet: *Antequàm reges Infantulum contingentes adorarent, ter genuflexere: diuque ad inuicem diſputarent, quis eorum Prior adoraret. Demquè iunior primus acceſſit, pedes infantis exoſculans; &, quam capite geſtabat, coronam ante pedes infantuli ſolo reponens: quem Ieſus Infans benedixit. Sic quoquè egere cæteri. Cùmquè adorarent ſinguli, audiuit Veronica diù multumquè reges loquentes: nihil verò intelligere ſe potuiſſe aſſeruit. Adoratione peracta obtulerunt munera, aurum, thus, & myrrham, quæ Ioſeph accepit.* Hæc ille. Sed & aliqua de Natals Chriſti cultu præter alibi dicta hic adijcio.

Feſtos dies olim celebrantes domorum veſtibula coronis ornabant. Sanctus Gregorius Nazianzenus Chriſti Natalem diem, qui ſanctè ſit celebrandus docens, hæc habet Orat. 38. *Quocirca, non vt in publicis feſtis fieri ſolet, ſed diuinè; non mundanè, ſed ſupramundanè; non noſtra, ſed noſtri, vel (vt rectius loquar) Domini; non quæ infirmitatis ſunt, ſed quæ curationis; non quæ creationis, ſed quæ recreationis celebremus. Id autem quâ ratione conſequemur? Nempè,* SI NEC DOMVS VESTIBVLA CORONIS CINGAMVS, *nec choros agitemus, nec vicos ornemus, nec oculum paſcamus, nec aurem cantu mulceamus, nec olfactum muliebriter delineamus, nec guſtui lenocinemur, nec tactui gratificemur; promptis, inquam, illis ad vitium vijs, & peccati iannis; nec teneris, & circumfluentibus verſibus emolliamur, quarum quod pulcherrimum eſt, nulli vſui eſt; nec gemmarum ſplendoribus, nec auri fulgoribus, nec colorum artificijs natiuam pulchritudinem ementientibus, atque aduersùs Diuinam Imaginem excogitatis, nec commeſſationibus, & ebrietatibus; quibus cubilia & impudicitias adiuncta eſſe ſcio: quandoquidem malorum magiſtrorum mala doctrina ſunt, vel potius malorum ſeminum malæ ſegetes. Nec thoros altos figamus, ventri delicias ſternentes; nec fragrantia vina, coquorum lenocinia, ingentis ſumptus vnguenta in pretio habeamus. Nec terra, & mare pretioſum nobis ſtercus dono afferant (hoc enim honore delicias afficere ſoleo) nec alius alium intemperantia ſuperare contendamus. Mihi enim intemperantia eſt, quicquid ſuperfluum eſt, vſuſquè neceſſarios excedit; idquè eſurientibus alijs, atque inopia laborantibus; ijs, inquàm, qui ex eodem luto, & temperamento conſtant. Verùm hæc Gentilibus, & Gentilitijs pompis, feſtiſquè relinquamus, qui etiam ijs, quos ſacrificiorum nidor oblectat, deorum nomen tribuunt; aptèquè proindè diuinum numen ventre colunt, mali vtiquè malorum dæmonum, & ſictores, & Sacerdotes, & cultores. At nos, à quibus Verbum adoratur, ſi quid delicijs dandum eſt, in ſermone delicemur, atque in lege Diuina; & narrationibus cùm alijs, tùm ijs præſertim, quæ præſenti feſto conſentaneæ ſunt.* 36

Eruditiſſimo Viro

ALBERTO GREGLICIO

Polono.

Epiſt. VI. Romam.

De trophæis quædam: quædam de triumphis.

QVid me ſiluiſſe cauſaris? Silui, quia ſiluiſti; & cauſa mei ſilentij 37
tuum fuit. Quòd ſi hîc aliqua culpa, tua etiam eſt. Et verò non puto fuiſſe. Nimis tenera, ac delicata amicitia eſt, quæ mutuo amicorum ſilentio læditur. Nimis leuiter amant, qui leui literarum fulcro (liceat ità loqui) inniti amicitiam credunt. Verè in eorum cordibus non æſtuat amor, ſi amoris calor ſtatim intepeſcat, cùm deſinunt intercurrere litteræ. Amare te ergò po-

gò potui, & verè amaui, licèt à ſcriptione calamus abſtinuerit. Nunc ſcribo: voluiſſem ſcriptionem tuam anteuertere, ne putares à tuis potiùs litteris ad ſcribendum me excitatum, quàm ab affectu, quo te amplector. Sed, quia in ſcribendi officio mihi pręiuiſti, litteras nunc exhibeo, qui ante te in memoria ſcriptum circumferebam. Nudas autem litteras non mitto: litteris aliquid addo, quòd eas, & gratiores reddat, & chariores. Tu, quòd ab amore profectum, amoris ſinu accipe, ac tui amantem ama.

38 TRophæa ex paruis lignis, & ſaxis cut aliquando conſtituta, docet his verbis Nicetas Chon. lib. de Balduino Flandro: *Olim, qui prælio vicerant, humanæ conditionis memores, nec immortalia odia conſeruãda eſſe rati,* TROPHAEA EX PARVIS LIGNIS, ET SAXIS CONSTITVEBANT, *vt exiguo temporis interuallo abolerentur: quippè non amicitiæ monumẽta, ſed inimicitiarum, & cædium irritamenta.*

In regum trophæis ſtatuendis per id tempus eos dimiſſos, qui erant in vinculis, indicat his verbis S. Chryſoſtomus ho. 21. in Act. Apoſt. *Sicut, quandò regum trophæa ſtatuuntur, tunc celebrantur quidem, & quicunque victoriæ ſocij fuerunt: dimittuntur autem, qui ſunt in vinculis per illud tempus: vbi autem tranſierit hoc tempus, qui nihil aſſequutus eſt, nihil obtinet: ita ſanè, & hic.*

39 De trophæis non excitandis hæc habet Cælius Rhodiginus lib. 22. Lection. antiq. cap. 20. *Illud fortè mirum hiſtoriam tanti Principis verſanti contingat: nullum omninò, vel Darij afflictis opibus, vel fuſis, fugatiſquè Indorum exercitibus numeroſis, fuiſſe ab eo excitatum trophæum, qui mos Græcorum fuit celeberrimus. Cæterùm ſcire licet, Macedonum regibus cautum lege, ne facerent.*

Apud Romanos, qui triumphum ambiebant, extra vrbem degere toto eo tempore iubebantur. Ità Plutarchus in vita Iulij Cæſaris: *Cautum erat apud Romanos, vt* TRIVMPHVM AMBIENTES TOTO AMBITIONIS TEMPORE EXTRA MVROS FIERENT. Ac ſi eſſet communis peſtis, vt aliqui dicunt. Hinc S. Baſilius in Conſtitution. Monaſt. cap. 10. *Ambitio diabolica peſtis eſt.* Et Sanctus Bernardus 1. de conſid. *Si Chriſti Diſcipulus es, igneſcat zelus tuus, exſurgat authoritas aduersùs impudentiam hanc, & generalẽ peſtem.* Sic ille de ambitione.

In coronis triumphalibus olim præclara illorum
40 facinora ſculpebantur, qui coronas illas meruiſſent; adeòut in eius corona, qui primus murum aſcendiſſet, hoſtium muri eſſet impreſſa forma; nauis, ſi in nauali viciſſet prælio; & ſic de alijs. Rem his verbis habet Zonaras in Camillo: *Coronas Imperator alijs aureas, alijs dabat argenteas: Si quis enim primus mœnia hoſtium tranſcendiſſet,* CORONAE *muri forma impreſſa: ſi oppidum, aut Caſtellum expugnaſſet, eius imago inſculpta: ſi nauali prælio vicerat, nauis: ſi equo, equs, aut res alicuius equeſtris. Qui ciuem è pugna obſidione, aliouè periculo ſeruarat, maxima laude, tum verò quercea corona, quæ aureis, & argenteis dignior fuit, & honoratior, donatus.*

Obeliſci imaginem in nummo quodam apud Athenienſes expreſſam indicat Cælius Rhodiginus lib. 10. cap. 2. Lection. antiq. *Photius Patriarcha monumentis prodit obolum indè nuncupatum, quòd vetus Athenienſium ex ære nũmus,* OBELISCI IMAGINEM *præſeferret.* Nolo plura exhibere: nam nota hæc tibi fors ſiunt, &, quæ dedi, inſtituto meo ſatis erunt.

Reuerendiſſ. P.

ZILIO MAVROCENO

Ord. Eremit. S. Auguſtini.

Epiſt. VII. Veronam.

Sanctæ Catharinæ Virginis, & Martyris Elogium, & quædam appendices.

ITà eſt: alienis iudicijs cogor velificari, & ad alienam mentem non ſemel calamum flectere, non ad meam. 41
Vtinam id non alienè fiat, & promptę parentię laus, ſcriptionis defectus extenuet, aut etiam prorsùs tollat. Sed quorsùm hęc? In Sanctę Catharinę Virginis laudem aliquid à me cudi, à me doctiſſimus tuus Thomas de Nuce poſtulauit. Non potui diù illi (quę mea facilitas eſt) repugnare, vt nec debui. Profudi veriùs aliquid, quàm ſcripſi, quòd mitto: tibi enim omne debebatur, ſub cuius auſpicijs hęc Virgo, Martyrij purpurâ nobilis, tot encomijs inſignitur. Vnâ eademquè operâ, & meum in hanc Virginem cultum, & meum in te obſequium ſignificabo. Elogium, quod formaui iſtuc fuit.

BEATA CATHARINA
Omnia tormenta dùm vicit, vicit omnem laudem. 42
Calamo non indiget efferri, quæ, lecta cadẽs victima,
Se ſuper ſe extulit, & ſexum ſuum.
In Puella
Nihil mollioris ſexus fuit, niſi ſexus;
Nihilque fœmineum, niſi quòd fœmina.
Paruum in virgine nil reperias præter ætatem.
Maxima ſemper extitit.
Sed tunc maximè, quùm minimi fecit Maximinum.
In quem ſe armauit
Non ferendo arma, ſed ſtrenuè vulnera perferendo.
Inſipiens tyrannus contra Virginem produxit ſapientes,
Vt pluribus cum illa vincere poſſet, dùm vicit plures:
Qui victores fuere, quia fuere victi.
Sapere eos docuit Virgo, indicans deſipuiſſe;
Ac PHILOSOPHOS reddidit Philotheos.
Contra Martyrem, & ROTAM tyrannus admouit,
Sed nihil promouit.
In orbe rota, terrenæ celſitudinis orbitam neglexit,
Cæliquè eboreas cogitauit.
Fuſo ſanguinis, Fidei hoſtem fudit.
Sanguinem dixi? Lac fuit:
Vt vel hinc lacteam eius innocentiam diſceres;
Pietatis, Religioniſquè nutricem ſcires.
Tandem, quæ virtutum culmine Angelos referebat,
In Montem Sina defertur ab Angelis.
DISCE LECTOR:
Verè non moritur, qui, ne Chriſto moriatur,
pro Chriſto moritur.

In

43 In B. Catharinam Virginem, & Martyrem, in quâ Rota inconſtantię ſignum, conſtantię indicium fuit, & firmitatis in fide, in probitate.

Inſiſtit fortuna Rota, quòd neſcia ſtandi:
At Catharina Rota ſe probat immobilem.
Maiorem Chriſti Sponſam toto Orbe futuram
Monſtratur, dum non ſternitur orbe Rotę.

Ad Encomiaſtem S. Catharinę Virginis & Martyris amica amici excuſatio, quòd ab eo efferendo abſtineat.

Non tua, non te laudo: cùm ſit amicus, amice,
Alter ego, tua laus, laus mea namque foret.
Se ſatis hæ laudes laudant; & quilibet impar
His extollendis, par tibi ni fuerit.

44 HÆC à me, doctiſſime Pater, exciderunt, cũ Tui tuo nutu hanc Virginem, Martyremq; efferrent. Placet his ſubnectere Elogiola quędam, quæ iuſſu tuo formaui ſubſcribenda ad poſterorum memoriam quorundã Patrum imaginibus, quę Religioſam tuam familiam litteris, ac ſanctitate nobilitarunt. Tu linearum, & quòd maius litterarum numerum pręſcripſiſti, vt veniã, mea breuitas mereatur, nec ego damnari debeam, ſi intra has anguſtias me continens ex perfectę parętię lege, multa, imò omnia ferè ſupprimere coactus ſum, quę in illorum laudem afferri poterant. Qualia qualia à me cuſa tantę breuitati litans Elogiola habe, & per te etiam cęteri.

I.

M. F.

Finus Burus Veronenſis
Monaſterij huius fundator
Paupertatem ſanctimonia
Subtrauit.
Vt firmior ſtaret. Obijt 1262.

II.

M. F.
Ioannes Euangeliſta Veronenſis
Prouincialis, & Doctor Pariſinus
Inſignem Bibliothecam ſtruxit,
Inſignis Bibliotheca fuit.
Vixit ann. ſal. 1377.

III.

M. F.

Spiritus Angoſciolus Vicentinus
Prior Generalis nil habuit prius
Quàm vt patientia
Alijſq; quas coluit
Virtutibus ſpiritum excoleret. Vixit 1385.

IV.

M. F.
Bartholomæus Venetus
Prior Generalis auctor
Obſeruantiæ Ilicetanæ
Et cuiuslibet exemplar,
Sibi ſemper ſimilis Vixit 1385.

V.

M. F.
Paulus Veronenſis Egregius ſuo æuo
Et ſcriptor, & Concionator
Præſtitit, quæ præſtanda
Alijs dixit, indixit alijs.
Obijt ann. ſal. 1473.

VI.

M. F.
Ambroſio Calepino Bergomenſi.
Latina quantum debeat lingua.
Exprimi lingua non poteſt. 45
Latior Latio ipſo ſcriptoris fama
Qui abijt hinc, hinc non abiens 1505.

VII.

M. F.
Gabriel Venetus Prior Generalis
Religionis porrexit limites
Religioſarum obſeruantiarum.
Terminos contraxit.
Viuebat ann. ſal. 1519.

VIII.
Pietati eruditionem
M. F. Bellinus bellè iunxit
Quæ de Martyrum laude ſcripſit
In ſcribentis laudem reſilire.
Qui hic eſſe deſijt ann. 1532.

IX.

M. F.

Anſelmus Vicentinus
A Patria ſua
Omen habuit victoria.
Vicit fidei hoſtes, mundum,
Et quòd eſt maius, ſe. ob. 1533.

X.

M. F.

Hieronymus Plumatius Veronenſis
Virtutibus omnibus ornatus
Sed præcipuè præcipua,
Ordini addidit ornamentum.
Viuebat ann. ſal. 1533.

XI.

M. F.

Marcus Bolturnius Vicentinus
Pacem habuit cum pace
Cum vitijs bellum.
Multorum inimicitias euulſit
Concordiam ſeuit. Abijt ann. 1533

Ioan.

46 XII.

M. F.

Ioannes Antonius Veronenſis Ord. Gent
Theologus, Philoſophuſque
Summus, Summus.
Corpus ſuum comprimens
Mentem euehebat. 1538.

XIII.

R. P.

Gregorius Patauinus Ann. 1550. *viuebat.*
Litteris Moribuſq;
Gradum ſibi fecit ad gradus.
Quos dimiſis lubentius.
Quàm alius admiſiſſet.

XIV.

M. F.

Petrus Aurelius Sanutus Venetus
Fidus defenſor fidei.
Impietatem vt proſcriberet.
Contra impios ſcripſit.
Calamo Lutherum fodit. 1550.

X V.

Viuam prudentia imaginem
Hic, quem iſta non viua
Exprimit. expreſſit
Ambroſius Quintellius Patauinus
Proc. Ord. & Vic. Gen. 1550.

XVI.

M. F.

Ioannes Franciſcus Libertas Taruiſinus.
Dicendi libertate
Viuendi coercuit libertatem.
Pietatis Montem inſtituit primus.
Abijt Ann. Sal. 1568.

XVII.

M. F.

47 *Onuphrius Panuinius Veronenſis.*
Tam multa tam paucis
Quibus vixit annis ſcripſit
Vt vix credas potuiſſe.
Sacra hiſtoriæ Princeps obijt 1568.

XVIII.

M. F.

Chriſtophorus Patauinus
Prior Generalis
Se ſuper ſe extulit
Se intra ſe cohibens
Modeſtię litans. 1572.

XIX.

M. F.

Paulo Veneto non paulùm
Docti debent, & doctrina.
Sapientia lumen columenq;
Viuebat Ann. Sal. 1574.
Semper viuet in ſuis ſcriptis.

X X.

M. F.

Nicolaus Veronenſis Vicarius Generalis
Scientiam animauit vita
Vitam exornauit ſcientia.
Viuum vtraq; vitæ religioſę exemplar fuit.
Fuit Ann. Sal. 1550.

HÆc pauca de paucis tuorum tuo iuſſu tetigi. Sed quid de te ipſo dicam, qui eò pleniores laudes mereris, quò ſtudioſius quæris tuos laudari? Laudabo? At id nec Epiſtolę anguſtia fert, nec modeſtię tuę latitudo. Laudent te tuę familię per te mores compoſiti, efferant quę in totius Ordinis tui decus, & ornamentum aut pręſtitiſti, aut moliris. Te pręcicent in ędificijs erecti muri, & in aliorum ędificationem recti mores. Omnia iſta ad poſteros memoriam tui tranſmittent, vt tunc quoq; hic victurus ſis, cum hinc abieris.

Eruditiſſimo Viro
GEORGIO POLACCO
Veneto.

Epiſt. VIII. Venetias.

De Dracone in pertica delato, dùm proceſſio fieret.

NON eſt mei moris ad pompam ornatam ſcriptionem dare, & 48
culti ſermonis quaſi quadam ceruſſa tinctam exhibere. Cultum in ſermone nunquàm colui; ſed vbiq; neglexi, licèt aliter aliquibus viſum, qui noſtra videre. Curam, mihi crede, omnem pono, dùm ſcribo; idq; pręcipuè in Epiſtolis exarandis, quę ſi ſub calami crena (vt ità loquar) non naſcantur, deſinunt eſſe, quod ſunt; &, diligentia & induſtria aliqua, ſi tanquàm obſtetrix appareat, diſparent; interq; nimię curę blanditias penitùs pereunt. Hęc tibi

dicta

dicta volo, & per te etiam cęteris; nam tu quòq; cum alijs multis cultum in meis scriptis soles commendare, & plusquàm negligentia mea ferat, efferre. Adeò in Epistolis curam negligo, vt etiam ob hanc causam, rerum quarundam mixtionem faciam, quę pondus, litteris adiectę, litteris adijciant. Hęc, quam ad te scribo Epistola, hoc pondere ne careat, de dracone in pertica deferti solito, dùm processio fieret, mentem tibi meam exponam; & sententiam tuam, cui, quę dicam, subijcio, expectabo. Rei huius notitia ad gustum tuum erit, qui sacrorum rituum cognitione maximè delectaris. Sed ad rem.

49 DRaconem in pertica olim in processione ferri solitum, docent veteres consuetudines Floriacenses. Dùm loquuntur de ijs, quæ fieri consueuerant feria quinta hebdomadæ sanctæ sic habent. *Post Nonam Conuentus albis induitur, & Priores mutantur versus altare. Quandò Dominus Abbas venerit in chorum, incipit psalmum, & mòx fit processio per claustrum ad nouum ignem consecrandum ante ostium eleemosynæ: qui ignis lucet industria præcentoris, è lapideq; berillo producatur, vel è silice excutiatur; à famulo tamen sacristæ præparatur, & accenditur. Ad processionem portatur aqua benedicta, & thuribulum sinè igne, & Crux, & draco in pertica. Vnus verò de infantibus in conca à magistro suo præparata affert candelam accensam, vt præsto sit ignis, si extinguatur,* QVI IN ORE DRACONIS PORTATVR. *Ipso die portatur draco à thesaurario, in crastino à Priore, in Sabbato ab hebdomadario maioris Missæ.* Ab antiquo ad nostrum æuum venio: apud nostros quòq; hic mos viget, vt, quùm in litanijs maioribus processio per hanc vrbem fit, draco ligneus in pertica deferatur: quod non esse nouitium nuperumq; iouentum (vt aliqui voluere) ex his, quæ diximus, elucet.

Ad processionem generalem (vt hoc quoq; ad-
50 dam) olim clerus populusq; cum campanula vocabatur; idq; per clericum fiebat. In antiquo M. S. Rituali Ecclesiæ Neapolitanæ hæc leguntur: *Mutat* CLERICVM CVM CAMPANELLA *ad præcom?andū omnibus Clericis, & populo, qualiter tali die fiet processio generalis*: Sisto hic: & tantùm Deum precor, vt det nobis, virtutum remigio ad veræ felicitatis portū velocissimè ferri, ò vtinā?

Doctiss. & Excellentiss. Viro
ANDREÆ CHIOCCO
Medico, & Philosopho.

Epist. IX. Veronam.

De claue S. Metronis, ac de Sancti Petri clauibus.

51 EX tuis, mi Chiocce, video te ab Hippocratis, Auicennę, Galeni, & suppatis notę libris, quibus ex munere tuo incubas, etiam ad sacros quandoq; diuertere, quo animum illis studijs fessum recrees, & pressum erigas. Placet Institutum tuum, & probo. Et verò huiusmodi ingenium tuum est, vt eius ope pluribus studijs nauare operam possis, & in multarum scientiarum sinum te abdere, vt, et variarum linguarum notitiam indipisci. Quod te optimè pręstitisse loquuntur ea, quę edidisti; & noscunt illi, quibus tu notus. Laudo, quòd post ea, quę sunt tuę artis propria, etiam illa venaris, quę sunt pręcipuè nostrę, quia sunt sacra. Quod quęris, enucleem tibi versus, qui de S. Metrone circunferuntur; ab alio vis discere, quod poteras à teipso; et in alienis aquis expiscaris, quod ex diligentię tuę sinu erat tibi facilè depromere: sed, quia ità iubes, parebo iussibus tuis. Versus explicandi sunt hi;

METRON.

Affixi peccata Cruci quis tollere curet?
Quis? nisi qui hunc itidem fixeras illa prius.
Magne Athesis, claues capias, captasq; lauabis:
Has vbi reddideris, tunc ego lotus ero.

CLauem ijs aperiendis (vt ità loquar) habebis,
si quæ de Sancti huius pœnitentia traduntur 52
perlegas. Petrus de Natalibus lib. 4. cap. 147 hæc de Sancto Metrone habet. *Metron confessor Veronæ colitur in Ecclesia S. Vitalis sepultus, de quo fertur, quòd illùc peregrinus aduenerit; sed, vndè venerit, aut quo loco exortus fuerit, ignoratur: ibiq; existens nouum pœnitentiæ modum adinuenit; nam lapide magno compede in Cruce posito mediante se affixit,* CLAVEMQ; COMPEDIS *in flumen Athesis projecit, hoc sibi signum præponens, quòd quandocunque clauem reperire contingeret, ab omnibus peccatis se absolutum cognosceret. Post plures itaq; annos, appropinquante die vocationis eius, piscis capitur, in cuius ventre clauis illa reperitur; animam iam sanctificatam designans, & corporis dissolutionem instantem prænuncians, quæ post dies modicos facta est. VII. idus May.* Ex his elucet apertè, quò spectent, quidq; significent versus, quos ad me transmisisti, vt redundantis sit operæ aliquid adijcere ad explicatum. Sed, quia hic sumus, alia de alijs clauibus addam, quæ ingrata tibi non sint, licèt à te minimè sint quæsita.

Claues olim S. Petri transmitti consueuerant,
vt super ægrotos pònerentur. Sanctus Gregorius
lib. 1. epist. 25. *Amatoris vestri B. Petri Apostoli* 53
vobis claues transmisi, quæ super AEGROS POSITAE *multis solent miraculis coruscare.* De ijsdem clauibus idem S. Pater hæc habet lib. 6. Epist. 34. in calce: *Præterea benedictionem vobis S. Petri, Apostolorum Principis, clauem Sanctissimi Sepulchri eius, in qua benedictio de catenis illius est inserta transmittimus, vt, quod eius collum ligauit ad martyrium, hoc vestrum ab omnibus peccatis absoluat.*

Petri claues olim adoratæ Romæ in authoritatis illius memoriam, quam claues repræsentant. Erant autem ex argento fabricatæ: quod refert hisce verbis Sanctus Theodorus Stu-

Studita ferm. 15. de adorat. & cultu sanct. Imag. *Si loca, in quibus editus est Christus, adoranda atque sancta, & sunt, & dicuntur, ac puluerem inde, aut lapidem nactus, ceu sacrum complectitur thesaurum; quāto magis Christi venerabilis, & adoranda est imago, in qua inest velut in speculo, qui elucet, atque adoratur? Ea est enim natura imaginis, vt repraesētati gerat faciē, Quin colis Roma, & Apostolorum Principis* PETRI CLAVES INTELLIGO, *quamquam Dominus ei nequaquàm claues est largitus, quæ sub sensum sunt subiecta; sed quæ intelligentia tenētur ligaturo, atq; soluturo. At illi argento fabrefactas proponunt adorandas, tanta est eorum religio.*

Auaritiam *diabolicam clauem* vocatam obseruo.
54 Hoc eam titulo donat S. Franciscus de Paula Epist. 5. vbi ait; *Verecundentur omnes Christiani Principes, qui sine charitate viuunt; cùm enim Deus dederit eis modum benè viuendi, & ipsi male viuunt clauserunt manus suas* DIABOLICA CLAVE AVARITIAE; *& sunt tenaces ad faciendum bonum, & prodigi ad patrandum malum.*

NICOLAO GRACCHO.

Epist. X. Veronam.

Varia ex profanis obseruationes: vtilis de profanorum lectione cautio.

Litteras tuas vidi, mi Gracche, &
55 in tuis litteris teipsum. Rem, de quâ anteà scripseras, ex voto cecidisse, tàm volupe fuit, quàm crepeperum me res futura reddiderat. Tuę, curam omnem deterserunt. Primus iste aditus pleniorem spem pollicetur, quę ne irrita, & cassa sit, spe Diuinâ pascaris: humana sola inani ferè exitu nobis illudit, & nos illidit. Quòd quęris, vt aliqua profanę eruditionis semina tibi mittam pręter illa, quę sparsím in operibus iàm editis habes, pauca ista adijcio, ne omninò vacua hęc Epistola ad te veniat.

Terminus, cùr Capitolij immobile saxum diceretur, cùrque supra ipsum in Capitolio foramen esset relictum, nobis edisserit Lactantius, cuius hæc sunt verba lib. 1. de Falsa Relig. cap. 20. *Quid, quòd lapidem colunt informem, atque rudem, cui nomen erat Terminus? Hic est, quem pro Ioue Saturnus dicitur deuorasse. Nec immeritò illi honos tribuitur: nàm, cùm Tarquinius Capitolium facere vellet, eaque in loco multorum deorum sacella essent, consuluit eos per auguria, vtrùm Ioui cedere vellent; &, cedentibus cæteris, solus Terminus mansit: vnde illum Poeta Capitolij immobile saxum vocat. Iàm ex hoc ipso quàm magnus Iupiter inuenitur, cui non cessit lapis ea fortasse fiducia, quòd illum de paternis faucibus liberauerat. Facto itaque Capitolio, supra ipsum Terminum foramen est in tecto relictum; vt, quia non cesserat, libero cœlo frueretur, quò ne ipsi quidem fruebantur, qui lapide frui putauerunt: & huic ergò publicè supplicatur quasi custodi finium Deo, qui non solum lapis, sed etiam stipes interdum est. Quid de ijs dicam, qui colunt talia? nisi ipsos potissimum lapides, ac stipites esse?*

Patricijs olim iuxtà Capitolium habitare minimè licebat. Plutarchus in quæst. Roman. nu. 91. 56
CVR PATRICIIS NON LICEBAT PROPE CAPITOLIVM HABITARE? *An, quia M. Manlius ibi habitās tyrrannidem affectauit? propter quē illa familia iureiurando sese obstrinxit, nemini se ex ea Marci prænomen facturam. Aut antiquus tenebat metus? etenim Publicolam, hominem magis quàm quisquam fuerit alius popularem, non destiterunt calumnijs impetere potentiores, metuere verò plebs, antequam domum suam ipsus diruit, quòd ea imminere foro videretur.*

Canes stato quodam tempore coronari apud antiquos solitos indicat Scholiastes Pindari, cuius hæc verba feruntur. *Creditur ab antiquis Dianam idibus Augusti venatu abstinere, ideoque nec venari tunc cessante dea licuisse.* SED CORONARI CONSVETOS CANES, *facesque accendi spicatas, iuxtaque suspendi quicquid erat venatorium instrumentorum.*

Cùr duo angues à tabernarijs pingerentur olim, indicat Cornutus ad satyr. 1. Persij, vbi ait:
Mos erat, vt tabernarij, cupientes terrere pueros, ne 57
mingerent per stationum suarum angulos, pingerent supra duos angues; deinde interaicerent millurientibus, ostendentes religionem loci, per quod designat sacrum. Persij verba, quæ illustrat Cornutus, sunt ista:

Pinge DVOS ANGVES; pueri, sacer est locus, extra
Meiite.

Alicubi annulos cruribus appendere solitas mulieres, obseruo. De regni Goueani incolis hæc habet Ioann. Hugo in sua nauig. *Mulierum aliæ singulos, aliæ bines habent annulos satis crassos ex ferro, cupro, stannouè, crura ambientes; non rarò tres aut quatuor libras pendentes. Similes quoque annulos virorum aliqui in cruribus habent, apud quos tamen id rarius est.*

Pædagogi olim docebant pueros suæ curæ com-
missos salsamentum digito vno tangere, piscem 58
duobus. Plutarchus in Comment. *Virtutem doceri posse*: hæc habet: *Quin etiam docent ipsi Pædagogi* CAPITE OBSTIPO VIAS INCEDERE, VNICO DIGITO SALSAMENTVM CONTINGERE; *duobus piscem, panem, carnem; hoc vel illo modo scabere, vestimentum dependens retrahere.*

Extispices olim in extis consulendis partem eorum inimicis, partem suis assignabant; atque ex vtriusque partis habitu, colore, plenitudine, tabe quid hostibus, quid suis euenturum esset; ariolabantur. Hùc spectare Lucanum aliqui putant, dùm ait:

Cernit tabe iecur madidum, fibrasque minaces
Hostili de parte videt.

Et alibi:

Paruusque secat vitalia limes.

Claudo, mi Nicolae, nec plura exhibeo. Hoc
tantùm moneo ne in profanorum authorum lectio-
ne totus sis. Sacros etiam adeas, quos illis præfe- 59
ras. Eos porrò, qui profanis authoribus nimis sunt addicti, eosque velut Deos colunt, illorumque sunt idololatræ, vtili cautione armat, & munit Petrus Blesensis Epist. 6. vbi quendam ludimagistrum alloquens, ait. *Priscianus, & Tullius, Lucanus, & Persius, isti sunt dij vestri. Vereor, ne in extremæ necessitatis articulo vobis improperando dicatur:* VBI SVNT DII TVI, *in quibus habebas fiduciam? Surgant, & opitulentur tibi, & in necessitate te protegant. Semper circuitis montem Seir, nec ad terram promissionis venire potestis. Magister vobis, & imitatoribus vestris conuertit Dominus flumina in sanguinem, ne bibant.*

ne bibant. Dat etiam cœlum æneum, & terram ferream, dum vobis conuertit Dominus carnalem ſcientiam, in qua obduruiſtis pertinaciter, in peccatum. Magiſter, nolite loqui ſublimia gloriantes. Recedant vetera de ore veſtro; quia Deus, ſcientiarum Dominus, abhorret Philoſophiæ Gentilis errores (cuius adhuc idololatræ eſtis) & acceptat in quolibet Chriſtiano conſcientiæ puritatem. Hanc tu quoque ama, hanc offer Deo tuo.

Illuſtriſs. Præſuli

IACOBO PHILIPPO THOMASINO

Æmoniæ Epiſcopo.

Epiſt. XI. Patauium.

De donarijs ſacris quædam chartis illuminantur.

60 LIbrum tuum de Donarijs ſacris, quem mihi dono dediſti, lubens accepi, lubentiùs legi. Vt multa diligentię tuę docti debeant, hunc pręcipuè laborem debebunt, in quo pleraq; antiquitatis inuolucra explicaſti, antiquos in hac re ritus ſuâ luce veſtiſti. Vis verbo dicam? Tuum de Donarijs opus nomen tuum potuit ęternitati donare, inque glorię (vt ità loquar) templo illud tanquàm anathema, ac Donarium ſuſpendere, non caſurum. Recolo, te non ſemèl à me poſtulaſſe, vt, ſi quid de hoc argumento haberem, ad te tranſmitterem: non tranſmiſi, & quia ad manum non erat, eùm librum euſurus eſſes; & quia neſciebam, an collegiſſes, quę ego collegeram; & chartis conſignaſſes, quę ego notaueram. Nunc, quia ex libro tuo didici, te plerâq; conſultò ſilentio ſuppreſſiſſe, aliqua, quę occurrerunt, huic Epiſtolę alligo, & ad te adlego; vt vel ex leui hoc labore auctoritatis tuę in me pondus, ac vim, & tu videas, & videant cęteri; & etiam ab hac parte periti lectoris gratiā ineas, quòd & tua edideris luce digna, & aliena elicueris tenebris, quas merebantur, addicta. Pauca hęc habeo: plura ſi cupis, adi teipſum, & tuum librum, & tecum etiam alij.

61 DE Anathematis, & Donarij origine ex noſtris hæc exhibeo. Sanctus Augoſtinus quæſt. 41. ſuper Num. *Origo huius verbi in Græca Aloyſ. Nouar. Tom. Vnus Var. Opuſc.* *lingua ab ijs rebus, quæ vota, & perſoluta hoc eſt promiſſa, & reddita ſurſum ponebantur in templis ἀπὸ τοῦ ἄνω τίθεσθαι hoc eſt ſurſum ponere, vel figendo vel ſuſpendendo.* Ad huius verbi vim hunc quoque morè aliqui explicant illa Dauidis verba Pſal. 8. 4. *Lætifica animam ſerui tui: quoniam ad te, Domine, animam meam leuaui*: ideſt: Suſtoli animam meā tanquàm Donarium quoddā factū. Pulchrè noſter Agellius hic: *Deffinitur oratio ſubleuatio mentis in Deum. Vel, ſuſtuli animam meam ad te tanquàm donum, ac munus tibi gratiſſimum offerens, vnde illud eſt in Lamentationibus cap. 3. Leuemus corda noſtra cum manibus ad Dominum in Cęlos. Secundam ſignificationem probauit Græcus quidam author, qui ſic explicauit.* Τῷ θελήματί σου αὐτὴν ἀνέθηκα. *Tuæ voluntati illam dicaui,* SCILICET TANQVAM QVODDAM DONARIVM, AC MVNVS TIBI DEDICAVI. Dædalus in honorem Phœbi alas ſuſpendit, quarū ope volauerat ex more veterum, qui ſolebant deorum templis res illas offerre, quæ ſibi vel vſui fuiſſent vel ornamento. Ità aries Phryxi ſacratus eſt Marti apud Colchos, quo ille per maria vectus fuerat; & Midas regiam ſellam obtulit Apollini Delphico, in quà ſedens iura dederat; quòd narrat Herod. lib. 1. Ità Diodor. dux apud Plutarch. de malignitate Herodoti dedicat Latonæ arma. Ità ſellam Xerſis, & acinacem Mardonij dicata fuiſſe alteram è *Salaminia, alteram è Platæenſi victoria ſcribit Demoſthen. in 3. Olynth.* Nos verò Numini animam, cor, voluntatem donare debemus. Nullum hoc illi gratius munus eſſe poteſt, nullum hoc Donario Donarium charius.

Omnium maximum, Deoq; gratiſſimum Donarium fuit, quòd Anna, Mariæ mater obtulit; 62
Maria ſcilicet, quàm Deo obtulit, antequàm illam obtinuiſſet à Deo. Sanctus Germanus Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus Encom. in S. Dei Deiparam ſic eius matrem loquentem facit. *Hæc dicens hiſque ſimilia: Me Domine* DONVM GRATITVDINIS *ergò omnino oblaturam, quam mihi dederis, prolem; vt maneat in ſanctuario tuo,* TANQVAM SACRVM DONARIVM MVNVSQVE PRETIOSISSIMVM MIHI AB IPSO DATVM, PERFECTORVM DONORVM LIBERALISSIMO DATORE.

Ex pertica arboris oleaſtri dona in templis ſuſpendebant. Scholiaſtes Ariſtoph. *Ἐπὶ τῶν κοτίνων ἢ ἄλλων δένδρων πανταχοῦ ἐν τοῖς ἱεροῖς* 63
προσπατταλεύουσι τὰ ἀναθήματα. ideſt: *In* OLEASTRIS *alijsq; arboribus affigunt Donaria in templis vbiquè gentium.*

Dona regia in templis poſuiſſe viros Principes, non eſt dubium. Lampridius in Alexandro Seuero hæc de illo habet: DONA REGIA IN TEMPLIS *poſuit, gemmas ſibi oblatas vendidit; muliebre eſſe exiſtimans gemmas poſſidere, quæ neque militi dari poſſint, neque à viro haberi.*

Cornua Bouis in templo Apollinis poſita lego. Capitolinus in Clod. Albino. *Hinc multa imperij ſigna, quum eſſet natus, facta dicuntur: nam & Bos albus purpureis ad plenum colorem cornibus natus eſt (quòd mirandum fuit) quæ tamen* CORNVA IN TEMPLO APOLLINIS CVMANI *ab eodem poſita tam tribuno diù fuiſſe dicuntur.*

Chyrothecas quoque vnionibus, & gemmis intertextas in templo tanquàm Donarium appenſas probat id, quòd habet Guagninus lib. 4. de Franc. 64
Pipinus Vaiſſiri Ducis Aquitanorum CHIROTHECAS VNIONIBVS, ET PRETIOSIS GEMMIS INTERTEXTAS IN TEMPLO DIONYSII AD CRVCEM AV-

 REAM

REAM, *quæ ſupra aram maiorem erat, appendit.*

Donaria, quæ dijs conſecrabantur, refici & inſtaurari licet poſſent; non poterant tamen ſpolia. Rem & cauſam affert Plutarch. in Quæſt. Rom. num. 37. *Cur inter ea, quæ dijs conſecrantur lege permiſſum eſt, vt ſola* SPOLIA *ſinantur tempore corrumpi atque aboleri, neque ea liceat reparare aut inſtaurare? An, vt exiſtimantes gloriam priorem ſimul cum ſpolijs intercidere ſemper nouum aliquod virtutis monumentum parare operam dent? Aut potiùs, quòd, quùm tempus ſigna contentionum cum hoſtibus habitarum obſcuret, odioſum eſt, & nimij diſcordiarum ſtudij ea reficere atque innouare? Nam apud Græcos etiam parum laudis adepti ſunt, qui primi lapidea aut ærea ſtatuerunt trophæa.*

Inter ſupellectilem templi Iunonis, lançes quoque enumerantur ab Apul. 2. Florid. *Enimuero fanum Iunonis antiquitùs famigeratum; ibi Donarium deæ perquàm opulentum.*
65 *Plurima auri, & argenti ratio in lancibus, ſpeculis, poculis, & huiuſmodi vtenſilibus.*

Sed à noſtris exordium ſumpſi, in noſtris finio. Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædag. cap. 11. loquens de gemmis, quibus fœminæ calceamenta adornant, ità ait: *Vere turpia ſunt illa ſandalia, in quibus ſunt aurea Donaria.* Græcè ἀναθήματα, quo verbo (vt aliqui notarunt) indicat fœminas à ſuis cultoribus non aliter ornari, quàm deorum imagines, in quorum genibus, & pedibus appendebantur anathemata. Hinc illud Iuuenalis:

Genua incerare Deorum.

Nollem Chriſtianorum aliquos eò leuitatis, & amentiæ prorepſiſſe, vt eas mulieres, in quas cæco amore feruntur tanquàm idola quædam venerentur. Siſto hic; &, quæ de anathematis, ac Donarijs, quæ in templis ſuſpendebantur, tetigi, ante iudicij tui tribunal expendenda ſuſpendo.

Eruditiſs. Patri D.

ANTONIO CARACCIOLO

Clerico Regulari.

Epiſt. XII. Neapolim.

De ſacra ponderatione varia producuntur in lucem.

66 VIx explico, quàm libens ea opera libem, imò tota deuorem, & (vt ità loquar) in mentis ſtomachũ traijciã, quę tàm accuratè cudis, inq; lucẽ publicam bono publico mittis. Maximè placuere notę, quę in Cõſtitutiones noſtras edidiſti, & placere illis omnibus debent, qui priſcorum rituum notitiam amant, & antiquorum aſcetarum mores colunt; quorum plerique cùm à cognitione noſtrâ ſubducti eſſent, operâ tuâ omnibus ſunt iàm expoſiti; vt antiqua ſæcula, recentia feceris, recentibus veterum honorem venerationemque afficaueris. Ob laborem iſtum religioſæ omnes familiæ, & præcipuè noſtra multùm tibi debitutæ ſunt. Totum aureum opus eſt, & ità nuperum, vt antiquitatis decore non careat; & ità antiquum, vt nouitatis venuſtatem habeat. Et verò, quò iuſtiùs effero tua, eò vehementiùs miror, me à te vrgeri ad mea producenda. Ex arcano ingenij tui ſinu penuque exprometere poteras, quòd ab ingenij mei ſterilitate, ac ruditate ſperari vix queat. Sed, quia ità vis, mentem meam de ſacrâ ponderatione hìc adijciam. Vel ab hac parte lenes hæ epiſtolæ non erunt, quòd pondus ponderationemque ſacram ſecum vehant. Igitur per ſacram ponderationem illam intelligo, quę religionis causâ ad Sanctorum Sepulchra fiebat. Dedi de hoc ritu plura in Schediaſmatis ſacro-prophanis: hęc nunc addita in tui gratiam volo. Tuum erit ea probare, ſi proba; vel improbare, ſi aliena erunt à veritate.

DE ponderatione ad Sanctorum Sepulchra fieri ſolita hæc habent Acta S. Erminoldi lib. 2. num. 2. apud Carotium tom. 2. *Illud inter ſigna quàm plurima Dominus Sancto ſuo quaſi priuilegium ſpeciale conceſſit, quod pueri ægrotantes ad eius (vt fieri ſolet)* PONDERATI SEPVLCHRVM, *vel continuò eius meritis conualeſcunt, aut ab ægritudinis diuturnitate mortis compendio protinùs abſoluuntur.* 67 Eiuſdem mentio fit lib. eodem num. 15. *Puer quidam cùm continuè vomitu fatigatus eſſet, nil penitùs alimoniæ retinebat: qui, ad tumbam Sancti ponderatus à ſuis, ſinè mora plenam adeptus eſt ſanitatem;* & nu. 16. *Iuuenis quidam dictus Vlricus de Ceaurea dolore grauiſſimo capitis moleſtatus, ad Sepulchrum Sancti deuotè ſe ponderans, ſine mora eſt redditus ſanitati.*

Obſeruabam præterea, antiqui fuiſſe moris ad iacentis, & infirmi pondus, auri, & argenti pondus ad Sanctorum Sepulchra tranſmittere ſanitatis conſequendæ cauſa. 68 Hùc ſpectant etiam Gregorij Turonenſis verba, qui lib. 1. de Mirac. Sancti Martini cap. 11. hæc habet: PENSATO ERGO AVRO, ARGENTOQVE AD FILII PONDVS *tranſmiſit ad venerabilem locum Sepulchri.* Plura prudens non adijcio, ne te hac ponderatione nimis onerem cùm hæc omnia nota tibi ſint, & quia de hoc argumento pluribus alibi ſcripſi. Tu, mi Pater, etiam in re leui affectum, qui rebus pondus addit, expende, nec leuis erit: &, ſi quid noui à te prodierit, gratum erit, ſi nos monueris. Nollem te adeò tua ſupprimere, vt perire poſſint, ſi, te hac luce fruente, lucem non videant; ſicque malus cuſtos tuorum operum audias, quia nimis auarè ea cuſtodis.

Adm.

Adm. Reuer.

Et Ecclesiasticarum rerum peritia insigni ANDREÆ VICTORELLO.

Epist. XIII. Romam.

Sancti alicuius amorem bibere, quid sit: de amore tanguntur aliqua, aliqua de potu. Obedientia potus quisnam esset.

69 QVanti doctrinam tuam faciam, mi VICTORELLE, faciliùs sentio, quàm exprimo. Quę ad me, Admirandis meis inserenda, misisti, facilè euincunt, non errare eos, qui inter sacræ historię peritos præcipuum te habere locum iubent: vt omittam ea, quę publici iuris iàm fecisti. Sed quid ago? Cùm te effero, me accuso: quò enim tu mihi, & omnibus peritior, eò ego imprudentior ero, qui hac scriptione te adeam, eaque tibi sistam, quę vix tibi ignota esse possunt. Habeo, quo omnem temeritatis notam facilè eluam: nàm, quę hîc subijcio, non offero tanquàm ignota; sed vel vt probanda, si ità censeas; vel reijcienda, si improbes; & vt rebus etiam manifestis cultum in te meum manifestem. Fors, quæ nota tibi, non erunt alijs, ad quorum manus hęc, quæ ad te veniunt, poterunt peruenire: sicque per te omnes bibent, quæ dico de potu; & amabunt, quæ de amore scribo. Tu interim amantem ama, & ad te scribentem altè tuo pectori inscribe.

70 OLim (vt exhibeam, quod promisi) cùm ad bibendum aliquos allicerent, & inuitarent, hac quoque formula vtebantur, vt Sanctorum quorundam dilectionem bibendam eis dicerent: quo loquendi modo faciliùs finerent se flecti; &, à poto alioquin alieni, specioso hoc pietatis titulo pocula ori admouerent, ora poculis. In Chronico Vindesemensi lib. 2. cap. 70. moris huius mentio fit: *Quidam ab amicis inuitatus, ad sępè potandum in recessu suo fuit rogatus: tandem equum suum ascendens, adhuc* S. IOANNIS AMOREM, ET SANCTAE GERTRVDIS DILECTIONEM BIBERE FVIT COMPVLSVS. *Grauatus ergò potu venit ad vadum; &, cùm equus suus bibere cessaret, dixit ad eum: Iam S. Ioannis bibe amorem, & Sanctæ Gertrudis dilectionem, qui propter verba sua nihil amplius potauit. Tunc dixit eques: Tu sapientior es quàm ego: ego propter amicos plus bibi quam sufferre potui; & tu nullius imperio vel amore bibis, quam tua natura requirit.* Habes quid sit Sancti alicuius dilectionem, & amorem bibere, & quisnam fuerit in hoc antiquorum mos.

Eodem spectat & hæc formula: *pro charitate alicuius Sancti bibere.* In Actis Sancti Vldarici hoc mirum accidisse legitur: *Liunotus quadam die ad domum Razonis, qui tunc potens minister Episcopi fuit, in Popingo oppido venit, & ibi cum eo prandium sumpsit: qui cùm saturatus abire voluisset, præfatus Razo cogebat eum plus ad bibendum, cuius petitioni ille contradicere non audebat, sed vas quod illi porrigebatur, accepit, dicendo istã siceram* BIBERE PRO CHARITATE S. VDALRICI, *per cuius adiutorium de maximis angustijs liberatus sum, volo. Cùmque poculum haurisset, & vas cum manu deorsum verteret, dixit, cùm ista charitate signatus certus sum, quia nullius aduersitatis prauitas mihi hodie poterit nocere: sed neque gladius corpus meum vulnerare. Cui Razo dixit: da mihi digitum tuum, vt videam si cultellus meus tuum possit vulnerare membrum. Qui statim magna fide digitum suum ei porrigebat, ipse autem apprehenso eius digito alia manu cultellum de vagina extrahere conabatur, ad vulnerandum digitum præfati pistoris. Propriaque sua manu cum eodem cultello grande vulnus fecit, digitumque apprehensum simul, & cultellum festinè dereliquit, & suam manum vulneratam lamentari cœpit; pistor autem in fide confortatus sanus recessit.*

Nec illud omittendum, quòd in eisdem Actis habetur, quendam punitum, quòd pro charitate Sancti Vdalrici renuerit bibere. Ipsissima verba hic implanto: *Quidam ex familia nomine Adelhardus cum de Augusta Ciuitate ad suam mansionem, quæ est sita in oppido Hitingem nominato, pergere voluisset, ante portam Ciuitatis quidam homo eum cum alijs bibere rogauit, cùmque bibere cœpissent,* QVIDAM IBI MANENTIVM PRO CHARITATE SANCTI VDALRICI POSTVLAVIT EOS POTVM ACCIPERE, *præfatus autem Adelhardus sordidum verbum ex ore emisit, & poculum rogatę charitatis accipere renuit. Cùmque paululùm inde recederet in planitie via equo suo cadente crus ei fractum est, & ita ad suam domum cum labore deductus longo tempore debilis permansit. Postea verò votum ad Sepulchrum S. Vdalrici vouit, & Deo donante sanitatique redditus, & deinde charitatem, quam antea spreuit, alios frequenter bibere postulauit.*

De poculis amatorijs hæc habet Rogerius Rex
in Constitut. Siculis lib. 3. tit. 42. num. 3. AMATO- 71
RIA POCVLA PORRIGENTES, *vel cibos quoslibet noxios, illicita vel exorcismata astruentes, tali decernimus pœna constringi: vt, si hi, quibus talia sunt porrecta, vitam proinde vel sensum amittant, mortis periculo subijci volumus talia perpetrantes: si verò, qui prædicta susceperint, in nullo lædantur, tunc voluntates inultas non volumus remanere; sed publicatis bonis ipsorum omnibus, carcerali per annum custodia ipsos decernimus mancipari. Et quanquam, veritatem, & rerum naturam intuentibus, videri possit, hoc friuolum, & (vt propriè loquamur) fabulosum, quòd per cibos, aut potus ad amores, vel odia mentes hominum moueantur, nisi quatenùs recipientium læsa suspicio hoc inducat; ipsorum tamen præsumptionem temerariam, qua saltem nocere desiderant etsi nocere non possint, relinquere volumus impunitam.* Sed saniora, & vtiliora demus.

Qui stipem aliquam amoris possimus offerre Deo, docet his verbis Ioãnes Eusebius lib. 4. cap. 5. *Accipe Domine, pro parte mea* VILEM STIPEM AMORIS IN VOTIS: *amorem creaturarum omnium etiam possibilium collectum Tibi offero: ego ipse solus vniuersarum amorem, quem iuncta per æternitatem habitura erunt vellem habere in singulis instantibus, & adhùc verecundari, & erubescere deberem. Parce, parce (humillimè precor) magne Domine: nec iniuria vertas hæc mea pusilla vota, & desideria; sed ea*

excuset coram Te infirmitas mea, & magnitudo tua. Accipe hoc desiderium meum, quòd dignè nequit dici amor, Te dignus. Accipe, & cruciatum meum, quo doleo non omnia te amare. Doleo, tot animas sponsas tuas per fidei arrhas, tot alia hominum corda idonea ad diligendum te ardentissimè (qui Reges Mundi, Cœloque sublimiores possent esse) iacere in fimo suo, & perire in se, diligendo se, & hæc caduca, & horribilia bona terræ; & non Te, ò pulchritudo rerum, & amor vniuersi,

Diuinus amor, vt circulum referat, sic expli-
72 cat S. Dionysius Areopagita cap. 4. de Diuinis nominibus. *Quia in re, & fine, & principio se carere Diuinus amor excellenter ostendit,* TANQVAM SEMPITERNVS CIRCVLVS *propter bonum ex bono in bono, & ad bonum indeclinabili conuersione circumiens; in eodem, & secundum idem, & procedens semper, & manens, & remanens.* Sed de siti, de potu, & ebrietate aliqua adijciamus.

Et *sitis*, & *hauriendi* verbum ad voluptatum vsum translatum obseruo. Lactantius lib. 2. de Orig. error. cap. 1. ità loquitur: *Nam, dum existimant nulli Deo nos esse curæ, aut post mortem nihil nos esse futuros, totos se libidinibus addicunt; &, dum licere sibi putant,* HAVRIENDIS VOLVPTATIBVS SITIENTES *incumbunt, per quas imprudentes in laqueos mortis incurrunt.*

Bibere annis tribuit S. Hieronymus epist. ad
73 Lætam de filiæ institutione: *Difficulter eraditur, quòd rudes* ANNI PERBIBERVNT. *Lanarum conchylia quis in pristinum candorem reducet?*

Ebrietatis vitium sub excommunicationis comminatione vitandum olim iubebatur. In Decret. Eutych. num. 8. hæc habentur tom. 1. Concil. *Magnum malum ebrietatis (vnde omnia vitia pullulant) Christianis modis omnibus cauere præcipimus. Qui autem hoc vitare noluerit,* EXCOMMVNICANDVM ESSE DECREVIMVS *vsque ad congruam emendationem.*

Amuleta olim appensa gestabant arcendæ ebrietati, cùm ad conuiuia inuitarentur: aut etiam ea deglutiebant. Indicat istuc Plutarch. de audiend. Poet. *Proinde, quem nuper de Poetis sermonem habui, cùm mihi subijt in præsentia conscriptum ad te mittere: quem vbi perlegeris, si quidem tibi videbitur, non minorem vim eis habere amuletis, quæ nonnulli ad conuiuia,* EBRIETATIS ARCENDAE CAVSA APPENSA GESTANT, *aut vt intra corpus antè sumptis accedunt.*

Ebrietatem in Clericis maximè punitam reperio.
74 Concil. Agathen. num. 41. ità decernit: *Ante omnia* CLERICIS VETETVR EBRIETAS, *quæ omnium vitiorum fomes, ac nutrix est. Itaque eum, quem ebrium fuisse constiterit (vt ordo patitur) aut triginta dierum spatio communione statuimus submouendum, aut corporali subdendum supplicio.*

In ebrietate quandam cloacam vidit S. Augustinus serm. 231. de Temp. *Quicunque sunt ebriosi, melius faciunt, vt non nobis; sed sibi potiùs irascantur & cùm Dei adiutorio de luto fecis se excutiant, vel* DE CLOACA EBRIETATIS, *dum adhuc tempus pænitendi est, festinent, quanta possunt celeritate, Deo auxiliante consurgere.*

Quàm noxia ebrietas sit, ità colligit Petrus Ble-
75 sensis Epist. 7. *Rechabitæ quia iuxta mandatum Ionadab filij Rechab abstinuerant ab omni potu, qui possit esse ebrietatis occasio, cùm omnes tribus captiuatæ essent, liberi remanserunt.*

De bibendi ritu, qui familiaris incolis regni Guineani est, hæc habet Ioannes Hugo in sua Nauigat. POCVLVM *labris bibituri non admouent, ni parum prius infusa potionis tanquam prælibantes in terram effundant.* Addit: *Prandentes nihil bibunt: prandio peracto, haustum aquæ, vel vini ex palmarum fructu expressi, siue aqua multa copiosè hauriunt.*

Obedientiæ potus quinam sit disces ex his verbis, quæ habentur in Actis Sancti Ebergardi: *Hospitalitatem sectabatur quantùm ostendit in milite, qui in cella diuertens potum domino suo transeunti cum postulasset, Monacho custode hospitum magis dominum interius vocante recessit. Comperta culpa Abbatis Monachum peditem vini scyphum Ratisponam ferre pistori præcepit, quid ageret Monachus? Grandæuus erat, & nudiustertiano die vena minutus. Fratrem ergo comitem petijt pro testimonio, si fortè in via deficeret, quo dato vinum per tres leucas Scholastico Frisingensi miranti, & lugenti, quod propter se accidit, ieiunus Imbripolim detulit, quis non obstupesceret miraculum in tertiana minutione? Planè obedientia signum fecisse visa est, & omnes, qui audierunt simile illi plaudebant gentili. Quare quid est virtus, & posce exêplar honesti, & vocauerunt magistri in vrbe* POTVM ILLVM POTVM OBEDIENTIAE.

Eruditissimo Viro

THOMÆ TAMAIO

Historiographo Regio.

Epist. XIV. Madritum.

Euangeliorum cultus, & reuerentia.

LAudes tuę merentur suam laudem quòd ab amico pectore nascan- 76
tur: non ego illas mereor. Vt amem te in illis, illas tamen amare nec possum nec debeo. Submotis encomijs, gratissimę mihi tuę litteræ extiterunt, docta incude formatę, diuite diuites thesauro. Vt sanctius te alloquar, Vir magne, alienis tibi verbis meam mentem aperiam. Quod Sanctus, & magnus Ambrosius ad amicum suum dixit, dicam ego ad meum, licèt non magnus, nec sanctus. *Summus quidem splendor in sermone est tuo; sed magìs in affectu elucet mihi: nam in Epistolis mentis tuæ aspicio fulgorem: in ijs vota magìs, quàm mea merita agnosco.* Quìn nec vota quidèm; nondùm enim votis eò aspiraueram, quò tu me tantà humanitate traxisti. Grande munus, & supra meritum erat tuis litteris ditari: tù verò non nudas ad me litteras dedisti, sed eas insigni thesauro grauidas, versionibus nempè ex Gothicis Biblijs desumptis. Hoc diligentię tuę munus eò gratius extitit, quò nec in cogitantis quidèm mẽtem venerat, quod venit in manus accipientis. Gaudeo oblatam mihi occasionem tuum nomen

meis

meis libris inserendi, quod nomen libris facit. Placet, nostra tibi, nostra tuis placere. Minùs timidè foràs abire finam, quę nondùm prodiere, quùm tàm magnis probari audio, quę tàm exigua; eaq; efferri, quę ferri vix merentur. Sed, qui alienos labores mirificè laudas, tuos nobis ne supprime, omni laude maiores. Si quid noui prodierit aut à te aut à tuis, gratum erit, si nos monueris. Tantùm, qui librorum numerum, librorum editione auget, non fit nudus numerus. Est, qui benè scribit, sed scribit duntaxàt, & non est bonus. Hanc notam à me tuis precibus elue. Porrò, vt tàm diuiti Epistolæ, quam dedisti, aliqua ex parte respondeam, hanc nudam non adlegam; sed quędam de Euangeliorum contactu tangam, quędam de codicibus sacris: idq; leuiter, nam alibi fusè de hoc argumento egi. In hac epistola id solùm specto, vt pręter amica verba aliquid ab amico habeas, & per te etiam cæteri, ne à more meo abeam, & instituto.

77 ALiqui Euang. libros tangere non audent, nisi se Crucis muniant signo. In Comment. rerum Moscouit. verbo, *Communio* hæc leguntur: *Libros Euangelij non nisi in locis honestis tanquàm rem sacram reponunt: neq; manibus tangunt*, NISI PRIVS CRVCE SE MVNIERINT, *& capite aperto inclinatoq; honorem exhibuerint: pòst summa cum veneratione in manus sumunt*.

Ad Sacrarum Litterarum vniuersè cultum pertinet, quod de eisdem Mosconitis in Comment. rer. Moscouit. legitur. *Si fortè lacerata* PAPYRVS, *qua aliquid sacrarum Litterarum continebat, in terram proiecta fuerit, an eodem loco deambulare liceat*. ℞. *non*.

Sanctificari qui dicatur Euangelium, quod sanctum est, explicat Primasius ad illa Apostoli verba ad Rom. 15. 16. SANCTIFICANS *Euangelium Dei*. idest, inquit, *Exemplo sanctum ostendens; vnde dicitur: Sanctificate ieiunium, idest, sanctum facite siue monstrate*.

De cooperiendis sacris codicibus hæc habet Cassiod. de Diuinis lection. cap. 30. *His etiam addimus, in codicibus cooperiendis doctos artifices, vt Litterarum sacrarum pulchritudinem facies desuper decora vestiret; exemplum illud Dominicæ figurationis ex aliqua parte forsitan imitantes, qui eos, quos ad cœnam æstimauit inuitandos in gloria Cœlestis conuiuij, stolis nuptialibus operuit*.



Reuerendo Patri
IACOBO DENTICI
Clerico Regulari.

Epist. XV. Neapolim.

Spirituale, quid significet; quædam de Spiritu, vitâq; Spirituali.

QVæ misisti admirandis meis addenda lubens accepi. Grata 78
mihi tua scriptio fuit, gratum & quod tulit; & eò magis, quò te ostendis etiam in occupationibus tuis (quas assiduas habes, & in quibus es assiduus) mei memoriam non effudisse, meorumq; laborum, quos alere studes (addo) & erigere ac ditare earum rerum recensione, quas ex varijs conquisitas, & acceptas à varijs, ad imperitiæ meæ lares transmisisti. Gratias ago; sed ità, vt, cùm egero, rursùm debeam. Tù interim me ama, sæpèq; aliquam amoris, & affectus tui auram tuis litteris, & (quod magis quæro) tuis precibus spira. Vale, & cense, quæ his subnecto: nam fori tui (vt ita loquar) videntur esse, tuæ scholæ.

SPirituale alicubi dicitur, quod seculari opponitur: sicq; vir spiritualis erit Ecclesiasticus. Hoc sensu Poloni sumũt in suis statutis, vbi verbo *Bellum* habetur: *Quotidianas* SPIRITVALIVM *regni nostri querelas, lachrymis etiam permistas, audimus*. Et paulò post: *Tàm seculares quàm Spirituales, omnisq; bellicus ordo describitur*. Et verbo, *Euocatio: sic concordiam conseruare volentes inter spirituales, & seculares personas*. Verbo, *Nobilitas* ità: *Causam nobilitatis non* SPIRITVALES, *sed iudicium seculare iudicabit*. Et in litt. S *Tàm spiritualis quam secularis* Et verbo, *Telonium* itidèm: *Nobiles, & spirituales à telonij nous solutione eximuntur*. Et statim post: *Homines spiritualis status*. Verbo *Templum* legitur, *Ecclesia, & dignitates* SPIRITVALIVM, AC SECVLARIVM *circa iura sua conseruantur*.

Christiferos aliquos dictos, quòd Christum 79
ferrent non est dubium. Addo hic (quod non adeò notum) spiritiferos nonnullos dictos, quòd Dei spiritum ferrent eoq; ferrentur. Hoc titulo donatus est S. Paulus sic enim de illo scribit S. Maximus Prolog. in Opera S. Dionys. *Cæterùm, cùm tùnc temporis iudicio præsens adesset Maximus Dionysius, hic, tanquàm incorruptus iudex*, PRO SPIRITIFERO *Paulo incorruptum veritati suffragium dedit*.

Vitæ veteris in nouam melioremq; mutatione *resculpi spiritum* censebat S. Augustinus, cuius hęc sunt verba enarrat. in Psal. 6. *Dùm nos conuertimus, idest mutatione veteris vitæ* RESCVLPIMVS SPIRITVM *nostrum, durum sentimus, & laboriosum, ad serenitatem, & tranquillitatem Diuinæ lucis à terrenarum*

narum cupiditatum caligine retorqueri.

Spiritus carni fasces non debet submittere sed caro spiritui. Sancti Gregorij Nazianzeni hæc sunt verba ad ciues Nazianzenos; *Vos quoq; potestati meæ meisq; subsellijs lex Christi subijcit imperium enim ipsi quoq; gerimus, addo etiam præstantius ac perfectius, nisi verò æquum est spiritum* CARNI FASCES SVBMITTERE, *& Cælestia terrenis cedere.*

Spiritualem vitam non esse amaram, sed maxi-
80 mè suauem; & falli eos, qui aliter censent, egregiè explicat Ioann. Euseb. lib. 1. cap. 2. *Ne putes ex consortio veritatis vitam spiritus tetricam, & acerbam esse: nam calumnia est, veritatem amaram dici. Non est timenda ob nomen solum; iucundissima res, veritas spiritus. Ne dicas; Si veritas, exterius audita, amara habetur; quàm peracerba erit interius percepta, & intima nobis? Si ab alijs dicta molestat, quid à nobis facta, & à nobis perfecta? Si auditus ingrata est, quid fiet conscientiæ, cordi, & toti vitæ? Nam non est mellis vitium, si amarè sapiat palato corrupto. Terram ipsam, cùm solidè consistat, circummoueri iudicat, qui vertigine laborat. Vitijs nostris credimus peccare cætera; & humanum morbum imputamus culpam Diuinis etiam rebus. Innocens veritas est, dulcis, placens; nisi solùm carnalibus displicens, & ijs, qui displicent Deo. Idem purpuræ regiæ color mulcet homines; sed tauros offendit, atq; exacerbat: eos, qui intelligunt, delectat hæc purpura, Dei veritas, hoc decus sanctimoniæ. Parùm refert, si offendat eos, qui anima & mente sunt inanes, & indigni: immò eo ipso magis digna ipsa est, & commendabilis.*

81 De spiritualis vitæ suauitate hæc habet idem Ioannes Eusebius lib. 4. cap. 10. *Non tamen existimas vitam se abnegantis, fastidientis, & persequentis, intolerabilem, & tetricam esse: immò lætior erit. Plus hilaris amor Dei est, quàm proprius. Satis lucri est in odio tui Amor Dei. Præstat, quòd Deus ardentissimè te amet, quàm quòd tu ipse te ames. Vtilior tibi Deus potest esse; & gestit exhibere gaudia ad experimentum suæ iucunditatis, potentissimus ad beatificandum, in ipsis molestijs vitæ, & iniurijs hominum consolans, & delectans, probationem suæ dulcedinis exhibens. Apostoli ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Memento admirandi, sed verissimi dicti: Omne gaudium existimate, cùm in varias tentationes incideritis. Potuit Deus pueros Babylonicæ fornacis ipsis flammis recreare, & ex igni refrigerium præbere: potens est, & in aduersitatibus non contristare. Prætereà, si de malis eorum, quos oderimus, lætamur; de ijs, quæ tibi grauia contingent, gaudebis: cùmq; plura aduersa eueniant quàm commoda, sæpiùs lætari necesse est, quàm cùm te amabas.*

Doctissimo Patri

CORNELIO A LAPIDE

Societ. Iesu.

Epist. XVI. Romam.

De cingulis quædam obseruationes.

82 NVnc demùm sentio, quò ineptus prorepserim, qui te (qualem virum!) litteris meis, cùm alto silentio litares, prior compellauerim. Pauca, & illa incompta, dedi verba: tu scitissima scriptione infantiam meam vel nolens prodidisti, & (quod non minùs mirum) laudum plaustra in me congesisti, labores meos supra meritum efferens, meq; supra me. Largiendum id largitati tuæ. Qui parcus in amore non est, nescit esse parcus in laudibus: in quarum fusu vix corripi potes, quia amore correptus id præstitisti. In amoris certamine non patiar mihi palmam præripi, quam in scriptionis elegantia lubens tibi defero: & ab hoc capite finam à te labores meos efferri, vt, cùm tui ab omni parte meis præstent, in te resiliat quicquid laudis in me contuleris. Sed, ne nimis laciniosa hæc Epistola sit, & nudis verbis diffluat, adstringam illam (vt ita loquar) veluti quodam cingulo, si de cingulis aliqua, præter alibi a me fusius dicta, hic meo mori morem gerens adijciam. Adijcio.

GRæcorum more Bulgaris inhibitum lego si- 83
nè cingulis Communionem suscipere. In responsis ad consulta Bulgarorum cap. 55. hæc habentur: *Iam verò, quòd asseritis, Græcos vos* PROHIBERE COMMVNIONEM SVSCIPERE SINE CINGVLIS, *quibus sacra Scriptura testimonijs hoc prohibere iure perhibentur, nos penitus ignoramus, nisi fortè illo, quo Dominus præcipit dicens: sint lumbi vestri præcincti. Verùm hoc sancti Euangelij testimonium non per litteram sed per spiritum oportet impleri: nam, si ad hoc istud præceptum est, vt taliter seruaretur, cur non fiunt pariter, quæ sequuntur, vt lucernæ ardentes, & (sicut agnum comedentibus iubetur) vt baculum in manibus retineant? Habent suum ista mysterium, & intelligentibus ità clara sunt, vt ea magis, quâ decet, significatione seruentur: nam in lumborum præcinctione castitas, in baculo regimen pastorale, in lucernis ardentibus bonorum splendor operum (de quibus dicitur: Sic opera vestra luceant.) indicatur.*

De cingulo hoc obseruabam asceticorum fuis-
se illud in mortificatione soluere, cùm scilicet in 84
Diuinis laudibus concinendis, aut Orationis fusu aliquis risisset, aut loquutus fuisset. Certè in Regula S. Pachomij hæc habentur num. 1. *Si acciderit, vt psallendi tempore vel orandi aut in medio lectionis aliquis loquatur aut rideat,* SOLVAT CINGVLVM, *& inclinata ceruice, manibus ad inferiora depressis, stabit ante altare, & à principe monasterij increpabitur. Idem faciet, & in conuentu fratrum, cùm ad vescendum pariter conuenerint.* & num. 78. *Omnis correptio ità fiet, vt discincti sint, qui corripiuntur, & dimissis manibus, & humiliato capite, emendaturos se promittentes vitia, in quibus arguuntur, veniam deprecentur.*

Laneum cingulum in modestis mulieribus laudat Sanctus Hieronymus epist. 23. quæ est ad Marcellam de ægrotatione Blesillæ. CINGVLVM *non auro gemmisq; distinctum est; sed laneum, & tota simplicitate purissimum, & quod possit magis astringere vestimenta, quàm scindere.*

Diaconi orationis tempore præcingebantur, vt, 85
finitis

finitis orationibus, & laudibus, diſcincti ire poſſent. Concilium Nicænum lib. 3. can. 61. de hac re ità loquitur: *Vt diaconi non ſint præcincti cingulis ſuis*, NISI TANTVM TEMPORE ORATIONIS; *quia ſunt liberi, & non dominatur eis niſi Dominus Chriſtus, Rex vniuerſi Mundi, & eorum Deus. Hæc enim eſt eorum, qui liberi ſunt, conſuetudo: ſerui verò hanc conſuetudinem non habent, quamuis diuites, & famoſi ſint. Atq; ità honorandi ſunt diaconi pluſquàm cæteri exceptis Sacerdotibus: Sacerdotes enim ſunt ſerui Chriſti, qui conſtituti ſunt, vt præſint Eccleſiæ, & orationi, quam non poſſunt deſerere: at diaconi, oratione & laudibus finitis, erunt diſcincti, quò eis libet, ſiue per vias ſiue per plateas. Hæc de omnibus diaconis, & Sacerdotibus dicta ſunt.*

Aliquando Sancti in ludibrium rubo ſylueſtri cingi iubebãtur. In Actis Sanctæ Theonillæ Mart. *Lyſias dixit: Radite caput eius nouaculis; vt ampliùs erubeſcat*, CINGITE RVBO SYLVESTRI.

Reuerendiſs. Patri.

MVTIO VITELLESCO

Præpoſito Generali Societ. Ieſu.

Epiſt. XVII. Romam.

Varia de Sacerdotibus adnotata.

86 MIraris fors, quî fiat, vt ab alienis caſtris ego ad te veniam & ad tua. Vis dicam? caſtra vix diuido, cùm omnes ſub vno Chriſti vexillo militemus. Non audiam transfuga, quia meos non deſero, & te colo, quem colunt, & mei. Nihil hìc alieni eſt: alienè hîc nihil fit. Bonus ordo eſt, quùm, qui diuerſi Ordinis ſunt, in mutuo cultu, & affectu non ſunt diuerſi. Hunc cultum, & affectum fouere ego ſtudeo ac nutrire; idq; cùm non ſemèl in membra præſtiterim (loquuntur pleræq; ex his Epiſtolis, & alia, quæ in alijs libris dedi) hoc nùnc in caput ipſum præſto. Te igitur adeo, Vir Magne, quem virtus atq; prudentia ſuper alios extulit. Literaria munera cùm à tuis frequenter accipias, à me quòq; accipe, qui obſequio inter tuos eſſe volo. Vt illa maiora pretio ſint, his noſtris raritas, & inſolentia pretium faciet. Deniq; amorem ſpecta, & certo cum tuis. Nomini igitur tuo conſecratum eo quaſdam de Sacerdotibus obſeruationes, quæ cùm libro, qui Euchariſtici Agni titulum præfert, inſeri non potuerint (iam enim editum volumen erat, cùm hæc occurrerunt mihi) aptè tibi ſiſtentur, & in cultum, & in obſequium. Tù tantùm ſupremum numen ora, vt, qui de Sacerdotibus ago, veri Sacerdotis veras notas habeam.

87 SAcerdotes, & diaconi, qui alioquin in villulis miniſtrabant, præcipuis animi ſolemnitatibus ad vrbem ſe conferre debebant, vt cum Epiſcopo eas celebrarent: quin & ciues natu maiores venire ad ciuitatem tenebantur. Concilium Aruernenſe cap. 1. num. 14. ait. *Si quis ex presbyteris aut diaconis, qui neq; in ciuitate neq; in parochijs canonicus eſſe dignoſcitur, ſed in villulis habitans, in oratorio ſancto deſeruiens, celebret Diuina myſteria; feſtiuitates præcipuas, Domini Natale, Paſcha, Pentecoſten, & ſiquæ principales ſunt feſtiuitates reliquæ, nullatenùs alibi niſi cum Epiſcopo ſuo in ciuitate teneat. Quicunq; ſunt etiam ciues natu maiores pari modo in vrbibus ad Pontifices ſuos in prædictis feſtiuitatibus veniant. Quod ſi qui improba temeritate contempſerint, eiſdem feſtiuitatibus, quibus in ciuitatibus adeſſe deſpiciunt, communione pellantur.*

88 Sacerdotibus monachiſq; interdictum obſeruo in equorum curriculis ſubſiſtere ſcenicoſq; ludos ſuſtinere. Ità loquitur Synod. ſexta Conſtantinop. can. 24. *Ne cui liceat eorum, qui in Sacerdotali ordine enumerantur, vel Monachorum*, IN EQVORVM CVRRICVLIS SVBSISTERE, *vel ſcenicos ludos ſuſtinere. Sed, & ſi quis Clericus ad nuptias vocetur, quandò ad deceptionem comparata ludrica ingreſſa fuerint, ſurgat, & diſcedat, patrum noſtrorum ſic iubente doctrina. Si quis autem eius rei conuictus fuerit, vel ceſſet vel deponatur.*

Olim presbyter ordinari nullus poterat ante trigeſimum ætatis ſuæ annum, Ieſu Chriſti exemplo, qui anno ætatis ſuæ trigeſimo baptizatus eſt, & cœpit prædicare. Concilium Neocæſarienſe cap. 11. ità decernit. *Presbyter ante triceſimum ætatis ſuæ annum nullatenùs ordinetur, licèt valdè ſit dignus: ſed hoc tempus obſeruet; nam Dominus noſter triceſimo ætatis ſuæ anno baptizatus eſt, & ſic cœpit docere.*

89 Iampridèm in nonnullis rebus vrbis Presbyteri Presbyteris ruris præferebantur. Hinc iſti coram illis offerre non poterant, nec ſanctificatum dare panem, calicemq; porrigere. Habet iſtuc hiſce verbis Concilium Neocæſarienſe cap. 13. PRESBYTERI RVRIS *in Eccleſiâ ciuitatis Epiſcopo præſente vel presbyteris vrbis ipſius, offerre non poſſunt nec panem ſanctificatum dare calicemq; porrigere. Si verò abſentes hi fuerint, & ad dandam orationem vocentur, ſoli dare debebunt.*

Presbyter à conuiuio maximè ſecundarum nuptiarum arcebatur. In Collect. can. Orient. hæc habentur num. 38. *Presbyterum ad* SECVNDAS NVPTIAS CONVIVAM FIERI NON OPORTET, *propterea quod hi, qui ad ſecundas nuptias veniunt, pœnitentiam poſtulant. Quomodò poteſt presbyter eſſe, qui propter conuiuium intereſt tali coniugio?*

90 Inhibitum Sacerdotibus reperio Miſſam cum calcaribus celebrare, aut cultellis extime dependentibus. In Concil. Bamberg. hæc habentur: *Nullus cum calcarijs, (quos, ſperones, ruſticè vocamus)* & CVLTELLIS EXTRINSECVS DEPENDENTIBVS *Miſſam cantet: quia indecens eſt, & contra regulam Eccleſiaſticam.*

Olim alicubi Sacerdotes aliqui in ſolemnitatibus Martyrum, reliquias collo ſibi imponebant, & in ſellulis deferebantur: quem morem tangit, nec probat Concilium Bracar. 3. num. *Quidam etiam ex Sacerdotibus relati ſunt, quod, Eccleſiaſticæ conſuetudinis ordine prætermiſſo, Miſſam ſine*

orarij

orarijs audeant dicere; & quòd in solemnitatibus, Martyrum RELIQVIAS SVO COLLO IMPONANT, *& in sellulis non ab alijs se portandos, nisi ab Abbatis Diaconibus, credant.* Rem apertiùs offert, & absolutè damnat num. 4. *Bona res est Diuina Sacerdotibus contrectare mysteria; sed cauendum valdè est, ne hoc quisque ad vsum prauitatis suæ intorqueat, vnde soli Deo de bonâ conscientiâ placere debuerat; scriptum est enim: Væ his, qui faciunt opus Domini fraudulenter & desidiosè. Vt enim quorundam Episcoporum detestanda præsumptio nostro se cœtus intulit dirimendam, agnouimus quosdam de Episcopis, quòd in solemnitatibus Martyrum ad Ecclesiam progressuri, Reliquias collo suo imponant, vt maioris fastûs apud homines gloriâ intumescant, quasi ipsi sint Reliquiarum arca, leuitæ albas induti in sellulis eos deportant.*

Alicubi prauus hic mos aliquorum Sacerdotum mentibus insederat, vt corporalia incendijs extin-
91 guendis in ignem proijcerent. Quod damnatur in Concilio Salegunstat, cap. 6. *Conquestum est etiã in sanctis Concilio de quibusdam stultissimis Presbyteris, vt, quando incendium videant, corporale Dominico corpore consecratum ad extinguendum incendium temerariâ præsumptione in ignem proyciant. Ideòque decretum est sub anathematis interdictione, ne vlterius fiat.*

Deificum ordinem, vocat Sacerdotium S. Ambrosius cap. 6. de Dignit. Sacerd. *Ecce ad quæ mala voluitur* DEIFICVS ORDO: *ecce ad quæ probra sunt prolapsi Sacerdotes.*

Verè Sacerdotes extulit, qui Mundi huius spiritum, ac vitam illos dixit. Dixit S. Franciscus Assisias Orat. 22. *Omni reuerentiâ, & honore prosequendi sunt Dei Sacerdotes, qui omnibus sunt superiores, & digniores, Christianorum sunt Patres spirituales, &* HVIVS MVNDI SPIRITVS, ET VITA. *Ego, si viderem venientem per viam Presbyterum, & Angelum, ad Sacerdotis manus deosculandas citius me conferrem, & Angelo dicerem: Expecta me, Angele, quia manus huiusmodi Verbum vitæ contrectant, & ultra humanum, aliquid possident.*

Sacerdotium Angelis non est commissum, sed
92 hominibus, vt qui peccare possunt peccatoribus ignoscerent. Scitè S. Chrysostomus Hom. in SS. Petrum, & Eliam: *Propterea non Angelo, neque Archangelo* SACERDOTIVM COMMISSVM EST *(liberi enim sunt à peccandi libidine) ne, videlicet ob seueritatem eos, qui ex populo peccarent, confestim fulguribus transfigerent, & homini à Deo cathedra hæc commissa est, qui & ipse libidine, & peccatis colligatus est, vt si quem peccantem inuenerit, suorum peccatorum conscius in eum, qui peccat, benignus efficiatur nam si Angelus Sacerdos fuisset, & aliquem stuprum inferentem inuenisset statim eum de medio sustulisset cum ipse huic libidini subiectus non esset.*

Non casu factum, sed Diuino consilio, vt primus omnium Christus, & corpus suum consecrauerit, primus sumpserit, & primus illud alijs distribuerit, vt Christum deinceps spiraret, referret Christum, qui idem munus esset obiturus. Benè bonus ille auctor: *Primus suum corpus consecrauit; primus sumpsit, primus alijs distribuit, vt futuris Sacerdotibus tanti muneris subeundi* SE TRADERET IN EXEMPLVM; *nec ad hoc Sacrificium accederent, priusquàm ad Christi Domini puritatem accederent.*

Hæc vera Sacerdotis nota est, vt humi non hæreat, feratur in Cœlestia; Cæsari nihil debeat, Dei totus sit. Doctè, & opportunè S. Gregorius Nazianzenus ad Iulianum. *Totum Sacerdotum cœtum, Philosophorum cœtum, qui nullo vinculo humi tenentur, qui sola corpora, ac ne ea quidem tota possident; qui Cæsari nihil, Deo omnia habent.*

Qui Sacerdos est, cogitet se cæterorum magi- 93
strum esse debere. Ad Sacerdotis nexum, & magistri illud facit, quòd habet S. Petrus Damianus Opusc. 37. cap. 3. *Erat Sacerdos Dauid, idest Magister. Ità quoque cùm dicitur: Filij autem Dauid erant Sacerdotes, Sic intelligendum est, ac si dicat, quia Magistri erant fratrum suorum, vel certè Principes inter cæteros, sicut habet antiqua translatio; nam vbi noua dicit editio: Filij Dauid erant Sacerdotes. In Veteri legitur: Filij autem Dauid Principes erant Aulæ Regis.*

Sacerdotium, forum animarum, dictum obseruatum mihi est. Sanctus Gregorius Nazianzenus Orat. 19. ità loquitur: *Vnum habeo, quòd vtrique succenseam (ac peto à vobis, ne meam hanc dicendi libertatem ægrè feratis; expromam enim animi dolorem, etiamsi grauis ac molestus hic sermo futurus sit) nempe quod me huius vitæ mala iniquo animo ferentem, ac solitudinem adamantem (vt haud scio an quisquam nostra memoria) communemque hanc tempestatem, & puluerem, quam celerrimè poteram, vitare atque in tutum locum confugere obnixo studio contendentem (nescio quo pacto) in hoc graue, & insidiosum* ANIMARVM FORVM *per speciosum Sacerdotij nomen intulistis.*

Illustriss. Reuerendiss. Præsuli

REINALDO SCARLICHIO

Labacensium Episcopo, & Principi.

Epist. XVIII.

De aquis nuptialibus quædam afferuntur, quædam de alijs aquis.

DIù Harpocratem egi: silentio
diù litaui, Illustrissime, & Re- 94
uerendissime Præsul. Rem, vt res est, apertè fateor. Quidni? Silentij culpa silentio non velatur, sed grandior fit; & exertè hic contra se clamat, qui diù silet. Quòd si in amicitiam peccat, qui à scriptione abstinet, grauiter in amicitiæ cultum, & obseruantiæ iura peccaui, qui tàm longas in scribendo ferias egi. Habes reum ante iudicij tui tribunal nihil negantem, spontè fatentem omnia. Penè innocens fio, quia me tibi nocentem sisto. Soles in illo tribunali sedere, in quo absoluitur, qui se ligat; damnatur, qui minimè se damnat. Diuinum hunc iudicandi ritum etiam ad humana pro tuâ humanitate traduces. Satis istuc æquitati. Sed iustæ quoque omissæ scriptionis siue causa, siuè occasio non defuit. Occupationes mitto, quæ me ligant. Non scripsi, quia scri-

ptionis

ptionis nullum vehemens aderat argumentum, & quia non putabam Epiſtolas meas tanti à te fieri, vt eas quæreres, ſi non mitterem; & querereris, ſi mittere omitterem. Deniq́ue hæc quoque cogitatio hanc fiduciam dedit, vt poſſem abſque vllo obſeruantię, & cultûs neglectu litteras non dare: quia ſcilicet hic in ſiccis, & arentibus litterarum ſchedulis altas radices non agit: ſiccatur facilè, citò areſcit, quicquid hîc ſeritur: vix pullulat, cùm flacceſcit: pinguiori fœcundioriquè ſolo commendari debet, vt felix vernet. Itaque, cùm alias in cordis humo radices egerit initæ amicitię germen, non putaui magno labore, & curâ in litterarum ſulcis colendum, quòd in animo tàm feliciter adoleuerat; æternumque, licet extimo ſermonum rore non madeat, adoleſcet. Sed quid peccaui? Non ſcripſi? Scribo, vt peccatum eluam. Nec nuda ad te venit hæc Epiſtola: ſecum aliqua de aquis vehit, gratum tibi fuiſſe librum, quem nomini tuo inſcriptum iui, vt litteris ſignificaſti. Hęc, quæ hic offero, quædam illius reliquiæ, & fragmenta ſunt, aut (vt aptiùs loquar) quædam guttæ, quæ à nuptialibus illis aquis ceciderunt. Qui totũ habuiſti, habe, & hanc exiguam partem.

AQuam nuptijs nectunt quoque incolæ Chriſſæ, quæ eſt in Iauâ mainre Inſula ſita.
95 Nuptiarum apparatum nobis egregiè exhibet, additis tabulis in æs inciſis, Ioann. Theod. de Bry. nu. 4. vbi inter alia hæc habet: *Nuptias celebraturi processu mirabili vtuntur. Principio enim præmiſſis,* QVI PELVES, *& tympana oblonga baculis percutiant, octogeni, vel centeni incedunt, qui ligones pauonum, vel equorum caudis decoratos humeris geſtant. Succedunt triceni, vel quadrageni clypeos, & haſtas manibus geſtantes, qui modò inuicem pugnantes, modò ſaltantes ludos ſpectatoribus præbent. Sequuntur triginta, plùs minus, virgines, & mulieres variam ſupellectilem, munera, nempè nouis nuptis diſtribuenda geſtantes. Tandem ſponſus ipſemet equo pulcherrimè ornato vectus incedit, comitanturque eum longo agmine ad ædes vſque ſponſæ amici, & propinqui omnes. Vt autem ad ædes ſponſæ peruentum eſt, equo mox deſcendens ſponſus, pedes ſponſæ, quæ ad ianuam* CVM VASCVLO AQVAE PLENO PRAESTOLATVR, ABLVENDOS PORRIGIT: *eoque facto, domum cum eâ ſolus ingreditur.*

In fœmineo pelago Scylla non deeſt, non Cha-
96 tybdis: ipſa fœmina Scylla; ipſa Charybdis eſt, ſi mala. Præſtat hîc ſiſtere Ioannis Pediaſimi Chartophylacis Bulgariæ de huiuſmodi, verba:

Mulier mala, virorum naufragium,
Suſpicionum pelagus turbatum,
Improbitatis procella concitata:
Altera Symplegas, Scylla, Charybdis vorax,
Euripus: altera Styx abundans lachrymis,
Incendium domeſticum, diluuium domûs,
Inanis terra, & inſupportabile pondus:
Præcipitium exitioſum, Tartari vorago ingens,
Obuia quæque abſorbens Acheron,
Erynnis acerba, Infernus vorax:
Omen malè auſpicatum coniugi.
O' quis mulierem talem effugiet?

Bona mulier, & ipſa aquis comparatur, ſed fon-
ti, hortum ad fructum irriganti; Nilo magnarum opum largitori. Audiendus adductus author 97
qui in probæ mulieris laudem excurrens hæc habet:

Mulier proba, placidus viri curſus:
Sanitas familiaris, neſcia eripi:
Quotidianum lucrum ex laboribus,
Senectus iucunda mariti feliciſſimi,
Donum Dei, communis ſecuritas,
Lumen ſerenum, verna voluptas,
Manifeſta medela, euidens ſalus,
Natura benigna, amor ex præcordijs,
Vitæ dilatatio, bonorum aceruus,
Bos operoſus, aratri iugum trahens:
Prouerbiale Amalthea cornu,
Nubes fabuloſa auro copioſo manans,
Modeſtiæ inaffectata imago,
Germinum bonorum radix præſtantior;
Gulæ menſuram ſeruans, os benedicum,
Oculus dimiſſus, morum grauitas,
Fluctus tranquillus, cordis ſimplicitas,
Aura benignitatem clementer ſpirans,
Specula nocturna, tranquilla ſtatio,
Immotus iſthmus, fons hortum irrigans,
Lumen viam dirigens, domûs ſerenitas,
Terra nobile germen, terra comparanda pretio:
Salutare refugium, tota vita ſcala,
NILVS *opum largitor argento fluens,*
Alueare apum, beatorum Elyſium,
Omen auſpicatum thori ſociæ.
O' quis mulierem talem inueniat?

Periti lectoris notitiam non debet effugere,
quòd de aquâ, quæ ſacerdotis ablutioni ſupereſt, 98
obſeruant incolæ Pegu, de quibus hæc habet Ioan. Theod. de Bry. to. 7. Deſcript. Indiæ Orient. nu. 21. *Dies quoſdam habent lauandis Sacerdotibus ſuis deſtinatos; quibus quidem diebus congregati Incolæ* AQVAM ILLAM, *quâ ſacerdotes ſe ſe abluerunt, colligunt, & ex ſummâ deuotione in potum poſtmodum adhibent.*

Vnda ſi vndæ illidatur, fluctus ſi feriantur fluctibus; ſpuma ab illâ illiſione naſcitur, prodit ab illis ictibus ſpuma. Idem in animo fiat, dùm cruciatibus corpus agitur, torquetur tormentis, premitur varijs conflictationibus caro, menti ab hac contritione lætitiæ ſpuma oritur. Feſtinè Ioann. Euſeb. lib. 1. cap. 32. *Poteſt inter corporis cruciatus enatare alacritas mentis, & fluctus quaſſatioque fortunæ miſeræ* SPVMARE LAETITIAM. Quæ tamen non abeat vt ſpuma, ſed perennet.

Aquæ frigidæ potu concordiam quidam quibuſdam perſuaſit. Cœlius Rhodiginus lib. 13.
cap. 5. Lect. antiq. ità ſcribit: *Heraclitum Philoſophum Epheſium rogarunt ciues, vt ſententiam ſuam proferret de concordiâ ſcandens ille eminentiorem locum, aquæ frigidæ calicem ſibi protinus afferri iuſſit, in quem vbi farinæ aliquantulum inſperſiſſet permiſcere glichonis herbæ puluere cœpit, moxque hauriens ne verbo quidem fallo, inde ſe proripuit prudentibus intelligendum relinquens, ſi vilioribus, ac obuijs acquieſcerent, nec ſumptus affectarent immodicos, pacem habituros inter ſe atque concordiam.* 99

Poſt



Puſt aquæ baptiſmom, alium nobis maximè ſalutarem indicat pijſſimus aothur Bloſius. Nequeo hic eius verba ſopprimere. Sic ille ſcribit de animæ Paradiſo cap. 10. num. 3. *Quacunq; Deus obuenire voluerit, ea parate animo ſuſcipe. Etiam non perturberis quòd peccatis tuis ipſas aduerſitates fortè accerſieris; ſed ſiue accerſieris ſiue non accerſieris, tranquillus eſto. Imputa quidem omnia tuis iniquitatibus & humiliare: veruntamen (ſicut dixi) non intempeſtiuè conſternêris animo, ſed mentis æqualitatem ſeruato. Det tui paſſio pro peccatis tuis ſatisfaciat: tu verò pro amore ipſius Domini patere. Diſpliceat animo tuo malorum origo vitioſa: cæterum ipſas anguſtias æquanimiter ſuſtine, offerens eas Altiſſimo in Sacrificium; ſic enim erunt* TIBI VELVTI BAPTISMVS *ad peccata tua abluenda efficaciſſimus, quin & glorioſiſſimum (vt ità dicamus) erunt martyrium.*

Illuſtriſſimo Viro

DOMINICO A TVRRI

Marchioni.

Epiſt. XIX. Veronam.

Alexandri Vicentini Medici, ac Philoſophi Veronenſis mors, & quædam circa mortem monita.

100 ABeuntium laus ſuperſtitum eſt ſolamen: & diſcedentium commendatio eorum erectio eſt, quos charorum deiecerat mors. Hoc tua mens, Illuſtriſſime Vir, verſare potuit, cum gratum tibi futurum ſignificaſti, ſi ALEXANDRI Vicentini conterranei noſtri, Mediciq; peritiſſimi & mortis apparatum, & mortem breui compendio chartis illinirem; vt haberent dolentes, quo dolorem lenirent, & morituri, quod imitarentur in eo, qui iam eſt mortuus. Parui nutibus tuis eò lubentiùs, quò ſciebam, benè morientium mortem ad viuentium vitam eſſe, & abitionis modum, quem iuſti ſeruant, cęteris moriendi prębere diſciplinam in nullis moriendam. Qui diù, noctuq; morienti adſtiti, multa laude digna obſeruare potui, quæ in multorum notitiam, ad multorum vtilitatem irent; ſed pauca paucis verbis dabo: aliorum erit plura exhibere, & cultiùs, ac luculentiùs tam diues argumentum tractare. Scio, me Epiſtolam ſcribere, non hiſtoriam texere, & libanda nonnulla eſſe, non omnia digerenda. Tangam aliqua tantùm, quę pietatem tangunt, & viri iam defuncti virtutem non defunctoriam.

NOſter igitur Alexander, vt probè ſcis, grauiſſima febre correptus decubuit; & qui 101
medica arte iacentes erigebat, pluſquàm medica fortitudine iacuit non erigendus. Vix ſe in lectum coniecit, cùm coniecit, ſe moriturum. Non expalluit ad nomen mortis: non expauit mortem aduenientem; ſed aduenienti lætus occurrit: morte maior, qui, non ſolùm forti, ſed etiam æquo animo ſciuit mortis impetio patere, vt Deo pareret. Mortis virtutem fregit, qui infracto mortem animo excepit; & mortis victor euaſit, qui mortem non ſtuduit euadere, vt mortem vinceret. Moriturus, vt meliùs moreretur, melior ſtuduit mori: atque adeò totam mentem ad cęlom, quò vocabatur, reuocauit. Totum ſe animæ ſaluti quærendæ dedit, eòq; diligentiùs ſpiritualia medicamenta adhibenda cenſuit, quo corporea inutilia ſotura eſſe præuidit. Accerſiri me ſtatim iuſſit. Accurri, vt opè, quam poſſem, decũbenti ferrē, eumq; vrgerem ad cælũ qui ad cælũ intùs vrgebatur. Et quia me priùs elegerat conſcientiæ ſuæ iudicem, ei confitenti aures dedi: quod ſæpiſſimè à me factum in toto morbi decurſu vſq; ad vltimum vitæ ſpiritum, non quia aliquo conſcientiæ ſcrupulo angeretur; ſed, vt huius Sacramenti virtute pleniori Dei gratia repleretur, puriorque ſemper euaderet, Chriſti ſui ſanguine ſæpe ablutos.

Murbus interim vires non remittebat: amittebat correptus morbo, ſi corpus ſpectes: acquire- 102
bat, ſi ad iacentis mentem, mentem flectas. Atque adeò, com vrgeret mali vis, adſtantes iuſſit, vt curarent, afferri ſibi Medicum ipſum Cęleſtem ſub Euchariſtiæ velamine latentem. Factum eſt, vt poſtulauit. Explicari vix poteſt, quanta pietate, quàm firmæ fidei ſignis hoc Sacramentum exceperit, & quantas, contra mortis vires, & vires hauſerit ab Auctore vitæ. In cæleſtia rapiebatur, in Diuina, ſecumq; rapiebat adſtantes. De rerum terrenarum neglectu, de vitæ huius infelicitate tam appoſitè philoſophabatur, vt decumbentis cubiculum videretur eſſe Chriſtianæ Philoſophiæ Schola. De æterna felicitate, rerumque æternarum amore tam feliciter loquebatur, vt moriturus putaretur immori non moriturus, & antè diſceſſum ex hac vitâ, quod nobis ſuadebat S. Gregorius Nazianzenus, hinc migraſſe. Denique illi conueniebat, quod de quodam ſcripſit ſanctus Paulinus: *In Cęlo ſepeliſti vitam tuam*. In cęlo vitam ſepelierat, qui in cęlo viuebat à terrenorum amore diuulſus.

Mira patientis fortitudo fuit. Vix vllum ab illo querulum audiuimus verbum. In toto infirmitatis decurſu vix aliquid infirmum à iacentis ore fluxit; vix à corporis imbecillitate aliquid imbecille. De ſua morte ita diſponebat, deque ijs, quæ ſequuntur mortem, vt videretur non de ſua morte loqui, ſed de aliena. Et fòrs, qui priùs de aliena morte locutus eſt, vt de ſua, moriturus de ſua loquebatur, vt de aliena. Immaturè ſe minimè rapi aſſerebat. Diù, inquiebat, vixi: poteram priùs mori. Vere diù viuit, qui benè viuit, licet non viuat diù. Diù vixit, qui vitam benè claudit, licet non diuturnam. Omnes ſolabatur, erigebat omnes, &, qui abiturus lachrymas eliciebat, abſtergebat lachrymas ita loquens, tanquam non eſſet abiturus. Nullum à cubiculo excludi volebat: volebat omnes admitti; vt omnes recrearet, omnes vtili aliquo monito muniret. Quid cuique dixerit, quid quemque docuerit in rerum periturarum contemptum, in æternarum amorem paucis nequeo complecti. Anguſtis vnius Epiſtolæ terminis non poſſunt coerceri, quæ illi

lato

lato charitatis affectu in multorum profectum emisit. Rem omnem non dicam, sed indicabo. Paucis illis diebus; quibus in lecto iacuit tam magna, tam multa præstitit, vt videatur plures futuræ vitæ annos in paucas horas contraxisse, & præstitisse in istis, quod præstaturus in illis fuisset, si fuisset.

Quicquid pium illius menti offerebam, auidè
103 ille bibebat, statimque, quod exceperat, pullulabat in fructum, & verba vertebantur in opus. Crederes, si eius acta spectasses, totam vitam in religiosa familiâ illum exegisse, totum se ascetice vitę sacrasse, acquirendæ perfectioni, poliendisque moribus tantùm operam dedisse, nec alterius rei cogitatione illius mentem fuisse diductam. Astiti ferè assiduè decumbenti; sed adstantis laborem feruor minuebat decumbentis, & iacentis pietas lassitudinem erigebat erecti. Bonus labor, immò nec labor, quo animæ eò diriguntur, vbi nullus labor est, lassitudo nulla.

Simulachrum Christi in Cruce expirantis ære formatum iacenti in morbi exordio obtuli. Hoc semper manu ille tenebat. In hoc conijciebat oculos: hoc adprimebat ori, hoc osculabatur. Iesum suum tanto feruore alloquebatur, vt omnium admirationem verteret in stuporem. Ignita verborum iacula, quæ in Iesum suum iaculabatur, amoris eius iaculis illum fuisse ictum indicabant. Frequentissimè suum Iesum hac formulâ alloquebatur. Iesu, amor meus, fiat voluntas tua: Iesu, amor meus, fiat voluntas tua. Quæ tanto spiritu pronuntiabat, vt appareret non ex nudis labijs nata hæc verba esse, sed ex cordis, vt ita dicam, corde.

His sensibus infirmitatem comitabatur: Mori, inquit, amo, vt Deo obsequar, Deique paream voluntati. Mori vellem, vt mors esset in fidei meæ fidem, & testationem. Cupio pro Dei amore mori. Libens morior: non curo vitam producere; nolo exercere. Eo momento abeam, quo me abiturum decreuit, qui me creauit. Per singulas respirationes offero Deo meo vitam, offero cor meum, offero quicquid egi, immò quicquid pro me Christus egit, pro me passus est Christus. Conditori meo per singula momenta offero omnium iustorum iusta opera: quicquid in Dei gloriam factum est in terris, & in cęlis: quicquid in terris, & in cęlis fiet: denique quicquid Deo gratum offerri Deo potest. Sępissimè istas voces ingeminabat: In te Domine speraui, non confundar in ęternum: & ista: Deus propitius esto mihi peccatori. Fidei professionem emisit: dixit se in fide Catholica, & Romanâ viuere velle, velle mori; nec vllam aliam veram fidem se agnoscere, quàm istam; nihil se credere, quod fides ista credendum non offerat; seque omnia damnare, quæ hæc fides damnat, eosque omnes damnare, qui hanc fidem impijssimè damnant.

Denique quò ardentius vrgebatur ad cęlum, & ad Cęlum vrgebat se noster ALEXANDER,
104 vrgebat & morbus morbo correptum, vt vitę spes nulla superesse videretur. Noluit tamen respuere ea corporis medicamenta, quæ adhibebantur, licèt conijceret, & exertè assereret, nihil profutura. Obedire, inquit, iubentibus volo, ne in Medico existat exemplum medicis non parendi. Corporis remedia ita admisit, vt potiùs postularet, quæ potiora, quæ scilicet Animæ saluti conducerent. In extremis constitutus extremæ vnctionis Sacramētum enixè quę sciuit, &, tanquam Christi athleta, eo munitus est. Morbi sęuitiem secuta deinceps fuit infirmi non infirma virtus, adeò vt ab æternorum cogitatione, ad quæ aspirabat, diuellere mentem non possent morbi, quibus caro corripiebatur. Egressuram animam Creatori suo commendauimus, commendauit, & abiturus. Qui spem suam in Deum suum iactauerat, iactari infirmitatis fluctibus non ita potuit, quin ad portum felix appelleret. Itaque, amissâ tandem voce, emisit placidissimè spiritum in verbis illis, quæ eius auribus instillauimus: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*: Iesus sit mihi Iesus. Mortuus est nobis ALEXANDER, vt sibi viueret, viueret Deo. Abijt magnus iste vir suo seculo commendatus, sed desiderandus alieno.

Mortis seriem habes, Illustrissime Marchio, dignam quæ in viuentium mentibus nunquam moriatur. Nobis det vitæ auctor eadem vestigia premere; sed, vt iustorum morte moriamur, viuamus iustorum vitâ: vtrumque Tibi cupio, vtrumque mihi, nec cupio tantùm, sed etiam precor. Sisto hic, & Epistolæ quædam alligo, quæ eius funeri inscripsi, tumulo appendenda, & sunt ista.

105 Tacentis sermo, loquentisq; silentium
Ad tumulum Excellentissimi Viri,
ALEXANDRI VICENTINI.
Philosophi summi, summi Medici.

Siste, quisquis es: Siste.
Est, quòd multū mireris, licèt nō multum hic moreris.
HIC
Iacet ille, qui iacentes erectus erigebat.
Noster Magnus ALEXANDER
QVI
Vt mortalibus succurreret, occurrebat morti,
In mortem tandem incurrit, occurrit ad mortem;
ET QVI.
Semimortuis medicas manus admouebat ad vitam
In mortis manus incidit ad mortem.
An fallimur? an fallimus?
Medici hìc quoq; munus exercet, dum ampliùs
non exercet;
Et alios meliùs erigit, qui erigi non potest.
OLIM,
Inuisens ægros, ægros sanabat:
Nunc sanat non videns, sed tantùm visus.
Nullum ille tangit;
Sed, illo viso, mortis timore tanguntur omnes ad vitā,
Bonus Medicus toto corpore, non corporis,
sed mentium factus medicina.
Priùs omnium membra curabat
Nunc membris omnibus curat omnium mentes.
Timoris præsens remedium est mors, mortis timore.
AVDIN?
Ab omni parte clamat, quia ab omni parte silet:
Moriendum in nullo esse, omni esse moriendum.
A loquentis ore nihil vtilius exijt, quàm
nunc exeat à tacentis.
VIX
Defunctus Medicus dici queat, qui & mortuus
Medici munere fungitur,
Ad melioremq; vitam vocat, ad meliorem
vitam vocatus.
ABI,
Et, vt sanus audias, vel ab hoc Medico disce,
tibi hinc abeundum.
INTERIM
Terram leuem vita functo nullus deprecare;
Sed terrena omnia despice, vt leuia.

Aliud

Aliud,

106 *State Lachryma*
ALEXANDER NOSTER.
Viuens sibi par, moriens maior se,
Nobiliore parte sui ereptus terris, cælo donatus est,
Piè ità credimus, & fidem hanc animat summa
defuncti pietas.
Mœrorem, quisquis ades, quisquis audis, pone.
Moriturus esset, nisi esset mortuus:
Nunc ipsa morte viuit.
Iurè morti imperat, qui lubens mortis paruit iuri;
Et morte maior est,
Qui viuens, in alienâ morte suam cogitat,
Moriturus de suâ disponit, vt de alienâ.
Felix mors, aut verè non mors:
Cùm, qui moritur, æternis immoritur,
non moriturus.

Denique, & disticum istuc excidit,

Magnus ALEXANDER viuens est dictus; at iste
Magnus erat viuens, Maximus & moriens.

HÆc à me eximia viri huius virtus elicuit, ac tantùm non exculpsit. Maiora, & magis digna laude in eius laudem dederunt alij, alij dabunt.

Adm. Reu. P. F.
THEOD. GVASTALLENSI
Capuccino.

Epist. XX. Guastallam.

Concio muta; appendix vtilium quorumdam monitorum.

PErgratum mihi fuit grata tibi ea pietatis femina fuisse, quæ omnium mentibus immittenda ad
107 te misi; è suggestu te illa auditoribus tuis publicè commendasse inaudiui, idq; coram Serenifs. F. Ioanne Baptista Mutinę quondam Duce, cui placuisse, quę à me acceperas accepi; fors non adeò illius auribus suaue Elogium illud, quo transitus eius à Principatus culmine ad religiosam humilitatem explicatur. Pompæquè mundanę contemptus, qui maximè celebrem illum reddidit, commendatur. Vt ab alieno calamo cusum huic Epistolæ alligo, missio sola mea est. Ad tui ordinis ius pertinere credidi, quòd in virum scriptum, qui in vestra familia est adscriptus. Vis addam, quod menti meæ iniectum est, dùm adstare illum concioni tuæ intellexi? Adstat tacens concionator concionatori loquenti: Beati Ægydij hæc erant verba, vt notum tibi est: *Insignis* CONCIONATOR *est humilitas*: quæ grandes emittit voces, etiam cum tacet; in tacente igitur Principe grandem concionem habemus, dum humili veste tectum humilem contemplamur; vidisse illum audisse est; totus nobis vocalis est factus, ad inanis gloriæ contemptum nos vocat etiam cum silet. Pulchrè mundanę gloriæ inaniratem exprimebat Sanctus Anselmus lib. decem medit. qui nouissimè lucē vidit medit. V. *Est*, inquit, *sicut videtis si rectè consideratis*, PRAESENS GLORIA QVASI VESICA VENTO PLENA; *quæ dum sic plena tenetur in manibus, conspicitur speciosa, & clara, cui si fortuito punctus per-modicus imprimatur, non claritas, sed inanitas, & ventus remanet in manibus*: Quid hic magnum speres, cum illud ipsum quod putatur magnum nihil sit? Sed quia Elogium promisi, Elogium subijcio, prudentiæ tuæ arbitrio relinquens aut supprimere illud, aut omnibus exponere.

ADESTO LECTOR.

Quidni, & si senescunt tempora, iuuenescat Virtus?
Nostrum in se sæculum suspicit Monumenta virtutis, 108
Quæ haud facilè conspicias in antiquis.
ALFONSVS III. DVX MVT IN AE, REGII.
ISABELLAE CAROLI SABAVDIAE DVCIS FILIAE
CONIVGIO FELIX
Felix prole Principum, se ipso felix, quia maior:
Natorum Pater, Ciuium Princeps, sui Dominus.
Suos ingenti Principatu fines auxit; se ipso;
Dū Aulā humili posthabuit Cellulæ, lacerna Purpurā.
Nempè Diuini Amoris ignem sub cinere abscondit,
vt seruet.
Hausit hunc ignem à Rogo Coniugis, ab eius funere
Vitam ebibit:
Puto: Vel ipse se Rogū facit, vt dignius pareret Cōiugi;
Vel suum Marito coniux insufflauit spiritum,
dum efflaret Animam:
Fæcunda Coniux, quæ natos peperit mundo viuens,
& Cælo parturit virum moriens:
Effudit illos vtero, hunc oculis:
Nouo partu vno suum Iouem oculorum nube perpluit.
IN PIETATIS, ET RELIGIONIS SINVM
Fuit is sceptri cupidus dùm non haberet;
prodigus quando habuit,
Forsan hoc voluit sibi ne deesset, plura vt adessent
quæ relinqueret.
Principatum extremo libarat ore, cùm illum summo
litauit Domino.
Dauidicum pari animo, at longè meliori victima
æmulatus obsequium.
Viden? prodigia?
Fortuna vix deglutierat Principem, & subitò
regeritur Monachus,
Non per os, sed per vulnera
Pio parricidio impia nouerca discerpens vterum:
Vt se sub se deprimat, premit, & calcat
fortunam Principem,
At nil agit: nam illa inassueta premi, dum se erigit
Altius euehit se se prementem.
Ad claustra imperio venit, è claustris
ridens Imperia,
Quasi è Diuinis humana.

Ope

Opes, gloriam incendit vt horum cinere colorares
pannum, quem induit:
Quàm diuitem ſuccum bibunt panni pauperes.
A Regia, & Patria ſpontaneus exul in exilio Patriam
inuenit, in ſaxo Regiam:
Piè ſuperbiunt, tam nobili hoſpite Tuguria Pauperum,
E Cœlo delapſus ignis in aureum pectus, mox illud
ſecernit ab auro:
Hic aureum ſibi pectus ſeruant, vt ſcoriam reſpuit opes,
& aurum.
Auro ſe ſoluit, vt Fune vinciat;
Iam aurum odit vt funem, Funem amat vt aurum:
Erubeſcit aurum repulſam patiens, ſuperbit saccus
prælatus Clamydi.
Vt abeuntem ſiſtant obyciunt aggerem, ſua corpora,
Supplices nati, Ciues Aulici.
Perrumpit aggerem, quaſi dirumpat puluerem.
Fortè quod non ſiſtit humus, vnda præcludent iter:
Accurrunt rursùs, & ſuis lachrymis vadum faciunt:
Vidimus facilè, vel generoſa pectora his vndis
naufraga:
Nil minùs: intrepidus enatat, & adnatat cellæ,
vbi innatet Deo.
Nullo hamatur, VNVM *qui amat vnicè.*
Numeroſam poſt ſe ſobolem liquit, quippè vel ciues
numerat inter natos,
Sed Ampliſſimum virtutis patrimonium,
In quod ex aſſe pari hæredes ſcripſit liberos, Fratres,
Ciues, Exteros:
Nec dubium, quin & deductum in ſingulos
cuique obueniat locuples.
Tu diſce lector
LONGE, QVAM PRINCIPARI CIVIBVS,
SATIVS SIBI.

HÆc ab amici calamo, quæ ne cum mortuo morerentur, hîc implantata ad omnium notitiam ire volui: ſed quædam etiam à meæ obſeruationis penu habe, quæ non aliena à tuo inſtituto ſint, nec à meo.

Sancti à quietè reuocati ad negotiorum molem,
109 ad ſeculum ſe rediјſſe putabant, intúſq; ſe corruiſſe dicebant, licet in alto dignitatis culmine eſſent. Hoc ſenſu hæc dicebat S. Gregorius lib. 1. epiſt. 5. *Sub colore Epiſcopatûs, ad ſeculum ſum reductus, in qua tantis terræ curis inſeruio, quantis me in vita laica nequaquam deſeruiſſe reminiſcor, alta enim quietis meæ gaudia perdidi, &* INTVS CORRVENS, *aſcendiſſe exterius videor. Vnde me à conditoris mei facie longè expulſum deploro.* Eodem reſpicit idem S. Pater lib. 1. epiſt. 6. vbi ait: *Penſo ab alto* QVIETIS MEÆ CVLMINE CORRVENS, *ad quantum deiectus exterioris prouectus culmen aſcendi: & pro culpis meis in occupationis exilium à facie domini mantis miſſus, quaſi deſtituta vidua vocibus, cum Propheta dico: Qui conſolabatur me, longe receſſit à me.*

o Paupertatem *Sanctam* vocatam obſeruo, non facilè reperias diuitias hoc titulo inſignitas. Sanctus Bernardus epiſt. 103. *Regnum*, inquit, *Cælorum pauperum eſt, & eſt regiæ poteſtatis beare pro voluntate amicos. Facite, inquit, vobis amicos de mammona iniquitatis: vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Vides, quia magna dignitas,* SANCTA PAVPERTAS SIT: *vt non modo patrocinium ipſa ſibi non quærat, ſed & ferat indigentibus. Quale eſt, hoc abſque interuentu cuiuſpiam Angelorum vel hominum, ſola Diuina gratia confidentia accedere per temetipſum ad vultum gloriæ capeſſere ſumma rerum attingere totius magnificentiæ culmen.*

Aloyſ. Nouar. Tom. Vnus Var. Opuſc.

Auri vi explicandæ hac formula vtebantur: *malleus aureus portas ferreas frangit*: & verò maior adhuc paupertatis eſt virtus, quæ cordis veſtes frangit, vt Deus cor ipſum ſubeat. Scitè Ioann. Euſeb. lib. 2. cap. x. *O pretium*, inquit, *inæſtimabile paupertatis, quæ veſtes cordis frangis, vt in hominem intret Deus, & ianuas Cœli reſeras, vt homo illuc ingrediatur.*

Otium *peccatorum* FOMENTVM, *& inferni* IANVAM vocat B. Thomas à Villa noua Conc. in Septuageſima; Infernum qui intrare non vult, & ab hac ſe ianua elarget, otium fugiat: Addit productus auctor: *David in bello ſanctus,* IN OTIO ADVLTER, ET HOMICIDA: *Salomonem otium, & epulentia* IDOLATRARE *fecerunt.*

Parum prodeſt, imo obeſt multum ad perfectionis locum veniſſe, niſi perfectionem quis colat; virtutis Schola, ſanctitatis gymnaſium religio eſt, ſed locus non proderit, niſi locum ſanctimoniæ in ſe ipſo quiſque fecerit. Malo Latroni malum religioſum comparabat Vmbertus. Ipſum audi: *Qui malus eſt in religione, eſt* QVASI MALVS LATRO, *Chriſtum in Cruce blaſphemans opere, licet non ſermone: qui de cruce clauſtri tranſiturus eſt ad cruciatum Inferni. Talis valdè infelix eſt, qui in Dei vinario ſitis moritur: in eius ſeruatorio corrumpitur; & in loco ſalutis damnationem ſuam operatur. Quòd aly eſſet aurum, eſt ei plumbum, onus ſcilicet Religionis.*

SEd ad te, tuiſq; pates vt ſcripſerim, de te tuiſq; ſimilibus diù non poſſunt, nec vllum in te locum habent, quę hunc poſtremum locum habuere.

Illuſtriſſ. & Excell. Viro
SCIPIONI FERAMVSCÆ
I. V. D. & Equiti
Vicentino.

Epiſt. XXI. Vicentiam.

Aptatores quinam olim dicerentur.

PAtere, Vir magne, me calamo ſi- 111
gnificare, quòd animo non ſemel feci; amaui te ſemper, virtuteſquè tuas, imò te ob virtutes, quas tu amas, & colis. Non eas hîc effero, quia modeſtia tua, quæ illarum color, ac venuſtas, id non fert. Nimis hęc nota ſunt, quibus tu notus, ac publicæ famę viua vox præſtat, quòd mortuus calamus in mortuâ vix paginâ poſſet. Laudibus igitur tuis omiſſis, quas tibi diſplicere ſcio, Epiſtolam hanc mitto, & vt ad poſteros deferat, me multum tuæ virtuti detuliſſe, etiam edo; tecum quoque ſolemne meum ſeruo, ac Epiſtolæ alligo, quòd pretium aliquod faciat Epiſtolæ, nec alienum à tuo munere ſit.

112 OLim apud Lacædemones ciuitatum Gubernatores aptatores dicebantur, quòd, nimirum subditos aptarent, vt ea legis viuerent præscripto. Sanctus Maximus in cap. 3. Hierarchiæ Ecclesiasticæ ita scribit; *Lacedemonij subiectarum ciuitatum Gubernatorem* ἁρμοστὴν, *seu* APTATORRM NOMINABANT, *quod subditos aptaret, vt ex lege viuerent. Vnde etiam Athenienses similiter* ἁρμοστῆρας *appellabant eos, qui ad benè viuendum alios dirigebant, vti Plato comicus in dramate Legatis declarat. Vnde hic etiam Ecclesia Episcopum propriè* ἁρμοστὴν *appellant.* De hac eadem re hæc habet Pachymera in cap. 3. de Ecclesiastica Hierarchia; *Lacedemonij verò exindè subiectarum ciuitatum Gubernatorem* ἁρμοστὴν, *seu Aptatorem nominabant, quòd subditos aptaret, vt ex lege viuerent. Vnde etiam Athenienses similiter* ἁρμοστῆρας *appellabant eos, qui ad benè viuendum alios dirigebant. Quarè etiam hic* ἁρμοστὴν *vocat Principem Ecclesiæ.*

Quinam in Areopagi Senatum eligerentur, explicat Sanctus Maximus prologo in Opera Sancti Dionysij Areopagitæ; vbi ait: *Sciendum, non cuiusuis hominis fuisse, in Areopagi Senatum adscribi, sed qui apud Athenienses, & genere, & diuitijs, ac vita probitate præstabant, atque insuper illustres censebantur, in Areopagi Senatu sententiam dicebant. Ex nouem enim qui Athenis primores erant, Areopagitas Iudices constitui oportebat, quemadmodum Androtion tradit in secundo libro rerum Atticarum. Postmodum verò pluribus constitit* AREOPAGI SENATVS *scilicet Viris, illustrioribus quinquaginta & vno, Patricijs tamen, vt diximus, & opulentiâ, vitaque modestiâ conspicuis, quemadmodum Philochorus in tertio libro earundem rerum Atticarum scribit.*

Areopagitarum fuisse de omnibus ferè causis iudicare disco ex eodem Sancto Maximo, qui prologo in Opera Sãcti Dionysij Areopagitæ itâ scribit; IVDICABANT AREOPAGITAE DE OMNIBVS FERME ERRORIBVS, ET DELICTIS, *(vt Androtion in primo, & Philochorus in secundo, & tertio libro rerum Atticarum tradunt) quamobrem diuinissimum Paulum, tanquam nouorum Dæmoniorum præconem (sicut amator veritatis Lucas narrauit) fatua apud Deum sapientiæ amatores, ad Areopagitarum iudicium trahunt.*

Eruditiss. Viro

FRANC.co BERNARDINO

Ferrario.

Epist. XXII. Mediolanum.

Maledictiones Scariotica quanam dicta, quædam de benedictionibus addita.

113 IN Chartaceo hoc mari dum feror, quid impedit, quin ad te velut ad portum appellam? Appello, calamiq; mei naui ad te nescio quid veho, quòd fors non displiceat; ne expectes è longinquo vectas gemmas; domi nata sunt, quę offero, exque quotidiana librorum lectione collecta; affectum ex quo prodeunt, pende, & maioris erunt ponderis, quàm aliàs extitissent. Illud scito non docendi tui causa hæc ad te transmitti, sed colendi, vtque ad posteros eat, me tui, tuarumquè virtutum cultorem fuisse. Cense me tua postulare, cedro digna, dùm mea obtrudo, digna alioquin, quæ delerentur, nisi amicitiæ fouendæ deseruirent. Te, præter ea, quæ iam cudisti, alia quædam chartis implantasse, audio; edi illa cupio, & etiam postulo.

QVænam essent maledictiones Schariotica leui brachio discere ea Sancto Gregorio Turonensi possumus; sunt enim eæ maledi- 114
ctiones, quæ in Psalmo centesimo decimo octauo continentur, & contra Iudam Iscariotem iactatæ fuere; quæ aliquando contra alicuius criminis reum pronuntiari iubebantur; certè id volebat Rex ille apud productum auctorem lib. 5. Histor. Francorum num. 19. vbi hæc habentur: *Hisita gestis petijt rex, vt aut tunica eius scinderetur, aut centesimus octauus Psalmus, qui* MALEDICTIONES SCHARIOTICAS CONTINET, SVPER CAPVT EIVS RECITARETVR; *aut certè iudicium contra eum scriberetur, ne in perpetuum communicaret.*

Absentes ab absentibus benedictionem petentes cupiebant eleuatis manibus id fieri versus illam partem, in qua benedicendi degebant. Stephanus scribens Gaufrido Carnotensium Episcopo in Epistolæ calce subdit; *Orate pro nobis, &* SACRIS ELEVATIS DEXTRIS SVPER PARTEM MVNDI, IN QVA SITI SVMVS, BENEDICTIONEM, *& obsecrationem profundite. Iterum valete. Participes nos faciat Deus Sanctorum operum vestrorum gestorum, & gerendorum. Valete tertiò cum reuerendis Principibus Blesensi, & Niuernensi.*

Aliam esse populi, aliam Sacerdotis benedictionem colligebat Sanctus Chrysostomus ex illis Da- 115
uidicis verbis psal. 134. *Domus Israel benedicite Domino, domus Aaron benedicite Domino*, sic enim ait in huius Psalmi explicatione: *Cur ergo non omne simul vocat, sed in ordines diuidens? Vt scias magnam esse differentiam* BENEDICTIONIS *Aliter enim Sacerdos, aliter Leuita, aliter Laicus, aliter frequens populus benedicit.*

Quinam sit ille, qui omni tempore Deum benedicat à Sancti Augustini calamo habes, qui in Psal. 33. ad illud: *Benedicam Dominum in omni tempore*; ait: *Omni tempore, & semper, siue in prosperis, siue in aduersis.*



Doctiss.

Doctiſſimo Patri
LVCAE VADINGO
Epiſt. XXIII. Romam.

Iubilæi in religioſis familijs celebratio; alia de Religioſorum moribus addita.

116 QVid ſtupes? me ignotum tibi ad te ſcribere? Vt ego ignotus tibi ſim, tu mihi ignotus non es: & qui poſſes qui toti orbi tot editis voluminibus innotuiſti, ſed ab hoc capite ſors, nec ego notitiam tuam fugi. Siue ergo notus tibi, ſiue ignotus ad te venio, & veniendi occaſio adeſt, imò & cauſa, volumen; quod formo de Chriſtiani orbis admirandis, vt me ad multorum fores traxit, ſic traxit ad tuas, vt ſi quid habes, quo auxilio eſſe poſſis, id ſignifices. Fateor ex voluminibus quæ iam edidiſti non pauca excerpſi, quæ operi meo implantarem; ſi quæ præterea apud te ſunt non adeò obuia, aut trita gratum erit, ſi aut miſeris, aut fontes indicaueris; ſcriptionis hæc cauſa fuit, ſed non ſola; in amicitię tuę ſinu admiſſus orationum tuarũ fructu cupio frui, quin preces precibus poſtulo; vt ſicut à tuis libris abire inſtructior poſſum, ſic à precum ſuſu melior abeam; ſed ne videar tantùm quærere tua, offero; & mea, & in primis apud Deum tui futurus ſum memor dum futurus; apud homines litterariam hanc memoriam extare volo, quàm his, quæ hîc ſubijcio obſeruationibus ab vtriuſque noſtrum ſtatu non alienis, exprimo.

117 OBſeruatum hoc olim aliquando ab aſceticis obſeruo, vt cum quinquageſimum annum exegiſſent in religione Iubilæum celebrarent; Chronicum Vuindeſmenſe lib. 2. cap. 46. de fratre Reynero hoc habet: *Poſt annum quinquageſimum in ordine completum* IVBILAEVM SVVM CELEBRAVIT *ſummam Miſſam in natali Sancti Martini Epiſcopi cum miniſtris ac ceroferarijs ſolemniter decantando, & pro tanta perſeuerantia ſua in ordine, & ſanctitatis continuatione Fratribus in Refectorio vinum, & pitanciam à Priore noſtro Vvilheſmo, breui poſt tempore* IVBILAEVM SVVM ETIAM INGRESSVS *de gratia ſpeciali impetrando, & etiam poſt prandium ſpatiamenta in pomerium ad bona conferenda fratribus obtinendo.* Idem tunc quoque apud aliquos in vſu, & præſertim apud Flandros ex doctiſſimis illius gentis viris didici.

Aureis, & argenteis ſigillis obſignare vetitum olim religioſis erat, ſicut & crumenam ad latus ferre: Concilium Nicænum lib. 3. can. 76. ita ſtatuit: *Vt Religioſi tam Monachi, tam Moniales habeant alia indumenta, & alios mores, quam habent laici: & tondeant caput in modum coronæ, & cingant ſe.* NEQVE SIGILLIS AVREIS AVT ARGENTEIS OBSIGNENT, NEQVE FERANT CRVMENAM AD LATVS, NEQVE CVLTELLOS, *ſicut ſolent milites, & homicidæ, quando eunt ad bellum, & ſicut ſolent mercatores, cum iter faciunt portare crumenam, ad oſtentationem, vt faciunt magnates populi. Quin potius ſint probi, & inter ſe, & aduerſus alios patientes; eant per plateas cum modeſtiâ, & non inter ſe ſaculariter, & ridendo loquantur, nec alius alium illudat; ſed potius ſilentium teneant, & reuerentiam ſibi ad inuicem adhibeant: ſintq; ſibi inuicem benefacientes in his omnibus, quæ ad ſtatum eorum pertinent, ac maximè quidem apud infideles, & omnibus moribus perfecti.*

Mirum quòd de cibo Religioſorum ſentiebat Sancta Heduuigis Duciſſa Poloniæ in eius vita cap. 4. hæc habentur: *Et quia cibos Religioſorum hominum ſanctorum* ANGELORVM ESCAM *putabat fragmina panum à Monachorum, & Monacharum menſa collecta à mendicis quibus ea dabantur pretio redimebat, & priuſquam inde ederet, multa oſcula eis imprimebat. Cumque nollet diu carere eiuſmodi pauperum epulis, quæ ei dulcia erant, duas pauperes fœminas pretio conduxerat, vt alternis hebdomadibus ad portam Lubenſis Monaſterij accederent, & quicquid illic caſei, & panis à menſa Monachorum pro eleemoſyna accepiſſent, ipſi apportarent, pro delicijs illud habitura. A menſa etiam ad quam Monachi, ipſa interdum eos inuitante cibos ſumpſerant, præciſas panis cruſtas, vel particulas ab illis relictas colligebat, & tanquam ſanctarum Reliquias admodum reuerenter pro cibo ſuo conſeruabat.* 118

Conſanguineorum conſortium, ac familiaritatem ferè viris Religioſis noxiam vini exemplo, quod vinaceis ex quibus eſt expreſſum, immixtum aceſſit, explicabat Beatus Iſaias Abbas ſerm. 12. *Si cum* VINACEIS VINVM RELINQVATVR, ACESSIT. *Sic & adoleſcens, ſi cum illis, qui ſanguine ei coniuncti ſunt, aut certè ab inſtitutis eius alieni, ſinatur verſari, diſciplinam à patribus traditam corrumpit, & bonos mores.* 119

Circumcidendi verbum vſurpatum obſeruo ad ſignificandam ſeparationem illam, qua quis à mundo ſe eximit, & velut abſecat. S. Hilarius in vita Sancti Fortunati, ita loquitur: *Verum ille humanæ conuerſationis impatiens, &* CIRCVMCIDI A MVNDO, *vel obiectu freti concupiſcens, illud, corde, & ore geſtabat.*

Olim à Monacho conſecrando quærebatur, an vitiis varijs renuntiaret, rebuſque terrenis, quæ mentem diducunt. Pachimera in cap. 6. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ hæc habet in hanc rem: *Sacerdos, non Epiſcopus, ſtat ante diuinum Altare celebrans orationem, is autem, qui conſecratur ſtat poſt Sacerdotem, nec vtrumque vt Sacerdos, neque alterum, vt Diaconus genu flectit, neque vt Epiſcopus diuinum, ac ſanctum Euangelium ſupra caput habet, ſed tantùm adſtat Sacerdote ſupra ipſum myſticam inuocationem recitante. Eâ verò finitâ, Sacerdos ad eũ accedens rogat ipſum primùm, an omnibus* REBVS DIVIDVIS, ET VITIIS VARIIS RENVNTIET, *ſcilicet mercaturis, negotijs, contractibus, & ſimilibus; item omnibus phantaſijs, ſeu imaginationibus rerum ſimilium, vt ne de ijs quidem cogitare, ſed, tanquam mortuus, ab ijs omnibus penitus abſtinere velit. Deinde docet Monaſticæ inſtitutæ accurationem, obteſtans illum debere mediam viuendi rationem ſuperare. Quæ vbi omnia is, qui initiatur, continenter profeſſus eſt, Sacerdos eum, veluti iam à negotiorum multitudine liberum, ſigno crucis conſignans tondet in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; & detractis veſtimentis, nigrâ eum veſte induit, & cum alijs viris ſanctis adſtantibus ipſum ſalutans, participẽ facit diuinæ Communionis.* 120

Reuerendo Patri

BENEDICTO BOZZOMO

Clerico Regulari.

Epist. XXIV. Madritum.

Prouerbia quadam ex varijs Auctoribus eruta, & exposita.

121 AMor, qui in virtutis solo radices egit nō facilè flaccescit, aut exsiccatur, et iam si litterarum alloquijs non irrigetur; licet igitur diū siluerim, & rarò ad te scripserim amaui tamen; nec aut locorum longinquitas, aut diuturnum silentium, abradere à mea memoria nomen tuum potuit, aut poterit. Ex postremis tuis video quanti mea facias, quanti faciant illi, quibus ab ore tuo grandior videor, quam ab ore veritatis; affectus quo me, & mea respicis, imponit tibi, dum me in eo eruditionis culmine ponis, quò nec ausim adspirare. Quod de prouerbialibus formulis scribis has præter illas, quas in schediasmatis Sacro-prophanis legere potuisti, habe. Tu alijq; tomum secundum adagiorum, quæ ex sanctis patribus, Ecclesiasticisq; scriptoribus collegi, expecta, huic enim vltimam manum iam admoui, & excudendum ad Typographum transmisi. Vale meq; tuis precibus iuua, idemq; præstent, quibus grata volumina, quæ dedimus, refers.

PRouerbialis formula illa est. *Digito supera*
122 *conuexa tangere*; quæ in felicissimum quadrat, cui cuncta prospera accidunt, & iuxta votum; Symachus lib. 1. Epist. 52. ita loquitur: *Quid si affuisses tam bona voluntatis auditor*, NE EGO DIGITO, *vt aiunt*, SVPERA CONVEXA TETIGISSEM.

Prouerbiale est; *Adrasti linguam habere*, quod in eum quadrat qui mira oris, sermonisq; suauitate pollet; hinc Tyrteus apud Stobæum serm. 51. *Quamuis forma sit ipso Tithono elegantior, & locupletior quàm Midas*, ET LINGVAM ARDRASTI *suauissimum habeat*, *& currendo vincat Thracium Aquilonem*; quæ omnes prouerbiales formulę sunt.

Hoc olim prouerbium efferebatur; *tertia lux nunquam nocturno aquilone laborat*; meminit Theophrastus lib. de ventis, & prouerbij originem tradit hisce verbis: *Aquilones nocturni triduo desinunt vnde, & Prouerbium est*. TERTIA LVX NVNQVAM NOCTVRNO AQVILONE LABORAT. *Quod imbecilli sunt flatus qui noctu à septentrione spirent*.

Prouerbium illud sapit; *In Aegyptum frumen-*
123 *tum vehere*; quod in eos torquebitur, qui in eum locum aliquid comportant, quo maximè ille abundat, vt inani labore distendantur; Audeo Suidam verbo ἐἰ τὶς. SI QVIS IN ÆGIPTVM FRVMENTVM VEHAT, *& in Cilici am crocum, proinde fuerit, ac si noctuam Athenas. De ijs, qui frustra coaceruant ea, qua ante adsunt*.

Aristoteles apud Stobæum serm. 3. cuiusdam prouerbij meminit, quo significatur à saturitate ferocitatem prodire; hæc eius verba: *Atq; hoc reuera sic habet: Parit enim, vt prouerbio dicitur*, SATVRITAS FEROCITATEM; *imperitia autem potestati coniuncta insaniam*.

Prouerbialem salliuam hoc habet: *mercantium, & ementium more aliquid videre, aliquid considerare*; quod est diligentissimè inspicere, & in omnem partem aliquam rem versare, ne aliquod vitium in ea lateat, & emptorum oculis subducatur; Hinc illud Martialis lib. 6. Epig. 82.

Quidam me modo Rufe diligenter,
Inspectum VELVT EMPTOR AVT LANISTA.

Et Suetonius in Caligula cap. 36. *Diligenter, ac*
cense MEGANTIVM MORE *considerare dixit*. 124
Et illa formula prouerbialis est ionicè contueri. Aristophanes *Βλέπειν ἰωνικῶς*. *Contueri ionicè*, hoc est nequiter, & delicatè.

Prouerbialis hæc etiam formula est; *Ante alpha, & beta aliquid discere*, vsurpandum cum significare volumus, aliquid maturè aliquorum animis insidere, vt statim, ac nati sint in eorum notitiam ferantur; Iuuenalis Satyr. 14.

Vnde habeas, quærit nemo, sed oportet habere;
Hoc monstrant vetulæ pueris poscentibus assem,
Hæc discunt omnes ante alpha, & beta puella.

Qui alienas labeculas acutissimè videt, suas verò licet grauiores non videt prouerbiali formula, dicetur aliena vitia *miluinis oculis cernere, sua verò noctuinis*; Plutarchus de animi tranquillitate: *Quid (malum) homo maleuolentissime*, ALIENA VITIA MILVINIS OCVLIS CERNIS; TVA VERO TRANSMITTIS NOCTVINIS, ET CONNIVENTIBVS? *Quid mala tua vir beate tam accuratè perspicis præsentariaq; semper & recentia ingi recordatione facis, a præsentibus autem bonis auersam mentem habes? & quemadmodum cucurbitula medicinales deterrimum sanguinem ex carne eliciunt, sic tu pessima quaq; tuorum in te congeris ipsum*.

Hominem qui supercilium ad grauitatem ita 125
componat, vt alterum Catonem, quod vt dici solet, referat prouerbiali hyperbole dicetur eo supercilio tanquam Atlante coelum niti; Cicero pro Sextio: *Tanta* inquit, *erat grauitas in oculo, tanta frontis contractio, vt illo* SVPERCILIO TANQVAM ATLANTE COELVM NITI VIDERETVR, quod ad pares transferri potest, qui pari grauitate cæteris se ostentant.

Crudelis, omnisq; humanitatis expers prouerbiali hac formula traducetur, vt dicatur non ex clementis, sed ex adamante, ex petra ex stygeq; compositus; Philostratus in Epistolis: *Non ex aere compositus es, nec ex ijs quacunq; his miscentur, sed ex* ADAMANTE, ET SAXO, AC STYGE,

Illud quoq; in prouerbiorum censum referri potest; quod habet Plutarchus de Iside, & Osiride; *sinistra scilicet accipere, quod dextrà porrigitur*; cum scilicet non ea mente; eoq; candore ea accipiuntur, quę excipientur, sed in aliam partem trahuntur; & alienâ interpretatione donantur. Plutarchi verba hæc sunt. *Debemus ita singula, qua dicuntur, & aguntur pensare piè ne vt dixit Theodorus*, SERMONES SVOS QVOS DEXTRA PORRIGERET, NONNVLLOS AVDITORVM ACCIPERE SINISTRA.

Olim

Olim hoc prouerbium circumferebatur: *quicquid dominatur vim habet Dei*; cuius meminit Ar-
126 temidorus lib. 2. cap. 37. *Rectè enim vetus prouerbium ait:* QVICQVID DOMINATVR VIM HABET DEI.

Prouerbialem formam hæc quoq; formula refert; *De calceo sollicitus pedem nihil curat*, quo dicto percelli illorum imprudentia, & socordia potest, qui quæ magis curanda negligunt, curant quæ possent negligi; studiumq; totum in rebus leuibus impendunt in grauibus, & quæ maiorem diligentiam exigerent, negligentiores sunt; Plutarchus de lib. educandis; ita loquitur: *Nonne consentaneum est quod antiquus ille Crates dixit? so si fieri posset Altissimo vrbis loco conscenso proclamaturum. Quo tenditis homines qui rei faciunda omne impeditis studium, filijs, quibus opes vestras relinquetis, curam perparuam? Quibus ergo adderem tales patres perinde agere ac si quis* DE CALCEO SIT SOLICITVS PEDEM NIHIL CVRET.

Hoc etiam prouerbiale est, *horis decem nouem verba dicere*, quod in nimia pronuntiandi lentitudine correptum iacietur; vt Groonium referat,
127 de quo sanctus Hieronymus Epist. 4. *Per internalla qua vix pauca verba carpebat*; prouerbium desumptum est ex Martiali lib. 8. Epig. 7. qui in Cinnam ita lusit.

Hoc agere est causas, hoc dicere Cinna disertè,
HORIS CINNA DECEM, DICERE VERBA NOVEM.

Huius notæ fuit, & Gri. Lentulus, quem in foro causam agentem inertissimo sopore, ac torpore conoicijs omnes incessebant; hic non esset auarissimus, vt ait Seneca *nummos tamen citius emittebat quam verba*; tanta, & in tantis opibus erat illi sermonis inopia.

Cum pretiosæ rei exhibitione viliorem accipimus, aurum ære permutari prouerbialiter dicemus, dixit Eustathius lib. 8. de Ismenis, & Ismenes amoribus AVRVM ÆRE; *quòd dicitur*, PERMVTARVNT.

Hoc etiam prouerbialem faciem habet: *Saltatio circa puteum*, tunc vsurpandum, cum aliquis
128 se alicui discrimini objicit. Plutarchus de discrim. adol. & amic. *Quo qui vtuntur in exitium se ipsos conijciunt, saltationem illam saltante, quam* CIRCA PVTEVM *prouerbio vocant*.

Hanc sententiam, *Habete Christum in cordibus, & signum eius in frontibus*; Christianorum prouerbium indigetat Gretserus tom. 1. de Cruce lib. 4. cap. 61. dum ait: *Prouerbium erat Christianorum:* HABETE CHRISTVM IN CORDIBVS, ET SIGNVM EIVS IN FRONTIBVS. *Quod refert Beda tom. 3. in Collect. Flor. & Parab.* & tom. 3. in Paralipomenis: *Idem prouerbium*, inquit, *vsurpauit Sanctus Eligius in sua concione apud Ardaenum*: HABETE SEMPER CHRISTVM IN MENTE, AT SIGNVM EIVS IN FRONTE. Et addit idem Sanctus. *Profectò magna res est signum Christi, & Crux Christi. Vt ergo etiam vobis prosit pracepta eius, totis viribus implere contendite.*

Prouerbium illud est in nimis credulum, quod habet Petronius in Satyr. SI MERO MERIDIE DIXERIT ILLI, TENEBRAS ESSE, CREDET.

Persarum copia, diuitiæq; in prouerbium abijsse videntur de magnis in supplem. Aulul. Plautinæ.

Nulla illis satis diuitia sunt, non Mida
Non Croesi, non omnis PERSARVM COPIA
Explere illorum tartaream ingluuiem potest.

Huc facit, & illud Iuuenalis Satyr. 14.

Non Crœsi fortuna vnquam, nec persica regna.
Sufficient animo, nec diuitia Narcissi
Indulsit Cæsar cui Claudius omnia, cuius
Paruit imperijs vxorem occidere iussus.

129 Prouerbialis notæ est *nodum in stupa quærere*, quod in curiosos alienarum labecularum inuestigatores quadrat, eosq; qui errores, & lapsus etiam ijs appingere student, qui immunes ab illis sunt; Ioan. de Thuroz. in Chron. Vngar. cap. 11. *sed maleuoli quod ad leuamen oppressorum fuerat adinuentum ad iniquum compēdium retorquentes* NODVM IN STVPA *inuenire mendaciter satagebant*.

Spartaco nequior prouerbiali formola dicetur nequissimus, & bellis rixisq; seminandis natus; Symmachus lib. 2. Epist. 46. *Nihil igitur moror* FAMILIAM SPARTACAM NEQVIOREM; Spartacum belli ciuilis excitatorem fuisse aliqui tradiderunt.

130 In prouerbiorum numerum referri & hęc formula potest; *Tubera, & fistulas habenti pilos incidere, ac vngues secare*; cui erit locus, cum in aliquo quæ leuia corrigimus, & emendamus, grauioribus intactis, & magis noxijs. Pulchrè Plutarchus de discrim. adul. & amic. *Non aliter ergo ac si quis hominis* TVBERA, FISTVLASQVE HABENTIS MEDICO FERRO PILOS INCIDAT, ET VNGVES: *sic assentatores obiurgandi libertatem his admouent partibus, qua non dolent, neque molestiam adferunt.*

Vulgare prouerbium olim erat: *Per saturam factum*; cuius sensum, & originem his verbis exprimebat Stephanus Vinandus Pighius Annal. Rom lib. 13. *Salse quidem videtur Annius potestatem varijs plebiscitis armatam, quam Tribuni plebis sibi tum vsurpabant, imperium vocari: quod ipsum per saturam legem à plebe tribunis datum esse, contemptim, nec minus salse dicit. Iusta namq; legis vim obtinere vix videbatur, cùm vno rogatu varia temere congesta ferebantur: & talem rogationem idcircò saturam legem appellabant à similitudine satura lancis onusta ciborum diuersitate. Quidquid igitur collectum, confuse, raptimq; transigebatur, vulgari prouerbio* PER SATVRAM *fieri dicebant Romani.*

Aliud ex aquilone prouerbium nobis offert
131 Theophrastus lib. de ventis in hæc verba *Aquilone gelidius (vt in prouerbio est) quod per aera frige factum, & humidum ab hyeme talem fieri flatum necesse est qualis, & ipse aer est, & Aquilo qui post lutum spirat, quem dicit Prouerbium hyemem facere hac de causa videtur facere; aer enim post pluuiam frigidus est, quemadmodum, & fluuiorum aura, quod initio dicebamus.* Idem Theophrastus cuiusdam prouerbij meminit lib. 3. de causis plantarum cap. 29. dum ait; *vnde rectè in prouerbio est?* ANNVS FRVCTIFICAT NON TELLVS; Hoc prouerbium alibi refert idem auctor aitq; non esse vniuersè verum; sic enim loquitur lib. 8. de historia plantarum c. 7. *Quamobrem non rectè prouerbio dicitur.* ANNVS FRVCTIFICAT NON TELLVS. *Verum, & terra ratio multum refert.*

Prouerbium hæc formula sapit: *pluuiam fugere, & in flumen recidere*; quod ijs aptes, qui exigua mala dum vitant, incidunt in maiora, & dum minimas calamitates fugiunt maximis obruuntur. Adagialis huius formulæ meminit Aloysius Lippomanus in Catena cap. 2. Exodi, ait enim: *Quid igitur faciemus, abijciemus ac vocationem Dei vt vitemus pericula ac aduersitates? hoc autem esset non pericula vitare, sed iuxta prouerbium,* PLVVIAM FVGARE, ET IN FLVVIVM INCIDERE, *temporalia quadam, & momentanea pericula fugere,*

perpetuo autem exitio ſeſe obnoxium reddere, ac Satanæ quidem conſilium eſt, & commiſſis afflictionibus deterreat nos a ſectanda vocatione Dei, & reuocet ad impietatem, conſilium autem Dei, vt immiſſis afflictionibus probet, & exerceat fidem noſtram, & declaret nobis per afflictiones virtutem ſuam, adeoque ſubinde maiores benedictiones per eas conferat.

Apud Hebræos hoc prouerbium circumfertur:
132 *Sine farina non eſt lex,* quia nimirum rerum neceſſariarum egeſtas à legis ſtudio homines auocat.

Vuilhelmus Malmesburienſis lib. 2. hiſtoriæ nouellę prouerbium his verbis obtulit. *Quid attinet contra* TORRENTEM BRACHIA TENDERE? Quòd eſt contra potentiorem arma ſumere ac pugnare, & ei ſe obijcere, cuius vires ſunt maiores, quàm ſint illius, qui ſe temerè obijcit. Ego quoque hîc contra torrentem manus tenderem, ſi prouerbiales omnes formulas, quæ mihi occurrerunt, ſiſtere hîc vellem; ſed nolo, ſatis hæc pauca quę dedi meo inſtituto, & meo in te obſequio ſignificando.

Reuer. Patri
BONIFACIO SFONDRATO
Clerico Regulari.

Epiſt. XXV. Cremonam.

Vnum de Deo.

TE cum guſtu, imò, quòd plus
133 eſt, cum vtilitate, atque profectu mea volumina verſare, dum ſignificas, ei fini reſpondes, quem in librorum meorum formatione, editioneq; ſpectaui; nam quis tàm fatuus, vt humanæ laudis amore affici ſe ſinat, & inficiat opus, quòd facit? Ego ſi quid molior amolior ſtatim hanc peſtem, nec me, aut mea adeò demitto, vt humanæ gloriolæ venandi cauſa aliquid chartis illinam; non tàm vili pretio labores meos vendo; diuinæ glorię lectorumque profectui ſacrata omnia volo; nec prudens vllus ſeorſum à me ſentiet; nec illi quidem qui laudes offerunt, & tu inter illos; exhibent enim eas, non tanquam meorum laborum mercedem, ſed tanquam faces, quibus ad alia quæ ſuperſunt edenda, exciter. Tu præter iam edita, hæc pauca tibi habe, & per te etiam cæteri. Interim vt laudari iuſtiùs à te poſſim, orationibus tuis præſta, vt ſiam laudabilior.

134 VNum nudè prolatum Deum ſignificare alibi obſeruabam; confirmo ex Pachymera in cap. 3. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, qui nobis ſuccinens, ait: *Rurſum in iſtiuſmodi collectione diuiſorum ſæculariumque motuum* AD VNVM, SCILICET DEVM, *communionem elargitur, atque adeò Communio non immeritò dici poſſit. Cur itaque præſens ſacramentum iſtiuſmodi nomine propriè ſibi vendicat? Dicimus, iſtorum ſacramentorum perfectionem ex huius muneribus exiſtere: nam non licet aliquod ſacramentum Hierarchicum perficere, niſi videlicet diuiniſſima Eucharistia* CVM VNO, IDEST DEO, *coniunctionem operetur, hoc enim eſt præcipuum, quòd in ſingulis celebratur.*

Quo verò ſenſu veteres Deum dicerent vnum 135
explicat his verbis Sanctus Maximus in cap. 5. de diuinis nominibus: VETERES DEVM VOCABANT VNVM, *non velut principium numerorum, ſed quòd omnibus emineat, nulliuſque rebus, quæ poſt ipſum ſunt, connumerari poſſit, quin etiam propter compoſitionis vacuitatem, atque ſimplicitatem.*

Deo inhærendum tanquam radici egregiè docebat Demophilus in ſententijs moralibus, hæc quippè illius verba ſunt: *Radicati itaque* EX DEO RADICI NOSTRAE *inhæreamus: nam & aquarum ſcaturigines, cæteraque terræ germina ſuccisâ radice ſiccantur, & putreſcunt.*

Eruditiſſimo Viro
PAVLO SERLOGO
Soc. Ieſu.

Epiſt. XXVI. Madritum.

De Viris Eccleſiaſticis, & ſignatè de Sacerdotibus aliqua litteris conſignantur.

TEne, Vir magne, ſcitis tuis ſcri- 136
ptis nomen meum inſerere tanquam ab alio æuo, idquè non ſemel, nec in vno dumtaxat volumine, ſed ſæpè, ſed in pluribus? Producis meū nomen, & laudas me. Audio laudes tuas, ſed non bibo; lego, non ſubſigno; eas vt amoris tui teſtes accipio, non vt meæ eruditionis, quæ in me aut exigua, aut nulla eſt. Ea, quæ iam dedi, à te probari, maximè à me fieri debent, quia tu maximus, qui ea æſtimas. Pergam ſub iudicij tui tegmine, quòd eò puriùs, & defæcatius erit, quò altius ſe ſupra amorem & affectum efferet; vt tamen ſine his non ſit. Poteram & ego laudare tua, laudare te; ſed fibulam imponit mihi copia dicendorum. Abundè te tua volumina laudant, tu abundè volumina ipſa reddidiſti laudabilia, vt felici famæ aura quocunque ferantur; ſatis te euexero, ſi huic me muneri imparem fatear; fateor; & calamum ita à tui laudatione auoco, vt alijs rebus in tui obſequio illum aptem. De Sacerdotibus, viriſque diuino cultui deſtinatis nonnulla dedi in meo agno eucharistico, hæc quæ hîc ſubijcio dicata tibi volo, ibi indicta.

Bene

137 BEne de Eccleſiaſtica poteſtate cenſet Carotenſis epiſt. 51. *Sicut* SENSVS *animalis ſubditus debet eſſe* RATIONI, *ita poteſtas terrena ſubdita eſſe debet Eccleſiaſtico regimini*; Ordinem inuertunt, & euertunt, qui terrenam poteſtatem Eccleſiaſticæ præferunt.

Eccleſiaſtici etiam ſi mali non tamen contemnendi ſunt, ſed bonum à malis quoque colligi poteſt, & debet; quòd ſcitis exemplis confirmat Sanctus Bernardinus Senenſis ſerm. 20. quanta ven. hon. art. 2. cap. 4. *Nec à tua vtilitate retrahat quorundam Clericorum deformis vita, cum non deſpicias in tua neceſſitate* CANDELAM *alios quidem illuminantem, ſeque continuè conſumentem. Ne inſuper deſpicis* CRVCEM *in capite viæ, iter tibi monſtrantem, nec tamen ſeipſam inde mouentem: nec quoque deſpicitur ipſa* CAMPANA *ad prædicationem alios vocans, nec tamen ipſa quandoque ad prædicationem deſcendens. Vir vtique diſcretus, & prudens à quolibet ſuſcipit, ſi quod bonum exemplum præbet, impio relinquens impietatem ſuam.*

Eccleſiaſticos viros cœleſtium imaginem præ ſe
138 fertè explicat his verbis Conciliũ Nicænum lib. 3. *Clerici ſacri ordinis eſſe debent typus, &* IMAGO CÆLESTIVM. *Epiſcopus quidem debet eſſe typus Dei, tanquam capùt, poſt illum, Eccleſia, quam recepit. Presbyter tenere debet ſedem, & locum ſeraphicum. Diaconus verò cherubicum, miniſter autem (hoc eſt, Hippodiaconus, qui ὑπηρέτης) debet miniſtrare his.*

Cùm quis ſacris initiaretur tumultus prius, & vociferatio exaudiebatur, poſteà verò cum ſacra peragerentur, & commonſtrarentur tumultus ponebatur; ſeruabatur ſilentium, timorque omnes corripiebat; tangit iſtuc Plutarchus de prof. virt. ſent. *Ac veluti, qui ſacris initiantur* INITIO CVM TVMVLTV, ET VOCIFERATIONE, *ſequè mutuò trudunt: quum peraguntur inde, & commonſtrantur ſacra animum* TIMIDI TACENTESQVE *aduertunt: ita, & in principio, & circa fores Philoſophiæ multum videas tumultus, ferociæ, & loquacitatis, dum nonnulli ad gloriam ruſticè, & per vim ſe proruunt. Qui intrò venerit, magnumque lumen veluti ſacrario aperto viderit, alio iam habitu accepto tacitus, atque attonitus, humilis, modeſtuſque doctrinam veluti Deum ſubſequitur.*

139 Lector qui ordinabatur commendari ab Epiſcopo plebi ſolebat, id indicat conſilium Carthaginénſe 4. num. 8. dum ait: *Lector, quum ordinatur, faciat de illo verbum Epiſcopus ad plebem indicans eius fidem, ac vitam, atque ingenium. Poſt hac, ſpectante plebe, tradat ei codicem, de quo lecturus eſt dicens ad eum: Accipe, & eſto Lector verbi Dei, habiturus (ſi fideliter, & vtiliter impleuerit officium) partem cum eis, qui verbum Dei miniſtrauerint.*

Olim Presbyteri, & Diaconi, qui à carnibus abſtinebant contingere eas iubebantur, nec eas adeò abominari debebant, vt nec olera, quæ cum carnibus cocta non comederent; hoc quippè inhibetur in conſilio Ancyrano cap. 13. his verbis: *Hi qui in Clero ſunt Presbyteri, & Diaconi, & à carnibus abſtinent, placuit,* EAS QVIDEM CONTINGERE *& ita, ſi voluerint, continere. Quod, ſi in tantùm eas abominantur, vt nec olera, quæ cum eis coquuntur, exiſtiment comedenda, tanquam non conſentientes regulæ, ab ordine ceſſare debebunt.*

Sacerdotem, qui illatæ memor iniuriæ ſit, ty-
140 ranno ſupparem facit Hildebertus epiſt. 50. vbi ait. *A Tyranno parum differt Sacerdos, illatæ memor iniuriæ.*

Birreto vt nunc quadrato vtuntur Sacerdotes, & Clerici, ita olim rotundo vtebantur ſaltem apud Veronenſes. Indicat hoc in ſuis conſtit. Ioann. Matth. Gibertus tit. 1. cap. 4. *Birreto honeſto rotundo ſine plicis, vel cum cruce curialium more honeſti, & permiſſi coloris vtantur; illudque non more quorundam leuium laicorum in tranſuerſum ferant. Vſum autem ſubberretorum, quæ orechini vulgariter nuncupantur cum redimiculis, ſeu pinnulis, quæ etiam plerumque ſub gutture colligantur, penitus prohibemus; ſi qui verò hìs indiguerint illa abſque redimiculis, ſeu pinnulis huiuſmodi honeſtè compoſita deferre permittimus.*

Dentifricium aureum, & argenteum olim collo appenſum aliqui circumferebant, vt id hominibus ſacris fuerit interdicendum à Ioann. Matthæo Giberto Titulo 1. conſtitut. cap. 8. vbi ait. *Prohibemus inſuper, ne quis Sacerdos ad collum monile, ſeu cordulam etiam cum illi appenſo forſan* DENTIFRICIO AVREO, VEL ARGENTEO, *& margaritis, aut annulos in digitis deferat, aut cingulum ex ſerico auri, vel argenti ornatum habens, niſi fortè huiuſmodi ſint, quibus id ad ſuarum dignitatum decorem ex ſacrorum canonum diſpoſitione permittitur.*

Sacerdotes cur olim cepam auerſarentur ratio- 141
nem reddit Plutarchus de Iſide, & Oſiride: *Sacerdotes auerſantur cæpam, & cauent, quia ſola hæc planta Luna decreſcente vigere, & augeſcere ſolet, & cæpæ vſus neque caſtimoniam exercentibus commodus eſt, neque dies feſtos celebrantibus: Alteris, quia ſitim creat, alteris quia lacrymas elicit.*

Ob puritatem maiorem quæ ſacris rebus debita Aegypti; ſacrifici corpora ſua radebant; id quod notabat his verbis Philo lib. de Circumciſione: *Circumciſione vtuntur, ait, vt totum corpus ſit puriùs, nec impediat officia ſacerdotalis ordinis: quamobrem etiam radunt corpora Aegyptij ſacrifici, ne quid ſordidum, vel ſub pilis, vel ſub præputijs hæreat, quod poſſit obeſſe puritati ſacris debitæ.*

Quàm ſit propium Sacerdotis aptis veſtibus de- 142
corare ex nudo Hebraico verbo ita colligebat Oleaſter in cap. 59. Iſa. 11. 10. *Verbum Choan, quod vertimus decorare ſignificat propriè Sacerdotio fungi, & exinde ornamentis decorari, quod Sacerdotes huiuſmodi veſtimentis, & ornamentis decorarentur, vt in Exodo.*

Olim alicubi Herculis Sacerdos muliebri veſte indutus, capitèque vittato auſpicari ſacrificium ſolebat. Plutarchus in quæſt. Græcis num. 59. *Cur apud Coos Herculis Sacerdos in Antimachia* MVLIEBRI INDVTVS VESTE, CAPITE VITTATO, SACRIFICIVM AVSPICATVR?

Flamen Dialis olim vxore mortua à munere excidebat Plutarchus in quæſt. Roman. num. 50. *Cur Flamen Dialis vxore mortua Flaminio decedit? Sic enim Ateius tradidit. An quia cœlibe miſerior eſt, qui vxorem amittit? qui enim vxorem duxit, eius domus perfecta eſt: qui ductam amiſit, eius non imperfecta modo, ſed & mutilata eſt familia. Aut quia in pleriſque ſacris rebus obeundis vxor ei adeſt neque abſente peragi eas fas eſt? Cæterùm vxore mortua confeſtim aliam ducere, neque factu fortaſſis, facilemque vt ſit humanum videtur.*

Apud Græcos ad ſacrificia illi minimè admitte- 143
bantur, quibus tanquam mortuis funus factum fuiſſet ac ſepulchrum; Idem Plutarchus in quæſt. Romanis num. 5. *Græci profanos habebant, neque ijs ſeſe permiſcebant, neque ad ſacrificia admittebant eos, quibus* FACTVM FVERAT FVNVS ET SEPVLCRVM TANQVAM MORTVIS.

Aegyptij Sacerdotes Deorum tantum cultui operam dabant, vt ijs non liceret aliud officium exercuiſſe; indicat iſtuc Sanctus Auguſtinus lib. quæſt. in Geneſim 136. vbi ait: *Accedit etiam quod Aegyptij Sacerdotes perhibentur non ſeruiſſe ſemper,*

niſi

niſi templo Deorum ſuorum, nec aliquid aliud officij egiſſe.

Sed ad noſtras redeo, vt in noſtris definiam. Quam inſigni puritate inſigniri nouæ legis Sacerdus debeat egregiè explicat auctor, tibi non ignotus. Hic eius verba implanto, & ſunt iſta: *Vide quanta puritas tibi neceſſaria ſit, qui pro Christo, & ad mundi peccata per ipſum Christum abluenda, delegaris. Non homo, ſed Angelus, & purior cœlis debes eſſe. Quid dixi? O quàm diſpar, & exigua comparatio Angeli, & Sacerdotis eſt: cùm Sacerdotalis dignitatis poteſtas multò maior ſit ſupra facultatem Angelicæ naturæ, quàm ſit Angelus in ſua ſpecie ſupra vermem. Deus bonus ſuas creaturas volens honorare, partem prouidentiæ, & officij ſui committens illis: Angelos potius deputauit coadiutores, & Vicarios ſuos in rebus naturalibus, miniſtroſque ſolemnes naturæ fecit, non diſpenſatores gratiæ, & ſubſtitutos ſuos in redemptione præſident partibus terræ, & membris præcipuis mundi, curant ſpecies, & naturas rerum: attamen ad efficiendum in alijs donum gratiæ ſupernaturale, non habent legitimam, imò nec vllam ordinariam auctoritatem, ſicut Sacerdotes, quos fecit coadiutores immediatos, in ſtupendis iuſtificationis operibus, & redemptione: concedunt vt Vicarij Chriſti gratiam, faciunt filios Dei. In ipſo filio Dei naturali Ieſu exercent poteſtatem ſuam: conficiunt corpus Chriſti, & ſacrificant. Stupenda miracula patrant. Lætantur Angeli ſeruire Sacerdotibus: Sancto Euſebio celebranti miniſtrabant, dignitatem putantes hoc ſeruitium.* Plura non adijcione docere te videar, ipſe doceri cupidus, & indigus.

Eruditiſſimo Viro
IACOBO MERLO
Epiſt. XXVII. Coloniam.

Petri ieiunium quod: varia de rebus varijs obſeruationes.

144 IN amicitiæ meę ędem recipi dum poſtulas, facis quod ipſe facturus eram, ac poſtulaturus à te; mei pectoris fores cuinam libentius aperiam, quàm tibi, tuique ſimilibus? Quòd amicitię tuę ſinum offers; accedo, & in illum me inſinuo. firma iſta amicitia ſit, vt ſemper perſeueret, nec cum ipſius vitę fine finiatur. De operibus meis quod ſcribis, ea tibi maximè probari; iudicium tuum, vt multi ęſtimare debeo, ſic eò me vrgeri ſentio ad ea, quę ſunt inedita deinceps edenda; ſed vereor, vt amor, huic iudicio miſceatur; vt vt ſit, tuo hoc calculo veluti admonitus, & excitatus, foras prodire ea patiar, quæ promiſi. Quòd aſſeris in Germania quoque veſtra eſſe qui de omnium meorum operum editione cogitet, ſi quidem volumen aliquod, quòd Lugduni minimè ſit cuſum excudendum adlegem; id non grauatè præſtabo, vt ad plures multiplicata editione meorum librorum fructus transferatur; huc enim ego præcipuè ſpectaui, cum ſcripſi; ſed ex more ſuam Epiſtolæ appendicem adijcio, quæ ex variarum rerum mixtione coaleſcet.

PEtri ieiunium quidnam dicatur, quidnam Philippi non adeò obuium eſt, vt redundantis ſit operæ hic docere; in deſcriptione Moſchouię tit. ieiunandi mos apud Ruthenos hęc leguntur. 145
Ieiunant poſt octauam Pentecoſtes vſque ad ferias Petri & Pauli Apoſtolorum, appellantque hoc IEIVNIVM DIVI PETRI. Habes quidnam Sancti Petri ieiunium ſit, ſequitur: *Sex ſeptimanis in Aduentu Domini carnem, & butirum abhorrent, vocaturque hoc* IEIVNIVM PHILIPPI, *inchoatur enim ſub feſtum Philippi ſecundum Ruthenicum calendarium.*

Hebręi antiquitus ieiunia incipiebant per vnguium inſpectionem, eorumque abſciſionem, non alia de cauſa, inquit doctiſſimus Gaffarellus, niſi vt ſtupenda connotaretur pullulatio filiorum Iſrael, qui abſciſſi veluti vngues, dum in Aegypto ſeruitute langueſcerent, atque opprimerentur mirabiliter pullularent. Aliam huius ritus cauſam adducit Beccaius: *Vt cogitet*, inquit, *homo de præſtantia protoplaſti Adami, cuius veſtis antequam peccaſſet* SICVT VNGVIVM ERAT, ideſt rubro, alboque colore. Sed à ieiunio ad alia pergo, ne nimis ſit hęc Epiſtola ieiuna, ſi hîc ſiſtam, nec alijs aliarum rerum obſeruationibus hanc paginam ditem.

Nuptialis ſolemnitas Bautan incolarum talis erat, vt ait Ioann. Theodorus Bry. cap. 18. 3. partis Indię Orientalis: *A ſponſi domo vſque ad habitationem ſponſæ vtrinque ex ordine multæ longæ haſtæ in terram defiguntur faſcijs, ſeù vexillis ex goſſipio, vel albo, vel rubro deſuper religata.*

Oſtia aliquando clauſa lectis in Eccleſia Euangelijs, quando concio erat habenda, ne populus abiret, obſeruatum mihi eſt; In vita Sancti Cæſarij Epiſcopi Arelatenſis hæc lego: *Cùm die quodam eſſet ad Altare, animaduertit quoſdam lecto Euangelio ex Eccleſia egredi, quod Sancti viri conciones auſcultare animo detrectarent, mox igitur aduolat, appellat his vocibus populum: Quid facitis filij? Quid ita foras abſceditis? mala perſuaſione ſubuerſi ſtate pro animabus veſtris ad accipienda verba adhortationis noſtræ, eaque auſcultate ſoliciti. Non licebit id vobis iam illo tremendi iudicij die. Moneo & clamo, atque conteſtor. Ne ſitis, obſecro, vel ſurdi, vel profugi. Auditis oris mei buccinam: perinde & ſi animas veſtras ſuo mucrone Satan iugularit. Non ego taciturnitatis arguar. Hac de cauſa ſæpiſſimè oſtia lectis Euangelijs occludi iuſſit, donec propitio Deo, ipſi gratulantur ea coercitione ſe profeciſſe qui ſolebant eſſe fugitiui.* 146

Primo quidem, qui populi Annonam curaſſet magnus habebatur, cæpit deinde vileſcere officium iſtuc Seuerinus Boetios. 3 de conſol. *Si quis quondam* POPVLI CVRASSET ANNONAM, MAGNVS HABEBATVR: *nunc eâ præfecturâ quid abiectius?* 147

Olim qui præter expectationem ab aliquo diſcrimine ſeruatus eſſet, reuerſus ab inferis dicebatur. Diſco id ex Artemidoro lib. 2. cap. 60. *Conſueto ſermone, inquit, eum qui præter expectationem ſeruatus eſt* AB INFERIS REVERSVM *eſſe dicimus.*

Tàm magnus morbus ſuperbiæ eſt tumor, vt omnipotentis Medici manum requirat: alia omnis eſt inſufficiens. Hinc illud Sancti Auguſtini in Pſalm. 18. *Propter hoc vitium propter hoc magnum ſuperbia*

ſuperbiæ peccatum, Deus humilis venit. Hæc cauſa hoc peccatum magnum, ISTE INGENS MORBVS ANIMARVM, *omnipotentem Medicum de Cœlo deduxit; vſque ad formam ſerui humiliauit, contumelijs egit, ligno ſuſpendit; vt per ſalutem tantæ medicinæ curetur hic tumor. Iam tandem erubeſcat homo eſſe ſuperbus; propter quem factus eſt humilis Deus.*

Quoſdam fideles alicubi ad Iudæorum Synago-
148 gas auxilij, & opis cauſa in periculis, & diſcriminibus implè confugiſſe non eſt dubium; hoc damnatum obſeruo à Nicolao Pontifice, qui ad Inquiſitores Hæreticæ Prauitatis in Arelat. Aquen. Abrodun. Prouincijs hæc habet, vt habetur in reg. Vatic. Epiſt. 848. *Ad augmentum Catholicæ fidei, quæ hominum mentes illuminat ſuiſque cultoribus æternæ beatitudinis gaudia pollicetur, vigilantibus ſtudijs, prout ad noſtrum ſpectat officium, intendentes peſtem prauitatis Hæreticæ, quæ ſuorum corpora ſectatorum infamiæ nota commaculat, & eorum animas tenebris damnationis inuoluit, ubilibet extirpare ſatagimus, vt fidei Chriſtianæ religio eo magis ſuos fines adampliet, quo ad dictæ peſtis extirpationem omnimodam ſtudium operis adhiberi contigerit potioris. Ad noſtrum ſiquidem peruenit auditum, quòd in nonnullis locis veſtræ iuriſdictioni ſubiectis, quamplures ſacri renati fonte baptiſmatis vtriuſque ſexus per erroris inuium incedentes, dum languorum afflictionibus, & tribulationum periculis à Domino viſitantur, ad Iudaici ritus vanum auxilium errando recurrunt, in Synagoga Iudæorum lampades, & candelas tenentes accenſas, & oblationes inibi facientes, vigilias quoque die præcipuè Sabathi protrahunt, vt infirmi recuperent ſanitatem; naufragantes ad portum ſalutis perueniant; exiſtentes in partu, abſque periculo pariant, & ſteriles prolis fœcunditate lætentur, ibi prælibi & alijs ſuffragia implorantes dicti ritus ritulo, quaſi per Idololatriæ modum nefarium deuotionis, & reuerentiæ ſigna patientia exhibendo, non abſque multa fidei orthodoxæ iniuria, noſtri non modica contumelia creatoris, ac vniuerſalis Eccleſiæ graui opprobrio, & contemptu. Volentes igitur huiuſmodi tam funeſtis abuſibus manifeſtis remedijs obuiare, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta diſtrictè præcipiendo mandamus; quatenus de præmiſſis, & quolibet præmiſſorum, ac etiam alijs huiuſmodi erroribus diligenter, & ſolicitè inquiratis, & ſi quos tales inueneritis Chriſtianos cuiuſcumque conditionis, aut ſtatus exiſtant, tam contra eos, quam alios, etiam ſi Iudæi, vel Chriſtiani eſſe noſcuntur, qui eis talia ſuadent, quos nullis priuilegijs, ſeu indulgentijs Apoſtolicis, aut alijs quibuſcunque, ſine appellationis obſtaculo, volumus poſſe defendi, procedere tanquam contra Idololatras, ſeu Hæreticos pœna Canonica nullatenus omittatis, vt ſeueritate iuſtitiæ cognoſcant, quantum Chriſtum humani generis Redemptorem offendant, taliter deuiando. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem 10. Kalendas Martij. Anno ſecundo.*

Seculares homines Proteum induiſſe olim; vt ſe
149 à ieiunijs eximerent aſſerit Sanctus Petrus Damianus lib. 1. Epiſt. 5. quòd nollem noſtri æui hominibus poſſe aptari; ſed præſtat eius verba hic ſiſtere, ait quippè: *Quis ſecularium ferat, ſi vel triduò per hebdomadam ieiunare præcipies? Modo ſtomachi læſionem ſimulant, modò ſplenis, ſiue veſicæ lamentantur exitium, modò marcidi pulmonis vitio intercludi ſibimet anhelitum conqueruntur. Hinc multiplices rei familiaris curas obijciunt, illinc herilis famulatus obſequia laborioſa prætendunt. Quid plura dicam? Labyrintheas argumentorum ſcenas ſtruunt,* PROTEVM INDVVNT, *& in diuerſa ſe formarum monſtra conuertunt, cuncta languorum genera ſimulant, vt quod potiſſimùm metuunt, languorem ieiunij non incurrant.*

Eruditiſſimo Patri

IOANNI BAPTISTÆ MASCVLO

è Societate Ieſu.

Epiſt. XXVIII. Neapolim.

De oculorum pictura quadam notata; alia de coloribus addita.

VIX eum inter veros amicos habere locum puto, in quo loco-
rum ſpatia, quæ amicos diui- 150
dunt, & abiungunt, præiudicium amicitiæ faciunt: abit ab amicitia, qui ab amico abiens, illius memoriam ponit. In hoc cenſu me non eſſe certè affirmo; altius te in hoc pectore inſcripſi, quàm vt te ibi dies aliqua deletura ſit, aut locorũ interualla ſint abolitura. Idem à te expecto, atque etiam exigo: amoris vis id vult. Sed exſint hę blanditiæ, ad rem venio. Adire amicos aliquo munuſculo ſoleo, quòd Epiſtolæ det aliquod pondus, Epiſtola ſi ſola, nimis eſt leuis; de oculorum pictura alibi ſatiatè egi, dicam hic aliqua, quæ indicta ibi, dequè coloribus vniuersè, quædam libabo, quibus colorem, vt ita loquar, ac venuſtatem quandam ſcribentis affectus dabit, cum deſit ſcriptionis, neque enim à me colorata, & tincta murice verba expectare debes; dixerit Ennodius: *Tingunt alij lingua murice, quæ nullus ad regalem vſum fucus exhibuit, & diſcreti maris ignota cochleis lana ſolam lucem bibit eloquij: redditur dignum principalibus indumentis, quicquid in vili munere relatorum verba colorauerint.* Hæc meis non conueniunt, nec curo conuenire.

DE oculorom pictura varia, alibi vt dixi, dedi,
addo nunc aliud, quòd in vſu eſt apud Re- 151
gni Guineani Incolas, vt refert Ioannes Hugo in ſua nauigat. dum ait: OCVLOS VARIE PINGVNT, *alterum rubro, alterum albo, flauouè colore tingentes;* Addit: *Nec rarum illis, aut inſolens, quid alam eit, ſi lineam vnam, atque alteram coloratam per faciem duxerint.*

Huc coloris luxum aliquos vocaſſe reperimus, vt corpora ipſa varijs coloribus depingerent. Plutarchus de diſcri. Adult. & amici inter reliquas Ptolomæi Aegyptiorum Regis mollities dat illi, *καὶ κρότων καὶ τυμπάνων ἐγχαράξεις*, ideſt, *Lihorum, ac tympanorum impreſſas in corpus notas.*

Athenęus lib. 5. loquens de Pompa Ptolom. *μεθ' ὃν σάτυροι τινὲς ἄρχοντα στεφανούμενοι κιττοῖς*

κρυ-

χρυσοῖς στεφάνοις τοῖς σχήματι κισσοῦ ἐκπεποιημένοις ἐστεμμένοι, τὰ δὲ σώματα οἱ μὲν πορφύρᾳ, οἱ δὲ μίλτῳ, καὶ χρώμασιν ἑτέροις. idest. *Post hos Satyri quadraginta sequebantur, aureis coronis insignes, efformati in modum hederæ, quorum alij erant corpora conchylio alijs* MINIO PICTA, VARIIS DEMVM COLORIBVS.

152 Qui se incidebant stigmata colorare olim consueuerant. In cod. Macar. c. 3. §. 6. hæc habentur. *Qui scribit scripturam stigmatis scripserit, & non inciderit, inciderit, & non colorauerit, haud tenetur vsque dum tinxerit, & inciderit. Illud atramento, stibio aliaue vlla* RE COLORANTE. *R. Simeon filius Iehuda verbis R. Simeonis ait. Non tenetur, nisi nomen aliquod ibi inscripserit.*

Plerisque in more esse vt vngues coloribus pingant, non est dubium in descript. Indiæ Orientalis part. 9. hæc de incolis Regni Goes habentur: VNGVES DIGITORVM *colore flauo, & fuluo inficiunt, & quo quis nobilior est, eò vngues vel in pollice, vel in aliquo alio digito magis prominentes habet, vt quasi aquilæ vngues gestare videatur.*

Album colorem pacificis conuenire putabant. Clemens Alexandrinus 3. cap. XI. *Alibi quoque dicit (Plato:) & in textura non adhibere tincturas præterquam ad ornamenta belli:* PACIFICIS ERGO HOMINIBVS, ET LVCIDIS ALBVM CONVENIT.

153 Olim alicubi clerici habitum ferebant in Aduentu, & à Septuagesima vsque ad Pascha qui colore pœnitentiam redoleret. Anselmus Canonicus in vita Eraclij Episcopi hæc habet: *Ipse inter cætera disciplinarum instituta constituit,* VT IN ADVENTV, ET A SEPTVAGESIMA VSQVE AD PASCHA CLERVS PVLLA VESTE AMICIATVR, *eo quòd niger color pœnitentiæ, & afflictioni magis conueniat quam albus.* Hinc & niger colorem mœrorem, & mœstitiam quandam significat Iob. 5. 11. quod noster habet. *Mœrentes erigit*, vertit Chaldæus: *Denigratos*, & Pagninus, *Pullatos*.

Nigra veste induebatur qui in Monachum sacrabatur, vt docet Pachymeras in cap. 6. Ecclesiasticæ Hierarchiæ: *detractis vestimentis* NIGRA EVM VESTE INDVIT; quid verò hic color doceret docet idem auctor nonnullis interiectis. *Monachicus nimirum, seu solitarius status dicitur, quia scilicet secundum monadem consistit, Monachicus, seu Monasticus Ordo, quia simpliciter, & vniformiter, & non dupliciter, vel tripliciter, vel multipliciter, instituitur ac gubernatur. Hoc etiam illa* VESTIS ATRA, *quæ circumponitur significat: si quidem colores alij in alios facilè mutantur, & omnes in nigrum, sed niger color in album nunquam mutari potest.*

154 De coloribus alia omninò mens apud Indos, ac apud nos est; hinc illud Ioan. Petri Maff. lib. 12. Historiarum Indicarum: *E coloribus festum habent* NIGRVM, *atque puniceum*: ALBVS *in luctu est*.

Niger de malo etiam dicitur, Seruius Petri Danielis in Eclog. V. *Malos* NIGROS *dicimus.*

Flauus color finis in honore, vt Regum proprius sit, nullius alterius infra ipsos. Quod referebat Nicolaus Trigau. lib. 1. cap. 7. *Color*, inquit, REGIVS, CÆTERISQVE INTERDICTVS FLAVVS EST, *è quo vestis eius contexta est varijs ex aureo filo Draconibus, quin ipsa etiam tecta, & tegulæ Flauum colorem, & Dracones spectandos exhibent.*

Viride pro herba sumi constat ex his, quę habet. M. Cato de re Rust. 54. *Boues nisi per hyemem, cum non arabunt, pasci non oportet; Nam* VIRIDE CVM EDVNT, *semper id expectant: & fiscellas habere oportet, ne herbam sectentur, cum arabunt.*

155 De colore notat Seruius in Ecl. VI. rubeum dictum fuisse Deorum colorem; Addit: *Vnde triumphantes* FACIE MINIATA, *& Capitolio Iupiter in quadrigas miniatas.*

Nigro colore delectari Dæmones aliqui putant vt ob id pecora benedictione quadam superstitiosè munirent. Rem ita narrat Ioannes Eusebius lib. 8. Historię naturę, cap. 17. de Sacerdotibus Tebatensium loquens his verbis: *Pecora, Armentaque nigra benedictionibus armant, ne à Dæmone inuadantur,* QVEM PVTANT ILLO COLORE LÆTARI.

Doctiss. Viro

DOMITIO CALDERINO
I. V. D.

Epist. XXIX. Veronam.

Sedere pacis indicium; de pace alia addita, nonnulla adiecta de discordia.

156 ITa sentio, nec fallor; nemo in hac vitâ tàm felix, cui non aliquis felicitatis desit articulus, etiam in illo felicitatis ordine, quæ cum mundana sit, felicitatis nomen habet, nihil prętereà est. Eius, quod dico exempla ne quære, illis obruimur. Numerum auxit. N. olim tuus qui cum exstimè totus felicitate consutus, vt ita loquar, videretur, miserrimè ex prosperitatis suggestu in miseriarum abyssum deiectus repente est; suo exemplo clamans infidæ mundanarum blandiciarum aurę minimè fidendum; Hominis istius casus omnes perculsit, vtinam eam mentem omnibus instillet, vt perire cum mundo nolint, nolint mundana deperire. Nolo tecum amplius philosophari; nam hæc & alia plura tu tibi dixeris, cum notitiam tuam subijt, quod indicaui. Interim mearum partium esse putaui, tuam tibi partem mittere litterariorum munusculorum, quæ ad amicos scribens amicis diuido. Habe igitur, quæ subijcio.

157 PAcis indicium apud aliquos est in terra sedere. Franciscus Gonzaga in Prouincia Sanctorum Petri; & Pauli, agens de vita Patris Francisci Laurentij hæc habet: *Deum omnes simul extensis arcubus, directisque in eos sagittis mortem truculentissimis vultibus minitarentur, Dei prouidentia actum est, vt mirabiliter & extempore, pacatis in momento animis, mutataque sententia, ad vnum quotquot aderant, nullo penitus iaculo explosos* IN TERRA CONSIDERENT, QVOD APVD EAS GENTES PACIS INDICIVM EST, *significatque se nihil mali, aut detrimenti cuiquam illaturos fore. Quo tanto miraculo exhilaratus, ac supra modum accensus Dei famulus frater Franciscus Christianę fidei documenta huiusmodi barbaris feruenti spiritu proposuit, suasitque, vt vanis Idolis longè relictis, diuina præcepta, cœlestesque virtutes, quibus beatam vitam perenniter acquirerent amplecti vellent.*

Exter-

158 Externam internamq; pacem inter se ita conferebat Sanctus Ambrosius, & hanc illi præferret; hæc eius verba lib. 2. de Iacob, & vita Beata ca. 6. *Foris pax aut Imperatoris sollicita prouidentia, aut manu militum quaeritur, aut bellorum prospero cedit euentu, aut internecione aliqua barbarorum, si in se hostili motu arma conuertant. In ea pace nulla nostra virtus, sed euentus est. Certè gloria pacis illius ad Imperatorem refertur, istius pacis maior est fructus, quo spiritalis nequitiæ tentamenta, quàm quo arma bellica repelluntur. Illa pax sublimior, quæ corporalium passionum excludit illecebras, perturbationesq; mitigat, quàm ea quæ barbaricos sedat incursus. Plus est enim clauso intra te hosti resistere, quam remoto.*

Eorum fratrum oblationes, qui inter se dissidebant, neq; in sacrario neq; in gazophylacio recipiebantur. Concilium Carthaginense IV. num. 93. OBLATIONES DISSIDENTIVM *fratrum neq; in sacrario, neq; in gazophylacio recipiantur.*

159 In discordia diabolo fieri locum, sicut locus in pace fit Deo, affirmabat Sanctus Bernardus serm. 3. in dedicat. Eccles. *Sicut in pace factus est locus Domini, sic in discordia locum diaboli fieri manifestum est, non miremini, fratres, si durius loqui videor, quia veritas neminem palpat.*

Olim signa quæ Guelphos à Gibellinis discriminabant, in palatijs, turribus, portis, moenijsque locabant; Tetigit hanc morem Sanctus Bernardinus Senensis ser. 26. contra insig. dist. contra part. art. 3. cap. 1. *Insignia*, inquit, *partialitatum in summis palatijs, & turribus, & portis, & moenijs ciuitatum, & castrorum, atque villarum ponuntur, vt à pluribus videri, & conspici possint; vnde tria mala inde solent trahi. Primum quia talia conspicientes insignia non intelligentes, quid designent sicut ignorare solent communiter pueri vel forenses, ex auditu, vel interrogatione huius modi discunt, & communiter mente inclinantur vnius, aut alterius partis amore visis signis.*

160 Etiam in arboribus, floribus, fructibusq; aliquibus, non omnibus, Guelphi à Gibellinis olim discordabant, rem his verbis narrat idem auctor loco producto art. 1. cap. 1. in calce: *Addunt quidam stulti alias insanias risu dignas inter arbores ponentes partes inter oliuam, & quercum salicem, & alias arbores inter rosas albas, & rubeas inter ciathos in partitione, oles, piri, persici, & consimilium fructuum. Et ne multis immorer, & tales tenentes, se esse sapientes consimiles dementias innumerabiles habent. Excedit tamen illorum sapientia, & eorum defectum omnino supplet quia tales partiales distinctiones in pane in vino in carnibus, & consimilibus nequaquam ponunt; quod quidem optabile esset, ne talibus vterentur.*

Hæc Gibellinorum, & Guelphorum signa etiam in calicibus, altaribus, sacrisq; indumentis visebantur olim; ita aduocatus auctor loco superius citato cap. 3. *In Ecclesiis, & calicibus, in paramentis, in Altaribus, in palatijs, & consimilibus locis constituunt hæc diabolica signa, quasi partiales diabolo audaciam præstiterint quod præsumat ascendere supra Deum, qui ante ruinam suam contentus erat esse æqualis Deo.*



Reuerendo Patri

PAVLO SFONDRATO
Clerico Regulari.

Epist. XXX. Comum.

In fœdere vsus Eucharistiæ.

DElicias quid exspectas, quid ex- 161
petis flores? frustra es in meis hortis hi minimè nascuntur, à meo calamo illæ non sunt; ingenij ruditati sermonis respondet ruditas. Nihil hic elegans, nihil expolitum, hæc mihi vna cura dum scribo, curam omnem in scriptione negligere; res ipsa id loquitur etiam si ipse taceam. Sed hoc nihil amicitiæ officit; ex impolitis lapidibus altare fiebat olim, quo facere consueuerant Deo, ego quoq; Epistolis quæ scabritiem suam habent aras erigere possum, quibus amicitiæ, vt ita loquar, litem, & amicos, quod sæpè præsto, colam. Sine me igitur non aliter ad te venire, quam ad alios eam, quod te cum ceteris amicis æquem æquo animo feres; Igitur quod in alios amicos feci tu quoq; litterariam hanc tesseram habe, & me ama.

OLim cum inter alia cura societas inter proce- 162
res sanciretur plerumq; Eucharisticam hostiam in partes diuisam sociorum vterque sumebat; id hispanis in vsu fuisse obseruo; sed præstat alios etiam ritus hîc recensere, quorum meminit Ioannes Mariana lib. 15. Rerum hispaniarum cap. 18. *Legibus foederis lectis pater patratus eorum nomine: Testor, inquit, Deum & matrem eius, vt cuncta quæ sunt ordine ex tabulis pronunciata, sine dolo malo fraudeq; illis legibus stabo neq; in fines hostium sine socio ibo neq; quid aliud contra faciam. Si prior defecero certo consilio, ille die vos superi corpus in hoc seculo, in futuro animam diris cruciatibus mactate vires verbaq; deficiant facite; in pugna equus, arma calcaria, subdit cum opus esset maxime. Id vbi dixit, socij subijciebant, Amen.* NONNVNQVAM ETIAM DIVINAM HOSTIAM DIVISAM IN DVAS PARTES, VTERQVE SOCIORVM LIBABAT. *Addebantur execrationes hoc erat sanctissimum iungenda inter proceres societatis pignus, ritusq;* Hucusq; bonus iste auctor. Plura egò non adijcio. Porrigatur amor in cordibus, dum in lineis scriptio coercetur. Vale.



Emi-

Eminentiss. & Reuerendiss.

DESIDERIO SCALEÆ
S. R. E. Cardinali.

Epist. XXXI. Romam.

De Cereis ad offerentis mensuram oblatis.

163 TAnti à te tàm magno ineo fieri, fieri à me magni debet; ita tamen, vt me tuis laudibus parem non esse fatear, & aliud omnino esse, quàm à te dicar. Qualis enim ego, vt Ecclesiæ lumen audiam, nam hæc sunt verba tua, vt deinceps mihi Dei Ecclesia debitura sit, quod noua ratione, & hactenus à nullo excogitata, ad sacrarum litterarum arcana aditus per me pateat? Scio, scio, Cardinalis Eminentissime, quàm illud exiguum sit, quod à mea exiguitate esse potuit; vt me aliquis super me efferat, ego nihil plus exhibere queo, quàm me ipsum, hoc est, si res ad veritatis calculum deducatur, verè nihil, verum nihil. Reuereor iudicium tuum; sed pace tua me extra me non efferet, me potius coget intra me ipsum, alioquin laudum tuarum, aliorumq; ariete tactus miser caderem; hæc vna, & verissima mea laus sit laudari nolle, vt tua plenè non posse. Sed plura non adijcio, nè dum pluribus laudes tuas excutere curò, aliquid illarum meæ menti adhæsisse significem. Tu verò fine me epistolæ additamentum dare non in notitiam tuam, sed in obsequium meum, illudq; non cereum, de cereis licet sit.

164 CEreis quandoq; in Dei, & Sanctorum obsequijs vtebantur fideles, qui illi altitudini responderent, in quam exurgebat, qui preces fundebat Deo: hoc mulierem præstitisse, quæ Dominica die panem coxerat, & ob id punita fuit, narrat his verbis Beatus Gregorius Turonensis lib. 1. miraculorum cap. 16. *Sub huius vrbis territorio apud vicum Alanganiensem, mulier quadam ex incolis, conspersa Dominica die, farina, panem formauit, quem segregatis prunis, cinere feruenti contexit decoquendum. Quod cum fecisset, protinus ei manus dextera diuino igne succensa cepit exuri. At illa vociferans, ac plangens, basilicam huius vici, in qua reliquia Beati Ioannis continentur, expetijt; & oratione fusa, vouit in hac die Diuino nomini consecrata, nullam operam exercere, nisi tantum orationi vacare. Nocte vero sequenti,* FACIT CEREVM, IN ALTITVDINEM STATVS SVI: *Tunc in oratione pernoctans tento tota nocte manu propria cereo, restinctis ardoribus incolumis est egressa.*

165 Candelam iuxta corporis mensuram oblatam euincit etiam istuc, quod habetur in actis Sancti Virgilij Episcopi apud Canisium tom. 1. *Puer quidam cruribus distantia locorum venire prepeditus, ad tumbam beati Virgilij per itinerantes misit* CANDELAM AD MENSVRAM SVI CORPORIS FACTAM. Et in actis Sancti Vitalis: *In Salexburgensi Ciuitate mulier quadam cruribus paralysi contracta lecto decubuerat, quæ diutino dolore affecta* CANDELAM AD MENSVRAM SVI CORPORIS *Beato Vitali deferendam pro sanitate consequenda fieri fecit, & ea consummata optata sanitati est restituta.*

Pestis tempore cum cereus Virgini Dei matri offerendus esset, inscriptionem à me amici preces exculpsere, quam hìc subscribo.

Beata Virgini Mariæ Dei parenti
In bonorum omnium exemplum
In malorum omnium medicinam
Bonis, & malis posita,
Sacer hic cereus ésto,
Quem parochialis fausti Hieremia vicinia
Hoc pestilentiæ tempore remediū exspectās
Supplex obtulit.
Cuius in Cereo dono hoc quoq; extitit votum
Vt stabili deuotione, non cereâ,
Maria obsequi posset, Mariam sequi.

Olim aliquorum membrorum sanitatem à sancto aliquo impetraturi prius membra illa cerea 166
offerebant, quod nunc adepta sanitate nostri præstare solent. In actis B. Ioseph. Præmonstratensis hæc leguntur. *Paulena monasteriensis matrona in laneis, & nudis pedibus incedens humiliter aduenit, & pro salute viri sui duo* CRVRA CEREA DEVOTE OBTVLIT; *fuerat namq; idem vir eius ab annis duobus infirmus cruribus, & pre tumoribus, & vlcerum vulneribus, nec caligis vti, nec ad publicum debilitato gressu incedere quiuit, at vbi mulier post oblationem reuersa domum, vir ad introitum ipsius persensit cælesto beneficium, nam crura solidata vlcera sunt sanata, & libera facultas gradiendi diutiùs est ei redonata.*

LVCÆ OSTENIO
Viro Clarissimo.

Epist. XXXII. Romam.

Carruca Angelica quanam olim diceretur, de cursu aliqua addita.

LEgi libellum, mi Osteni, quem latina veste indutum latio tradidisti, cum antea græcam circumferret, atq; adeo à paucis intelligeretur, imo & legeretur à paucis, quia typis nondum commissus erat. Vtrumq; debemus tibi, nam & vertisti illum, & edidisti. O plura huius notæ à peritiæ, & diligentiæ tuæ fisu haberemus? Potes facilè, reliquum est, velis; si preces aliquid valent, meas habe. Quod verò mones, vt opus moliar in quo peculiares Sanctorum Patrum phrases, loquendi formulas, metaphoras, verborum 167

rum vſum, notionemq; ad eorum mentem explicem, tecum ſentio valde vtilem hunc laborem omnibus futurum; à te abeo in eo, quod putas me facilè poſſe opus huiuſmodi contexere, ac formare; volui fateor omnium Patrum volumina, vt ea viderem exenteraſſe, ſed iterum mihi eſſent diligentiſſimè voluenda, ſi manum huic operi admouerem; & vero volumina quæ iam affecta habeo, id non ſinunt; poteram in hac re cenſioni tuæ ſubſignare, & conſilijs tuis acquieſcere; ſi prius monuiſſes; nam eâdem operâ ex Patrum monumentis ea collegiſſem, quibus mea volumina ditarentur, quod feci, & ea obſeruaſſem, quæ operi condendo, quod tu mente formaſti, deſeruirent. Alteri hanc prouinciam relinquo, niſi tu onus, quod in humeros alienos transfers, aptes tuis vt aptè poſſes. Sed hìc ſiſto, nec longius eo. Angelicâ carrucâ ad te curro, licet à te ſcriptione non abierim, litterario te obſequio, quod eſt mei moris, nondum adieram, quòd nunc præſto.

68 CArruca Angelica dicebatur quæ ſolius Imperatoris vſui erat reſeruata, vt in eâ nulli licitum eſſet ſedere; Sanctus Fulgentius ſerm. 16. ex nouiſſimè editis ita ſcribit: *Dicuntur Imperatores terreni inter carrucas diuerſas, quarum ſeſſione vtuntur, habere carrucam,* IN QVA NVLLVS SEDEAT, QVÆ VOCATVR ANGELICA.

De currus nexu cum regni gubernatione hæc habet Foreriua in c. ar. Iſaiæ. *Vox hebraica ſimul cū ſuperuectatione etiam moderationem gubernationem, præſidentiam, & adminiſtrationem rerum publicarum notat Hebræis ſcriptoribus; quòd nimirum illi qui vel ad regni adminiſtrationem accerſendi, & inauctorandi erant, aut qui iam rerum gubernacula tenerent curru vehi non raro ſolerent vt etiam mulo vel equo ſicut eum Ioſephum gubernatorem Aegypti deſignauit Pharao.*

69 Curribus locum deſignari non Chriſto inte quærebatur Sanctus Chryſoſtomus hom. 45. in Actis Apoſt. *Nunc autem vehiculo quidem* LOCVS EST SEGREGATVS, *& curribus,* CHRISTO *autem erranti* NVLLVS.

Bonus currus humilitas, quæ in Cœlum ſuos ſuſtollit; de illa ita loquitur idem Sanctus Chryſoſtomus hom. 40. in Epiſt. 1. ad Corinth. *Quando effectus modeſtus humi incedens, ſedebis,* IN CVRRV HVMILITATIS, *qui te in cœlum ſuſtollit, qui equos habet alatos. Sin autem ab illo cecideris, & in* ARROGANTIÆ CVRRVM *transieris, nihilo melius afficieris, quam ſerpentes humi repentes imo verò multo miſerius, & miſerabilius.*



Erudentiſs. Patri

FRANCISCO MARIÆ *Del Monacho Drepanitano Clerico Regulari.*

Epiſt. XXXIII. Panormum.

Quædam de ſpectaculis, litteris conſignata.

QVid de ſcriptis meis cenſeas te- 170
ſtari ſcripto voluiſti; accepi Epiſtolam tuam, quæ tota meis laudibus eſt conſuta, tota in meorum operum commendationem excurrit. De tuis laudibus vt te amen, non amo tamen laudes; quas nec mihi datas puto, quia non mereor. Affectum tuum, qui te huc impulit, gratum habeo; & contendam ſequi quod tu me putas iam aſſequutum, atq; adeo hoc boni ferent tuæ laudes, quòd illarum, vt ita loquar ſtimulo, eò ferar, quò tu me credis, & aſſeris perueniſſe. Doleo meæ imbecillitatis notitiâ fieri, ne mihi liceat iudicij tui ſententiæ ſubſignaſſe; Poſſem ego iuſtius efferre tua, quam tu mea extuleris; ſed malo tecum affectu contendere, quàm laudibus; tempus ipſum aperiet, quid mea ſcripta valeant, quid tua. Opuſculum, quod de ſpectaculis imo in ſpectacula edidiſti libens legi; & nollem eius lectionem adeo multorum leuitati neceſſariam; teratur omnium manibus liber, ne tempus rerum inanium, imo & noxiarum occupatione homines terant. Sed quia habenti dabitur, vt ſaluator loquitur, habe hæc pauca quæ de ſpectaculis adnotabam idq; in cultum potius quàm in notitiam, nam iſta tu fors non cares, & illum ego debeo.

CAutum lego, ne Indi ſpectaculaq; & ſimilia 171
iuxta monialium monaſteria fierent, quibus Virgines Deo ſacræ à Deo, Deiq; obſequijs auocarentur; in conſtit. Synod. Eccleſ. Mantuanæ cap. de monialibus n. 6. hæc habentur: *Propè* MONIALIVM MONASTERIA NE SPECTACVLA, CANTVS, SALTVS, LVDVS CVIVSVIS GENERIS, SIVE ETIAM PILÆ, SIVE ALIÆ PROPHANÆ RES INANES, EXCITANTES RVMORES EXERCEANTVR; *quæ eas à Sacro Officio auocare aut ipſis offenſionis cauſam præbere poſſint.*

Mos apud Cretenſes erat, vt fœminæ ad ſpectacula admitterentur; hinc illud Plutarchi in Theſeo: *Solemne cum eſſet apud Cretenſes vt ſpectaculis intereſſent fœminæ, præſens conſpectu obſtupuit Ariadna Theſei, & virtutem in reſtando admirata eſt omnes ſuperantis.*

Circulatores trabem in fronte geſtabant, vt viderentur in ea fixiſſe radices; Sanctus Chryſoſto-

mus Hom. 19. ad populum ita de hac re ſcribit: *Quid de illis quiſpiam diceret viris*, QVI TRABEM IN FRONTE GESTANTES *velut arborem in terra radicatam ſic immotam conſeruant?*

Circulatores aliquos paucis obolis ſuas artes
172 venditaſſe teſtatur Origenes lib. 1. contra Celſum. *Non minora miracula pollicentibus, cùmque Aegyptiacis circulatoribus paucis obolis mirificas illas artes venditantibus.*

Ad Chriſti ſpectacula ſpectatores ducat, qui Chriſtum amat, amat & eos, quos ducit; Audiendus hîc Sanctus Auguſtinus: *Quanti*, inquit, *hodie adduxerunt, amicos ſuos, aut ad pantomimum, aut ad coraulam? Quare niſi amando illum? Et vos amate Chriſtum: tanta enim ſpectacula præbuit, in quo nemo poteſt dicere aliquid ſe reprehenſionis inuenire illum qui vicit ſeculum. Nam & aliquando quem amat quiſque in theatro, vincitur in illo. Nemo verè vincitur in Chriſto, non eſt de quo erubeſcere.*

Quæ præſtigiatores, vt pecunias à ſpectatoribus
173 elicerent præſtarent indicat Sanctus Chryſoſtomus Hom. XI. in Epiſt. 1. ad Theſſalonicenſes; *Vtinam hoc ſolum, ſed alterum quoque genus hoc acerbius, nempe, præſtigiatores cogit eſſe pauperes, ſcurras, & Paraſitos riſum mouentes. Quando enim calices, hederatas pateras, & pocula digitis inſerens, & imponens ludis cymbalis, & fiſtulam habens, turpia cantica, & amore plena per eam cantat, & voce clamat: deinde multi circumſtant, & alij quidem fruſtum panis, alij verò obolum, alij verò aliquid aliud præbent, & diu retinent ea delectantur, & viri, & mulieres quid hoc grauius?*

Aliqui vt populi admirationem in ſtuporem conuerterent, & ex ſtupore lucra emungerent, vt arbitror etiam hoc ſpectaculo ſpectatores continebãt vt puerulos in ſummo ligno luctari inter ſe facerent, ita vt trabs fronti adhæreret nullo vinculo alligata. Sanctus Chryſoſtomus Hom. 19. ad populum poſt multa admiratione digna recenſita addit ſtatim: *Nec hoc ſolum eſt admirabile, verum, & id, quòd puerulos paruos in ſummo ligno inter ſe luctari faciunt, & neque manus, neque alia corporis pars, ſed frons ſola omni vinculo firmius illam trabem gerit inconcuſſam.* Hæc ille; mitè.

A ſpectaculis omnes abeſſe debent, ſed maximè
174 ſenes quorum canities cum theatri leuitate minimè cohæret; ſcitè Sanctus Chryſoſtomus Hom. 7. in Epiſt. ad Heb. *Quomodo eſt id, quod ſit abſurdum, & peius quam vt mereatur veniam? Senex ſedet in cauponis, ſenex properat ad equorum curriculum. Senex aſcendit in theatrum, tanquam puer currens cum vulgo. Verè eſt pudor, & res ridicula, extrinſecus quidem ornari canitie, intrinſecus autem ſenſum habere pueri, & ſi quiſpiam iuuenis eum contumelia affecerit, ſtatim obijcit canos; Tu ergo prior reuertere.*

Nolo plura adijcere, nàm nec tu indiges, nec ego, vt inſtitutum meum ſeruem, obſeruationes plures addere ex lege teneor. Vale, Pater Erudit iſſime, & illa, quæ auidè ab omnibus expectantur emitte tandem; moras omnes amolire, & exhibe, quę iamdiù moliris. Vale.



Ill.mo & Reu.mo Præſuli

LAVRENTIO GAVOTO
Epiſcopo.

Epiſt. XXXIV. Romam.

Chriſmalia quænam dicerentur; de Confirmationis Sacramento aliquot obſeruationes additæ.

VT tu me maiorem me ipſo putes,
ego tamen non niſi me ipſum 17
poſſum exhibere; atque adeò ab hac parte vota tua exęquare nequeo, nec aliquid cudere, quòd dignè tibi, cum cuſum fuerit, ſiſtatur. Dùm ſtarem in quodam dubietatis æquilibrio daturus ne eſſem, quæ poſtulaſti; tu nunc imperij quadam grauitate (ſic preces tuas interpretor) præponderas, inquè tuam partem trahis. Pareo, ſed hac lege, vt quod mitto ad incudem tuam referas, & refingas; detere quicquid offendere lectorem poteſt; adde quicquid ei gratum futurum credis; iudicio tuo rem totam ita committo, vt ſi quid peccatum, culpa in te transferatur, qui ita voluiſti. Et verò vt videas quam in tui obſequio ſim prolixus, præter ea quæ poſtulaſti hæc inſuper habe, fors inſuper non habenda; certè ad munus tuum ſpectat ea exercere: vt ad meum ea obſeruare, & in obſeruantiæ ſignum exhibere, quòd nunc præſto.

QVæ Chriſmalia dicerentur, & à quibus igne
abſumerentur, diſces ex his Synodi Pari- 17
ſienſis verbis: *Parochus, Vicariuſq́; eius, aut quiſpiam alius Sacerdos Fontium Baptiſmatis, Chriſmatis, & Olei Infirmorum cuſtodiam habeat, clauemque ad tutiorem rei curam idoneam gerat. Baptizatorum autem panniculi* (QVÆ CHRISMALIA NOMINAMVS) *poſt matris expurgationem, & legitimam in Templum Dei reuerſionem, ad Sacerdotem cremanda referant.*

Domi retinenda hæc Chriſmalia non eſſe, ſed ad Eccleſiam deferenda docent etiam Synodalia Eccleſiæ Trecenſis in hæc verba: CHRISMALIA *Infantium munda, & noua habenda ſunt; & tam magna, & lata vt puer in ipſis inuoluatur maximè in locis ſacro Chriſmate linitis: & hoc fiat ne alij panni Chriſmate liniantur: quæ Chriſmalia matres eorum non retineant*, SED AD ECCLESIAM DEFERANT QVAMPRIMVM MISSAM PVERPERII CONSVMMATO TEMPORE, SVNT AVDITVRÆ. *Nam talia ſolummodo in vſus Eccleſiæ ob Baptiſmi ſacri reuerentiam cedere debent.*

Parochi olim comminabantur fidelibus ſe ad 17
Euchariſtiam, & matrimonium minimè admittendos

dos niſi ſuſcepto prius Confirmationis Sacramẽto; Io Concil. Bitur. hæc leguntur: *Curent Epiſcopi hoc Sacramentum poſt ieiunium quatuor Temporum de more celebraturi, vt Dominica præcedente per ſingularum Parochiarum Rectores, ac Prædicatores moneatur populus de eius neceſſitate, virtute, eique debita reuerentia. Commoneatur etiam neminem hoc Sacramento non inſignitum, ſe ad Euchariſtiam, & matrimonium admiſſuros.*

Maribus priuſquàm fœminis Sacramentum confirmationis, ſi fieri id commodè poſſet, iubetur, & ſuſcipientes manus iunctas ante pectus tenere tenebantur in Syn. Aqueuſ. hæc habentur: *Eam rationem adhibeat Epiſcopus in miniſtrando hoc Sacramento: vt* PRIVS MARIBVS POSTEA FOEMINIS ADMINISTRET SEPARATIM *& diſtinctè ſi commodè fieri poſſit ſint compoſiti,* MANIBVS ANTE PECTVS IVNCTIS, *ſuo quiſque ordine religiosè, & deuotè orent. Caueant ab omni ſtrepitu, vociferatione, & confabulatione, ſed Sancto vtantur ſilentio.*

De bandellis die, noctuque triduo deferendis
178 post ſuſceptum Confirmationis Sacramentum ita præcipiunt Synodalia Eccleſiæ Trecenſis: *Confirmandi* BANDELLOS LONGOS, ET LATOS *ſecum habeant: quos poſt Confirmationem triduo die, ac nocte deferant ne Chriſma poſſit ab alijs tangi, Bandellos autem poſt triduum ad Eccleſiam deferant, & confirmatus in fronte vbi Chriſmate fuerit linitus Sale, & Aqua lauetur, & aqua in loco mundo fundenda eſt, vbi nequeat conculcari pedibus.*

De eodem ritu ita decernit Synodus Lingonienſis: *Confirmandi, ſeu Chriſmandi portent ſecum* BANDELLOS LATOS DVORVM DIGITORVM *ad minus, & longos in tantum quod caput poſſit circumligari. Confirmati, ſeu Chriſmati teneant capita ſua ligata dictis Bandellis poſt confirmationem per duos, aut tres dies. Quando tolluntur Bandelli, locus frontis vbi ſanctum Chriſma fuit appoſitum, cum Bandello tergatur, & inde Bandellus ad Eccleſiam deferatur.*

Spatium Bandellos deferendi coerceri poſſe ad
179 diem integrum indicat Synodus Carnot. quæ ita ſtatuit: *Curati & eorum Vicarij inſtruant venientes ad confirmationem, vt bandellos mundos latos, & longos habeant, quos poſt Confirmationem portent* AD MINVS PER VIGINTI QVATVOR HORAS *ne Chriſma poſſit ab alijs tangi. Et huiuſmodi tempore lapſo confirmati veniant ad Parochialem Eccleſiam cum ſuis Bandellis, vt per Presbyterum, in fronte, quo loco Chriſmate fuerunt vncti, Sale, & Aqua lauentur, quæ poſtmodum in piſcinam proijciatur, aut alium in locum ne pedibus conculcetur; Bandelli autem à prædicto Presbytero comburantur.*

Olim faſcia quæ eorum fronti adhiberi iubebatur, qui Sacramentum Confirmationis ſuſceperant geſtari per triduum, vt ſuſcepti Sacramenti recordarentur comburi debebat, cuius cineribus prima Quadrageſimæ die vtebantur. Certè ita decernit Concil. Rhot. in hæc verba: *Confirmationis faſcia adhibeatur in fronte, quam per triduum in recordationem ſuſcepti Sacramenti geſtare teneantur: terſa autem à Sacerdote diligenter fronte faſcia in veſtiario cremetur eius cineres in primum diem Quadrageſimæ ſeruentur.*



. Eruditiſs. Viro

IOSEPHO LAVRENTIO

Publico Eloquentiæ profeſſori.

Epiſt. XXXV. Lucam.

Obſcura quædam verba denotantur.

ETiam in ſilentio adoleſcere amor
poteſt. Siluiſſe me diù fateor, non 180
amaſſe verò nego; non ſcripſit, non ſcripſiſti: à neutro peccatum præſertim cum nulla vehemens cauſa nos huc vrgeret. Silentium tandem rumpo dum tuas accipio. Gaudeo te in illo opere perficiendo totum eſſe, cui meo monitu manum admoueras: vel nuda operis inſcriptio à doctis viris ipſius operis deſiderium excitauit. Totius diligentiæ vela pande, & hoc mare feliciter nauiga non popularis laudis aurâ vectus, ſed communis commodi, publicæ, vt ita loquar, vtilitatis vento. Quòd ſymbolum à me quoque peris præter ea quæ ex meis voluminibus collegiſſe te aſſeris, hæc quoque pauca habe, operi tuo ſi ita viſum fuerit inſuenda.

M*Anſuetarij* quinam olim dicerentur apparet
ex his Sancti Auguſtini verbis lib. 1. de li- 181
bero arbitrio cap. 9. *Ridiculum eſt tales putare iſtos, quos vulgò* MANSVETARIOS *nuncupant, vel etiam paſtores, aut Bubulcos, aut Aurigas, quibus omnibus domitum pecus ſubiectum videmus, & quorum induſtria indomitum ſubijci.* A domandis igitur beluis manſuetarij vocabantur.

Pulſorium inſtrumentum eſt, quòd alicui excitando adhibetur, & quo pulſatur euincunt id Philippi Abbatis verba; qui Epiſt. 3. ita loquitur: *Litteras quas affectu memori tua mihi miſit dilectio, vt lethargum meum, & grauem ſomnolentiam quodam quaſi vigili curares* PVLSORIO, *ſcito me legiſſe.*

Cancellarij nomen vnde deriuetur varia eſt authorum cenſio, dabo hic Beati Bernardi mentem, qui ſerm. 56. in Cant. ita ſcribit: *Aiunt cancellos anguſtiores eſſe feneſtras, quales vtique hi qui libros deſcribunt, aptare ſibi ſolent ad recipiendum lumen paginis. Vnde & puto* CANCELLARIOS *eos appellari, qui chartis conſcribendis ex officio deputantur.*

Plangimonium quid ſit, diſces ex his Sanctis Am- 182
broſij verbis lib. de Pœnit. cap. 6. *Induunt pro veſte cilicium; & cinere pro vnguentis aſpergunt, ac proſtrati humo puluerẽ lambunt mortem ſuam lachrimis funerant, & vitam* PLANGIMONIIS *proſequuntur; reatum ſuum gemitibus publicant, & altuum ſuorum pandunt arcana facinora.*

Obſeruaui alibi aſinare eſſe Aſino vehi, addo hoc verbo in hoc ſenſu vſum etiam Thomam à Kempis concione XIX. vbi de Chriſto loquens ait: *Semel legitur Aſinum aſcendiſſe, & per modicum ſpatium* ASINASSE.

Tempeſtarij dicebantur tempeſtatum immiſſo- 183

tes; hac voce vtitur Agobardus Episcopus: *Incantationibus hominum qui dicuntur* TEMPESTARII, & quæ sequuntur.

Quisnam olim *Circa* diceretur, & quodnam esset eius munus apud antiquos Ascetas colliges ex his verbis quæ habentur in antiquis monumentis Benedictinorum 3. part. scrip. 55. *Iam & secundum regula præceptum constituto debet aliquis frater qui totius claustri Decano curam gerat, qui ab officio circuitus sui* CIRCA *vocatur: Est enim eius officium sæpius circuire claustrum at fortè inueniatur frater accidiosus aut alicui vanitati deditus. Quod si inuenerit nullatenus illud debet reticere in Capitulo venturi diei, nisi si pro leui qualibet culpa frater ille satisfactione humiliatus hoc impetrauerit ab illo: qui etiam circa post completorium circumeat Claustrum, & si qua inuenerit ibi codicum, aut vestimentorum asportet ea ad Capitulum sequentis diei, nullus enim ea villatenus tollere debet ab eo loco, in quo ea posuerit, absque eius licentia, habeatque ille Frater laternam qua nocturnis horis quibus oportet hæc agere videndo consideret, quique dum lectiones leguntur ad nocturnos, in tertia, vel quarta lectione prout viderit expedire circumeat Chorum, & si Fratrem inuenerit somno oppressum antéponat ille laternam, & reuertatur, qui mox excusso somno petat veniam genu flexo, & arrepta eadem laternâ pergyret, & ipse Chorum, & si quem huiusmodi morbo somni affectum inuenerit agat illi, sicut & ipsi factum est, reuertaturque in locum suum.*

Martyrizare à martyrio duci nemo ignorat; di-
184 ci verò sæpe de ijs qui martyrium subeunt, non est adeò tritum; hoc sensu ex nostris extulit Rabanus in suo Martyrologio 4. Februarij, vbi ita loquitur. *Dorothea ducta ad locum pœnarum, vbi & passa est, cùm a Theophilo quodam Scholastico derideretur, quòd ad Paradisum vadens à Sponso suo Christo, & poma, & rosas florentes sibi mitteret, hoc citius impetrauit, quòd cum vidisset Theophilus, mox Christum confessus est verum Deum, &* MARTYRIZAVIT *sub eodem Præfecto capite plexus.* Eodem sensu extulit etiam 3. Non. Feb. *In Sebastia ciuitate Cappadociæ Passio Sancti Martyris Christi Blasij Episcopi, qui sub Agricolao Præside capite truncatus, cum duobus puerulis filijs vnius mulieris, de illis septem, quæ per prædicationem eius confortatæ, sub eodem Præside* MARTYRIZAVERVNT. Et Nonis eiusdem Mensis. *In Sicilia vrbe Catana, Passio Sanctæ Agathæ Virginis, quæ sub Quintiano Consule tempore Diocletiani* MARTYRIZAVIT.

Rapiarium, collectaneum dicitur, in quòd vndi-
185 què collecta, & veluti rapta conijciantur: Chron. Vuindes. lib. 2. cap. 62. *In vno* RAPIARIO *compendiosè conscripsit:* Et cap. 65. *Studendo, seu bonum punctum ad* RAPIARIVM *scribendo*, & cap. 67. *Bonum de vita, & Passione Christi scripsit Rapiarium*; & cap. 68. RAPIARIVM *theologicale*; vt frustra fuerint, qui *Apiarum* legerint.

Marita nomen pro vxore, ac coniuge vsurpatum aliquando reperio: Adamannus Scotus in vita Sancti Columbæ Confessoris nu. 18. ita loquitur: *Baptizatus est maritus cum* MARITA, *liberisque & familiaribus*, & num. 24. *Vir vnde maritam, & paruulos cibaret non habebat*; & paulò pòst: *Rursum* MARITA ait, & num. 25. MARITAM *aduocans corripere cæpit*; & nonnullis interiectis: MARITA *eadem die cum sancto ieiunare consensit.*

Abominati olim dicebantur exhæreditati; San-
186 ctus Augustinus in Psalm. 5. ad illud: *Virum sanguinum, & dolosum abominabitur Dominus*, ait: *Apto verbo vsus est, quod quod ait abhominabitur*, SOLENT ENIM ABHOMINATI DICI EXHÆREDATI. Hic autem psalmus prorsa est, quæ hæreditatem accepit ex his potest illustrari locus, Psal. 105. 40. & abominatus est hæreditatem suam, vt sit elegans antiphrasis exhæredant hæreditatem.

Focarista concubinarium significat. Thomas à Kempis in vita Gerardi magni cap. 14. *Contra proprietarios*, FOCARISTAS *certauit.*

Quænam esset aura leuatitia, quique error olim vigeret circa grandinem, & tonitrua disces ex his Agobardi Episcopi verbis lib. contra insulsam vul- 187
gi opinionem de grandine, & tonitrui; sic enim ille scribit: *In his regionibus penè omnes homines nobiles, & ignobiles, vrbani & rustici senes, & iuuenes, putant grãdines, & tonitrua hominum libitu posse fieri; dicunt enim mox vt audierint tonitrua, & viderint fulgura,* AVRA LEVATITIA *est. Interrogati vero quid sit aura leuatitia, alij autem confidenter (vt imperitorum moris esse solet,) confirmant incantationibus hominum, qui dicuntur* TEMPESTARII, *esse leuatam, & ideò dici leuatitiam auram. Quod vtrum verum sit (vt vulgò creditur) ex auctoritate diuinarum scripturarum probetur, necesse est, sin autem vt falsum est, absq; ambiguo credimus summopere exaggerandum est, quanti mendacij reus sit, qui opus diuinum homini tribuit; Nam per hoc inter duo mortifera maximaque mendacia constringitur, dum testificatur hominem facere posse, quod solius Dei est posse, & Deum non facere, quæ facit.* Licet malorum Angelorum opera fieri ista potuerint.

Innihilandi verbo vsus Metellus Tegernseensis, Auctor antiquus, in suis quirinalibus vbi canit.
INNIHILOR *sub humo, sic erit omnis homo. Etiam* 188
nullificandi, verbum adhibuit auctor vitæ Sancti Lebuini Confess. cap. 12. *Si autem*, inquit, *præcepta eius saluberrima* NVLLIFICAVERITIS, idest nihili feceritis.

Vermescendi verbo vtitur Guarricus serm. de Epiph. Dom. vbi vtilem cautionem docet ne corda nostra vermibus sint referta: *Ipsi scitis quomodo* VERMESCERENT *corda, quomodo* VERMESCERENT *corpora si non quotidie de manibus laborantium distillaret myrrha. Annon vermis luxuria? Nescio si alter nocentior. Ingreditur blandiendo, mordet ridendo, transforat delectando, perimit consensu voluntario. Annon vermis accedia, & tristitia? Sicut tinea, inquit, vestimento, & vermis ligno: ita tristitia viri nocet cordi. Quid omnia desideria mala? Annon vermes, & ipsa? At in desiderijs est omnis ociosus, & desideria occidunt pigrum. Beatus igitur cui ad mortificandos vermes huiuscemodi, manus propria distillãt myrrham per vniuersum sui, iamq; præuenit vngere corpus suum in sepulturam. Sed quem dicam an Iesu? imò & Iesu. Corpus enim illius membrum est Iesu. Quisquis ille est qui sic vnctus est, non est qui timeat vermem qui non moritur, quia iam mortuus est ei vermis vnde ille moritur.*

Danegaldum quid sit colligi ex his verbis potest, quæ habet Rogerius de Houedem de legibus
Angliæ loquens part. post. suorum annalium, ait 189
enim: *Danegaldi redditio propter piratas primitus statuta est. Patriam enim infestantes vastationi eius pro posse suo insistebant, ad eorum quidem insolentiam reprimendam statutum est Danegaldum annuatim reddi, id est, duodecim denarios de vnaquaq; hida totius patriæ ad conducendos eos qui piratarum eruptioni resistendo obuiarent. De hoc quoq; Danegaldo omnis Ecclesia libera est, & quieta & omnis terra, quæ in proprio Dominico Ecclesiæ erat, vbicumq; iacebat, nihil prorsus in tali redemptione persoluens, quia magis in Ecclesiæ confidebant orationibus, quam in armorum defensionibus, vsq; tempore Vuillielmi iunioris qui Ruffus vocabatur.*

Fribborga quæ dicerentur, & qui olim apud 190
Anglos

Anglos fierent, explicat his verbis idem Rogerus de Houeden parte posteriore Annalium de legibus Angliæ loquens; *Praterea est quadam summa, & maxima per quam omnes firmissimo statu sustinentur: Videlicet, vt vnusquisq; stabiliat se sub fideiussionis securitate, quam anglici vocant* FRITHAORGAS. *Soli tamen eboracenses dicunt eandem tenementale quod soluat latinè decem hominum vnum. Hac securitas hoc modo fiebat, secundum quod de omnibus villis totius regni sub decennali fideiussione debeant esse vniuersi, ita quod si vnus ex decem foris faceret ad rectitudinem nouem haberent decimum, qui refugerit, daretur eis terminus tricesimi primi diei. Quasitus, & inuentus ad iustitia Regis duceretur de suo illico restauraretur damnum quod fecerat, & si ad hoc forus fecit de corpore suo fieret iustitia.*

191 *Galasegna maior* quid sit, quidnam minor, quid traina exponitur in statutis Ferrariæ lib. 4. nu. 19. *Quia sapius in statutis Ferraria mentio fit de Gisuocabalis, galesegna maior, & minor, & traina, & vt tollatur omnis vocabuli dubitatio: Declaramus galesegnam maiorem esse bestias damnum dantes de nocte vel damnum datum per bestias de nocte super alienis rebus, cum custode, vel sine custode, à Kalendis mensis Aprilis vsq; per totum mensem septembris. Galesegnam minorem esse bestias damnum dantes de nocte, vel damnum datum per bestias de nocte super alienis rebus, à Kalendis mensis Octobris, vsque per totum mensem Martij, cum custode, vel sine custode. Trainam vero appellari volumus, quando bestia reperiuntur damna dantes de die sine custode.*

Reuerendissimo Patri
PAVLO CARARÆ
Præposito Gen. Ordinis Cleric. Regul. Somascha.

Epist. XXXVI. Papiam.

De testibus quadam obseruationes.

192 CRede, vir doctissime, ipse mihi præiui, & quod mente feci, nunc manu, nunc calamo facio; vix ad supremum ordinis tui culmen, quò te tua merita euexerunt, elatum te cognoui cum animo in gratulationis actum erupi, hisce litteris rem tantum significo. Benè est ad honorum culmina rapi, quos virtus inter primos locat. Aliquem prudentia tua campum habuerit in quo se cum laude exerceret, nunc latiorem poscebat, vt innotescere melius posset. Adsit tibi Diuini auxilij aura, vt & personam quàm geris aptè sustineas, & quod inde sequitur prosis omnibus, quibus præes. Ne sperne quod exhibeo de testibus quędam offero, quę cultum in te meum testentur.

193 DE testibus loquens Apostolus, Heb. 12. nubis nomine vsus est, vt rectè innueret, testes, quos de rebus diuinis habemus, non nudos esse testes; sed suarum precum imbre nostrorum peccatorum æstum temperare. Huc facit, quod habet sanctus Athanasius quæst. 161. *Quid est; Quùm tantâ septi simus nube testium? Respon. Nubem testium ipses testes vocauit:* NAM IRRORANT NOS, *qui in peccatis detinemur, & æstuamus, & vmbrâ sua intercessionis nos contegunt.*

Quo ritu testes iubeantur à iudicibus iuramentum emittere apud Canaras incolas, his verbis docet Ioan. Hugo 11. part. Indiæ cap. 40. in calce. *Si casus ita fert, vt productis testibus fides rei adstruenda sit, orbem siue circulum super terra superficiem cum cinere sparso depingunt iudices, testes in eo considere iubentur, cumq; testimonia dicenda sunt consurgunt, & pugillum cineris furnarij supra caput ponunt, alteram manum supra caput, alteram supra pectus ponentes, iurantq; lingua vernacula in nomine Pagodes.*

194 Olim si in aliqua causa testes testibus aduersarentur, vt veritas non appareret, pugna res erat terminanda, electo ex qualibet parte vno teste; rem his verbis habent capitulo Ludouici Imperatoris ad legem salicam: *Si quis cum altero de qualibet causa contentionem habuerit & testes contra vim ad iudicium perducti fuerint, si ille falses eos esse suspicatur, liceat ei alios testes quos meliores putauerit contra eos opponere vt veracium testimonio falsorum testium peruersitas superetur. Quod si amba partes testium ita inter se dissenserint, vt nullatenus alteri vna pars cedere velit, eligantur duo ex ipsis id est ex vtraque parte vnus qui scutis & fustibus in campo decertant vtra pars falsitatem vtra veritatem suo testimonio sequatur. Et Campiom qui victus fuerit propter periurium quod ante pugnam commisit dextra manus amputetur: ceteri vero eiusdem partis testes, qui falsi apparuerunt manus suas redimant. Cuius compositionis dua partes ei contra quàm testati sunt dentur; tertia comitis est. Et in seculari quidem causa huiusceemodi testium diuersitas campo comprobetur: in Ecclesiasticis autem negotijs Crucis iudicio rei veritas inquiratur. Hoc & de timidis, & de imbecillibus siue infirmis qui pugnare non valent ne propter hoc iustitia sua careant censuimus faciendum. Testes vero de qualibet causa non aliunde quarantur, nisi de ipso comitatu, in que res vnde causa agitur, posita sunt.*

195 In falsum testem hæc decernunt leges Vuisigothorum lib. 2. tit. 4. num. 6. *Si quis contra alium falsum testimonium dixerit, & in mendacio inuentus aut si ipse certe dixerit, quod falsum testimonium dedit: si maior loci persona est det illi de propria facultate sua, contra quem falsum testimonium dixit, tantum quantum per testimonium eius perdere debuit, & se testificare vltra non nouerit. Quod si minor loci persona est & non habuerit vnde componat ipse tradatur in potestatem illius, contra quem falsum testimonium dixerat seruiturus.*

Qui in testem aduocatus rem vt res erat dicere renuisset peculiari pœna puniebatur apud Vuisigothos, sic enim habent illorum leges lib. 2. tit. 4. num. 1. *Certe si ammonitus quisquam à iudice de re quam nouit testimonium perhibere noluerit, aut si nescire se dixerit, id ipsum & iam iurare distulerit, & per gratiam aut per venalitatem vera suppresserit. Si nobilis fuerit testimonium postea in nullo iudicio dicere permittatur nec testimonium ipsius recipiatur vlterius. Quod scilicet ingenua minoris tamen fuerint dignitatis persona, & testimonio careant & centena flagella infamati suscipiant: quia non minor reatus est vera supprimere, quam falsa confringere.*

196 Qui falsum dedisset testimonium ita puniebatur apud eosdem Vuisigothos, vt iubent eorum

leges lib. 2. tit. 4. num. 3. *Et ſi poſtea quocunq; modis patueris pro extinguenda veritate menitum eum fuiſſe, falſitatis notatus infamia ſi honeſtior perſona fuerit quantum ille perdere potuerat, cuius parti, teſtimonium perhibere contempſit, tantum dupla ei ſatisfactione compellatur exſoluere. Si certe inferior eſt perſona, & vnde duplam rem dare debeat & non habeat; & teſtimonium amittat, &c. flagellorum ictus extenſus accipiat.*

Teſtimonium dicturi olim ieiunos eſſe debebant, ſicut & iuraturi; Capitula Caroli Magni lib. 3. num. 52. ſic habent: *Vt nullum teſtimonium dicat, aut ſacramentum iuret niſi* IEIVNET.

Apud nonnullos conceptis verbis iuramentum
197 ita petebatur, vt ſi quis in ipſius formulæ pronunciatione lapſus verbo eſſet, & titubaſſet, cauſa ſtatim caderet licet alioquin iuſta. Hunc morem ab omni iuſtitiâ alienum tandem ſublatum narrat Martinus Cromerus lib. 12. de rebus Polonorum his verbis: *Ad hæc ſublatus mos barbarus iuſiurandi conceptis verbis dandi, in quo ſi quis verbo lapſus eſſet*, ATQ; ADEO TITVBASSET CAVSA, QVAMVIS IVSTA CADEBAT.

In obſeruantiæ meæ erga te teſtimonium plura de teſtibus non adijcio, hæc quæ dixi ſatis rei firmandę ſint, ſi tamen mentem meam mentem ſubeas, & eo ſenſu hęc accipias quo tibi fuêre exhibita. Tandem qui efferre mea ſoles, haſce reculas feres. Vale.

Reuerendo Patri

HIERONYMO TAZZINO
Clerico Regulari.

Epiſt. XXXVII. Venetias.

Cadere quid ſit, quid perdere, aliqua de caſtitate huc vocata, ac de pudicitia.

OMnes diligentiæ numeros exple-
198 uiſti; quid amplius requirerem? Quid ego hîc dicam? niſi me non habere quod dicam, & multo minus, quod rependam? beneficia tua non meritis meis modo maiora ſunt, ſed & votis. Fateor, & rem omnibus prodo, quod tot à me volumina lectores habuerint, etiam tibi debebunt, qui tam multa quæ operibus condendis erant inſerenda, tanta cura, celeritate, & quod pluris æſtimo, tanto affectu, exſcripſiſti. Laboris tui mercedem à Deo expete, & expecta; ego gratias agere tantum poſſum, & beneficij huius memoriam ad poſteros quoq; tranſmittere, quod fines, me hac Epiſtola præſtare, cui vt firmior, & grauior ſit, hęc pauca quæ de caſtitate notaueram, appendo. Placebunt tibi ab hoc capite, quod cum tibi hæc virtus placeat, tu huic virtuti.

HOneſto italiciſmo noſtri *cadendi* verbo vtun-
tur cum de pudicitiæ ſuggeſtu mulier exci- 199
dit; dicunt enim; *mulier illa cecidit, ò è caſcata*, antiquam habet originem hæc phraſis. Plautus in Perſa illa vtitur; quin etiam Seneca contron. 3. *Ex quo peccare ea ppt* CADERE *condidicit.* Tibul. lib. 4. eleg. 10.

Ne malè inepta CADEM.

Hoc eſt ne fiam adultera; Propertius eodem ſenſu labendi vtitur verbo, lib. 1.

Vt ſolet amoto LABI *cuſtode puella*
Perfida, communes nec meminiſſe Deos.

Perdendi verbum honeſtè in re quę honeſtè nequit nominari vſurpatum reperio; vt mulierem perdere, ſit rem cum ea nequiter habere, ſanctus Gregorius lib. 4. dialog. cap. 32. *Quidam curialis illic Sacratiſſimo Paſchalis Sabbato iuuenculam cuiuſdam filiam in baptiſmate ſuſcepit, qui poſt ieiunium domum reuerſus, multoq; vino inebriatus eandem filiam ſuam ſecum manere petijt, eamq; nocte illa, quod dictu nefas eſt* PERDIDIT.

De matronarum pudicitia hanc legem tradidit 200
Solon, vt quæ in adulterio eſſent deprehenſę à publicis fanis arcerentur. Æſchines hæc habet verba: *Mulierem, apud quam adulter fuerit deprehenſus, ornari vetat ac in fana publica ingredi, ne ſuo interuentu integras matronas corrumpat. Quòd ſi intrauerit, aut ſe ornauerit, quamuis veſtimenta eius dilacerare, ac ornatum diripere iubet, verberibuſque eam excipere, veruntamen citra cædem ac mutilationem. Hac ratione, ait Aeſchines, mulierem talem omni dignitate priuat, & vitam ipſa morte acerbiorem ei reddit. Lenones item accuſari Solon iubet, & conuictos capite plecti; propterea quod mercede locata ſua impudentia ijs qui delinquere quidem cupiunt, attamen colloqui inter ſe verentur afficere ſolent, vt periculum faciant, & colloquantur.*

Caſtæ quænam mulieres dicerentur diſce ex his
Sancti Hieronymi verbis ad Euſtochium: *Quia* 201
maritorum experta dominatum viduitatis præferunt libertatem CASTÆ *vocantur, & Nonnæ.*

Virgo ſterilis eſſe non debet, erit fęcunda ſi pro filijs virtutes habebit. Sanctus Leander in regula ad Florentinam initio: *Virgines ſenſus pro filijs reputantur. Vtilis partus, vbi & proles bonæ cogitationis editur & ignoratur dolor. Tot fœlicia germina. Quot ſancta cogitationes, & ne putes te omnino ſterilem; tot filios habebis quot virtutes poſtuleris; vna ſancti ſpiritus conceptione multos edes partus.*

Virgines niſi mors immineret in epiphania tantum conſecrabantur, aut in Paſchæ, apoſtolorumq;
natalitijs; ex decretis Pij Papæ I. hæc habentur. *Vir-* 202
gines non velentur antè vigintiquinq; annos ætatis, niſi fortè neceſſitate periclitantis pudicitia Virginalis. Et non ſunt conſecranda, niſi in Epiphaniâ, & in alijs Paſcha, & in Apoſtolorum natalitijs; niſi cauſâ mortis vrgente.

Virgo tanquam ſponſa dotem habet; ſed quam? Chriſti ſanguinem; hinc illud S. Leandri in regula ad Florentiam initio; *Quid amplius ei conferre potuit, cui ſe Chriſtus ſponſum tribuit? Et* SANGVINEM SVVM DOTIS, AC MVNERIS TITVLO COMPENSAVIT? *Tuus Virgo, ſponſus dotem tibi ſanguinem ſuum dedit, eo te redemit, & te ſua copula ſociauit, vt pudorem non perdas. Ob hoc ſuum corpus vulneris iſtuc, & telo gladij maluit aperiri, vt tuam tibi integritatem emeret, pudicitiam conſecraret.*

Pudi-

Pudicitia apud antiquos ferè ſedens ſculpebatur, non vaga vt patet in veteri hoc nummo.



Et in iſtô.



Hæc quoq; imago ſedentem pudicitiam offert.



Sed non ſemper id obſeruatum, nec perpetua hæc lex fuit, iſte mos; ſtantem pleriq; nummi pudicitiam exhibent, vt videre in iſtis eſt.





Reuerendo Patri

FRANCISCO MARIÆ BONAVENTVRÆ.

Clerico Regulari.

Epiſt. XXXVIII. Romam.

Ordinis carcer quis, & cur dictus.

VArijs virtutibus amorem no-
ſtrum mereris, & iam obtines. 203
Laudes tamen virtutes potius tuæ elicuere, quàm amor, atq; adeo maioris apud æquos iudices erunt ponderis, quàm tu putes; quin hoc ipſo quod leues eas æſtimas, exq; ſolo affectu natas, firmiores erunt, ſolidioresq; altas habent laudes radices, ſi demittat ſe qui laudatur. Placet mihi, tibi laudes non placere; ſic quippè te reddis laudabiliorem, alijs incipit diſplicere, cui placet quod placeat alijs. Memorem te mei eſſe, hoc gratius eſt, quòd apud Deum precibus tuis id te facere ſignificas. Perge ſi me amas, alioquin amicitia ſuper leuem verborum, & blanditiarum arenam ædificata facile ruet, nec diù ſtabit. Quod à te primo ex græco penu deſumptum latina veſte donatum eſt, expecto vt tranſmittas; & rogo vt edi in guſtum publicum publicam vtilitatem ſinas: Tu quoq; accipe pauca quædam de carcere, quæ ex tenebrarum carcere eruta ad te veniunt.

QVi diſciplinæ ſeueritatem ita fouebat vt præ 204
tigore non dilaberetur, carcer ordinis dicebatur aliquando; hunc titulum indeptum Sanctum Ludolphum obſeruo; in eius actis hæc habentur: *Sanctus Ludolphus vir fuit perfectus, & cunctis virtutibus adornatus; cuius temporibus tanta religioſitas, tantaq; ſanctitas, & diſciplinæ ſeueritas in Ra-*

in Raceburgensi Ecclesia seruabatur, quod tam à Clero, quàm a populo CARCER ORDINIS VOCARETVR.

Qua pœna olim apud nonnullos custodes carceris plectetentur, quorum negligentia carceri mancipati aufugissent, habea ex constit. Siculis. lib. 1. tit. 89. num. 3. *Custodes de quorum custodia captiui per negligentiam ipsorum euaserint bonis suis omnibus publicatis per annum squalore carceris determinus macerari, vt carcerem incarcerati ipsimet non deseruit qui incarceratis custodiendis alijs negligentiam commiserunt. Hi autem qui per fraudem incarceratos abire permiserint, iuxta antiqua iura capitali sententia feriantur.*

205 Custos carceris in hanc formam emittere iuramentum debebat apud Sebenicenses, vt habent illorum statuta lib. 1. cap. 19. *Ego custos carceris communis Sibenici iuro ad Sancta Dei Euangelia, tactis scripturis, quod Officium custodia carceris faciam bonâ fide, sine fraude aliquâ, remote amore, timore, odio, pretio, & precibus, & quod non recipiam ab aliquâ personâ in istis carceribus detentâ maius pretium pro meo labore, quam illud, quod taxatum est per statutum Communis Sibenici factum super solutione fienda de custodibus carceris.* Sed quia ad Religiosum scribit volo Epistolam te obsignare, quæ ad Religiosam vitam spectat.

Multa sunt in Sacris Monasterijs loca, in quibus varia exercere munera solent; vt similia Animæ parentur egregiè Petrus Abbas Cellensis docet, dum ait: *Ducitur Anima in* REFECTORIVM, *vbi sine fame reficiatur, sine siti inebrietur, & dicat: in loco Pasqua ibi me collocauit; in* DORMITORIO, *vt ibi sine torpore dormiat, & dicat: in pace in idipsum dormiam, & requiescam, in* ORATORIO, *vt ibi sine tedio oret, & dicat: ad te orabo Domine, mane exaudies vocem meam. In* CLAVSTRO: *vt ibi sine fastidio sedeat, & dicat: in vmbra alarum tuarum protexisti me; vel in vmbra quàm desideraueram sedi; in* CAPITVLO: *vt ibi sine timore disciplinam teneat, & dicat: disciplina tua ipsa me docebat; in* AVDITORIO: *vt ibi sine preuaricatione viuat. Pectus Iesu, ibi est* REFECTORIVM; *Sinus Iesu ibi est* DORMITORIVM: *Vulnus Iesu, ibi est* ORATORIVM: *latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum Iesu, ibi est* CLAVSTRVM: *consortium Iesu, & omnium Beatorum ibi est* CAPITVLVM. Sic ille libro de Panibus capite 7.

Illustrissimo Viro

CÆSARI BLANCHETIO

Patritio Bononiensi.

Epist. XXXIX. Bononiam.

Quædam obseruationes circa Christi Iesu Passionem.

206 QVid rogas? satis est si indices, nutus tuos imperiorum loco ducam, ducarq; quo tu vis. Pluribus licet litterarijs occupationibus distinear (scis studia, in quæ totus me abdidi) graue tamen mihi nunquam erit temporis aliquid à studijs meis decerpere, vt tibi dem operam; pręsertim cum ea quæras, quæ studia ipsa nutriunt, ac fouent, non minus quàm pietatem. Libri, quibus incubo, hoc me docent, vt in aliorum vtilitate procuranda nihil omittam. Quod igitur quęris, vt aliquid excitandæ in Dei amorem menti, de Passione Christi chartis illinam; licet idà multis factum sciam, faciam tamen; & iam opusculum huic rei destinaui, quod hunc titulum efferet: *Amores diuini triumphus*; Videbis si Deus voluerit, & cum voluerit; fors labor ipse sua nouitate lectores multos ad se trahet; & quod inde sequi cupio, ad ipsius amoris fontem, ad Iesum ipsum. Dum librum formo, atq; edo, hęc quæ de Christi Passione obseruabam tanquam exhibendorum arrham accipe, & me ama.

PLeriq; olim ieiuniorum, & Passionis Christi causa se ab aliquibus, quæ in proximi damnum, & offensam resiliebant dicebant abstinere, 207
eadem ieiunio transacto Christiq; Passione facturi, vt erat litis contestatio, vltio iniuriarum, similiaq; id quod refert, reijcitq; & damnat Sanctus Chrysostomus serm. 3. de Beato Iob. *Multi nunc audiunt, & despiciunt, multi Christum expectant, & nequitiam prauitatemque induunt, multi à malitia non recedunt, honorant hodie ieiunia multi, & dicunt: Hodie aduersarie meo nihil dico, transibit Passionis Christi dies, tum litem intendam, vlciscar iniurias, multa faciam. Nonne igitur frater es Esau: hac cogitans eadem ipsa quæ & Esau dicis. Etenim tunc, & Esau fratrem interficere voluit, sed venerabatur patrem. Et quid dixit: Appropinquent dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum: transeat patris mei mors, & tunc interficiam. Et tu quid dicis: Transeat Christi Passio, & tunc contra aduersarium meum litigabo. Vide ne frater Esau sis, audi quid Paulus dicit: Ne quis fornicator, nec profanus, vt Esau.*

Passionis Christi meditatione hominem quodam modò Diuinum reddi, censebat Beatus Laurentius Iustinianus Opusc. de Incendio Diuini Amoris cap. 1. vbi ait: *Et hoc mirabile est, quòd Christus in Cruce sitiens inebriat: nudus existens, virtutum ornamentis nos ornat. Sed & eius manus ligno clauatæ nos soluunt: pedes confossi nos currere faciunt: emittens in spiritum, vitam inspirat: in ligno decedens, ad cœlestia vocat. O Passio admirabilis, & amabilis, quę sui meditatorem alienat, & non solum Angelicum reddit, sed Diuinum? Nam per meditationem commorans in Christi tormentis, se ipsum non videt, sed in se Deum intuetur: conspicit etiam Dominum suum passum, &, dum secum vult Crucem baiulare, ipse in corde portat, Cœlum terramq; pugillo tenentem; & pro ipse leuissimè sustinet omne onus. Vult secum coronari, & spe gloria coronatur. Vult secum in ligno sinè vestimentis frigère, & nimio amoris ardore succenditur. Vult secum acetum gustare, & vino inenarrabilis dulcedinis potatur. Vult secum in Cruce existens sibi illudi, & ipse ab Angelis honoratur, & à Beata Virgine in filium adoptatur. Cum Christo volens tristari lætatur: secum volens affligi*
con-

conſolatur. Cum patiente vult pati, & nimium incundatur. Cum Chriſto vult in Cruce pendere, & cum dulciſſimè Chriſtus amplexatur. O' felix qui eàdem mente eadem dixerit, eadem ſenſerit? Hoc de te nobis tua ſingularis pietas pollicetur. Perge & ſemper in te viuat, quod pro te mortuus Dei Filius eſt.

Reuerendo Patri

IOSEPHO FERRARIO

Clerico Regulari.

Epiſt. XL. Cremonam.

Fluminum legumina piſces dicti; alia de piſcibus, & piſcatione.

209 A Ferro licet nomen habeas, mi Ferrari, non ferreus tamen es; ſi mores tuos ſpecto, es aureus, ſi humanitatem tuam, quæ facilè flectitur, & cuilibet ſe aptat, es cereus; certè omnem formam induis, in amicorum obſequio. Non alios hîc teſtes quæro, ipſe mihi teſtis ſum; qui non ſemel diligentiæ tuæ periculum feci, ſed vt ita loquar, ſine periculo; agam gratias? ago, ſed vt ſemper debeam, nec enim ſolui ab hoc nexu volo, quo tecum ligor. Hac Epiſtola ad te feror, ſed quid fero? nec enim vacuus amicorum fores adire hic ſoleo. Leue neſcio quid ſiſto, nec tanti fors ponderis, vt mittendum eſſet, niſi amicus mitteret ad amicum.

210 PIſces fluminum legumina appellatos obſeruo; Aymoinus Floriacenſis lib. 2. de miraculis Sancti Benedicti cap. 18. *Precepto Patris* FLVMINVM LEGVMINA *ſolerti cura quæſiuit.*


De piſcandi arte hoc obſeruabam: Olim ab aſceticis non fuiſſe alienum, aliquem ex conuerſis piſcatoriæ arti adijcere, vt & ſutoriæ ac alijs mechanicis artibus. Chronicum Vuindeſmenſe lib. 1. cap. 29. *Singulis laicis ſpecialia opera aſſignauerunt: alios enim in cellario ſeu coquinâ, alios in braxatorio & piſtrino pro communi labore ſtatuerunt: quoſdam etiam adhuc aptos ad artes mechanicas, ſartoriam, ſutoriam carpentariam, cæmentariam,* PISCATORIAM, *& raſoriam ſagaciter diſpoſuerunt.* Et in Chronico montis Sanctæ Agnetis cap. 29. *Hic cum fratre ſuo Henrico diû ſutor monaſterij fuit; poſtea etiam longo tempore* PISCATOR FIDELIS.

Funiculis piſcatorijs efficiendis ſetis ex equorum potius, quam equarum caudis euulſis vtebantur; rem & cauſam habet Plutarchus de cauſis naturalibus. q. 17. *Quare in funiculos piſcatorios ſetas* EX EQVORVM, QVAM EX AQVARVM CAVDIS MALVNT? *an propterea, quod fœminis mares, vt in reliquis omnibus corporis partibus, ita quoque in pilis firmiores multò ſunt? an, quòd lotio frequenter rigata & conſperſa, deteriores equarum ſeta reddi exiſtimantur?*

Piſcium venditores quæ ſeruare apud noſtros tenerentur habes ex his verbis, quæ extant in ſtatutis Veronenſibus lib. 4. cap. 161. *Statuimus, quod nullus Piſcator, vel piſcium, aut Gambarorum venditor illos vendendo ſedere præſumat, vel galerum, vel ſaccum in capite habere, nec aliquid aliud vltra id, quod in die portat in capite, nec pedalia præter ſotulares ſimplices in pedibus, nec aliquid aliud ſub eis, niſi ſimplicem terram; & qui contrafecerit, puniatur pro quolibet, & qualibet vice 60. ſold. & quod nullus piſcator vel piſcium venditor oua, vel inteſtina piſcium extra mercatum, vel plateam vbi venduntur piſces deportet. Sed ipſa die qua habuerit, & traxerit de piſcibus in mercato prædicto, ſeu platea vendere teneatur pena prædicta. Item quod quilibet piſcarolus vel piſcium venditor, & quo piſces recentes duxerit in mercato ſeu platea prædicta ad vendendum, abſcindere debeant caudas medias vel vltra omnibus piſcibus incontinenti, & cum caudis inciſis vendere piſces recentes. Sallatos vero cum caudis integris, & qui contrafecerit puniatur in 20. ſold. pro quolibet, & qualibet vice. Et hæc poſtea non habeat locum in Anguilis, & Sardenis, & piſcibus qui venduntur in lapide mercati fori, ſeu circa lapidem piſcium communis Veronæ. Item quod non debeant balneare piſces nec tenere ſuper ipſis aliquem pannum, vel ſtorium vel aliquod aliud per coopertam poſtquam illes habuerit in mercato ſeu platea prædicta, ſub pæna prædicta. Item quod de prædictis quilibet ſit accuſator, & habeat medietatem banni.* 211

Apud Ægyptios primi menſis nono die vnuſquiſq; ante fores domus ſuæ aſſum piſcem comedebat, exceptis Sacerdotibus, qui ante ianuam domus piſces comburebant; Plutarchus de Iſide, & Oſiride *Sacerdotes omnibus abſtinent piſcibus. Primi autem menſis nono die, quum reliquorum Aegyptiorum* VNVSQVISQ. ANTE FORES DOMVS SVÆ ASSVM PISCEM EDAT: *Sacerdotes non guſtant ſed ante ianuam ædium comburunt piſces. Cuius rei duæ ſunt rationes ſacra altera, & ſubtilis quam infrà adducam, concinentem ijs quæ de Oſiride, & Typhone pie philoſophamur. Altera manifeſta eſt, & in promptu, piſcem cibi genus eſſe non neceſſarium ſed ſuperuacaneum.* 212

Cur piſcatores Chriſtus elegerit in Apoſtolos egregiè explicat Sanctus Petrus Chryſologus ſer. 47. ad illud, *Simile eſt Regnum Cælorum ſagenæ miſſæ in mare*; ait enim: *ſimilitudo hæc prodit cur in Apoſtolatum piſcatores elegerit Chriſtus, & captores piſcium fecerit hominum piſcatores, vt diuini iudicij typus arte piſcatoria monſtraretur. Piſces congregat captura confuſas, ſed in vaſa diſcretio dat electos: ſic vocatio Chriſtiana iuſtos, & iniuſtos, malos bonoſq; congregat, ſed bonos, maloſq; electio Diuina diſcernit.*



Illu-

Illuſtriſſimo Comiti OCTAV.no PEREGRINO *Patritio Veronenſi.*

Epiſt. XLI. Veronam.

Deduci ad palmam quid ſit; vngula forma qualis.

213 QVia ſemèl fibulam ſcriptioni laxaui, vix poſſum, calamum coercere, quin ſemper excurrat; cedant in Dei laudem, quæ damus, lectoriſque vtilitatem, & libertas omnis calamo concedatur. Cum ad multos Epiſtolas tranſmiſerim, non verbis exornatas, pompam quippè omnem, vt vides, vito, ſed rebus grauidas, vix potui me comprimere, quin vnam ſaltem tuo nomine exornarem, vnam ad te dirigerem, quæ etiam tacens loqueretur, me amantem tui eſſe, ac ad poſteros tranſlata transferret ad poſteros, cultorem me tui fuiſſe, virtutumquè tuarum, ſed præter Epiſtolam hanc affectus mei teſſeram id ſcilicet, quòd Epiſtolæ alligo.

214 DEduci ad palmam quid ſit, non eſt adeò tritum, vt redundantis operæ ſit rem explicare. Beda in ſuo Martyrologio 4 Kal. Maij hæc habet: *Vrſicinus genu poſuit, & ſpiculatorem vt feriret, hortab atur: agens pœnitentiam quòd expauiſſet. Vtq. martyrium conſummauit idem Vrſicinus, Vitalis intra Rauennatium vrbem eum ſepeliuit, ad iudicem vltra venire ipſe contemnens. Tentus eſt itaque à Paulino Conſulari, ob id maximè factum, quòd Vrſicinum ſuis exhortationibus roboraſſet, & poſt equulei tormenta iuſſus eſt* PERDVCI AD PALMAM *(locus autem vbi accollabantur Chriſtiani, hoc habebat vocabulum, eò quòd arbores palmæ illic eſſent) & facta fouea, quouſque inueniretur aqua, ibi ſupinus depoſitus, & terra, ac lapidibus eſt oppreſſus.*

Vngulas geminos ſulcos in carne exaraſſe colli-
215 gunt aliqui ex Prudentio, qui de Sancto Romano
canit Hymno 5.

Amor corona penè præuenit trucem.
Littoris artem, ſponte nudas offerens
Coſtas BISVLCIS exarandas vngulis.

Et

Ille vngularum DVPLICES
SVLCOS pererrat oſculis;
Hic purpurantem corporis
Gaudet cruorem lambere.

Vbi hoc quoque vides vngularum vulnera
216 Chriſtianos oſculatos. Petrus Halloix in vitam
Sancti Irenæ ad cap. 5. *Hinc patet*, inquit, *vngulas fuiſſe Bifidas, ſeu Biſulcas, quæ ſcilicet duplices ſulcos exararent.* Hoc tamen non fuiſſe perpetuum putarunt aliqui, & euincit vngulæ forma, quæ Mediolani inter ſacra Lipſana aſſeruatur in Monaſterio Sancti Franciſci Fratrum Minorum.

Tribolationem *cæleſtis gaudij introitum* vocatam obſeruo; hoc eam titulo donauit Sanctus Gregorius in lib. 1. Reg. cap. 13. *Afflictio*, inquit, *electæ mentis, omnis diabolicæ tentationis, peremptorius mucro eſt. Nam dum profundè compungitur, in superni gaudij amorem ſubleuatur, & tanto iam fortius ablata mundi oblectamenta reſpuit, quantò iam cæleſtia feruentius diligit, ad quæ flendo conſcendit. Doctor namque egregius dicit: Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. Qui certè regni Cæleſtis introitus ſic ſperatur in fine temporum, vt in quotidiana ſanctorum vita ſentiatur.* TRIBVLATIO IGITVR NOSTRA SVPERNI GAVDII INTROITVS EST. *Meritò ergò quoties electa mens in afflictionis ſualamento compungitur, ſe tribulando, hoc obtinet, vt intret in contemplationem illius ſuperni regni, in quo ineffabiliter gratuletur.*

De Chriſtianis hoc obſeruo *Populos gratiæ* dictos. Ambroſius Ansbertus in cap. 1. Apocalypſis: *Hanc gratiam Iohannes, hanc Petrus, hanc Paulus fidelibus ſcripturi, in ſuis voluminibus titulo ſalutationis præmiſerunt, vt videlicet* POPVLOS GRATIÆ *exhortaturi, omnem ſalutationis ſummam in hac eſſe monſtrarent.*

Doctiſſimo Patri ZACHARIÆ PASQVALIGO *Clerico Regulari.*

Epiſt. XLII. Romam.

De titulis quadam obſeruationes.

IVſtum imperandi titulum habes, tu tamen rogas, vt ſi quid de titulis 217
obſeruatum à me ſit, ad te tranſmittam. Obſequij mei trutina & libra imperitiæ meæ volo, vt præponderet; dabo pauca quædam, nec expandam me totum ad huius argumenti auram, nec plenis velis decurram hoc mare; quæ de hac eadem re ſparſim in meis operibus dedi, me à lacinioſa tractatione eximent; nec puto te multa quærere; qui multis, varijsquè curis, ſtudijſquè diſtentum adeas. Quæ ſtatim mihi occurrerunt, dùm Beati Gregorij Epiſtolas voluerem, ad te mitto; alia deinceps daturus, cum alia in alijs obſeruauero, colligero ex alijs, quòd vel tui præcipuè cauſa à me fiet. Interim re potius quam titulo dicamur, quod dicimur; vt verè ſimus, quòd eſſe credimur, religioſi habitus delatione. Vale, & amantem redama.

Vt

219 VT charitatis, fraternitatis, sanctitatis, similiumque titulo insigniebant olim illos, ad quos scribebant. Sic experientiæ quoque nomine (quòd est ratiùs neque adeò obseruatum) vtebantur. Sanctus Gregorius lib. 1. Epist. 53. Anthemium Subdiaconum ita alloquitur: EXPERIENTIÆ TVÆ *præsenti authoritate præcipimus*. Et Epist. 70. *Sed tua experientia Sanctæ Ecclesiæ vtilitatem conspiciat.* Et lib. 2. Ep. 17. *Proinde* EXPERIENTIAM TVAM *præsẽtis præcepti authoritate duximus fulciendam.* Et Epist. 34. EXPERIENTIAE TVAE *præcipimus vt tranquillia eos adhortatione conuenias.* lib. 10. Epi. 4. *Quæ ad* EXPERIENTIAM TVAM *debeat subire iudicium.*

Eminentiæ titulum non esse inuentum nouitium euincunt verba eiusdem Sancti Gregorij Papæ, qui lib. 8. Epist. 20. Ioanni Proconsuli Italiæ scribens ait: *Fertur, quòd annonas atque consuetudines diaconiæ, quæ Neapoli exhibetur* EMINENTIA VESTRA *subtraxerit*. Et paucis interiectis: *Hac itaque* EMINENTIA VESTRA *potentia, quâ pollet, inspicere, &c.*

Beatitudinis titulo donatos quoque Episcopos obseruo. Sanctus Gregorius lib. 1. Epist. 7. scribens Anastasio Episcopo Anthiocheno ait: *Epistolam* BEATITVDINIS VESTRAE *vt fessus requiem, salutem æger, fontem sitiens, vmbram æstuans accepi.* Et Epist. 25. ad eundem scribens: *Scripta*, inquit, VESTRAE BEATITVDINIS *accepi*.

Fuisse olim gloriæ nomen, peculiarem magnorum titulum alibi obseruabam: addo nunc rei firmandæ, & illustrandæ. Sanctum Gregorium Magnum, qui sæpè in Epistolis suis hoc titulo vtitur. Clementinam Patritiam lib. 1. Epist. 11. sic alloquitur: *Epistolam* GLORIAE VESTRAE SVSCIPIENTES. Epist. 21. ad Nonnosum ita scribit: *Maurentio de possessione, quàm* GLORIA VESTRA *petijt per omnia parebimus*. Et lib. 1. Epist. 46. Theodoro Duci Sardiniæ scribens: *Pro quâ re*, inquit, *charitate, paternâ* GLORIAM VESTRAM *necessariò duximus adhortandam*. Et lib. 2. Epist. 23. *Pro quâ re* GLORIA VESTRA *prædictum virum cum omni charitate suscipiat*. Et lib. 3. Epist. 38. GLORIAE VESTRAE *charitas sic in nostro corde semper inuigilat*. lib. 7. Epist. 21. *Salutantes paternâ dilectione* GLORIAM VESTRAM. Et Epist. 32. *Audiens, quòd* GLORIAM VESTRAM *vehementer afflixerit luctus, & ægritudo valdè condolui*. lib. 10. Epist. 7. GLORIAM VESTRAM *paterno salutantes affectu*.

Epistolam obsignabo, si prius explicauero, in quo vera Christianorum gloriâ sita. Rem peritè
220 expressit Sãctus Ephræsasytus, vt religio sit aliquid ex ijs elidere, quæ ille offert de amore Pauperum: Sic igitur scribit: *Gloria Christianorum, Dei præceptum est. Gloria Christianorum, Apostolorum, & Prophetarum doctrina. Gloria Christianorum, humilitas animi est, spiritalis paupertas, atque obedientia. Gloria Christianorum, psalmodia cum compunctione. Gloria Christianorum, pœnitentia cum lachrymis. Gloria Christianorum, mansuetudo, & quies, omnibusque se submittere, ac reuerentiam tribuere. Gloria Christianorum, pedes fratrum lauare. Gloria Christianorum est, dicere socio: peccaui tibi ignosce mihi. Gloria Christianorum, aduenarum, & peregrinorum est receptaculum, atque compassio. Gloria Christianorum, & salus est; semper mensa sua pauperes, orphanos, aduenasque excipere: hanc etenim domum Christus sua nunquam præsentia destituet. Gloria Christianorum est non sinere solem occidere super iracundiam suam, neque in inimicitia aduersus aliquem, obdormiscere. Gloria Christianorum, atque corona est, tribulationes sufferre, & non indignari.* Aliam qui quærit gloriam inglorius erit.

Reu. Patri D.

IO. BAPTISTÆ GASTALDO

Clerico Regulari.

Epist. XLIII. Neapolim.

Sanctitatis Characteres, hoc est,

ELOGIA IN B. CAIETANI THIENÆI Clericorum Regularium Institutoris laudem.

ALiqua in Beati Parentis nostri 221
laudem libaui. Exculpsit ea in Beatum affectus potius, quàm ingenium parturierit, quòd nullum in me, aut certè non tale, quòd ad cælites efferrendos efferre se possit, nisi amore, & cultu aliquo in illos fulciatur, & animetur: quòd hic accidisse eò faciliùs putarim, quo huic ego muneri magis impar. Inter alia, quæ à me in hoc argumento fuerunt, fuerunt hi characteres, quibus breuissimè Beati CAIETANI vitam perstrinxi, ac illustraui, vt indicemus tantùm quædam, quę ille fecit, non dicamus: etiam breui, & exiguâ vmbrâ cursum ipsum solis dimetimur; simile quidpiàm hìc factum vides; paucis lineis significauimus, quę integris essent voluminibus exprimenda si dignè exprimenda; fors Beatus ipse, qui paupertatis angustias in omnibus vsque ad miraculum coluit, hanc quoque paupertatem non negliget, qua diuites istę laudes sunt. Porrò quò gratiorã Beato hæc Elogia sint, tu illa, mi Pater, offeres, qui tot labores subijsti, vt Beatus inter Beatos etiam Summi Pontificis auctoritate censeretur; mihi, & laudum tenuitati, exilitatiquè hac ratione consultum credidi: dùm tui nominis, pietatisquè pondus scriptioni adieci, teq; laude tuâ dignum laudibus addidi; quòd vt vides, feci. Accipe quòd offero, & offer, cum acceperis, meq; Beato commenda, vt illius ope iter legam, quòd legendum ille non verbis tantùm docuit, sed & exemplis; laus tunc erit gratior, si ipse, qui laudat, vitâ fiat laudabilior. Plura non addo, rem ipsam habe.

BEA-

BEATO CAIETANO THIENÆO.

222 *CONSPIRAT in tui laudem totus orbis, certasquè concordia summa cum cælo; vtrumque pulchram tuarum virtutum imaginem velut nitidissimo encomiorum speculo repræsentat; deerat puluis, deerant ramenta, quæ huic speculo supponerentur: offert rudi hac scriptione rudis auctor, nec ignotus tantùm, sed ignobilis etiam. Indigna quæ spectentur hæc Elogia sunt, sed saltem hoc efficient, vt laudum tuarum imago perfectius intuentium oculis offeratur, quòd & puluis præstat, qui speculo subijcitur. Calamo tuas laudes tetigi; debebam potius moribus; gratior qui tibi ea laus, quæ à vita exit, quàm quæ à nuda scriptione fluit; ad hoc deuotus manum promptè porrexi, illud vt possim tu manum tuam porriges. Da igitur, MAGNE, vt vestigia tua premere vita sanctitate queam, qui calamo tuas laudes exprimere quæsiui. Sisto in hoc voto dicatissimus tibi seruus*

Aloysius Nouarinus Cler. Reg.

CHARACTER I.

BEATVS CAIETANVS THIENÆVS.

Nomen dedi, quòd vel virtutibus dedit nomen.
Vicetia infantem edidit, qui moribus infantiam vicit.
232 *Parentes nobiles habuit veteris nobilitatis Parens,*
Nobilitas sāguinis nulla est, quā nulla virtus nobilitat.
Huic vel nobilitas seruit,
Vt maioris humilitatis sit, vel minimis seruire.
Sui nominis osor extitit, suæ famæ:
Cui diuini nominis honor cura est non curat
honorari suum;
Culmina etiam maxima maximè defugiebat;
Fugientem sequuntur honores, sequentem fugiunt.
Ad honores humilis rapitur, non ascendit
Ad ipsum Gradus ipsi ascendunt, non ipse ad ipsos,
Honoribus maior honoribus fuit honori:
Quos
Ad hoc tantum admisit ne amitteret obedientiam,
Vt iure audiat
VERAE HVMILITATIS EXEMPLVM VERVM
Disce Lector
Dignitates contemnere vera dignitas est
Et mundo maior est, qui se continet intra se ipsum.

CHARACTER II.

BEATVS CAIETANVS THIENÆVS.

Eò firmius Deo credidit, quò nihil sibi;
Fidem moribus animauit, mores fide.
Verè Deo non credit, qui credit tantùm; 224
Tàm fides amicus exstitit, quam hostis hostium:
Mortuam fidem non habuit paratus pro fide mori,
Sæpè voto sanguinem fudit, quia semel re non potuit.
Martyrium ipsi defuit non defuit ipse martyrio.
Hæreticorum fraudes detexit fraudum nescius;
Bernardinus Occhinus
Sub ouina pelle ferus lupus
Neapoli hæresis venenum euomebat,
Laruam Beatus deceptori detraxit,
Vt nota fraus innoxia esset,
Quæ occulta tam noxia erat.
Ne victus manus daret Hæreticus
Fuga se pedibus dedit;
Futurus victor, si victum se fassus esset.
Tanti beneficij memor Ciuitas
Liberatoris sui memoriam colit.
Interim Beatus audit
FIDELIS FIDEI CVSTOS.
Qui
Mundam vt seruaret fidem, fidem abrogauit Mundo
Disce Lector.
Hæreticorum fraudibus credidisse multis fraudi fuit.
Hæreticos prodidisse gloriæ.

CHARACTER III.

BEATVS CAIETANVS THIENÆVS.

Nec delicijs delinitur, nec aduersitatibus frangitur,
Aduersitates delicias putat, delicias aduersitates.
Bonus mala multa patitur,
Imò non patitur quia bonus, 225
Gaudet, non patitur iustus,
Quin patitur cum non patitur,
Vinciri ab impijs potuit, non potuit vinci;
Ab aliorum sanctitate animos mutuatur, & fortitudinem,
Ferreas euaserat, qui laqueos euaserat auri.
Carcere dum tenetur clausus
Aditum prodenda virtuti reclusit.
Pietati carcer templum est, templum carcer impietati.
Tenetur corpus, sed corpus tantùm
Animus
Paradisus factus inambulat Paradisum.
Crimen est à Deo liberum esse,
Non est crimen ligari pro Deo.
Illatas ignoscit iniurias, quia vix agnoscebat inferri.
Iniurias lucrum pauper computat;
Qui lucra paupertatis putabat iniuriam
Fracta res Beati nunquam animum fregere.
A desperatis rebus sumit profectum spei.
Spemque spei addit, cum subtrahitur causa sperandi.
Opibus terrenis, qui non fidebat,
Fidebat ope diuina.
Quæ citius affuit,
Quò abesse longius videbatur.
Interim audit Beatus
VERAE PATIENTIAE SPECVLVM,
INFRACTAE FORTITVDINIS IMAGO
Disce Lector.
Duris iusti animus duratur
Et malis secūda res aduersa, bonis aduersa secūda sūt.

CHARA.

CHARACTER IV.

BEATVS CAIETANVS THIENÆVS.

Mundo vt Dei amore veſtiretur amorē exuit Mundi
Imo
Exuere non potuit, quem nunquam induit.
Diuini amoris ſodalitio adſcribitur,
226 *Cuius pectori inſcriptus diuinus amor erat.*
Deum amauit,
Odio ſui amorem ſuum prodit.
Quin verè ſe quoque amauit, quia non amauit.
Proferendi cultus diuini cauſa nihil non pertulit,
Vtque
Promoueret alienum profectum nihil non mouit.
Amabat omnes,
Sed & omnes amantem omnes amant.
Pro multis labores multos ſuſtinuit;
Fallor,
Omnis labor amanti non labor eſt:
Laborat, qui amat, cùm non laborat.
Labor amanti quies, quies non amanti labor.
In omnium profectum
Non ſolum omnia facit, ſed etiam omnia fit.
Aliorum ſalutem quærebat tanquam non alius ab alijs;
Amor alios in vnum vertit.
Tandem
Amoris victima factus litatur Amori.
Iure audit.
INSIGNIS CHARITATIS MARTYR INSIGNIS
Diſce Lector:
Amoris proprij hoſtis, hoſtia eſt propria diuini.
Si te ſolum amaueris omnes oderint, ſi te ſolum oderis omnes amauerint.

CHARACTER V.

BEATVS CAIETANVS THIENÆVS.

Neſcio,
An hominem dixerim, vel dixerim Angelum;
Si mores video videor Angelum videre.
227 *In carne vixit, ſed præter carnem;*
Carneus fuit vt pati poſſet, non carneus, cum pateretur:
Carnem ſuam ita afflictabat,
Vt ſua eſſe non videretur, imò nec caro.
Summa ſui corporis cura fuit nulla.
Seruiebat omnibus
Vni ſuo corpori nolebat deſeruire.
Dei obſequio omninò addictus
Sibi obſequium omne corporis interdixit.
Arctum vitæ genus iniuit, vt arctius adhæreret Deo.
Deliciæ illi pœnam afferebant, & pœnæ delicias.
Cibus erat ieiunium, abſtinentia condimentum.
Edebat, vt viueret
Qui viuere ſine eſu videbatur.
Dura humus non ſemel cubile præbuit,
Vt mollius cubile ſe præberet Deo.
In quiete capienda nihil minus amabat quam quietem.
Ad bona ſemper vigil, ad mala ſemper dormiens.
Vt Dei flagella auerteret flagellis carnem domitam domabat.
Iure audit
VERAE MORTIFICATIONIS EXEMPLAR VIVVM
Diſce Lector.
Voluptates viciſſe vera voluptas eſt.
Suique amicus eſt, qui hoſtis ſui.
Aloyſ. Nouar. Tom. Vnus Var. Opuſc.

CHARACTER VI.

BEATVS CAIETANVS THIENÆVS.

Libertate ſe ſua abdicauit, vt eſſet liber;
Liber non futurus, niſi ſe priuaſſet libertate:
Intentus 228
Non ad aliorum tantum imperium, ſed etiam nutum
Promptius parebat, quàm iubebatur.
Vix vt moneretur cum moueretur.
Molimina tarda verus obediens auolitur.
In hoc ſolum firmus, quòd facilè mouebatur.
In obediendo vt rectè videret
Cæcam præſtabat obedientiam.
Nihil in parendo videt, niſi qui cæcus eſt.
Obedientiæ formam
Ad diuinæ voluntatis nutum formabat ſuam,
Si tamen ſua, quæ immigrauerat in diuinam.
Deum obſequentem habuit, per omnia obſecutus Deo.
Iuſſus alijs imperare,
Imperabat magis moribus, quàm verbis,
Verbis tranſmittens monita,
Exemplis immittens etiam vires.
Hoc Patris pectori inſidebat:
Imperare ſibi maximum imperium eſt.
Iurè audit
OBEDIENTIAE VERAE VERA FORMA.
Diſce Lector.
Omnium virtutum parens parentia eſt.
Nec facilè euertitur, qui in Dei obſequiū facile vertitur.

CHARACTER VII.

BEATVS CAIETANVS THIENÆVS.

Parentum diuitum filius futurus paupertatis parens; 229
Natus diues eſt,
Diuitiarum amore ſemper mortuus,
Quas
Ad hoc tantū habuit, vt pauper nō ſolū eſſet, ſed ē̄t fieret.
Habuit diuitias, plures à diuitijs habentur,
Verè habuit, quia neglexit;
Terrena tunc verè poſſidentur, cum ſpernuntur.
Opes habuit,
Ne opibus opus haberent inopes;
Quorum erat quicquid erat Patris,
Imò quicquid erat Pater.
Sua pauperibus erogauit etiam non rogatus.
Beneficentiæ notam putabat,
Si ſuccurreret ſolum non occurreret.
Tantum potuit.
Vt diuitiarum neglectum hominibus, & ſuaſerit,
& perſuaſerit,
Mundique contemptum Mundo;
Nihil voluit ſibi, nihil ſuis.
Quibus
Vt relinquerer omnia, reliquit nihil.
Vt nihil haberent, nihil quærerent.
Diues nihil, cui nihil deeſt.
Fœcundum nihil, ex quo omnia fiunt,
Nihil omnia pendit Beatus,
Sciens ab hac mente omnia pendere.
Nihil habere voluit, qui nihil haberi quæſiuit.
Iurè audit.
EVANGELICAE PAVPERTATIS INSTAVRATOR,
Aureum namque ſeculum reuocauit
Cum homines auocauit ab auro
Diſce Lector.
Perituras diuitias ne deperea, ne pereas:
Aurea ad cælum via eſt contemptus auri.

230 *CHARACTER VIII.*

BEATVS CAIETANVS THIÆNEVS.

Orationem perpetuò coluit,
Vt ab oratione perpetuò excoleretur.
Hac velut imbre perplutus
Omnium virtutum germina produxit.
Orationem humilis ſternens ſuperbia hoſtes ſtrauit,
Quibus
Tā diſplicebat Beatus orans, quàm cælitibus placebat.
A mundi curis vacuus
Vacuam orationem non fundebat.
Salutem ægris attulit,
Spem fractis, afflictis opem.
Morientibus vitam,
Et amentibus mentem.
Sic ferè quod orabat, hoc exorabat
In Cœlo oratione degebat, oratione Cœlum factus:
Cum Angelis verſans in Angelum ferè verſus.
Terrenas res agebat extra res terrenas.
Diuinas extra ſeipſum.
A ſenſibus alienatus, à ſenſibilibus alienus.
Iure audit.
GRANDE ORATIONIS PERPETVAE MIRACVLVM.
Diſce Lector
Orationem qui frequens ſternit non facilè ſternitur.
Opus oratio informet, ne ſit informe.

Pijſſimo Patri
THEODVLO BROLLINO
Clerico Regulari S. Pauli.

Epiſt. XLIIII. Fulineum.

Oculus de Deo.

231 ACcepi litteras tuas, quæ probitatem amoremq; ſpirant ab omni parte, ſcribentiſq; mentem totam in æternæ patriæ deſiderio eſſe produnt. Ad vitam erit, quòd mortem non ſolum cogitas, ſed morti occurris, ac (quod indè ſequitur) morti te paras, bonisq; operibus (quid aliud ab hac mente ſpectem) abitioni viam ſternis. Perge, & conabor ſequi. Licèt enim, ſi annos numeremus, morti tu vicinior ſis: quia tamen mors annorum numerum non reſpicit, prior abire poſſum, qui poſtremus in hanc lucem veni. Currimus igitur ambo: ambo nos paremus: orationum nos inuicèm fuſu iuuemus. Gratum fuit, tibi opuſcula noſtra placuiſſe. Quod ex illis te multùm profeciſſe cum alijs ſignificas, à tuâ pietate potiùs fuit, quàm à libris. Omnia probo, omnia laudo: non tamen, quòd me ſuper me effers, & in illorum me cenſu locas, à quibus tàm longè diſto, quàm longè abeo à ſanctitate. Dicam, quod dixit S. Bernardus ad Carthuſienſes ſcribens: *In fine precor miſeremini mei: & ſi exultaſtis in bonis de me tantùm auditis, certè, quæſo, compatimini malis. Vidit fortaſsis, qui vobis ea narrauit, aliqua parua, & de paruis grandia æſtimauit. Veſtra autem ſinceritas facilè credidit, quod libenter audiuit. Gratulor quidem de charitate, quæ omnia credit: ſed confundor pro veritate, quæ omnia nouit. Volo vos mihi credere de me magìs, quàm alteri, qui tantùm videt in facie; nemo quippe ſcit, quæ ſunt in homine niſi ſpiritus hominis, qui in eo eſt. Dico vobis ego, qui de me loquor non ex coniecturâ, ſed ex ſententiâ: Non ſum talis, qualis putor vel dicor: quod quidem tàm ſecurus fateor, quàm certus experior, ita vt nihil malim veſtris orationibus ſpecialiter obtinere, quàm vt talis fiam, qualem littera veſtra prædicant.* Hæc ille ad illos: hæc ego eadem ad te. Et verò, quia in Epiſtolari hoc labore non nudas ſcribo Epiſtolas, ſed variæ eruditioni lito, tu quoq; tuam partem habe, vel (vt modeſtius loquar) habeant per te illi, quibus fòrs ignotum, quod ſubijcio.

OCulum de Deò dici obſeruatum mihi eſt. Sanctus Iſidorus Peluſiota lib. 2. Epiſt. 199. ità loquitur: *Illud ſcito non ſemper id laturum OCVLVM illum rerum omnium inſpectorem, qui nunc quidem pro ſua bonitate, lenitate ac patientiâ vtitur, poſteà autem graues huius criminis pœnas ab eo expetet.* Et Epiſt. 263. ità ſcribit: *Maritus autem ne factâ quidèm ipſi pro ſe dicendi poteſtate, in carcerem eum conijcit: at verò incorruptus ille OCVLVS, pudicitiæ legiſlator & arbiter, ad regium thronum ipſum euexit. Quocirca nos quoq; nec calumniam, nec obtentationem aliud quicquam eorum, quæ grauia, & acerba eſſe videntur, graue eſſe exiſtimemus: verùm peccatum ſolum.* Et lib. 4. Epiſt. 47. *Scire debes, bone vir, quòd nemo latebit illuſtriſſimum illum ac peruigilem OCVLVM, ne quidèm ſi in occultiſſimis penetralibus aliquid patrarit: aperta enim ac nuda ipſi ſunt omnia, quantumuis operta & abdita eſſe videantur.* Eodem lib. Epiſt. 85. *Præterea, cùm vellet eum occidere, timet plebem, qui tamen incorruptum illum OCVLVM nihil metuerat.* Eodem ſenſu lib. 5. Epiſt. 16. *Neq; permittet, qui omnia contemplatur, OCVLVS, virtutem à vitio ad extremum vſq; gloriari: ſuperari immò faciet, quaſe deceant virtuti ac vitio, vt debita reddantur.* Et Epiſt. 160. *Si, quod omnibus eſt notum, qui debeat in aliorum malefacta animaduertere, malefactoribus ipſis grauius puniendus eſt, ſi facere deprehenſus ſit, quæ nec ab alio fierent, prohibere debuit: cur, quæſo, tibi blandiris, tanquàm effugeris vigilem OCVLVM?* Clemens Alexandrinus lib. 7. Stro. *Totum, oculum*, Deum vocat, & totum auditum; ſic enim ille loquitur: *Totus, auditus; & totus OCVLVS eſt (vt his nominibus vtar) Deus.* 232

Porrò,

233 Porrò, quia de oculo agimus, illud non omiſerim in pancratio non licuiſſe aduerſarium mordere, nec illi oculos effodere. Legis huius meminit Elias Cretenſis in Orat. 1. Sanct. Gregor. Nazianz. dùm ait: *Pancratium ex pugnâ, & luctâ compoſitum erat. Huic porrò, qui pancratium exercebat, non tantùm lucta, ſed etiam pugna legibus vti licebat; atq; per omnes vtriuſq; certaminis modos ad victoriam eniti, hoc vno excepto, quòd aduerſarium mordere,* ATQ; OCVLOS EI EFFODERE MINIME LICERET. *Quare, qui hoc tranſgreſſus eſſet, etiamſi alijs omnibus rebus viciſſet, ac fortitudine omnes ſuperaſſet, non vt victor coronâ donabatur; verùm ab vniuerſo theatro ſugillabatur.* Scio aliter de hac re alios ſenſiſſe; res docti lectoris iudicio ſit commiſſa, hic tantùm dare volui, quod datum ab alijs eſt: qui ſeorſum voluerit ſentire firmiora producat, ac melioris notæ teſtes.

Eminen. & Reu. Cardinali

FEDERICO BORROMÆO

Mediolanenſ. Archiepiſcopo.

Epiſt. XXXXV. Mediolanum.

Quædam de Concilijs adnotata.

234 Librum, quem emiſi, ad te mitto, Emmentiſſime Federice, non exhorrui purpuram tuam, nec iudicij tui tribunal defugi. Audax audiam? Benignitatis tuæ candor, qui ſub purpura delitefcit, timoris tenebras diſcuſſit. Quid quærerem latebras, qui opus luci publicæ commiſi? E' re meâ & libri erit, ſi tu Magnus, & ad miraculum doctus, librum volues, leges, iudices, vt à tuâ cenſura melior abeat. Tibi auctor ignotus, non tu auctori; ſol latere non poteſt, non poteſt ignorari. Parum eſt ab ignoto eſſe, ab ignaro eſt. Sed recole, & in ſentibus Deum hominibus loquutum, & aquarum fontes è duriſſima petra eduxiſſe. Fecit hæc eadem in me qui me fecit. Videbis ſi librum videris, auctorem noueris. Munus ne contemne; Ieſu nomen præfert, Ieſu ſacrum eſt; lucem ab hoc nomine nanciſcitur, & gratiam, quam ab auctore habere nequit, qui opus deuenuſtat, non nobilitat. Non reiectus qui aquam manibus Regi porrexit; ego non aquam offero, ſed ſudores affectûs, & reuerentiæ manu. Excipere non renues. Exhibeo tibi librum. Non potui ſecus. Te in Libro *Chriſti Bibliothecam* dixi, librum ipſum Chriſto ſacraui; quidni igitur Chriſti librum ad Chriſti bibliothecam dirigerē? Denique cum eſſem Mediolani multa ex librorum tuorum pluteis collegi, quæ libris inſerui; omnia ante te ſiſto, vt munificentiæ tuæ fructum, quem vel in ſterili ingenij mei ſolo produxit, agnoſcas. Quia verò de Synodis, & concilijs Te, quæ potes ex varijs venari audio, Symbolum ego quoq; meum afferam, præter ea quæ ſchediaſmatis ſacroprophanis inſerui.

235 IMagines olim Patres ad concilium ſecum deferebant. Gregorius Papa II. de Sacris imaginibus ad Leonem Iſaurum Imperatorem Epiſt. 2. *At enim ſcripſiſti. Quî fit vt in ſex concilijs de Imaginibus nihil ſit dictum? Enimuero, Imperator, ne de pane quidem & aqua dictum eſt quidquam, ſit ne comedendum, an non comedendum; bibendum, an non bibendū; quandoquidem hæc antiquitus & à principio ad vitæ humanæ conſeruationem habes tradita: ſic etiam imagines traditæ fuerant, ipſiq; Pontifices* IMAGINES AD CONCILIA DEFEREBANT, *nec vllus ex Chriſti amantibus ac religioſis hominibus iter peragens, abſq; imaginibus peregrinationes obibat, vt pote qui virtute prædīti atq; apud Deum probi eſſent.*

236 Ieiunium erat obſeruandum, elemoſynæ diſtribuendæ antequam concilia eſſent celebranda. Concil. Rauennat. II. Rubr. XVI. ita decernit. *Cum certo certius ſit, quod Deus propter orationum inſtantiam ieiuniorum obſeruantiam, & eleemoſynarum largitionem maxime ſua beneficia elargitur, & ſi quolibet tempore ſit pietatis operibus indulgendum, feruentiùs tamen hæc fieri debent tempore conciliorum, & in agendis directionem inſtantiùs, atq; deuotiùs implorare. Vt igitur ad impetrandam, & obtinendam prædicta meliùs diſpoſiti inueniantur fideles, ſtatuimus, quod quoteſcunq; prouinciale Concilium conuocari contigerit, omnes & ſinguli ad prædictum Concilium conuocati per tres dies, ante ipſius inceptionem, ſeu primam ſeſſionem, plus tunc ſolitò orationibus, & eleemoſynis inſiſtentes, omnibus diebus debeant ieiunare. Cæteros verò Clericos, & Laicos de prouinciâ noſtrâ ad prædictas orationes, eleemoſynas, & ieiunia, ſicut poſſumus, exhortamur in Domino Ieſu Chriſto. Nihilominus Vener: Patres ſuffraganei per ſe alios hortentur ad prædicta pietatis opera, hortariq; faciant ſuos ſubditos, & induci.*

237 Ante Synodi celebrationem qui Parochi ſuos ſubditos infirmitate aliqua laborantes viſitare deberent, explicatur in Statut. Odonis Pariſien. Epiſt. in hæc verba: *Die Dominica præcedenti Sacerdotes, qui Cappellanos non habent in ſuis Parochijs ſemper inquirant publicè in Eccleſiâ, ſi qua ſint infirmi in Parochiâ, & tertia ſequenti die viſitent eos, ſi aliqui fuerint infirmi, etiam non requiſiti, & faciant quidquid fuerit ad ſalutem animorum, ne mora, quàm facturi ſunt in Synodo, fiat occaſio periculi: eorum nihilominùs tamen etiam ſaluti procurantes prouiſionem, quàm ſolent facere per Cappellanos vicinos, qui remanent, & Diaconos proprios.*

Cautum olim vt in Synodis ea prius tractarentur quæ ad mores, & vitæ emendationem ſpectabant, quàm alia: certè ita ſtatuit Concilium Aruernenſe cap. 1. *In primis placuit, vt quoties ſecundum ſtatuta patrum ſancta Synodus congregatis, nullus Epiſcoporum aliquam priùs cauſam ſuggerere audeat,* QVAM EA, QVAE AD EMENDATIONEM VITAE

AD SERENITATEM REGVLAE, AD ANIMAE REMEDIVM PERTINENT, FINIANTVR. Idem prorſus habetur in capitulis Caroli Magni lib. 7. num. 191.

238 Concilia ipſa munus alicui explicandarum ſcripturarum demandare aliquando ſolita non ambigo, factum id non ab vno Concilio erga ſanctum Auguſtinum teſtatur ipſe epiſt. 110. ſic enim ille loquitur. *Placuit mihi, & vobis* PROPTER CVRAM SCRIPTVRARVM, *quam mihi fratres, & Patres mei coepiſcopi duobus concilijs Numidiæ, & Chartaginis imponere, dignati ſunt, vt per quinq; dies nemo mihi moleſtus eſſet.*

Reuerendo Patri

ALEXANDRO MOMOLO

Clerico Regulari.

Epiſt. XLVI. Venetias.

Elogia in obitu Illuſtriſs. & Excellentiſs. viri Georgij Cornelij Patritij Veneti, & fratris Sereniſſimi Ducis.

239 AD tuum nutum me flexi, me finxi ad imperium tuum, ſed non fictè. Habes quod indicaſti potius, quàm indixiſti; moneri, & moueri in idem coaleſcunt; ſi quid nimia celeritate peccauero, culpam in te transferes, qui nullas ferre potuiſti moras: peccata quæ ab imbecillitate mea ſunt, prompta parentia eluet, ſicq; ab omni parte ego innocens ero, etiamſi non leuibus defectibus ſcateat leue illud, quod in obſequij ſignum tibi offero. Arbitrio tuo, tuoq; iudicio relinquo, vel illud ſupprimere vt moriatur, vel efferre, vt viuat. Fors non tanti facienda videantur hæc maximi viri Elogia, vt videantur ab alijs, quàm à te, niſi quod omnia ferè quæ de illo, aut ab illo, digna ſunt, quæ in omnium notitiam eant, vt eant in exemplum.

I.

Verè
240 *Fuit GEORGIVS, qui hîc, lector, eſt.*
Mentis ſuæ terram excoluit, cordis humum,
A quâ
Sentes, tribulos, vepres diſciplinæ ligone
Auulſit antequam ipſe hinc auelleretur.
Suam terrā excoluit cùm terrena calcauit, quæ nō ſua.
Hanc terram benè excolit, qui Cœlum ſpectat.
Solum ſuum rectè ſubegit ſubiectus Deo ſoli.
Arauit, cùm cordi ſanctitatis characteres exarauit.
Quicquid pietatem redolet hîc vberrimè adoleuit.
Virtutum germina ſemper hîc noua
Virore numquam vidua, numquam flaccentia,
In maiori ſenectute minus ſenuerunt.
Abijt iſte Colonus.
Feliciori ſolo hæc germina commiſſurus.
In Cœlum ea tranſtulit translatus in Cœlum;
Aeterno illic vere fruiturus.

II.

Quid dicam?
Vocem intercipit, qui hîc iacens amiſit vocem, 241
Dicturum obruit copia dicendorum
Laudabo?
Omni laude maior eſt,
Qui in omnibus laudabilem ſe præbuit.
Ad laudes dum meritis prouocat,
Meritorum magnitudine deterret laudatorem.
Celebrem defuncti virtutes?
Laſſetur ante calamus, quàm finem videat.
Hoc dicam, ne nihil dicam.
Omnem viri hîc iacentis vitam regulam fuiſſe,
Ad quam ſuam dirigant omnes etiam magni,
Pauperes, diuites, qui parent,
Et qui Reipublicæ clauum tenent
Quin & qui in Religioſas familias dedere nomen
Habent hîc quod imitentur
Quicquid in ſingulis laude dignum
In hoc vno extitit ſingulare.
Præeuntem ſequere
Eiſdem pennis ferri in Cœlum potes.

Adm. Reuerendo Patri

IOANNE DVRAM

Carmelitæ.

Epiſt. XLVII. Hiſpalim.

De Sacro circuitu quadam præter alibi exhibita exhibentur.

GRatia, & amor Chriſti Ieſu in corde tuo æternùm regnet, vt in- 242
nam & in meo. Oblatas mihi tuas litteras vix explicui, & me cum meo libro ante iudicij tui tribunal ſtetiſſe cognoui; expaui ſtatim ad iudicij nomen, & meæ tenuitatis, ac ignorantię conſcius contra me ſententiam ferri expectabam, qua in temeritatis pęnam ſilentij, ac tenebrarum carceri adijcerer. Aequior in me iudex fuiſti, imo non iudex, ſed defenſor, ſed admirator; non in carcerem me cum libro coniecisti, ſed à carcere ad gloriæ laudiſq; regnum euocaſti. Sententiam quam de me tuliſti æquo animo tuli, & ab amore profectam in amoris ſinu repoſui; nam in me ipſum me recipiens, & ignorantiæ meę rudera verſans, ſicuti laudi, ac famæ nullus ſcripſi, ita nullam meis laboribus commendationem deberi apertè comperi. Amor impoſuit tibi, cui ſępe noua opticę ratione grandiora videntur, quę magis diſtant.

Ita

Ita hic factum, cum me aliquid putas, qui nihil ſum; me ex meo libro metiris, & magnis me laudibus obruis, quas ferendo non ſim. Quid ſi liber meus, meus non ſit? Quid ſi dictauit ille cui illum dicaui? Hoc ſcio, doctiſſime Pater, ſi quid in eo boni ſit reperire, à ſupera nube fuiſſe, qua ſola perplui mens poteſt, vt aliquid laude dignum producat. Ego opus Dei dumtaxat deuenuſtaui. Tibi & Hiſpalenſibus tuis opus quod emiſimus placuiſſe placuit, ſed non placuiſſet, ſi meum; fuit Chriſti, cui encomiorum tuorum coronam, quam mihi indigno offers lubens ſiſto. Interim ad tanti amoris ſignum amor exilit, qui vel leui afflictu non moriturus flammas iaculatur, nec locorum ſpatijs coercetur, ſi verus eſt, & iungere etiam longè diſſitos indiſſolubili nexu poteſt. Nos Chriſti amor iungat, & nulla locorum longinquitas denectet, nulla temporum diuturnitas. Dexteram, quia ita tibi placet, tuæ porrigo in perpetuæ amicitiæ ſignum, vt cum tui ſeruus audire non merear, amicus tuus æternum audiam. Vale mi Ioannes, & cæteros tuos Hiſpalenſes quorum gratiam, vt ſcribis, iniui libro meo, meo nomine ſaluta. Vrgeamus omnes ad Patriam cui nati. Fugit hic mundus, & quicquid hic magnum, Cœlo doctùs omnis ſudar calamis, & charta fundatur memento mei apud communem Dominum, meq; tuis precibus adiuua, vt tot laboribus quibus aſſiduè premor, par eſſe queam. Si quid ab inſcitię meæ tenebris in lucem prodibit, tu cum alijs, quia ita iubes, moneberis. Prodit nunc ſecundum electorum volumen ſub vmbræ Virgineæ nomine; de ſacro circuitu, præter ea quæ in emiſſo volumine non vidiſti duntaxat, ſed & laudaſti, hęc habeo, quæ calamum tunc effugerunt.

243 ET in primis ad Sacram Eccleſiæ circuitionem hæc facere videntur, quæ habet chronicon Belgicum de Sancto ſeruatio: *Romam veniens, & ECCLESIAS CIRCVMIENS*; & paulo poſt; *More ſolito LOCA SANCTA CIRCVIVIT oraturus*; & in capitulis Caroli Magni lib. 5. num. 220. *Vt omnis presbiter die Dominico cum pſallentio CIRCVMEAT ECCLESIAM ſuam vna cũ populo, & aquam benedictam ſecum ferat: & vt Scrutinium more Romano tempore ſuo ordinate agatur*. Et Achilles Tatius lib. 3. *Percunctaturi templum CIRCVIBAMVS*.

Ad aræ circuitionem ſpectat illud, quod habet Nicolaus de moribus gentium apud Stobęum ſerm. 44. *Pueri aram quamdam legitimè CIRCVMEVNTES flagellis caeduntur, donec pauci relicti coronentur.*

Apud Hebræos alicubi hoc eſt in vſu, vt cadauere ad ſepulturam delato, poſitaq; iuxta foſſam, in quam eſt demittendum ſepties illud circumeant, idq; decem præſtant orationem pro defuncti anima recitantes; licet hunc morem aliqui non ſeruent, vt notabat R. Leo Mutinenſis in ſuo Rituali part. 5. cap. 7.

De trina circuitione hæc habentur in hiſtoria interemptionis Sanctorum Patrum, qui erant in Syna, & Rhaitu regione apud Metaphraſtem: *Qui hac offerunt Sacrificia, nulla ſolent moueri miſericordia puerorum qui occiduntur. Quod ſi quando eis ad Sacrificium tale corpus defuerit, Camellum colore album, & minime vitioſum in genua inclinantes. TER CIRCVMEVNT iacentem cum tota populi multitudine in orbem obeuntes. Præit verò, & CIRCVITIONEM, & canticum quod ab eis in aſtrum factum eſt, aut ex regibus quiſpiam, aut ex Sacerdotibus, qui ſunt ſenectute venerabiles. Qui poſt tertiam circuitionem, cum nondum canticum finierit populus, & extremam hymni partem adhuc in lingua habeat, ſtricto enſe valde percutit tendinem, & primus magno ſtudio guſtat ſanguinem, & ſic reliqui cum gladijs accurrentes, alij quidem aliquam paruam pellis partem excindunt cum pilis, alij autem quodlibet rapientes ex carnibus abſcindunt, alij autem vſque ad viſcera procedunt, & inteſtina, nullam hoſtia partem relinquentes non confectam, qua poſſit deinde videri a Sole apparente, neque enim abſtinent ab oſſibus, & medullis, perſeuerantia vincentes fortitudinem, & tandem diuturnitate ſuperantes repugnantiam. Atque hic quidem eſt barbarorum ritus vita, & religionis, & ſic viuentes in ſolitudine loca locis commutant, illic caſtrametantes vbi iumentis luxuriantia inuenerint paſcua & aquam copioſam.* 244

Priuſquam exta redderentur ter aram Pontifex cum magiſtratu circuibat. Statius 4. Thebaid. 245

TER CIRCVM ACTA PYRAS Sancti de more parentis
Semineces fibras, & adhuc ſpirantia reddit
Viſcera.

Olim idibus Ianuarij tibicines per vrbem circuibant muliebrem veſtem induentes; Plutarchus in quæſt. Rom, num. 55. *Cur idibus Ianuarij tibicinibus permiſſum eſt per vrbem CIRCVIRE, veſtem indutis muliebrem.*

Neſcio an ad Sacram circuitionē referenda ſint, quæ habet Proſperus Feſulanus in fragmentis antiquitatum Ethruſcarum niſi fabuloſus ſit liber, vt aliqui opinauere: *Supplicationes in triduum indictæ ſunt, diiq; obſecrati circa omnia puluinaria Pontifices, Sacerdotes, Preſes, Senatores, & magiſtratus omnes ciuitatem CIRCVMIVERE.*

Apud Anglos qui extra Matrimonij ſepta mulieres cognouerint, cereum manu geſtantes Eccleſiam circuire Sacerdotis imperio iubebantur. 246 Æneas Siluius proœm. ad lib. 1. de dictis Alphonſi regis; *In Anglia, inquit, quæ quondam Britannia, qui extra matrimonium mulieribus commiſcentur deprehenſi Sacerdotis imperio die feſto in proceſſu Cleri ac populi adeſſe iubentur, & retentis femoralibus nudi Eccleſiam CIRCVIRE ardentem cereum manu geſtantes. Si quē pœna pudet, is auro noxam redimit.*

Obedientiæ circuitum alibi commendabam, & efferebam; addo hic illum in bono circuire, qui cæcus eſt. *Sicut equus*, Inquit B. Vmbertus, *videns non eſt idoneus CIRCVIRE ad molam: ſic qui in religione eſt, non eſt aptus volubilitati obedientiæ, NISI OCVLVS PROPRII SENSVS EI ERVTVS FVERIT. Proprius ſenſus eſt conſiliarius infidelis: de quo non eſt confidendum: eò quod nimis coniunctus eſt carni. noli conſiliari cum ſocero tuo.*

Impiorum circuitum peritè depinxit Caſſiodo-

rus lib. de amicitiam, dum ait: *Iterum autem mens elusa, quæ sibi fœlicitatis imaginem in re præsagiebat inutili, dum post rei desideratæ obtentum, maiori se sentit indigentia laborare, præoptata incipit fastidire, & denuò in alterius rei succeditur appetitus: non tamen satianda, sed alterius falsa fœlicitatis imaginatione fallenda.* HIC EST CIRCVITVS IMPIORVM: *hæc est vituperatio multorum commorantium in circuitu. Hæc est mola Samsonis, quàm decisis virtutum crinibus, & effossis prudentiæ oculis circumuoluit sequens cupiditatum circuitum etiam relictæ compendio cantatis: Caput, inquit, circuitus eorum labor labiorum ipsorum operiet eos.*

Eminentiss. & Reuerendiss.

FRANCISCO BARBERINO

S. R. E. Cardinali.

Epist. XLVIII. Romam.

Ministerium quid; de Sacerdotalibus vestimentis nonnullæ obseruationes.

247 Lineas nonnullas duxi, Eminentissime Francisce, in sacræ, ac prophanæ eruditionis puluere: Loquuntur id volumina quæ edidi, & præcipuè illud, quòd hunc titulum effert; Schediasmata sacro-prophana, quòd & Tibi, & quod maius Patruo tuo Pontifici Maximo placuisse, cui illud inscriptum iui, vt cæteris sit mirum, mihi est etiam gratum; & vel hac sola probatione vrgeri me ad alia sentio, quę paris, aut supparis notæ sunt; vix putem posse alicui laborem displicere, qui à tàm magnis tàm magni fit. Porrò cùm in Epistolis, quas nunc vulgo, pleraque feram, quæ in voluminibus iam emissis omissa sunt, mearum partium esse credidi, aliquam illorum partem sub nominis tui tutelâ locare, quæ obsequium in te meum, ac cultum semper loquerentur, etsi non loquantur. Accipe igitur, quæ de ministerij nomine, Sacerdotalibusquè vestibus obseruabam; hæc quidem Agno Eucharistico inseri aptè poterant; sed cùm excusus iam liber sit, non fuit mihi liberum hæc omninò præterire; & licet magno volumini non sint addita, erunt tamen sub magno nomine locata, & grandis voluminis vicès supplebit grande nomen.

Ministerium aliud aliquando significat, ac
ob vsa huius vocis præferat notio, ministe- 248
ria Sacra, seù Diuina dicuntur de Sacra supellectili, cuius in Missæ sacrificio vsus est. Concilium Aruernense cap. 1. num. 3. *Obseruandum ne pallis vel* MINISTERIIS DIVINIS *Defunctorum corpuscula obuoluantur.* Et num. 7. *Ne ad nuptiarum ornatum* MINISTERIA DIVINA *præstentur, ne, dum improborum contactu, pompâque secularis luxuriæ polluuntur, ad officium sacri Mysterij videantur indigna.* Eodem sensu sumitur ministerium in Concilio Toletano XVII. num. 4. vbi ait: *Sacerdotum quorundam improbanda voluntas, & infausta temeritas sacrosancta sibi commissa* ALTARIS MINISTERIA *atque cætera Ecclesiæ ornamenta, non solum quia alijs tradunt pro suis nequissimis actibus abutenda, sed (quòd peius est) suis ea non pertimescunt vsibus adiungere in sumenda.* In collectione Canonum Orientalium eadem vox sumitur pro vasis sacris num. 41. *Non liceat cuilibet* MINISTERIA *tangere nisi Subdiacono, aut Acolytho in secretario vasa Dominica.* Ministerij nomen hoc sensu adhibuit etiam Concilium Valentinum cap. 20. *Vt thesaurus, siue* MINISTERIVM, *vel ornamentum Ecclesiarum fideliter deuotioni eorum, qui hæc vel ad honorem domus Dei, vel ad sustentationem familiæ Ecclesiasticæ, si necessitas exegerit, obtulerunt, custodiatur, nec quicquam ex eis iuxta constitutionem canonicam fieri præsumatur. Placet firmatum.* Et Gregorius Toronensis lib. 6. Historiæ Francorum cap. 21. *Vasatensis Ciuitas incendio concremata est, ita vt Ecclesia & domus Ecclesiastica vastaretur.* MINISTERIVM *tamen omne ereptum fuisse cognouimus.* Et lib. 7. cap. 35. *Nec mora, ad propinquas exercitus cum reserare templi valuas non valeret, ignem accendit: consumptisque astijs, omnem substantiam, cunctamque supellectilem, quam in ea inuenire potuerunt, cum sacris* MINISTERIIS *abstulerunt.* Et lib. 7. Hist. Francor. num. 58. *Nocte sequenti, ij, qui primi erant, omnes thesauros, quos in Vrbe reperire potuerunt, cum* MINISTERIIS *Ecclesiæ clam abstulerunt.* Idem fecerat idem Auctor lib. 3. Hist. Francor. num. 10. vbi ait: *Childebertus inter reliquos thesauros* MINISTERIA *Ecclesiarum preciosissima detulit; nam sexaginta calices, quindecim patenas, viginti Euangeliorum capsas detulit, omnia ex auro puro, ac gemmis preciosis ornata: sed non est passus ea confringi; cuncta enim Ecclesijs, & Basilicis Sanctorum dispensaui, ac tradidit.* Et Beatus Gregorius Papa lib. 2. Epist. 29. vbi ait: MINISTERIA *earundem Ecclesiarum vbi sint recondita, solicita indagatione perquire, quibus repertis ad nostram notionem perducere festinato: vt cognoscentes quid fiendum sit, adiutore Domino disponamus.* Sanct. quoq; Paulinus hoc sensu Epist. 12. cecinit:

Hic locus est veneranda penus quâ conditur, & quâ
Promitur alma sacri pompa MINISTERII.

Vestimenta quibus ministri sacri in sacris vtun- 249
tur contingere laicis vetitum lego. Stephanus Papa I. Epist. decret. 1. ita decernit: *Vestimenta, quibus Domino ministratur, cultusque diuinus omni cum honorificentiâ, & honestate à Sacerdotibus, reliquisq; Ecclesiæ ministris celebratur, & sacrata debent esse, & honesta. Quibus alijs in vsibus (quum Deo, eiusq; seruitio consecrata & dedicata sint) nemo debet frui, quam Ecclesiasticis, & Deo dignis officijs. Quæ nec ab alijs debent* CONTINGI, AVT FERRI, NISI A SACRATIS HOMINIBVS, *ne vltio, quæ Balthasar Regem percussit super hæc transgredientes, & talia præsumentes veniat diuina, & corruere eos faciat diuina vltionis iustum flagellum ad ima.*

Quanta

Quanta reuerentia Sacerdotalia veſtimenta à
250 Sacerdotibus excipienda ſiot, hac ratione docet Ioan. Euſeb. lib. 3. cap. 10. *Conſidera interim quando ad ſacrificium accedis, præceptum tibi eſſe à Patre Aeterno, vt ſubſtitutus ad mortem ſis pro Chriſto quando ſacris veſtibus indueris, nihil aliud agis, quàm coronam ſpineam de manu Chriſti traducere in caput tuum, veſtem eius induere, funibus eius ligari, & onerari cruce. Conſidera quid agas; & tam deuotè accipe veſtimenta ſacra quæ acciperes ab ipſa manu Chriſti inſignia paſſionis ſuæ, quæ ille plus quàm cœlos, quos vides æſtimabat. Iam dum exit Sacerdos veſtitus, quam innumerabiles Angeli comitantur illum ſi pauciores fuiſſent creati, potius poſſes putare defuturos aliquos cœlo, & cuſtodiæ hominum, quàm comitatui, & aſſiſtentiæ Sacerdotis celebrantis. Cùm Rex vices ſuas alicui tribuit, & delegat ad negotium proprium Regis, & auctoritatis publicæ, optimates, & equites comitantur legatum etiamſi relinquant Regem ipſum, & curiam: ſic Angeli ad Vicarium Chriſti honorandum, & aſſiſtendum accurrunt; præcipue cum ibi etiam honorent ipſam perſonam Regis ſui, & domini gloriæ, qui præſens ſit admirabili modo in Miſſa. Quàm humilis, quàm verecundus debet prodire Sacerdos.*

Altaris linteamina veſteſque Sacerdotales à Sa-
251 cerdote, vel Diacono abluebantur, aut à probatæ vitæ Matrona, ſeù Virgine; in ſynod. Galon. hæc leguntur: *Linteamina Altaris, & indumenta Sacerdotalia nonniſi à Sacerdote, vel Diacono, vel aliqua bona Matrona, vel Virgine, ſine appoſitione aliorum pannorum conuenienter, quando opus fuerit, abluantur, ita vt munda, & nitida conſeruentur, quia nimis abſurdum, ſordes eſſe in veſtibus ſacris, quæ dedecerent etiam in profanis.*

Sacerdotum, ac Diaconorum munus erat corporalia abluere, quòd ſuperpelicio induti præſtare iubebantur, in Synod. Galon. ita ſtatuitur: *Sacerdos ſiue Diaconus corporalia ſæpè abluat, indutus ſuperpelicio in vaſe mundo ad hoc ſpecialiter deputato, omnes verò ablutiones ſi fieri poteſt in piſcina reponantur, vel ſaltem prima, cætera autem in Baptiſterio.*

Calix poſt Miſſæ celebrationem panno mundiſſimo inuolui iubebatur. In Synod. Galon hæc habentur: *Calix poſt Miſſam panno mundiſſimo inuoluatur, nec miniſtri eò intùs tergant, ſed alio ad hoc ſpecialiter deputato, qui dum non ſatis decens fuerit vetuſtate attritus in ſacrario comburatur.*

Ampullas ex ſtanno formatas adhibitas in Miſſæ ſacrificiis indicant hæc Synod. Galon. verba: *Ampullæ quoque vini, & aquæ in miniſterio Altaris ſint, mundæ, integræ, nitidæ ſtanneæ, ſiue argenteæ. Ad ablutionem quoque manuum vas grande deputetur.*

Ampullæ iſtæ nec ligneæ, nec cupreæ eſſe poterant, nec ſine operculo; In Synodal. Eccleſ. Trecenſ. hæc habentur: *Ampullæ in miniſterio Altaris decentes, & cooperculum habentes integræ, & mundiſſimæ ſunt habendæ, quas eſſe ligneas non licet, nec cupreas.*



Pijſſimo Patri

ANGELO ALBERTO

E Societate Ieſu.

Epiſt. XLIX. Mediolanum.

De Choreis, & ſaltatione, & curſu.

Legi, mi Alberte, quæ de Choreis, 252
imò quæ in Choreas ſcripſiſti, & digna cenſeo, quæ legantur ab omnibus, vt deſinant mortales inſanire. Angelorum Choreas, quas ſcilicet Angeli circa Diuinum numen agunt Sancti Patres expreſſerint, & extulerint, alius nobis Angelus alias Choreas ſcripto exhibet, aut cautè exercendas, aut tutius eliminandas. Tu vide, ne mundo hoc opus inuideas, vt minus malus ſit, quia tam bonus eſt tuus liber, & eo mitius quò altiùs ferit. Ego quoque in riſu, meo Sardonico tela nonnulla contra ſaltus, Choreaſque contorſi, præter ibi dicta, hæc etiam obſeruabam, quæ & in cultum offero, & vt vel hac arte opus tuum à te extorqueam, quo ſatiatiſſimè verſas hoc argumentum, & quòd maiorem laudem ſecum fert, ſolidè & aptè.

Feſta Diaboli tunc agi, cum tripudia, & Cho- 253
reæ celebrantur aſſeruit Sanctus Ephræm. ſer. de lud. *Vbi*, inquit, *Citharæ, aut Chori, aut plauſus manuum, ibi virorum tenebræ; mulierum perditio, Angelorum triſtitia, & Diaboli feſta.*

Non defuit, qui ſaltatores, & choreas ducentes iis comparauerit, qui à Dæmone ſunt correpti: Sanctus Andreas Cretenſis Archiepiſcopus Ieroſolymitanus orat. de amputatione capitis venerandi Prophetæ, & Præcurſoris Ioannis Baptiſtæ, quæ extat apud Metaphraſtem, ita loquitur: *Quod autem non eſt plenum turpitudine corpus, quod celeriter mouetur, & membra, quæ tanquam turbo rotantur? Quæ ſunt reuera ſimulacra eorum, qui ſunt correpti à Dæmone.* Quin eo infeliciores obſeſſis à Dæmone ſunt, quòd hi coactè hanc pœnam patiuntur, choreas verò ducentes ſpontè illam eligunt.

Alphonſus Aragonum Rex. *Saltatorem ab inſano nihil differre inquiebat, niſi quod hic dum ſaltat, ille dum viuit inſanus eſt*; vt refert Panormitanus lib. 1. nu. 45.

De balationibus, & ſaltationibus ante marty-
rum Baſilicas ita ſentit S. Auguſtinus ſerm. 215. 254
Iſti infelices, & miſeri homines qui BALATIONES, ET SALTATIONES ANTE IPSAS BASILICAS SANCTORVM *exercere non metuunt, nec erubeſcunt, & ſi Chriſtiani ad Eccleſiam venerint, Pagani de Eccleſia reuertuntur, quia iſta conſuetudo balandi de Paganorum obſeruatione remanſit.*

Saltauiſſe olim circa Aras indicant hæc Plutar-
chi

chi verba in Theseo: *Simulachrum hoc anfractuum Labyrinthi, & egressuum ad certos modos alterius peragitur gyris. Hoc genus saltatus dicitur à Delijs (vt memoria prodidit Dicæarchus) Grus.* SALTAVIT CIRCVM ARAM *Ceratonem, quæ ex cornibus erat omnibus sinistris compacta.* Athenis peregrinis saltare inhibitum lege erat. Plutarchus in Phocione: *Demacles diuitijs sibi placebat, vel per nefas quippè cum Athenis id temporis* LEGE CAVTVM ESSET NE SALTARET PEREGRINVS, *aut mille drachmas choragus mulcta solueret, omnes peregrinos saltatores centum numero exhibuit, simulque multam pro singulis in theatrum attulit millenas drachmas.*

255 Histrio olim saltu aliquid populo significabat, idque præco multitudini pronuntiabat. Meminit huius moris Sanctus Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 25. *Illa signa* QVÆ SALTANDO FACIVNT HISTRIONES, *si natura non instituto, & consensione hominum valerent, non primis temporibus saltante Pantomimo præco pronuntiaret populis Charthaginis, quid saltator vellet intelligi. Quòd adhuc multi meminerunt senes, quorum relatu hæc solemus audire. Quòd ideò credendum est, quia nunc quoque si quis theatrum talium nugarum imperitus intrauerit, nisi ei dicatur ab altero quid illi motus significent, frustra totus intentus est. Appetunt tamen omnes quandam similitudinem in significando, vt ipsa signa in quantum possunt, rebus, quæ significantur similia sint.*

256 Quicum alijs currunt citiùs vertiginem patiuntur quàm qui soli; ita obseruabat Theophrastus lib. de Vertigine. *Cùm enim dextra corporis pars robustior sit propellit magis, & intro agit, quippe læua imbecillior est. Et qui cum multis currunt magis, & citiùs vertiginem patiuntur quam si soli sint. Nam præterquàm quod in orbem se circumuertunt aspectus. & iam ipse incurrentes proijcitur motumque alterum agitationemque efficit, quippè cerebro continuus transit enim ab externis ad intima, vt quando ab alterutro vertigo fiat à capitis inquàm rotatione, & ab intuitu continuò rei, quæ in orbem mouatur, consentaneum sit, & magis, & ocyus ab vtroque fieri. Quòd autem ab aspectus motu vertigo contingat, perspicuum in multis est.* Ex quo obiter discere potes, quàm proniores ad lapsum illi sint qui malorum consortio obsepiuntur; & Choreas cum multis ducunt.

Nonnullos in Choreis varias bellatorum actiones referre solitos, refert Nicolaus Godignus in vita Gonzali Syluerię lib. 2. cap. 4. vbi de moribus illorum agens, qui Tongem incolunt hæc habet: *Choreas exercent, variasque in ijs bellatorum actiones imitantur. Nunc enim vel obsidentes vrbem hostes, vel ciues ab hostibus obsessos, nunc milites repente cohortos, multis simul partibus inimica castra inuadentes; nunc acies ad ineundum prælium aperto in campo. Hinc inde expositas; nunc alia eiusdem generis compositis artificiosè saltibus mirificè referunt. Ad hæc spectacula prodeunt, tum rebus alijs, tum etiam Leonum ac Tigrium pellibus, aliorumque animalium exuuijs, more suo diligenter exornati, pelles sic implicant corpori, vt cum pede stantes in vno, summa celeritate se in gyrum vertunt, amplos in orbem aperiant sinus; quòd inprimis magnificum, & visu delectabile apud ipsos existimatur. Cùm dissolutis Choreis ad suum se quisque locum recipit, captam pede arenam tam altè proijcit, vt aciem vincat oculorum.* Hactenus hic Auctor.

Nostri Æui Theol. insigni P.

FRANCISCO AMICO

Societatis Iesu.

Epist. L. Vienam.

De cordis eleemosyna; eleemosyna sigillo.

LIbrum tuum, quem primo excudisti libens, mi Amice, vidi, & 257
libentius legi; nec legi tantùm, quædam etiam in rem meam operi, quòd molior, de omnium scientiarum axiomatis inferenda, exculpsi; gaudeo datam mihi occasionem nominis tuis cum laude producendi; scio te mea commendatione non indigere, nominis tui pondere meum opus indigebat; quòd scribis nostra apud tuos grata extitisse, gratum fuit; calcar alijs in lucem educendis auctorum animis admouet, si Lectores iam edita probent, nec ferant tantum, quę data, sed etiam efferant; vestigia igitur mea premam; & edam alia, quia alia edidi; posteriora non minus placitura spero, quàm priora placuerint; cedant omnia in Dei laudem, & legentium vtilitatem, nam humanæ laudi nullus scripsi, nec illius amor me corripuit. Tu quoque, mi Pater, perge, & quę editioni parasti iam ede, auidè à nobis expectantur, quæ promisisti; soluens fidem tuam, nos ligabis. Obsigno, & litterariam tesseram ex more subijcio, de cordis eleemosyna ago, non quòd ditare te paupertate mea velim, sed quòd scriptionis huius tenuitati, quòd in alijs etiam soleo, hac industria consultum cupio. Vale Vir doctissime, & me inter præcipuos tui cultores cense.

QVænam sit *Cordis eleemosyna*, & qui distet ab
eleemosyna, quæ manu quę pecuniâ fit, pe- 258
rite, vt solet, explicat Sanctus Augustinus lib. 50. Hom. Hom. 6. *Scito*, inquit, *frater charissime, quia duæ sunt eleemosynæ.* VNA CORDIS, ALIA PECVNIAE. *Eleemosyna cordis est, dimittere ei à quo læsus es. Nam dare aliquid indigenti, aliquando quæris, & non habes. Indulge peccanti, quantum volueris, redundat tibi. Aurum, & argentum, vestem, frumentum, vinum, & oleum, potest fieri, vt aliquoties non habeas vnde pauperibus tribuas: vt autem omnes homines diligas, & hoc alijs, quòd tibi ipse velis, & inimicis tuis indulgeas, nunquam te posteris excusare. Quia si in cellario, vel in horreo non habes, quòd dare*

possis

poſſis, de theſauro cordis tui poteſt proferre, quod tribuas. Et cum omnibus hominibus, etiam ſi ſola ſit bona voluntas, ſufficiat, & eleemoſyna cordis multò maior ſit, quam eleemoſyna corporis, quis eſt, qui vel vmbram excuſationis poſſit prætendere?

De hiſce geminis eleemoſynis idem Sanctus Pater hæc quoque habet Hom. 42 ex 50. *Securus mitte orationem. Habebis alas duas, geminas eleemoſynas. Quid eſt, Geminas eleemoſynas? Dimittite, & dimittetur vobis: date, & dabitur vobis. Vna eſt eleemoſyna,* QVAE FIT DE CORDE, *quando fratri tuo dimittis peccatum. Altera eleemoſyna, quæ fit de ſubſtantia, quando panem pauperi porrigis. Ambas fac, ne ſine vna ala, & altera remaneat oratio tua.*

Ex Cordis penu ea quoque eleemoſyna eſt, qua quis acceptas iniurias dimittit, iramq; omnem aduerſus proximum ponit. Peritè vt ſolet idem Sanctus Auguſtinus ſerm. 71. de diuerſis. *Quid dicam de illo opere miſericordia, vbi nihil de Apothecis, nihil de ſacculo impenditur,* SED EX CORDE DIMITTITVR, *quòd magis ſi maneat quam ſi recedat incipit eſſe damnoſum? Iram dico, aduerſus aliquem in corde ſeruatam.*

259 Cordis quoque eleemoſyna dici poteſt, quam quis cum aliter non poteſt ſaltem orationum fuſu exhibet, & preces offert, quum pecuniam non poteſt. Bonus ille mos, quem ſeruaſſe legimus B. Lohelium cuius hęc verba in eius actis referuntur. *Conſuetudo mihi eſt inuariabilis, vt omni petenti ſi facultas adſit, tribuam; aut ſi egeſtas prohibet, in cuiuslibet auxilium ad patrem miſericordiarum ſuſpirans* PATER, ET AVE RECITEM.

Quantum eleemoſyna illa præſtet, quam quis viuens præſtat illi, quàm fieri poſt ſuam mortem iuſſit commiſitq; hæredibus, vix poteſt explicari. Rectè ſcitus ille auctor cenſuit, dum dixit: *In vita ſua qui ſua diſtribuit* PLVMBVM IN AVRVM CONVERTIT, *qui poſt mortem largiendam eleemoſynam committit hæredibus, is* AVRVM CONVERTIT IN PLVMBVM.

Vtilem in eleemoſyna largienda negotiationem exerceri, docet Sanctus Chryſoſtomus haſque eſſe Chriſtianorum nundinas aſſerit Hom. 5. de pænitentia, dum ait: *Producitur hodie bona negotiatio eleemoſyna. Videmus enim captiuos, & pauperes, videmus in foro quoſdam circumferri clamitantes, videmus lachrymantes, videmuſque ſeſe humili nobis quodam flectentes applauſu:* NVNDINÆ NOBIS PROFECTO MIRABILES SVNT, *harum, nulla eſt alia profeſſio, & negotiatori nulla alia intentio, quam paruo quidem emere, magno vero vendere: nam ea cuiuſque negociantis induſtria. Num negociationis alia ratio eſt, quam quòd minori empta, maiori pretio vendat, atque multiplicatam ſibi ſummam inueniat? Tales igitur nobis Deus* NVNDINAS PROPOSVIT: *modico iuſtitias eme, quo multò vendas in ſeculo futuro, ſi quidem oportet coemptionem appellare retributionem. Hic modico iuſtitia emitur, pro panis fragmento, vili pro veſtimento, pro calice aquæ frigida.*

260 Pauperibus pedes abluere feria quinta Hebdomadæ Sanctæ veteris fuit inſtituti, vſuque iam tritum illud non adeò obſeruatum, manus etiam aliquorum ablutas. Veteres conſuetudines Floriacenſis cœnobij ſic ſe habent: *Domo verò Abbas vſque ad oſtium eleemoſynæ procedit, alijs ſequentibus, ſicut ſunt Priores. Tunc Dom. Abbas, vel ſi ipſe abſens fuerit, Armarius incipit, Dominus Ieſus. Et mox ſuper genua, venia ab vniuerſis petitur. Et poſt Dominus Abbas, & cum eo vnus, vel duo de Choro ſuo, acceptis conchis, & aqua, incipiunt lauare pauperibus pedes, & totidem alij de alio Choro eodem modo poſt eos, & alij poſt illos, ſicut ordo illorum eſt, venientes. Poſtquam autem quiſque ſuo pauperi lauerit pedes* EODEM MODO LAVANT ALIIS ET MANVS, *reincipientes à Prioribus, & oſculari debent pedes, & manus.*

Eleemoſynam ſignaculo comparatam luculenter probaui primo ſacrorum electorum volumine lib. 3. idem habet Sanctus Chryſoſtomus Hom. 23 in Ioannem: *Eleemoſyna tanquam ſignaculum eſt eam poſſidentibus*; Græcè, σφραγὶς, *ſigillum*; atque adeò, nec noua hæc metaphora eſt, nec inſolens.

De eleemoſyna illud non præterierim, nimirum martyrij titulo à non nemine donatam? *Cum ſecundus ſanguis* pecunia dicta ſit, quid niſi pecuniæ effuſio in pauperes ſecundum potuit martyrium dici? Feſtiuè ille auctor. *Non potes martyrium per ſanguinem ſubire? pro vena marſupium aperi, & pecuniam, qua ſecundus ſanguis dicitur, diſtribue pauperibus*, ET SECVNDAM MARTYRII SPECIEM CONSEQVERIS. Nos ab hac parte felices, qui omnia reliquimus, vt totos nos Dei manciparemus obſequio.

Illuſtriſſ. Reuerendiſſ. Viro

ROBERTO PAPAFAVÆ

Abbati Sancti Nicolai.

Epiſt. LI. Patauium.

Quædam de athletis, luctatoribus, & certaminibus.

MIrum: fontes à riuulis aquam poſcunt, à fluminibus mare. 261
Quæris, vt, ſi quid rarioris obſeruatus circa athletas, ac certatores apud me habeam, ad te transmittam. Rarum hoc obſeruo: te à me iſta poſtulare, quæ faciliùs ex eruditionis tuę penu poteras depromere. Quid igitur? imperio tuo excuſſo, te ad te ipſum mittam? Arguendus non viderer, ſi id feciſſem. Obuium etiam erat, te ad eos libros adlegare, qui ſatiatè de hoc argumento tractant; & ſignatè ſi aliquid ex meo volebas, ad meos, in quibus non ſemèl de athletis egi, & luctatoribus. Sed quia, pręter alibi dicta, aliqua adhùc habeo ex noſtris authoribus ferè deſûpta, & vt iuſſibus tuis paream, apparere hic volo: ſicq; aliqua promptę parentię laus ſit, cùm eſſe ſolidæ eruditionis vix queat. Tuum erit hæc pauca meliori veſte donare, illuſtrare, cenſere, & alia addere. Meo officio functus abundè fuero, ſi ſegnis ad imperia non extitero.

Athle-

262 Athletæ olim aliundè aduenientes summo plausu, ac hominum concursu excipiebantur, si insignes extitissent, coronisque plurimis donati. Ità Sanctus Chrysostomus in Prol. in Euang. Ioann. *Qui agonum certamina spectare consueuerunt, quùm insignem quempiam athletam, & coronis plurimis donatum, aliundè profectum intelligunt: omnes certatim concurrunt, vt eius luctas, artemque, & corporis robur conspicentur: & videre quidem nonnunquàm vniuersum theatrum licet multis hominum millibus inundans, qui & corporis, & animi oculos penitus intendant.*

Athletas victos non secùs ac victores quandoq; coronatos obseruo. Indicat hoc Sanctus Ambrosius, qui, rem ad Deum flectens, hæc ait de Pœnit. lib. 1. cap. 4. *Quàm indignum autem, cùm apud homines valeat certaminis gratia, vt apud Deum non valere asseratur? Nàm sæpè in hoc Athletarum certamine etiam victos, quorum fuerint certamina probata, vulgus hominum cum victoribus coronare consueuit, maximè quos viderit aut fortè dolo, aut fraude excisos victoriâ. Christus ergo Athletas suos, quos viderit grauibus paulispèr cessisse supplicijs, sine veniâ patietur manere.*

Christi Athletas, & huius seculi luctamina luctaturos nos esse, idem Sanctus Pater tali pacto significat lib. 1. de sacram. cap. 2. *Occurrit tibi leuita, occurrit Presbyter, vnctus es quasi Athleta Christi, quasi luctamen huius seculi luctaturus; professus es luctaminis tui certamina. Qui luctabitur, habet, quod speret. Vbi certamen, ibi coronâ. Luctaris in seculo, sed coronaris à Christo; & pro certaminibus seculi coronaris.*

263 Athletæ olim auribus munimenta admouebant. Indicat Plutarchus, ac rem ad puerorum institutionem transfert lib. de Audit. *Itaque Xenocrates aurium munimenta pueris potius, quàm Athletis, applicari iubebat: quòd horum aures verberibus, illorum mores verbis peruerterentur. Neque ille auditionis vacuitatem, aut surditatem commendabat: sed hortabatur, vt tantispèr ab audiendis prauis sermonibus abstinerentur, dum bona orationes tanquàm custodes ingenio Philosophia educatione appositi, eam regionem occuparent, qua maximè oratione mouetur atque ducitur.*

A gymnicis certaminibus fœminæ auocabantur, ne, pugnantium nudata intuentes corpora, pudorem denudarent. Laudat hanc legem Philo lib. de Special. legib. *Laudandi sunt gymnicorum certaminum præsides, qui fœminas arcent ab huius generis theatris; ne, viros nudatos contemplata, probitatem pudoris deprauarent, contemptis natura legibus, qua insigniter discreuit vtrunque sexum nostri generis.*

De certatorum oleo à gymnasiarchâ exhibito hæc exhibet Vulpianus in orat. Demosth. contra Leptin. vbi munus præbendi olei refert ad ipsum gymnasiarcham: Γυμνασίαρχος δ' ὁ παρέχων τὸ ἔλαιον τοῖς γυμναζομένοις: idest: *Est gymnasiarcha, qui oleum præbet his, qui se exercent.*

264 Certamen inter panes & homines fuisse, cùm panes Diuinitus multiplicarentur, festiuè dixit Eusebius serm. in quarta Dominica Quadrages. *Non sunt panes nisi quinque: manducantes autem plus millibus quinque. Illi manducant: panes crescunt. Certamen fit inter panes, & homines. Vincunt panes: superantur homines. Illi sufficiunt: isti deficiunt. Nisi enim manducare homines cessarent, fortasse in infinitum panes creuissent. Sic igitur & cibus spiritualis, sic panis vtriusque Testamenti: quantò plus comeditur, tantò amplius crescit. Nonne vides, quomodò panis iste mihi quoque in faucibus crescit? Pauca enim verba sunt, qua exponuntur; qua siquis comedendi auidus, & ruminandi validus, qui & dentes fortiores, & stomachum saniorem haberet, ruminare adhùc & plùs frangere voluisset; multas adhùc delicias ex his parare sibi potuisset.*

Apud Lacedæmones ex Lycurgi lege ea tantùm certamina permittebantur, in quibus manus non tollebatur: cætera interdicta erant. Ità indicabat his verbis Plutarchus in vitâ Licurgi. *Iàm de certaminibus, quòd sola ea ciuibus non vetasset obire, in quibus manus non tollatur. &c.*

265 In certaminibus flagris cædebantur, qui, antequam iuberentur, surgerent. Plutarchus in Apophteg. *Adimanto nauali pugnâ cum hoste decernere trepidante, & sibi Græcos ad eam cohortanti atque animanti dicente: O Themistocles flagris cædere moris est eos, qui in certaminibus priùs, quàm iubentur, surgunt. Respondit: Na itá est, Adimante: sed neque coronantur, qui iusto tardiùs prodeunt.*

Luctatores quotidiano vsu membra durabant, vt victoriam consequi possent, & coronâ donari. Ità Sanctus Ambrosius lib. 1. Offic. cap. 10. *Qui viribus corporis legitimoq; luctandi certamine coronam petunt, quotidiano vsu palæstra durantes membra, nutrientes patientiam, laborem assuescunt.*

Certatores exercitij causâ vtres arenâ implebant, & gestabant. Indicat istuc Sanctus Chrysostomus serm. de Charit. & morem ad mores versat in hunc modum. *Nonnè, & certatores spectasti, qui exercendi se gratiâ, vel* VTRES ARENA COMPLENT, ET GESTANT. *Quòd tamen vt agas, haud sanè necessarium fuerit, abundat enim hac vita eo hominum hoc genere, qui & exercere te possint, & fortiorem reddere.*

266 In amphitheatro pauci venatores multis vrsis, cùm quibus pugnarent, plerumquè opponebant. Duos nouem oppositos, exhibet nobis Sanctus Augustinus lib. ad Cathecum. cap. 2. *Non ergo vos, dilectissimi, illud spectaculum crudele inuitet intueri, nouem vrsis duos altercantes venatores: sed delectet videre vnum nostrum Danielem orando superantem septem Leones. Discerne, spiritalis amator, certamina. Vide duos noxios voluntate: vide vnum innocentem, & plenum fide. Vide illos pro præmio terreno suas animas bestijs obtulisse: vide istum in oratione clamantem: Ne tradideris bestijs animas confitentes tibi. In illo spectaculo contristatur editor, si venator euadat illæsus, qui et plures bestias interemit: in isto nostro sine ferro pugnatur, nec Daniel læditur, nec fera occiditur; & sic vincitur, vt rex miretur atque mutetur, & populi pertimescant, & inimici desperent. Admirabile spectaculum nostrum: planè mirabile, in quo Deus adiuuat, fides vires impetrat, innocentia pugnat, sanctitas vincit.*

Quænam belluæ, quinam gladiatores nobis perimendæ, peremendi, docet opportunè Sanctus Paulinus Epist. ad Alethium: *Non gladiatores, nec belluas enim: sed quibus veros gladiatores, hoc est harum tenebrarum Principes, perimas, agis: & quibus veras bestias, hoc est omnem Zabuli virtutem, superes; & presso impiuè vestigio conculces Leonem, & Draconem.* Athletarum exemplo nos hortabatur Sanctus Chrysostomus ne in inferioribus coronam quæreremus. Sic ille loquitur Ho. 17. in Epist. ad Rom. *Athleta vbi certat, ibi & probari cupit: tu, cùm in superioribus certes, in inferioribus coronari quæris? Et quidnam poterit hac amentiâ peius fieri?*

767 Olim iuniores, qui in Olympycis Pythijsue certaminibus exercere se volebant, non illius tantùm, qui certaminibus præsidebat, iudicio probabantur; sed totius populi; nullâque respersus infamiâ esse debebat, nec seruitutis vinculo obstrictus. Rem habet Ioannes Cassianus lib. 5. cap. 12. & versat

stat in hunc modum: *Qui in agone contendit, non coronabitur, nisi legitimè certauerit. Qui naturales appetitus carnis optat extinguere, extra naturam vitia collocata primitùs superare festinet. Si enim Apostolicæ sententiæ vim volumus experiri, quæ sint agonis Mundani leges ac disciplina, primitùs debemus agnoscere; vt ita demùm harum comparatione scire possimus, quid nos in spirituali agone certantes B. Apostolus hoc exemplo voluerit edocere. In illis enim certaminibus, quæ, secundùm eundem Apostolum, corruptibilem coronam vincentibus parant, mos iste seruatur: vt is, qui se ad gloriosam coronam, & immunitatis priuilegio decoratam præparare contendit, & perfecta cupit agonis subire certamina, priùs in Olympiacis ac Pythijs certaminibus indolem suæ iuuentutis, ac rudimentorum robur ostentet: in his siquidem iuniores, qui has disciplinas cupiunt profiteri, vtrùm mereantur, vel debeant ad eos admitti, tam eius, qui istis certaminibus præsidet, quàm totius populi iudicio comprobantur. Cùmq; diligenter examinatus, quis primùm repertus fuerit nullâ vitæ respersus infamiâ; deindè non seruitutis iugo ignobilis (& ob hoc indignus disciplinâ vel congressu eorum, qui hanc profitentur) fuerit iudicatus; tertiò, si artis, si fortitudinis digna præferat documenta; &, iunioribus coæuisq; decertans, peritiam pariter ac virtutem suæ demonstrauerit iuuentutis; ac, proficiens de ephœborum lactamine, perfectis iam viris, & experientiâ longâ probatis, congredi permissus fuerit præsidentis examine; seq; non solùm parem virtuti eorum assiduâ colluctatione probauerit, verùm etiam frequenter inter hos quoq; victoriæ palmam fuerit consequutus: tum demùm ad agonis præclara certamina merebitur peruenire, in quibus non nisi victoribus tantùm, & his, qui multarum coronarum stipendijs decorati sunt, facultas conceditur decertandi.*

268 Athletæ quùm ad pugnã victoriamq; pararẽtur, vt à lautioribus cibis abstinerent, & à iucundiori potu, sic explicat Tertullianus lib. ad Martyr. c. 3. *Nempè enim, & athletæ segregantur ad strictiorem disciplinam, vt robori ædificando vacent. Continentur à luxuriâ à cibis lætioribus, à potu iucundiore, Coguntur, cruciantur, fatigantur. Quantò plùs in exercitationibus laborauerint, tantò plùs de victoriâ sperant. Et illi, inquit Apostolus, vt coronam corruptibilem consequantur. Nos, æternam consequuturi, carcerem nobis pro palæstrâ interpretemur, vt ad stadium tribunalis benè exercitati incommodis omnibus producamur; quia virtus duritiâ extruitur, mollitiâ verò destruitur.*

Athletarum more cedendum esse aliquando vt vincamus, peritè his verbis docebat S. Gregorius Nazianzenus orat. 3. de Pace ad fin. *Cedamus, vt superemus. Videte palæstræ leges, athletarum certamina, qui ex eo plerumq; quòd humi se deprimunt, aduersarijs supernè incumbentibus victoriam extorquent. Nos æmulemur.*

269 Cùm nudi athletæ pugnarent, ne facilè caperentur, oleo inungi solitos, vt capti ex antagonistæ manibus elaberentur, & notatum ab alijs, & notum doctis omnibus est. Rem aptè & vtiliter ad spiritale certamen transfert S. Nilus, cuius hæc sunt verba in Asceticis: *Nudum, immò verò, & vnctum oportet certare: nuditas enim facit, vt luctator ab aduersario apprehendi non possit: vnctio autem, vt, si quando fuerit comprehensus, elabatur. Propterea luctatores puluerem aduersarijs conantur aspergere, vt olei lenitatem iniectu pulueris exasperent, atq; ita faciliùs eos apprehendere valeant. Iam, quod illic est puluis, id in nostro certamine est in rebus terrenis occupatio: &, quod illic est oleum, hic est quietis studium ab omni sollicitudine vacuum.* Sed in hoc amentia hominum apparet: quòd in certamine corporeo luctatores ab aduersarijs puluere adspergebantur; in spiritali ipse homo, tanquàm sui aduersarius, puluere se adspergit lubens, ac volens se terrenis rebus miscet, & mundanarum rerum cogitatione affectuq; se taminat.

Rem pauló aliter versat S. Ambrosius Procem. in Lucam, vbi pietatis oleum in veritatis requiri 270
certamine monens ait: *Nudus malitiæ athleta, pietatis oleo spirituali velùt quadam animæ membra perfusus, suscipit certamina veritatis.* Deniq; cùm in vitia ipsa certamen sumimus, nobis ipsa lectio Sacra olei vice deseruit; & vt fortiores reddamur, & vt superiores simus, si cum aduersis rebus pugnamus; vt firmi ad fortunæ ictus stemus, nec deijciamur: pro oleo nobis Sacra lectio sit, facilè sic victoriam consequemur. Festiuè rem habet S. Cyrill. Alexandrinus de Festis Paschal. serm. 4. sic enim scribit: *Neq; verò quispiam ex ijs, quæ diximus, arbitretur, difficile admodùm atq; arduum esse victoriam obtinere. Iniungat verò potiùs huiusmodi hominem Paulus clamans: Fidelis autem Deus, qui non permittet vos tentari supra id, quod potestis; sed faciet cum tentatione prouentum, vt possitis supportare.* Vides Dei verba athletas innngere, & fortes reddere, vt non solùm aduersantia omnia sustinere patienter valeant; sed etiam vt vincere gloriosè possint. Vires hoc oleum addit, & mentis lacertos, lectione sacrâ oblitos, fortiores reddit. Accipe S. Ambrosij verba in Psal. 118. qui adhùc illustriùs nobis succinit. *Athleta*, inquit, *nisi exercitio palæstræ priùs fuerit assuefactus, non audet subire certamen. Vngamus igitur oleo lectionis nostros mentis lacertos.*

In aurigarum certamine si aduersa pars equum 271
perdidisset, clamabant tanquam victores. Meminit huius moris, quem etiam irridet, Sanctus Augustinus de Symb. ad catechumen. cap. 2. vbi, Ecclesiæ spectacula circi spectaculis præferens, ait: *Fugite, dilectissimi, spectacula: fugite caueas turpissimas diaboli, ne vos vincula teneant maligni. Sed, si oblectandus est animus, & spectare delectat; exhibet vobis S. Ecclesia veneranda ac salubria spectacula, quæ, & mentes vestras oblectent suâ delectatione, & in vobis non corrumpant, sed custodiant fidem. Amator est quispiam circi? Quid delectat in circo? Aurigas videre certantes, populos insanâ furiâ anhelantes, quemlibet celerem præcedentem, aduersarij sui equum frangentem? Ista est omnis delectatio: clamare quia vicit, quem diabolus vicit: exultare, & insultare, quòd aduersa pars perdiderit equum; cùm is, qui tali spectaculo delectatur, iam perdiderit animum. Vide è contra nostra sancta, sana, suauissima spect. Intuere in l. Act. Apost. claudũ ex vtero matris nunquam ambulantem, quem Petrus fecit currentem: vide subitò sanum, quem anteà intuebaris infirmum; &, si in te est sanitas mentis, si in te fulget ratio æquitatis, ac delectatio salutis, vide, quid debeas expectare; vide, vbi debeas exclamare: illic, vbi equi sani franguntur; an hic, vbi homines fracti saluantur. Sed, si te pompa illa, figura ea equorum, compositio curruum, ornatus & auriga superstantis equos regentis, vincere cupientis; si hæc te (vt dixi) pompa delectat: nec hanc tibi denegamus, qui pompis diaboli renunciare præcepit. Habemus & nos spiritalem nostrum aurigam, Sanctum Prophetam Heliam, qui, quadrigæ igneæ superimpositus, tantum cucurrit, vt metas prenderet Cœli. Et, si aduersarios, quos & vera virtus vicit, & quos ille volando transijt, atq; ex quorum victoria palmam supernæ celsitudinis accepit, videre desideras; currus Pharaonis, & omnem virtutem eius proiecit in mare.*

Cum Deo luctatum Iacob legimus, vt fortis 272
con-

contra Deum fit pronunciatus Geneſ. 32. 28. Sed quo ſe telo armauit, quibus pugnauit armis? Amore. Beatus Thomas de Villanoua Conc. 3. in Aduent. ità ſcribit: *Homo cum Deo luctatur totâ nocte, & percutitur homo, ſed vincitur Deus. Femur hominis emarcuit in certamine; ſed, licèt claudus, gloriatur tamen, quia in luctâ victor euaſit. Vnde dictum eſt ei: Si contra Deum fortis fuiſti, quantò magis contra homines præualebis? ſed undè victor? Quibus armis? quo telo? Vtiq; non alio quàm amore. Hic hominis amor, violentus Cælum inuaſit, Paradiſi atrium potenter irrupit, Omnipotentem Deum carneis vinculis alligauit, vniuerſa eius abſtulit arma; & ſpolia eius diſtribuit, diuitias eius immenſas hominibus dedit, ac ipſum maieſtatis Dominum triginta tribus annis ligatum hominis obſequio mancipauit.*

Eruditiſſimo Patri
LVDOVICO CRESSOLIO
Societatis Ieſu.

Epiſt. LII. Romam.

Cur à Græcis Philoſophi pluris quàm oratores fierent; Philoſophi habitus; & pleraq; alia.


273 EPiſtolam tuam ob amorem, quem ſpirat, valdè æſtimo: ob elegantiam, quâ eſt referta, effero & laudo. Quò ad amorem tecum curabo ità contendere, vt vinci nolim, etiam cùm vincor; ſciens in amoris certamine palmam mereri, licèt non percipiat, qui obtinere conatur. Quò ad ſcriptionis nitorem patiar vinci, nec auſim quidem manum tecum conſerere. Sine me in amicitiam transferre, quod poſſem in ſermonis, & ſtili cultum. Sed, verbis omiſſis ad rem venio. Quem de Rhetoribus antiquis librum edidiſti, diligenter percurri, & doctrinæ tuæ diuitias vel in exiguo opere vidi non exiguas. Obſeruabam (ſed tu fors ante me, cùm librum iſtum formares) apud Græcos pluris Philoſophos æſtimari ſolitos quàm Oratores: quia nimirùm rhetores benè dicendi modum docebant, Philoſophi verò (quòd maius magiſq; faciendum) bene viuendi. Voluit iſtuc Lactantius lib. 1. cap. 1. de Falsâ relig. ***Nec tàm de rebus humanis benemeretur, qui ſcientiam bene dicendi affert, quàm qui piè atq; innocenter docet viuere. Idcirco*** MAIORI IN GLORIA PHILOSOPHI, QVAM ORATORES, FVERVNT APVD GRAECOS ***:illi enim rectè viuendi doctores ſunt exiſtimati, quod eſt longè præſtabilius; quoniam benè dicere ad paucos pertinet, benè autem viuere ad omnes.*** Ego in horum numero velim potiùs, quàm illorum, eſſe. Tu me tuis precibus iuua, vt ſim, quòd dico, immò & quod dicor.

DE profanis Oratoribus audiendis hæc habet Plutarchus de auditione: *Oportet, factis ſtudio audiendi cum ambitione inducijs, placido animo audire, tanquàm ad Sacrum conuiuium, aut Sacrificij primitias inuitatum; vimq; oratoris, ſicubi ſcopum ſuum aſſequutus eſt, collaudare.* Quod aptiùs de Sacris Oratoribus dicatur.

Philoſophi nobis habitum graphicè dipingit Tatianus Tirius orat. contra Græcos, vbi hæc habet: *Quid magnum aut admirandum agunt Philoſophi veſtri? Incedunt enim altero ex humeris neglecto, capillitium demittunt copioſum, barbam alunt, vngues ferinos gerunt, & cum nihil ſe deſiderare dicant, indigent tamen ſecundum Proteum, cortario propter peram, textores propter tunicam, lignario propter baculum; diuitibus demique, & coquo propter gulam.* Sed ita vt alia adijciam, non ſuæ notitiæ augendæ, ſed vt ſaltem rerum varietate Epiſtolæ huius leuitati medear.

Olim ſeruum manumittendum ducebant, ad Eccleſiam, libellusq; recitabatur, ſignificabatq; Dominus, ſeruum illi fidem in omnibus ſeruauiſſe. Memini huius ritus Sanctus Auguſtinus, eoq; fideles vrget, ait quippè ſerm 5. ex 40. nuper editis: *Seruum tuum* MANVMITTENDVM MANV DVCIS IN ECCLESIAM. *Fit ſilentium. Libellus tuus recitatur, aut fit deſiderij tui proſecutio. Dicis te ſeruum manumittere, quod* TIBI IN OMNIBVS SERVAVERIT FIDEM. *Hoc diligis, hoc honoras, hoc donas premio libertatis. Quicquid potes facis; facis liberum, quia non potes facere ſempiternum. Deus tuus clamat ad te, & in ſeruo tuo conuincit te. Dicit tibi in corde tuo, duxiſti ſeruum tuum de domo tua ad domum meam. Vis eum de domo mea liberum reuocare in domum tuam. Tu quare male ſeruis in domo mea? Das illi quod potes: promitto tibi quod poſſum. Tu facis liberum ſeruantem tibi fidem, ego te facio ſempiternum ſi ſeruaueris mihi fidem. Quid adhuc argumentaris contra me in animo tuo? Redde domino tuo, quod laudas in ſeruo tuo. An forte tibi tantùm arrogas vt te dignum putes, qui ſeruum fidelem habeas quem dicis comparaui: & ego non ſum dignus, qui ſeruum fidelem habeam quem creaui? Hæc tibi loquitur Dominus tuus intus, vbi non audit niſi tu, & ipſe tibi loquitur, qui vera loquitur.* 274

Reos quandoq; hebræi ad mali pœnam cum damnarent, in exilium mittebant, *cum epigraphe* EXVLIS HVMERIS IMPOSITO, *qua eius exilij cauſam ediſcerent, qui legerent,* vt ex eorum monumentis notauit Gaffarellus.



Re-

Reuerendo Patri

MICHAELI GHISLERIO

Clerico Regulari, & Sacrarum Litterarum peritia nobili.

Epiſt. LIII. Romam.

De ferreis circulis à pœnitentibus geſtari olìm ſolitis.

275 AMica tua Epiſtola amicum animum prodit; & faces mihi ſubdidit, quibus ardentiùs feror in opus, cui manus iàm admoui. Primum meorum laborum volumen percurriſſe te ex tuis intelligo,& à te maximè probari. Edam, quia ità non ſolùm mones, ſed etiam rogas, reliqua volumina, quæ iàm paraui. Vtinam det mihi Deus ea perficere, quæ perficienda alijs indico;ne calamus meis moribus aduerſetur, & aliud vitâ dicam, aliud ſcriptione: alioquin torporis mei, & negligentiæ meæ teſtes ipſos, quos emitto, libros ſum habiturus, ſi eò me non extulero, quò alios libris meis voco. Vnus mihi finis hic: vt ſcriptis meis non maior dicar; ſed melior fiam, & alij per me tales. Huic rei precum tuarum opem poſco; & facilè feres, cùm eòdem tu feraris, & idem ſentias. Plura non addo, ſed ex more (quem in amicos ſeruo) nomini tuo dico, quod de circulorum ferreorum geſtatione pœnitentibus vſitatâ obſeruabam.

276 GRauibus onuſti ſceleribus olim hac pœnitentia premebantur: vt nuda membra ferreis circulis arctè reuincirent; ſicq; vincti & onuſti ad varia Sanctorum Sepulchra ſe conferebant ob pœnæ huius liberationem. Ad hunc morem ſpectat, quod habet author anonymus lib. 4. de Mirac. & translat. Sancti Ioann. Abb. cap. 6. *Ob admiſſum facinus quidam, ferri pondere vtriſq; brachijs acerrimè coarctatus, dùm diuerſa Sanctorum perluſtrat domicilia, vnius vinculo promeruit releuari. Cùmq; alterius acri diutiſſimè dolore torqueretur, iamq; infelicis ærumnam pietas Diuina miſereri decerneret, ſomno monitus eſt, id, quod reſtabat, leuaminis ad venerandi Ioannis Sacroſanctum Corpus eſſe perquirendum; eius meritis plenitudinem huius reſeruatam eſſe ſalutis. Eo comperto, ad Sancti Cœnobium anxius tetendit: quò cùm peruentum eſſet, orationem lachryma, lachrymas remedia mox proſequuta ſunt: ità namq; nexus vinculorum, eatenus inſolubiles ab hominis corpore, quàm celerrimè reciderunt; vt, Diuinum id fuiſſe opus, nemini dubitare licuerit: cumq; vt nexibus exemptum corporeis, perinde quoq; Beati viri obtentu noxijs animi reatibus abſolutum, palàm fuit aduertere; supernâ vtrunq; operante prouidentiâ, cui familiariſſimum eſt, cùm corporum, tum animarum quoq; propenſius curare ſalutem.* Et lib. 5. cap. 2. hęc

Aloyſ. Nouar. Tom. Vnus Var. Opuſc.

idem author de eodem more habet: *Quendam ciuam fratricidam vidimus ob huiuſmodi flagitij immanitatem in colli, & brachiorum, pectoris quoq; & lumborum circuitu, in pœnitentia munere* CIRCVLOS HABENTEM FERREOS: *qui, cùm ideo multa Sanctorum peragraſſet loca, duo, qui erant adhærentes, circuli, collo, & pectori eius, meritis eorum eeciderunt. Tandem Romam cùm perueniſſet, Diuinamq; ſuper hoc diu præſtolaretur clementiam nihil heſitans, Cœleſti meruit conſolari reſponſo, quærere Confeſſoris Chriſti Ioannis locum ſibi præcipiente, & ſub quo territorio eum reperire quiuiſſet innoteſcente, liberationemq; ab eo promereri ſpondente à tanti ponderis pœnitentiæ enormitate, cui & ille nimis reſiſtebat. Peruenit ergo illuc; & dum adeſſet ſuper hac re gratulabundus interuentu ipſius, reſidui, qui erant in brachijs, & lumbis, circuli ſubitò diruti apparuerunt. Quamobrem non eſt ambigendum, eum ipſorum cœtui aggregatum, quibus ligandi atq; ſoluendi indita eſt poteſtas.*

Qui manducetur iniquitas (vt hoc quoq; adijciam) exponit Sanctus Auguſtinus in Pſal. 48. *Manducatur ergo iniquitas. Forsè aliquis dicit: Quid eſt, quod loquitur: Manducatur iniquitas? Non ego dico: audi ſcripturam. Sicut vua acerba dentibus vexatio eſt, & fumus oculis; ſic iniquitas vtentibus eà; qui manducauerit enim iniquitatem (ideſt, qui libenter habuerit iniquitatem) non poterit manducare iuſtitiam; panis enim iuſtitia eſt. Quis eſt panis? Ego ſum panis viuus, qui de Cœlo deſcendi. Ipſe eſt panis cordis noſtri. Quomodò, qui manducat ore corporis vuas acerbas, obrigeſcunt, & obſtupeſcunt dentes eius, & minùs idoneus fit ad manducandum panem; & remanet illi laudare, quod videt, & manducare non poſſe: ſic & qui iniquitate vſus eſt, & paſtus peccatis in corde, incipit non poſſe manducare panem: laudat Verbum Dei, & non facit.*

Reuerendiſs. Patri

COSTANT.NO CAIETANO

Abbati.

Epiſt. LIV. Romam.

Magni peccatores olìm à concionatoribus cui rei populo monſtrarentur.

ANimus in me tuus animum mihi 277
addidit, vt te hac fiduciâ conuenirem. Opus molior de Chriſtiani Orbis admirandis. Auxiliarem manum admouêre non pauci, quos adiui: admouebis & tu, nam te hoc fine adeo. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ peritia quâ es inſignitus, & aptum te huic officio faciet, ac facilem reddet; præſertim cùm doctrinam tuam humanitas tua, & facilitas animet, & velut informet. Fac igitur, vt dicas aliquid aut ſaltem indices. Interim, dum accipio, quod poſtulo, tu accipe, quod non poſtulaſti. Fallor: merita tua magna maius aliquid facilè poſtularunt: ſed tenuitas mea, & mea pauper-

tas offerre nisi hæc obuia potest. Tu offerentis potiùs affectum pende quàm rei oblatæ exiguitatem. Quod de peccatoribus, qui concionatoribus olim sistebantur, obseruabam, ne in morem meum peccem, tibi sisto.

278 *M*Agni anteà peccatores, qui meliorem vitam, pessimâ damnata, amplectebantur, publicè quandoq; populo post concionem monstrabantur, vt illorum misererentur, funderentq; pro illis orationes ad Deum. Egit istuc S. Augustinus; nam post tractat. in Psal. 61. de mathematico resipiscere volente statim subdit: *Illa Ecclesia sitit etiam istum, quem videtis, bibere vult. Simul etiam vt noueritis, quàm multi in commixtione Christianorum ore suo benedicant, & in corde suo maledicant; iste ex Christiano, & fideli pœnitens redit, & territus potestate Domini, conuertitur ad misericordiam Domini: seductus enim ab inimico, cùm esset fidelis, diù mathematicus fuit: seductus seducens, deceptus decipiens, illexit, fefellit, multa mendacia locutus est contra Deum, qui dedit hominibus potestatem faciendi, quod bonum est; & non faciendi, quod malum est. Iste dicebat, quia adulterium non faciebat voluntas propria, sed Venus; & homicidium non faciebat voluntas propria, sed Mars; & iustum non faciebat Deus, sed Iupiter; & alia multa sacrilega non parua. Quam multis eum putatis Christianis nummos abstulisse? Quam multi ab illo emerunt mendacium, quibus dicebamus: Filij hominum vsquequò graues corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium. Modò (sicut de illo credendum est) horruit mendacium, & multorum hominum interitum. Se aliquando à Diabolo sensit illectum: conuertitur ad Deum pœnitens; putamus, fratres, de magno timore cordis accidisse. Quid enim dicturi sumus? Nunquid si ex Pagano conuerteretur mathematicus, magnum quidem esset gaudium? sed tamen posset videri, quia sic conuersus est, clericatum quærere in Ecclesiâ. Pœnitens est: non quærit nisi solam misericordiam. Commendandus est ergo, & oculis & cordibus vestris. Eum, quem videtis, cordibus amate, oculis custodite. Videte illum, scitote illum; & quacunq; ille transierit, fratribus cæteris, qui modò hic non sunt, ostendite illum; & ista diligentia, misericordia est, ne ille seductor retrahat cor & oppugnet. Custodite vos: non vos lateat conuersatio eius, via eius, vt testimonio vestro nobis confirmetur, verè illum ad Dominum esse conuersum; non enim silebit fama de vitâ eius, quando sic vobis, & videndus, & miserandus offertur. Nostis in Actibus Apostolorum esse scriptum, quia multi perditi (idest talium artium homines, & doctrinarum nefariarum sectatores) omnes codices suos ad Apostolos attulerunt; & incensi sunt libri tàm multi, vt pertineret ad scriptorem æstimationem eorum facere, & summam pretij conscribere; hoc vtiq; propter gloriam Dei, ne tales etiam perditi desperarentur ab illo, qui nouit quærere, quod perierat. Perierat ergo iste: nunc quæsitus, inuentus, adductus est. Portat secum codices incendendos, per quos fuerat incendendus; vt, illis in ignem missis, ip se in refrigerium transeat. Sciatis eum tamen, fratres, olim pulsare ad Ecclesiam ante pascha; ante pascha enim cœpit petere de Ecclesiâ Christi medicinam: sed, quia talis est ars, in quâ exercitatus erat, quæ suspecta esset de mendacio atq; fallaciâ, dilatus est, ne tentaret; & aliquandò tamen admissus est, ne periculosius tentaretur. Orate pro illo Christum. Prorsus hodiernam precem pro illo fundite Deo nostro.* Tu quoq; funde pro illo, qui hæc obseruabat: nec hodie tantùm, sed quotidiè, donèc nos Cœlum excipiat, Deus beet. O quandò?

Reuerendo Patri

FRANCISCO MANCO

Clerico Regulari.

Epist. LV. Madritum.

De assatis carnibus quædam notata.

*M*Itte (si placet) eas litteras mittere, quæ minorem fòrs laudem merentur, quò maiores 279
laudes continent, quibus me obruis, non exornas. Affectui tuo plenè litas, dùm me effers: vide, an veritati. Ab hac solùm parte laudari fortasse possem, quòd nullam laudem quæro, nullam volo, nullam amo; quia mereor nullam. Iunge preces encomijs, vt audiam, quod audio; & per te esse merear, quod à te dicor. Pro laudibus solidius ego aliquid repono, tuoq; nomini eo inscriptum. In Eucharistico Agno aliqua de assatis carnibus dedi: alia quædam de hac eâdem re post voluminis editionem mihi obseruata, quæ Epistolæ huic inserta ad te transmitto, vt in omnium notitiam eant cum Epistolâ ipsâ. Rem seorsìm hic habe, & me ama.

*A*B assatis carnibus religiosè aliquos olim religiosos abstinuisse obseruatum mihi est. In 280
Chron. Vuindesemen. lib. 1. cap. 32. hæc de Ioanne Huesden habentur: *Quatuor verò puncta ante extrema sua fratres rogauit: videlicèt, vt cibum & potum in vasis ligneis seu lapideis, & nunquàm in stanneis sibi apponi procurarent; &, cùm iter agerent, equitare deuitarent; & vestes petiatas, & benè detritas deferre non negligerent; carnesq; bullitas aliter uè decoctas (sed nunquam veru assatas) manducarent.* Idem habetur lib. 2. cap. 5. & causa etiam adijcitur: *Carnes tamen lixas seu bullitas suo tempore manducabant, eò quòd facilioris sine digestionis, gulositatisq; minoris; & nunquàm carnes frixas verubusq; assatas, eò quòd interiora constringant, & carnis voluptatem appetitumq; carnalem, qui nequam est, soleant prouocare.* Sed præstat, quia hic sumus, alia de carnibus etiam non assatis dare.

De carnibus myrto, & lauro in Sacrificijs im- 281
positis hæc habet Cœlius Rhodiginus lib. 7. cap. 29. *Qui Persicos ritus diligentius animaduersos litteris mandarunt, illorum magos, quò Sacrificijs præficiuntur, carnes super myrto, & lauro positas tradunt subtilibus virgis adurere; mòx oleum lacte melleq; permixtum conspergere, ac comprecari, fasciculos ex myricâ pertenues manu tenentes.*

Singulare est, quod in carnis esu vsuq; seruant Calicutiæ populi. In descript. Indiæ orient. part. 9.

hæc

hæc leguntur: *In more poſitum habent, vt, qui nobiles ſunt, quemadmodum & rex ipſe cum vniuersâ familiâ ſuâ aulicâ, carnibus, piſcibuſque omninò abſtineant; nec quicquam, quòd vitam habuit, comedant. Verùm à communi plebe conſuetudo hæc minimè obſeruatur: tàm enim carnibus quàm piſcibus (carne tamen ſuillâ exceptâ, quæ ipſis abominationi eſt) veſcuntur.*

282 Quòd de carnis eſu poſt diluuium conceſſo habet Sanctus Baſilius, ad mitiorem ſenſum vocat Gennadius in Cat. veter. Patr. Græcor. cap. 9. Geneſ. vbi ità loquitur: *Quid eſt, quòd de comedenda carne certam legem tulit? Deus ſimul hominem creauit: fructus tantùm, qui de ſegetibus arboribuſq; leguntur, in eſcam elargitus eſt. A diluuio verò maiori vſus eſt libertate: non tamen vt aliquo modo animas reficeret, corporaque labefactata; ſed vt ſic homines afficeret, vt maiores culpas deuitarent: prouidebat enim fore quandoquè, vt in eam dementiam dilaberentur, vt vel bruta animalia dedicarent in templis. Admouet igitur pulpamentum, vt impietatem amoueat. Extrema vtiquè inſania eſt, paratis ad cibum ſupplicare; præſertim, cùm ex his multa ſint impura, quæ ne in ciborum quidem cenſu referri debeant.*

Inſignis corona, caro Chriſti eſt. Hinc illud B. Thomæ à Villa-nouâ conc. 2. in die Natal. Dom. *Corona noſtra caro Chriſti eſt. Per hanc Regnum Cœlorum poſſidemus: per hanc in Regnum Cœlorum ingreſſum habuimus; nullus enim, quantùmuis perfectus, & ſanctus, ante hanc potuit Regni Cœlorum gloriam poſſidere.*

Adm. Reu. Patri

CORNELIO DE FRISE

Ord. Reformat.

Epiſt. LVI. Hiſpalim.

Adiuratio per venturum Iudicem fidelibus olim vſitata.

283 NVlla tàm diſſita loca, quæ amoris adfectuſque inter diſſitos amicos animo tamen coniunctos (alioquin amor non eſſet) auram quandam per litteras (vt ità loquar) vehendam impediant. Amor nutritur fouetúrque per litteras, quæ hanc beneuolentiam ſpirant: mutuâ amicitiâ & verborum quodam imbre perplutus animorum affectus adoleſcit. Ab hac causâ eò tecum libentiùs hoc Epiſtolarum iter tero, quò gratior mihi amicitia, quam tecum iniui. Sed, inquies, firmior ea eſſet, ſi litteris non indigeret: nam arbores quoque, vbi creuerint, aquam non expoſcunt. Fors non talis arbor amicitia; aut, ſi ſit, vt illæ, quę hęrent terræ, imbrem è cœlo cadentem non reſpuunt; ità & ipſa, humanam licèt alioquin non exigat, Diuinam tamen, cœleſtemque non reijcit, quæ ſemper oppottuna, & amori perficiendo, euehendoque ſemper apta; vt non mireris, ſi Epiſtolæ iſtæ, quæ ad amicos feruntur, ſecum aliquid ferant, quòd aut è Cœlo ceciderit, aut ducat ad Cœlum, aut certè ſapiat quid cœleſte. Hac notâ ne prorsùs careat hæc Epiſtola, hanc notam habe de ſupremi venturique Iudicis adiuratione fidelibus priſco æuo vſitatâ.

FIdeles olim per venturum Iudicem adiurabant. Diſces id mecum ex Sancto Gregorio, 284
qui lib. 1. Epiſt. 24. ità loquitur: *Quia tanti quotidiè caſus imminent, vt mentem ſimul obruant, cùm vitam corporalem necant: unde fratres ſanctiſſimi* PER VENTVRVM IVDICEM ROGO, *per multorum millium Angelorum frequentiam, per Eccleſiam primitiuorum, qui conſcripti ſunt in Cœlis, ſub hoc paſtoralis curæ onere laſſeſcentem orationis veſtræ interceſſione me adiuuate, ne ſuſcepta me pondera vltra vires premant.* Alios hac eâdem formulâ cuſos, alibi obſeruaui.

Clariſſimo Viro

CAROLO DE LA MONACA

Veram ſalutem in eo, qui eſt vera ſalus.

Epiſt. LVII. Aletium.

De Clericis quædam notata.

MVltum mihi, multum ſcriptis meis tribuis, Vir doctiſſime: 285
me nimium effers, effers nimiùm mea. Vis, quid ſentio, dicam? Vereor, ne iudicium tuum ſub affectûs & amoris pondere vacillet. Quæ ego ſcripſi, veniam potiùs quàm laudem merentur. Tu, illâ omiſsâ, totus in iſta es, & calamo habenas laxas, vt in mei laudem liber excurrat. Felix ab hac parte ſum, quòd ſcribere aliqua potui, quæ tibi non diſplicerent, nec illis omnibus, qui parem cum tuâ mentem circumferunt. Placet hîc te illis verbis alloqui, quibus ſuum Simplicianum alloquebatur Sanctus Auguſtinus; nam hoc loco omnia aptiſſimè cadunt. *Vnde tanta exorta eſt felicitas*

litterario labori noſtro, quo in librorum quorundam conſcriptione ſudauimus, vt à tuà dignatione legerentur? niſi quia Dominus, cui ſubdita eſt anima mea, conſolari voluit curas meas, & à timore recreare, quo me in talibus operibus neceſſe eſt eſſe ſolicitum; nec vbi fortè indoctior, vel incautior, quàmuis in planiſſimo campo veritatis, offendam. Cùm enim tibi places quòd ſcribo, noui cui placeat, quoniam quis te inhabitet noui. Idem quippè omnium munerum ſpiritualium diſtributor, atque largitor per tuam ſententiam confirmabit obedientiam meam. Quicquid enim habent illa ſcripta delectatione tua dignum, in meo miniſterio dixit Deus: Fiat, & factum eſt. In tua verò approbatione vidit Deus, quia bonum eſt. Hæc ille ad illum. Hæc eadem, vt ego vſurpem, eadē occaſio vrget, imò & cauſa. Probari à probæ notæ viris quod excudimus, gratum eſt: oblatę tamen laudes eò maiorem incutiunt metum, quò maiores. Laudatus non te laudo, ne amare laudes videar, & pro illis gratias referre. Non puto te noſtro calamo indigere: efferunt te virtutes tuæ, quæ adeò te promptum, & liberalem reddunt in aliorum laudibus celebrandis. Vt me primâ hac vice laudibus obrueris, precibus deinceps iuua, vt eſſe per te poſſim, quem tu me putas eſſe; ità tamen vt bonorum operum fœtibus ſim felicior, quàm librorum. Sed tu quoque in litterario hoc obſequio partem tuam habe. Sine me tibi in cultum exhibere hæc, quæ, præter alibi dicta, notata alibi de Clericis obſeruabam.

286 CLericos aliquandò coronis, roſis vel alijs floribus contextis inceſſiſſe obſeruatum mihi eſt. Hinc in antiquis Conſtitutionibus Neapolitanis, vbi de ijs, quæ fieri debent Primâ Dominicâ Maij, quâ translatio corporis S. Ianuarij celebretur, hæc habentur cap. 36. *Omnes ſuffraganei vna cum Clero vniuerſo ciuitatis Neapolis tenentur eſſe in choro parati: videlicet Epiſcopi, & Abbates cum pluuialibus, mitris, & crocijs: Capitulum autem cum cottis, & pluuialibus: Clerici verò omnes cum cottis* CORONATI CORONIS ROSEIS, VEL ALIORVM FLORVM IN CAPITIBVS, *nec non deferre arbores ornatas floribus, & auribus diuerſis.*

Quas leges, quos ritus olim ſeruaret Clerici in congregatione viuentes, cùm foràs egrederentur, colligi ex illis verbis, quæ in ſuà Regulâ (quam ante quingentos annos Clericis ſcripſit Petrus de Honeſtis) facilè poteſt. Et ſunt iſta lib. 1. cap. 26. *Quum aliquis Clericus pro iniuncti causâ mandati egreditur, inclinato capite benedictionem petat. Cui Prior benedicens dicat: Angelus Domini bonus comitetur tecum, & Omnipotens Dominus proſperum faciat iter tuum. Vel aliquid aliud ſimile. Vbi autem ille reſponderit: Amen. Abſcedat dicens: Vias tuas, Domine, demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. Cum Gloria Patri &c. Siue alia ſimilia. Completâ igitur ſui itineris causâ, rediens Eccleſiam adeat; &, cùm breuiter orauerit, exeat, & inclinato capite, fratribus, & , ſi liceat, benedictione petitâ, mox ad Priorem pergat, & ab eo itidem benedictione ſuſceptâ, quid fecerit, & quid ſibi de iniuncto mandato contigerit, humiliter referat.*

Illuſtriſſimo Viro

FRANC.co LAVREDANO,

Patritio Veneto.

Epiſt. LVIII. Venetias.

Veneta Vrbs ſuperni Regis ærarium cur dicta, & Apoſtolica Sedes. Quædam de Sancto Marco Euangeliſta.

POſteris conſtare volo me doctrinę 287
tuæ ſplendorem & multùm coluiſſe, & cum multis. Quis te ob amabile ingenium non amet; & ob cultum, quem litteris exhibuiſti, non te colat? Mirum, te litteris vacare etiam quùm non vacas; ſicq; litteras in media Rep. tractare, & Remp. in medijs litteris, & vtrique te muneri parem ſuſpici. Cùm laudi magnæ tribuatur, ſi vnus vni ſit. Multorum calamos in tui laudem laſſaſti. ſed plures, qui calamo pepercerunt, affectui laxarunt habenas. Ego te non effero: nec enim talia tua merita, vt intra breuis Epiſtolæ anguſtias claudi poſſint. Efferri te tamen ab alijs, gaudio efferor. Et verò, dùm verba & laudes premo, promo munus: exiguum illud quidem, ſed non de re exiguâ. Patriam tuam tangit, & ab hac parte etiam te. Munus dixi, ſed litterarium eſt; atque adeò legiſſe, accepiſſe eſt. Nec (puto) improbabis, cum à meliori ſit calamo, quàm à meo. Obſeruatus ſolus meus eſt, qui obſeruantiæ erga te meæ ſignificandæ erit & aptus & opportunus.

VEnetiarum Vrbs, vt multis ſit titulis à multis inſignita, ille inſignis nec adeò tritus, quo Regis Cœleſtis ærarium eſt dicta, quin & Apoſtolica Sedes. Magna magnæ Vrbis laus, quâ ita efficitur, vt prælata cæteris videatur. Ita verò dona-

donatam, non eſt, quòd aliquis ambigat: quæri potiùs poſſit, vnde tàm nobile illa nomen ſit adepta. An à S. Marci Euangeliſtæ lipſanis, quibus eſt diues? Religio ſit hic deſiderari S. Petri Damiani verba, qui ſerm. 16. in Sancti Euangeliſtæ Marci laudes excurrens, & Venetam Vrbem euehens hoc theſauro diuitem, hæc habet. *Porrò, ſi tanta per eum dignitatis eſt Alexandria, quam glorioſo martyrij ſui cruore perfudit, vt Sedes Apoſtolica nuncuparetur: quanta (putamus) eſt excellentia felix illa Prouincia, in quâ nunc pretioſa corporis eius gleba reconditur? Nunquid non eiuſdem gratia & dignitatis eſſe credenda eſt; etſi non vulgato nomine, ſed ipſa re, & arcana ſacri myſterij veritate? Illas denique partes ingreſſus eſt, dum adhùc iam corruptibili carne mortalis exiſteret: iſtas autem elegit, cùm iam, in æternum victurus, in Regni cœleſtis aulâ regnaret. Illos emiſit, vt eos de tenebris infidelitatis ad id, quòd ipſo iam mente conceperat, veræ fidei lumen educeret: ad iſtos autem transferri voluit, vt illos ad eum, cùm quo nunc eſt, ducatorem luminis reuocaret. Gaude igitur & exultans in Domino plaude, Venetia: quia per illud pretioſi theſauri talentum, quòd in te conſtat eſſe reconditum, facta* Es SVPERNI REGIS ÆRARIVM; *&, dum in tuo gremio virum Apoſtolica gratia ſuſcepiſti, & ipſa* QVODAMMODO SEDES APOSTOLICA FIERI MERVISTI. *Quamobrem, ſicut mater Vrbium, Roma ſuper omnia regna terrarum ſublimatur in Petro; ſic & tu, velut eius inſignis filia, per Marcum gloriaris in Chriſto. Quem ſcilicet humiliter imploramus, vt, ſicut Beatum Petrum de Mari vocauit, & Naui; deinde, ne lapſus in pelagus obrueretur, erigendo continuit: ſic remigium tuum inter diſcrimina marina cuſtodiat, vt te cum filijs tuis ad portum quietis æternæ ſubducat.*

288 Et verò, quia de Sancti Marci lipſanis agimus nolo hoc tibi ſuppreſſum, aut alijs, quòd non eſt adeò obuium, alicubi ſcilicet vſum, verius abuſũ dixero, inoleuiſſe, vt in die feſto huius Euangeliſtæ ferociſſimum Taurum ad Miſſam producerent, candelam, & panem in cornu geſtantem, cùm efflagitatione, vt ferox illud animal manſuefieret. Impium hunc morem, & inſanam ſuperſtitionem damnat Romanus Pontifex, & tollendum, tollendamque iubet, vt indicat diploma, quòd rei firmandæ produco, & eſt huiuſmodi: CLEMENS VIII. *Venerabili Epiſcopo Ciuitatenſi venerabilis frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Exponi nuper nobis feciſti, apud nonnullos iſtius Diœceſis Ciuitatenſis populos inoleuiſſe abuſum quẽdam in feſto Sancti Marci Euangeliſtæ, quo die Taurus quidam ferociſſimus publicè ad Miſſam, & Proceſſionem à vicinis producitur Marci nomine, candelam, & panem in cornu geſtans magna ſanè cum diuini honoris, & animarum periculo, cum ipſimet belluæ, à fœminis præſertim, ac reliqua vulgi multitudine, quaſi è Cœlo à Deo, vel à Sancto Marco ad proceſſionem Miſſæ, veneratio, ac diuinus cultus tribuatur. Ad quod periculum quoniam & hæc ſcandala, & incommoda accedunt, primum gentilica illa ſuperſtitio affinis, ac ſimillima idolatriæ, deinde etiam mortis diſcrimen, tum diuinæ virtutis; ac miraculi cuiuſdam efflagitatio, in manſuefaciendo animali natura ſua feroci præter fœdiſſimas templorum conſpurcationes, turbarumque inter diuina officia recitationes, & riſus per omnia Eccleſiarum loca diſſolutos. Tu propterea pro tua in Deum pietate, ac paſtorali vigilantia abuſum prædictum, tanquam à religione Chriſtiana alienum tollere, atque abolere deſideras. Sed cùm homines illi plus nimio, & contra quam Chriſtianos deceat, nefandæ ſuperſtitioni indulgentes, appellationibus, & inhibitionibus violenter ſe tueantur, ac defendant, nobis humiliter ſupplicari feciſti, vt in præmiſſis prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.* Nos igitur *fraternitatis tuæ ſollertiam, & religionem ſummopere in Domino commendantes, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, Congregationis ſacrorum rituum ſententia ſupradictum abuſum tanquam Eccleſiaſticę pietati, necnon etiam ſacro ritui aduerſantem, & deteſtabilem, ijs in locis, in quæ hucuſque irrepſit, funditus tollendum atque abolendum eſſe, ſtatuimus, & ordinamus, ac fraternitati tuæ per præſentes committimus, & mandamus, plenam, & amplam ſuper hoc facultatem, & auctoritatem, vt abuſum prædictum ex omnibus, & quibuſcunque locis tuæ Diœceſis Ciuitatenſis, appoſitis iuris, & facti remedijs, alijſque Eccleſiaſticis cenſuris, & pœnis tollere, ac funditus abolere, omni & quacunque oppoſitione, & recurſu, & inhibitione poſtpoſitis, & reſectis, auctoritate noſtra cures, & cùm effectu facias. Non obſtantibus præmiſſis, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die decimo Martij. 1598. Pontificatus noſtri anno ſeptimo. Marcus Veſtrius Barbianus.*

Vides, Vir Illuſtriſſime, nil adeò Sanctum, quòd inſici Dæmonis arte non poſſit, aut populi leuitate non queat, niſi maiorum vigilantia adſit. Vale.

Emin.mo & Reu.mo Cardinali

FRANC.co BONCOMPAGNO

Archiepiſc. Neapolit.

Epiſt. LIX. Neapolim.

De Sanctorum cultu, Sanctorum lipſanis.

DIſcedere à te potui, Cardinalis
Eminentiſſime: à me tamen 289
non diſcedet memoria eorum, quæ in me humanitas tua contulit, dùm Neapoli degerem. Vt taceam cætera, quàm ſingulare illud fuit, extra ſtatum tempus Sancti Ianuarij ſanguinem, qui ebullit, & ad capitis præſentiam liquefit, niſi aliundè ſit liquefactus, videre potuiſse? Magnum, inquam, iſtuc fuit & ſui naturâ (cùm naturæ vires ſuperet) & concedentis benignitate, qui huc ſe demiſit, vt mihi tantillo rem tantam ſpectare ſingulari priuilegio dederit. Hæc & ſimilia, quæ in vrbe, cui præſides, hiſce oculis vſurpaui, hanc mihi mentem

iniecere, in Dei Sanctorumq; eius gloriam, omniumq; vtilitatem cessurum, si Orbis Christiani Admiranda, quæ in varijs Mundi partibus extant, plurimorumq; notitiam fugiunt, in vnum colligerentur ederenturq; Operi statim manum admoui: quod à te probari audio, librumq; ipsum auidè expectari. Breui, si Deus voluerit, lucem labor iste videbit. Tu interim vide ista, quæ de Sanctorum cultu, Sanctorum lipsanis obseruabam.

290 Olim pignora Sanctorum ij secum ferre consueuerant, qui flectere alicuius sæuitiem, duritiemq; mollire volebant. Adreualdus Floriacensis lib. 1. cap. 20. moris huius meminit, dùm ait: *Matfredo comite quondam Aurelianensi, ob culpam inertiæ proprijs honoribus priuato; Hodo in eius locum substituto, qui, insolentiùs grauis contra sui naturam elatus, cuncta, quæ iuri subiacebant Ecclesiæ Aurelianensis, matriculæ excepta, sed & abbatiam S. Aniani nec non S. Benedicti in propriam molitur redigere potestatem: quod monachi cœnobij S. Benedicti cernentes, consilio inito, misericordiæ Domini solius se committentes, maximam partem suorum Fratrum ad præfatum dirigunt comitem, nimia insanientem tyrannide, CVM PIGNORIBVS SANCTORVM, omnigena supplicantes prece, ne tantum incurrat piaculum, neue res sacro ordini delegatas ad nefarios transferat vsus; sed magis seruos Dei res sibi à Domino traditas libero liceat ordinare; quæ petitio nulli apud eum valuit.*

291 Reliquias Martyrum Christianis sæpè vendebant infideles, vt quandoq; tantum auri pondus peterent, quantum lipsanis ipsis responderet. Id factum præcipuè lego in Act. Sācti Hieronis Martyris; sic enim habetur apud Surium tom. 6. die 7. Nouembr. *Antonius verò, & Matronianus ad præsidem accedentes, auri permultum dabunt, vt acciperent caput S. Hieronis: ille autem; Nisi mihi, inquit, tantum auri dederitis, vt ex æquilibrio capiti respondeat, id vos non accipietis, magni æstimans vir execrandus (sed non rectà ratione) caput Martyris, reuera longè pretiosissimum. Illi autem cum id tanti non possent emere, erant animo perplexi: sed hoc quidem vt homines. Deus autem hic quoq; inuenit exitum: vir enim quidam senatorius, fidelis, & amans Martyrum, cui nomen erat Chrysaphius, cum aurum pro capite expendisset, id accepit à præside; & cum templum extruxisset pulcherrimum, vbi Sancti finem vitæ acceperant, illic hoc sacrum caput honorificè deponit, & magnificè.*

292 Sanctorum ossa aliquandò cum ossibus brutorum miscebantur, ne possent internosci, viq; debito honore carerent. Sozomenus lib. 5. Hist cap. 8. loquens de Sanctis Martyribus Eusebio, & Zenone ait: *Reliqua autem ossa, quæ ignis neutiquàm absumpserat, OSSIBVS CAMELORVM, & ASINORVM, quæ ibi proiecta erant, admiscens, adeò vt perdifficile esset ea inter ossa reperire.* Huc videtur spectasse etiam S. Gregorius Nazianzenus orat. 2. contra Iulianum, vbi indicat ità admixtas reliquias flammis obiectas. *Non iàm, inquit, Sanctorum reliquias cum ossibus contemptissimis per contemptum permistas flammis absument.*

Vino quandoq; reliquiarum thecæ ablui solebant. Anonymus Floriacensis lib. 4. de Mirac. Sancti Benedict. cap. 21. *Defertur VINVM certatim in amphoris, & alijs vasis deportando vino aptis, & funditur in eis, quatenus loto feretro, quo B. Martyris continebantur membra, ex illa potione quasi de ipsis sacris condita membris, velut de confectione aliqua medicinali, omnes potarentur. Videres mirum cateruatim confluere vniuersæ ætatis sexum, deferre cyathos, scyphos, crateres, & cuiusq; generis vascula ad suscipiendum potum.*

Olim, quadam simplicitate, campanæ sonitu Sanctos oraturi vtebantur, ac si Sanctos essent excitaturi. In Vitâ S Othonis, quam ex antiquis codicibus edidit Iacobus Greiserus cap. 26. hæc de hoc more leguntur: *Signum æris ante fores pendebat Ecclesiæ, quod simplices, cùm intrabant oraturi, QVASI AD EXCITANDVM SANCTOS PVLSARE CONSVEVERANT. Episcopus ergo, dùm ad succurrendum à muliere crebrò inuocaretur; Vade, ait, mater: vade ad Ecclesiam, quassa campanam, excita S. Adalbertum, vt te adiuuet. Abijt illa, Deum & S. Adalbertum inuocans; arreptoq; fune non priùs à pulsatione signi cessauit, quàm lumen oculorum reciperet. Videntes autem ciues, gratias agunt Domino super gratia huiuscemodi; & magis in fide Catholica roborati sunt.* 293

De Sanctorum cultu dignum recensitu est, quod de B. Mariâ Ogniacensi refert Iacobus de Vitriaco Card. cap. 8. quod ità Sanctis, & Angelis erat familiaris, vt, *cùm Sancti alicuius festus immineret dies, Sanctus ille ferias ei suas nunciabat, & in ipsis ferijs visitabat eam multos secum Beatos ciues adducens: sicq; spiritus eius cum Sancto totum illum iucundum ducebat diem. Ex familiari autem, & crebro Sanctorum colloquio id obtinuit, vt, quemadmodùm homines vicinos suos alios ab alijs internoscunt, ità ipsa Angelos, & Sanctos homines alios ab alijs posset distinguere.*

Obseruo aliquos in singulis diei actionibus auxiliatores sibi Sanctos elegisse. Beatum Vuilhelmum Præmonstraten. Ord. id factitasse colligitur ex his, quæ ille ad nos transmisit: hæc quippe scripta reliquit, quæ habentur in eius Actis cap. 28. *In actionibus diurnis dilectos patronos, & auxiliatores hos mihi elegi. In omni, & quacunque actione, quæ in die peragenda mihi est, hi sequentes simul vna conditores: Sancta Maria Mater Christi præcipua patrona omnium, Sanctus Ioannes Baptista, S. Antonius, S. Sebastianus, S. Maria Magdalena, Sancta Verena, S. Vuilhelmus, S. Norbertus, S. Bartholomeus. Ad mensam S. Ioannes Euangelista, qui in cœna Domini supra pectus eius recubuit. Ad Missam S. Andreas Apostolus. Ad horas canonicas S. Augustinus Doctor Ecclesiæ. Ad somnum Petrus, Iacobus, Ioannes Euangelista. Ad mentalem orationem D. Bernardus Abbas. Ad orationem vocalem, & priuatam S. Ioseph sponsus B. Virginis Mariæ. Ad pœnitentias D. Benedictus. D. Bernardus. Ad tribulationem quancunque Sancta Vrsula cum sodalibus. Ad studium S. Paulus, S. Catharina. Ad confessionem Sancti quindecim auxiliatores nostri. Ad Communionem SS. Apostoli Domini. Ad examen Completorij S. Dominicus Confessor. Ad conciones, & adhortationes S. Franciscus.* 294

Sanctos aureos, dictam quandam Basilicam reperio. Rem & causam habet Gregorius Turonensis lib. 1. de Glor. Martyr. cap. 62. vbi ait: *Est apud Agrippinensem vrbem Basilica, in qua dicuntur quinquaginta viri ex illa legione sacra Thebeorum pro Christi nomine Martyrium consummasse: & quia admirabili opere ex musiuo quodam deaurata resplendet, SANCTOS AVREOS, ipsam Basilicam incolæ vocitare voluerunt.*

Illu-

Illuſtriſ. & Excellent. Comiti.

MARCO ANTONIO
A TVRRI
Veronenſi.

Epiſt. LX. Veronam.

Mallenſes, quinam dicerentur: de lite quadam obſeruata.

295 NE moueas mihi litem, ſi quæ de lite ſcripſi, inſcribam tibi. Amori iſtuc adeò non officiet, vt illum nutriat, & foueat: de lite enim ago, ſed litem non agito. Tendunt omnia in tuî cultum. Poſteritati conſtare volo, me in virtutibus tuis te, virtutes tuas in te coluiſſe. Nolo te ſecundâ oratione attolere aut tua. Satìs laudum dabo, ſi imparem me huic muneri fatebor. Fateor, & verecundiæ tuæ iungar, quæ non facilè ſe fert efferri, & ſe cohibet intra teipſum; atq; adeò te ab hac parte maiorem teipſo facit. Vale, noſtræ Patriæ verum lumen; & accipe, quæ promiſi; & ea ratione quam præmiſi.

M*Allus*, placitum maius ſignificat: inde *admullare*, quod eſt ante iudicem venire litigandi causâ. Mallenſes verò dicentur, qui in iudicium vocati ſunt pro negotijs perſequendis, ac cauſis diſceptandis. In Actis S. Geraldi Comitis hæc vox habetur: *In craſtinum mallenſibus vndiq; ad ſeniorem confluentibus, iubet reum adduci.*

296 Eius, qui facilis litigabat, cauſaſq; frequens agebat, non facilè teſtimonium excipiebatur. Concilium Carthagin. IV. num. 58. ait: *Eius, qui frequenter litigat, & ad cauſandum facilis eſt, T*ESTIMONIVM *nemo abſq; grandi examine recipiat.*

Areopagitæ litium controuerſias non interdiù, ſed noctù, & obſcurà luce iudicabant, vt procùl ab omni affectu, qui animos in diuerſum agit, ferre poſſent iudicium. Non enim ignorabant hominis aſpectu, cultu, veſtitu, geſtibus ità moueri interdùm iudicem, vt à iuſtitiæ, & æquitatis tramite decedere cogatur: vt colligitur ex Luciani Nermotimo, & Anachaiſide.

Controuerſias aliqui non rationibus dirimunt, ſed ferro. De Vmbricis hæc refert Stobæus ſer. 10. *Vmbrici, cùm controuerſias inter ſe habent, pugnant armati ſicut in bello: &, qui ſuos aduerſarios interemerint, iuſtiorem cauſam habuiſſe videntur.*

297 Olim quùm pugnâ lis decernenda erat, æquales pugnatores eſſe debebant; adeò vt, ſi vnus vno membro erat debilis, debilis fieret & alter. Certè in Conſtitution. Siculis lib. 2. tit. 37. num. 4. hæc de hac re leguntur: *Illud etiam præſenti ſanctioni duximus annotandum: vt, ſi is, qui pugnam obtulerit, læſus fuerit in aliquâ parte ſui corporis, propterea is, qui pugnâ impetitur, in nullo ſe defendere auxilium minorabit. Cæterùm, ſi impetitus fortè ſit læſus in quâcunq; parte corporis, quæ neceſſaria ſit ad pugnam; is, qui eam obtulit,* EA PARTE SE DEBILITARE DEBEBIT, IN QVA DEBILITATVS EST, CVI DVELLVM OFFERTVR. *Veluti, ſi vnum tantùm oculum habeat impetitus, is, qui pugnam offert, aliquibus diebus antè illum oculum appoſito aliquo ſibi claudet, in quo pati dignoſcitur accuſatus. Similiter, & in digitis, & in membris alijs hoc volumus obtinere iuxta proborum virorum conſilium, & diſcretionem prouidam iudicantis.*

298 In illâ porrò pugnâ, quâ lis aliqua dirimenda, nec ille qui ſexageſimū annum tetigiſſet, nec qui vigeſimum quintum nondùm attigiſſet per ſe pugnare tenebantur. Ità habent Conſt. Siculæ lib. 2. tit. 37. num. 4. *Nec illud prætermittendum vidimus, quod neceſſariò gratiam noſtræ benignitatis expoſcit, vt, qui ætatis* ANNVM SEXAGESIMVM TETIGERINT, ET QVI NONDVM VIGINTI QVINQVE ANNORVM CVRRICVLA IMPLEVERVNT, *per ſe pugnare minimè teneantur; ſed poſſint ad defenſionem ſuam (non cùm alios impetunt) ſubijcere campiones; ne vel ætates, in altero naturali frigeſcente calore; vel iuueniles, virtutum in altero robore non impleto, non tàm incerto, quàm periculoſo pugnæ iudicio (quod eſſet aſperrimum) relinquamus.*

299 Quid præſtare campiones pugnaturi deberent, docent Conſtit. Siculæ lib. 2. tit. 37. num. 2. his verbis: *Præſenti lege decernimus, vt campiones à modò, poſtquàm circulum pugnatorum fuerint (prout eſt moris) ingreſſi, corporalia ſubeant Sacramenta, quòd iuxta probabilem credulitatem eorum credunt, dominos, pro quibus pugnam intrauerint, veritatem fouere; & non per calumniam, ſeu per aſtum ad accuſationem propoſitam, vel defenſionem adhibitam proceſſiſſe; & quod cum omni virtute, potentiâ, ſtudio, & vigore partes, pro quibus pugnauerint adiuuabunt. Pugilibus etiam expreſſiùs inhibemus, quòd ſe non debeant inuicèm affidare, quòd manibus vel dentibus, & modis quibuslibet poterunt alter alterum non offendat: immò vnus ad confuſionem alterius toto poſſe conetur.*

300 Aduocatorum ſalaria ità decernuntur in Conſt. Siculis tit. 38. num. 1. *Hac edictali lege iubemus, aduocatos omnes pro eorum ſalarijs, quandocunq; ipſos in priuatorum cauſis oporteat poſtulare, non ampliùs exigere vel à litigantibus ſtipulari quàm ſexageſimam partem cauſæ, pro qua ſuffragium ſpoponderant, ſi res quæ petitur, æſtimationem recipiat. Cæterùm ſuper his, quæ non poterunt æſtimari, volumus aduocatorum ſalaria iudicis arbitrio definiri; quemadmodùm cauſa ſtatûs, & etiam rei ſacræ; nec non & hominum, dùm contra ipſos accuſatio inſtituitur de tali crimine, de quo conuicti capitaliter puniantur, vel aliàs contra ipſos procedi poſſit iuxta criminum qualitatem; præterquam in actione iniuriarum, in qua volumus à tempore oblati libelli baiulos, & iudices, aduocatorum ſalaria prætaxare; & cæteris alijs his ſimilibus, quæ iura vetera præſcripſerunt.*

De viduarum, & pupillorum aduocatis hæc habentur in Conſtit. Siculis lib. 1. tit. 33. *Lege præſenti, pietatis officio ſuggerente, ſtatuimus pupillis, viduis, orphanis, pauperibus, ſeu quibuslibet debilibus, præſertim contra potentes agentibus aut defendentibus cauſas ſuas, ſeu iura noſtræ curiæ deferentibus, aduocatos & pugiles, ſi cauſa popoſcerit, de curia noſtra gratis, & expenſas alias victus neceſſarias, dùm neceſſariam in curia moram trahunt; nec non iterùm producendorum impendia per curiæ præſidem largiri debere cenſemus: nullas ab ipſis propterea ſportulas ab apparitoribus vel tabellionibus noſtris omninò aut pro ſententiarum ſubſcriptionibus aliquid volumus poſtulari.*

301 Litem porrò à priuatis rebus eſſe, non à communibus, in hunc modum obſeruabat S. Auguſtinus in Pſal. 128. *Intendat charitas, quia propter illa,*

illa, quæ singuli possidemus, existunt lites, inimicitiæ, discordiæ, bella inter homines, tumultus, dissensiones aduersùm se, scandala, peccata, iniquitates, homicidia. Propter quæ? Propter ipsa, quæ singuli possidemus. Nunquid propter ista, quæ communiter possidemus, litigamus? Aerem istum communiter ducimus, solem communiter omnes videmus. Beati ergo, qui sic faciunt locum Domino, vt priuato suo non gaudeant.

Qui ad lites, contentiones discordiasq; nascuntur, nasci vix dici possunt; cùm potiùs debeant dici mori. Contra verò, qui nascuntur ad pacem, nati dicuntur, etiam priùs quàm nascantur. Quod colligit Bertarius Martyr dub. 5. Noui Testamenti ex illis verbis apud S. Matth. 1. 20. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est*; ait namq; *Notanter dixit Angelus Christum natum, antequam natus sit*; QVIA, QVI AD PACEM, ET VNITATEM NASCEBATVR, ANTONOMASTICE NATVS DEBVIT APPELLARI. *Qui verò ad diuisiones, & ad contentiones nascuntur*, ET AD LITES, *hi impropriè dicuntur nasci; propriè autem mori.*

Indos à lite ferè abstinere, testibusq; non agere
302 sed fide, refert Cælius Rudiginus lib. 4. cap. 31. Lect. antiq. de Indor. rit. LIS APVD EOS RARA. *Testibus non indigent aut obsignatione vlla. Fide plurimùm tractantur omnia: nec domui asseruandæ curiosius intendunt. Vinum nesciunt præterquam Diuinæ rei causa. Potus illis ex oryzâ: ex hordeo ferè cibus.*

Contentio de rebus temporalibus, quæq; repetitiuæ possessionis esset orta, intra anni spatium dirimi debebat. Concilium Aurelian. IV. cap. 1. num. 12. ità statuit: *Si inter Episcopos de terrenis aut possessionibus sub repetitionis aut retentationis titulo nascatur contentio*, INTRA ANNI SPATIVM, *pro studio charitatis (quæ cunctis debet rebus temporalibus anteferri) per Epistolas fratrum affectuosè commoniti, aut inter se, aut in præsentia electorum iudicum negotium sanare festinent. Quòd si distulerint, donèc ipsa causatio abrogetur; à charitate fratrum, qui distulerit, habeatur extraneus: quia iniustum est, vt, qui cunctis præsunt, inter se quacunq; causatione dissentiant.*

Contentiones in Diuinarum Scripturarum tractatione maximè fugiendas, colligit S. Augustinus in Psal. 67. 14. ex illis verbis: *Si dormiatis inter medios cleros.* Per cleros duo Testamenta intelligit, additq; *Quid aliud admonemur, nisi vt; Testamentis inter se consentientibus*, NON REPVGNEMVS; *sed intelligendo acquiescamus, nosq; simus eorum concordiæ signum atq; documentum?*

Illustriss. & Reuerendiss.

IOANNI BAPTISTÆ COCCINO,

Romanæ Rotæ Decano.

Epist. LXI. Romam.

De Cruce, & se Cruce signandi more.

303 FAlleris, Vir Magne: non is in veritatis lance sum, quem me esse censes. Affectum sepone, & minor quàm tibi cum illo, immò per illum videar, tibi videbor. Candidè rem effero: candidatus sacrarum rerum sim, non sum magister; & discere aptiùs possum, quàm docere. Sed alium te, inquis, ostendunt volumina, quæ dedisti publici iuris iàm facta; & alia, quæ iurè expectantur, quia promissa: in quibus multa sunt, quæ multi mirentur, &, quæ hucusq; ignota, alijsq; indicta est reperire. nam sic efferre mea soles: qua laude vel ab inuerecundo ruborem eliceres: Vis dicam, quod res est? In illis, quæ hucusq; dedi infantiam meam prodidi, non peritiam; & diligentiæ potius fuit, quòd aliqua, cuneos omnes inuestigans, reperetim, quàm ingenij & acuminis. In hoc censu ea quòq; repono, quæ hìc in tui obsequium subijcio: neq; enim pluribus à me laudum tuarum pondus excutere volo; ne dùm exhibitas laudes vel leuiter tango, laudum amore tangar; & illis implicer, dum illas reijcio. De Cruce, Crucis signo multa alibi dedi: exigua hæc lipsana, ne pereant, huic Epistolæ subnecto.

Apud fideles morem hodie vigere, vt, nimiâ 304
admiratione perculsi, se signent, quilibet sibi ipsi testis esse potest. Notarim id etiam superioribus æuis in vsu: quod mirum, non obseruasse Gretserum, qui hodierni tantùm moris meminit lib. 4. de S. Cruce cap. 24. in Actis Ioannis Cacabi hæc leguntur apud Thomam à Kempis: *Clericus rediens in domum narrauit domesticis suis dicẽs: Mirum, mirum. quod vidi: Ioannes Kesel, cocus domus Florentij, ostiatim quærit panem. At illi*, SIGNO CRVCIS SE SIGNANTES, OBSTVPVERVNT DICENTES: *Quid iàm prætendit ille bonus homo.*

Piorum hominum pia laudabilisq; consuetudo est, vnaquâq; se horâ Crucis signo munire. Mos iste antiquior fuit; quàm aliqui opinentur. In Actis Sanctæ Abræ, & Sociar. Martyr. ità loquitur quidam Ethnicus ad Sanctam Abram: *Ego cognoui eos serò ad te venisse, & scio, quia Christiani erant; nam* OMNI HORA SIGNABANT FRONTES SVAS SIGNO CRVCIS, *in qua Christus eorum passus est.*

Signatè signabant se Cruce scalam ascensuri, vt hostium inuaderent mœnia. Nicetas Choniata lib. 2. de Manuele Comneno hæc habet: *Primus igitur Pupaces, cùm se* CRVCE SIGNASSET, *ascensum* (scalæ scilicet) *auspicabatur.*

In annuli palâ aliquandò ità Crucis signum im- 305
primebant fideles prisci æui, vt etiam sub illo veræ Crucis particulam conderent. Factum id à B. Macrinâ sorore S. Gregorij Nysseni, vt scribit orat. in sanctæ sororis laudẽ; vbi, cum Vestiana sermonem serens hæc habet: *Cùm igitur ità visum esset, & sacrum illud Corpus tegi vestibus oporteret, studium inter nos diuidentes circa ipsam, alius aliud cogitabamus: at ego quidem iussi cuidam ex meis, vt vestem afferret. Illa verò, quæ de mentionem fecimus, Vestiana, proprijs manibus ornans sanctum illud caput, cùm eius ceruici manum submisisset, Eccò, inquit*

(ad

(ad me reſpiciens) quale è collo Sanctæ monilis ornamentum pendet. Et hæc dicens: ſolutis pone vinculis prætendit manu FERREVM CRVCIS SIGNVM, *& annulum quendam ex eadem materia: quæ quidem vtraque cordi ſemper adhærebant. Et ego, Communis, inquam, ſit hæc poſſeſſio: ac tu quidem habeas crucis inſigne; mihi autem hæreditas annuli ſatis erit; ſiquidem in huius etiam pala Crux erat impreſſa. At eum mulier intuens, rurſus ad me, Tu deligendo, inquit, non aberraſti; etenim excauatus eſt annulus ſub ipſa pala, ibique de ligno vitæ particulam conditam habet: quod ſupradiacens pala ſimili nota ſignificat.*

Reuerendo Patri

IOSEPHO VERDELLIO
Clerico Regulari.

Epiſt. LXII. Veronam.

Baculus volans, quid: virgas conſecratas ferre legatorum mos.

306 DOleonè dolorem tuum, an conſtantiam tuam laudo? an vtrùque? Puto te eòuſque dolere, vt locum conſtantiæ relinquas, immò & facias; & legem feras, quam auferre nefas. Patris tui, Viri doctiſſimi, mors pectus tuum percuſſit, percuſſit & meum. Scio, te non ſolùm patrem, ſed patriā virum doctiſſimum, & virtutis cultorē amiſiſſe. Fallimur: non tu, non illa, nec nos amiſimus: acquiſiuimus omnes, quia cœlum illum acquiſiuit, ille cœlum. Vix aliter ſperari poteſt de eo, qui benè vixit: benè vixit in ſenectute, & benè abijt. Quòd inſcriptionem quæris, tu eras aptior: ſed, quia dolorem opponis, appone ergo iſtam, quæ à me potius excidit, quàm ſit formata. Tu vide, ſi ſit ad rem. Verè in humanis rebus nihil immutabile niſi mutabilitas ipſa. Quid alia, quid vana homines moliuntur, mox non futuri? Mortuus eſt, & vel mortuus clamat nos quoq; morituros. In eadem via omnes ſumus, & tendimus eòdem. Se tu tibi anteà hæc dixiſti. Inſcriptionē habe.

SIGISMVNDVS VERDELLIVS,
Iuris Cæſarei cultor, mortis tandem paruit iuri.
Hic eius cineres & oſſa:
Tumulum virtus neſcit.
In tabulis conſcribendis
Suo ſæculo prædicatus, deſiderandus alieno.
Grauia maturè, profunda ſolicitè.
Cuncta probè, ritè, & rectè
Tractauit.
Abi, nec aliud quære.
Tabulæ, quas reliquit, virum loquuntur,
etſi non loquantur.

Habes, quòd poſtulaſti: ſed meliori incude meliorem inſcriptionem cudere tu poteris. Ego muneri meo ſatisfeci, quia nutibus tuis parui. Sed vide, quàm mearum recularum minimè ſim auarus. Plus exhibeo, quàm petieras.

B*Aculus volans*, quiſnam, & qua de causâ dicatur,
diſces ex his, quæ habentur in Vitâ 307
Sancti Patricij cap. 37. *Fuit quidam bonæ indolis adoleſcens Mochna nomine, porcos paſcens, quem Patricius inuenit ſecus oppidum Breattan, per illas partes prædicando iter faciens. Spiritu reuelante intelligens, illum futurum vas electionis, prædicabat illi viā ſalutis. Ad vnius verò prædicationis vocem puer credidit, baptiſmum ſuſcepit, quem Sanctus ſtatim alphabetum docuit: data nihilominùs benedictione litteris inſtruendum tradidit, ſicq; in viam ſuam abijt. Adoleſcens autem vnctione magiſtra infra vnius menſis ſpatium didicit Pſalterium; &, antequàm annus expleretur, peruenit ad notitiam Sanctarum Scripturarum. Euoluto aliquanto tempore, reuertebatur ad præfatum pagum B. Patricius, cui occurrit Mochna memoratus. Cùm autem conſidentes conferrent de cœleſtibus mutuò, baculus deſtinatus cœlitùs cecidit illorum in medio, cuius caput in ſinu Patricij, cuſpis iacuit in Mochnæ gremio. Adgratulans Sanctus de munere miſſo mirabiliter adoleſcenti, dixit illi: Noueris, fili chariſſime, hoc baculo Paſtorali, animarum cuſtodiam committendam tibi. Ipſo verò recuſante, & prætendente inopiam ſcientiæ, & imperfectionem ætatis ſuæ, Sanctus fertur ad illum dixiſſe: Noli dicere: quia puer ego ſum. Quoniam ad omnia, ad quæ mittet te Dominus, ibis; &, quæ mandauerit tibi, in eius nomine loqueris. Per ſingulos igitur gradus ſacros ordine debito decenter promotum, tandem illum in Epiſcopum præfato baculo ſibi collato conſecrauit, & Edrumenſi Eccleſiæ præfecit. Ipſe verò in Eccleſia Dei multum verbo, & exemplo profecit: virtutibus & ſignis clarus ad cœleſtia regna migrans. Sepultus in Eccleſia ſua, in qua Deō dignè miniſtrauit, crebriſq; miraculis corruſcans, cum Chriſto ſe viuere comprobare conſueſcit. Baculus memoratus in eadem Eccleſia reſeruatur;* BACVLVSQVE VOLANS, AB HYBERNIS NOMINATVR. *Et, quia Sanctus Patricius virum illum de ſubulci cura ad Pontificatum promouit, porcus de territorio eius aſſumptus, annuatim Eccleſiæ Dunenſi perſolui conſueuit.*

Legatos apud pleroſque cum virgis conſecratis 308
legationis munus obijſſe, ne ſcilicet ab aliquo contingerentur, obſeruatum mihi eſt. Hunc fuiſſe Francorum morem indicat Gregorius Turonenſis lib. 7. cap. 32. vbi ait: *Poſt hoc miſit iterùm Gundobaldus duos legatos ad regem* CVM VIRGIS CONSECRATIS, *iuxta ritum Francorum; vt ſcilicet non contingerentur ab vllo, ſed expoſitâ legatione cum reſponſo reuerterentur: ſed hi incauti, priuſquàm regis præſentiam cernerent, multis, quæ petebant, explanauerunt.*



Illu-

Reuerendissimo

PETRO MARIÆ CAMPO

Canonico Ecclesiæ Placentinæ.

Epist. LXIII. Placentiam.

Ducere velum *quid: templum velo claudi solitum.*

309 QVæ *Admirandis* meis addenda obtulisti, fuere gratissima. Operi inserta videbis, cùm in lucem opus emittetur, & cùm rebus ipsis etiam nomen offerentis, vt sciat posteritas me ità obseruationes tuas à te accepisse vt hoc obseruantiæ erga te meæ signum ipsa accipiat. Largus mihi se se *Campus* offerret in doctissimi mei Campi laudes excurrendi: sed tu ipse, qui laudis materiam exhibes tua modestia silentium indicis. Sileo hac lege, vt silentium velim reuerentiam meam interpretari, & magnitudinem tuam tacitè loqui. Et verò, ne nuda verba habeas, huic Epistolæ quædam adijcio, quæ obseruata mihi, sed fors non ignota tibi. Vale, Patriæ tuæ lumen columenquè.

310 OLim de capite iudicaturos velum ad deliberandum, ac scribendam sententiam solitos obducere alibi probabam. Tu vide, an hùc referenda sint verba, quę habet Sanctus Augustinus in Psalm. 80. *Attendite ergo ipsum Iudicem venientem. Benè. Deo gratias. Non taceat sententiam difinitiuam: non misit foràs reos,* ET DVXIT VELVM. *Ante voluit pronunciare, quòd disposuit facere: nempe congregabuntur ante eum omnes gentes. Quid de illis faciet? Separabit eas, & alios ponet ad dextram, alios ad sinistram. Nunquid medius locus seruatus est? Quid dextris dicturus est? Venite benedicti Patris mei: percipite Regnum. Quid sinistris? Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius. Si non times mitti quò, vide cum quo.*

Hunc eundem morem spectare videntur verba, quę habet Sanctus Chrysostomus Homil. a. aduers. Iud. ait quippè: *Ob hoc Propheta velum addiderat, & velut in aliena causa sententiam elicuit, vt Rex, quod verum & rectum erat, pronunciaret. Quòd & accidit. Etenim, posteaquam Rex seipsum sua sententia condemnassee,* DETRACTO VALO *dixit Propheta: Quoniam tu dimisisti virum exitio dignum è manu tua erit anima tua pro anima illius, & populus tuus pro populo illius.*

311 Olim cùm in Hebdomadâ Sanctâ, feriâ quartâ Christi Passio in maiori Missâ legeretur; ad illa verba: *Velum templi scissum est.* Apud nonnullos cadere sinebatur velum, quòd inter chorum, & Altare pendebat. Illud verò, quòd populum, & chorum diuidebat, post Missam deponebatur. In Rituali; antiquo Ordinis Præmostratensis hæc leguntur: *Feria quarta ante Cœnam Domini in maiori Missa quium infrà Passionem legitur: Velum Templi scissum est.* VELVM, QVOD INTER CHORVM PENDET ET ALTARE, CADERE PERMITTITVR. *Sed secundum, quod forensem populum, & chorum diuidit, post Missam ante Vesperam deponitur.*

Doctissimo Patri

VALERIO BATAGLINO.

Epistola LXIV. Veronam.

Pauperum patrimonium quodnam sit: alia de Pauperibus addita.

VIncor, & ad illustriorem victoriam tuam facit, quòd hoc fateor. Vinci à te adeò non me pudet, vt ob id etiam glorier, cùm totum in tui gloriam resiliat, & in laudem. In obsequiorum certamine victor est, qui res pro nudis verbis exhibet. Dedi ergo istâ, licet affectu grauida: dedisti tu illos, & (quòd magis ęstimo) diuites amore. Nolo apertiùs rem prodere, ne modestiæ tuæ molestus sim. Quod hic paucis scripsi, enucleatiùs in memoriæ membrana, nunquam indè abradendum, exaraui. Interim tu quoque litterarium hoc munus accipe in obseruantiæ meæ pignus. De Pauperibus, & paupertate hæc post illa, quæ alibi dedi, eruditionis tuæ diuitijs addenda, si tanti erunt, obseruabam. 312

ETiam pauperes suum patrimonium habent. 313
Quòd si quis quærat quodnam sit sanitatem corporis esse, asserit Sanctus Augustinus serm. XI. & XL. nouissimè editis, vbi ait: *Pauper iste miserabiliter fuit infirmus: Nec saltem ipsius tenebat sanitatem corporis, quod est* PATRIMONIVM PAVPERIS.

Olim pauperes stipem postulantes, per oculos, aut mariti, aut filij prætereuntes adiurabant. Meminit huius moris Sanctus Chrysostomus Homil. 11. in Epist. 1. ad Thessal. doletque plùs talem adiurationem potuisse, quàm illam, quæ per Dominum fiebat. Hæc eius verba: *Non sedent pauperes pedibus manci, ac mutilati videntes te prætercurrentem: deindè quoniam pedibus te non possunt assequi, sperant se veluti quodam hamo adiurationis metu te retenturos, & manus extendentes adiurant, vt vnum aut duos solos des obolos: tu autem prætercurris per tuum adiurata Dominum, &* SI TE ADIVRAVERIT QVIDEM PER OCVLOS AVT MARITI PEREGRE PROFECTI, AVT FILII, AVT FILIAE, STATIM CLOIS, *& salit animus, incalescis. Sin autē per Dominum adiurarit, prætercurris. Ego autem multas noui qua audito Domino prætercurrerunt: de pulchritudine autem laudatæ ab attendentibus, lætitia sunt effusa, & emolita*

lita

liſa, & manum porrexerunt. Et itaque miſeros adigunt pauperes vt riſum moueant.

314 Pauperes olim conditionem ſuam dolentes, & diuitibus pariari optantes, hac formula vtebantur de diuitibus loquentes, *Soli iſti ſunt, ipſi ſoli viuunt.* Meminit huius formulę Sanctus Auguſtinus ſerm. 32. ex 40. nouiſſimè editis: *Audite diuites, qui aurum, & argentum habetis, & tamen cupiditate ardetis. Num, quandò pauperes intuentur, murmurant, gemunt, laudant, & inuident? Aequari optant & impares ſe dolent; & inter laudes diuitum hoc plerumq; dicunt:* SOLI ISTI SVNT: IPSI SOLI VIVVNT. *Pro his verbis, quibus homines tenues diuitibus adulantur, cùm dicunt. Iſti ſoli viuunt, ne in ſuperbiam erigamini: O vos diuites.*

Ad Pauperum portò curam ſuſcipiendam ſic nos inhortatur Sanctus Chryſoſtomus hom. 14. in Epiſt. ad Romanos. *Deus ea inter omnia quæ videntur, homine nihil maioris æſtimat: propter quem videlicet & Cælum, & terram, & mare fecit. In quo ipſe ſanè inhabitare magis gaudet, quam in Cælo. Hos tamen vel hac cum intelligamus, nullam planè curam, prouidentiamuè Dei templorum ſuſcipimus: ſed illis relictis, neglectiſque nobis ipſis ingentes, & ſplendidas ædes extruimus. Propterea bonis omnibus orbati ſumus, atque admodum in quibus pauperiores, quòd ædes eas ornamus, quas non poſſumus nobiſcum hinc diſcedentes aſportare, illis relictis, quas liceret alio vna nobiſcum transferre. Nam pauperum corpora demortua omninò reſurgent, ac tum Deus qui hæc iniunxit, illis in medium productis, eos collaudabit, qui illorum curam ſuſceperint, admirabiturque quòd illos collapſuros nunc præ fame, nunc præ nuditate, & algore modis omnibus ſuſtentarint. Sed tamen cum nobis tot tantæque ſint laudes propoſitæ cunctamur adhuc pulchram hunc curam detrectantes.*

Tranquillus portus paupertas dicitur à Sancto Chryſoſtomo Hom. 185. de Recipiendo Seueriano: *Paupertas eſt tutum aſylum, perpetua ſecuritas, portus tranquillus, deliciæ periculorum expertis, voluptas ſyncera.*

Mirum pauperes nobili hoc titulo donatos obſeruo, vt *Cæli via* ſint dicti. Feſtiuè S. Auguſtinus: VIA CÆLI EST PAVPER, *incipe erogare ſi non vis errare.* Toto cælo aberrat à Cælo, qui pauperibus eleemoſynam non diſtribuit, cùm poſſit.

Opes pauperibus diſtribui Dæmoni diſplicet, vt proinde in tentatione Chriſto dixerit: *Hæc omnia*
315 *tibi dabo:* dixit tibi, ne videretur velle pauperibus largiendas. Acutè vt ſolet Ioannes Euſebius: *Illud quoque,* inquit, *artificiosè adſectum:* TIBI, *non ſolum ait* OMNIA *dabo. Sed addidit tibi,* NEC ENIM LARGIRETVR DÆMON OPES DISTRIBVENDAS EGENTIBVS, *ſed ſeruandas inutiliter, aut turpibus dilapidandas voluptatibus.*

Vt ſemper pauperum ſit habenda cura habenda tamen præcipuè eſt hiemis tempore, vt temporis frigus eleemoſynę, beneficéntięque calore temperetur. Olim à frigore occaſionem ſumpſiſſe aliquando tractatores pauperes auditoribus ſuis commendandi non eſt dubium. Fecit iſtue Sanctus Chryſoſtomus ſerm. 22. de diuerſis noui teſtamenti locis: *Et ſemper quidem,* inquit, *conuenit de eleemoſyna concionari, quandoquidem & nobis apud Dominum multa ſemper opus eſt miſericordia: nunc verò per hoc tempus multò magis neceſſarium,* CVM TANTVM SIT FRIGVS. *Enimuerò æſtate, temporis commoditas multum ſolatur pauperes. Extra enim periculum ſunt, ſi nudi ambulent, cùm ſolis radij pro amictu ſint, ſecurumque in nudo pauimento dormire, noctesque ſub dio agere, neque adeò calceamentis indigent, vel potu vini, vel alimentis largioribus: contenti enim ſunt aquarum fontibus: tumultuariamque illis menſam vilioribus oluſculis ac pauci leguminibus ipſa anni pars inſtruit. Ad quæ accedit & alia non minor ex operum facilitate commoditas. Nam qui domos extruunt, quique terram fodiunt, & qui mare nauigant, illorum miniſterio plurimum egent. Duo autem in primis eis moleſta ſunt. Intra viſcera depaſtat fames: extrà, carnem conficit frigus. Præterea ampliore indigent alimento, & denſiore veſtitu, inſuper & tecto, & ſtrato, & calceamentis, atque multis alijs. Et quòd omnibus eſt grauius, operandi commoditatem tempus negat. Ea propter quia pluribus habent opus & non eſt mercedem præſtans, vel opus iniungens, nos ſaltem manus porrigamus, non tam mercedem, ſed eleemoſynam daturas.*

Doctiſſimo Patri

IACOBO FRANCISCO VIÆ

Societ. Ieſu.

Epiſt. LXV. Imolam.

Chriſtus negotiator Cæleſtis cùr dictus. Alia de eo addita.

INuitas haud inuitum. O' poſſem me tibi ſiſtere, te videre, te allo- 316
qui, & ſpirantia virtutis diſciplinæque exempla præſens à præſente mutuare. Multa me impediunt, & velut quibuſdam vinculis tenaciter ligant. Maiorem mei partem licet abſentis pręſentem habe, animum ſcilicet, quo ſæpè ad te venio. Affectu tibi illigor, licet locorum ſpatijs abs te abiungar. Quòd ſcribis, opuſculum quod in mundi ementitum gaudium edidi, Riſuſque ſardonicique titulo inſignitur, tibi tuiſque placuiſſe, valdè placuit. Tanti à quodam ex tuis magni nominis viro factum adijcis, vt de illo in Italicam linguam vertendo cogitauerit. Proh mirum recculas meas tàm magni à tàm magnis fieri. Et demittet ſe qui hoc pręſtabit, & vberem fructum demetet. Exemplar excudendum ſi miſeris, nam hoc etiam offers, in publicam vtilitatem excudi curabo. Tu verò ne nudas litteras habeas, habe quod litteris adijcio, quod per te in omnium notitiam ire cupio; nec enim in hac litteraria amicorum teſſera, te ab alijs abiunxerim ſcriptionis differentia, quē ab alijs cultu non abiungo. De Ieſu tuo de tuo Chriſto, imò etiam & meo hic poſt alia alibi aut notata, aut edita notabam quæ ſubijcio.

Nego.

317 NEgotiator Cælestis dictus est Christus, negotiationes eius, & commercia sic explicabat Sanctus Augustinus in Psal. 30. *Quia dignatus est assumere formam serui, & in ea nos vestire se, qui non est dedignatus assumere nos in se, non est dedignatus transfigurare nos in se, & loqui verbis nostris, vt & nos loqueremur verbis ipsius. Hæc enim mira commutatio facta est, & diuina sunt per acta commercia: mutatio rerum celebrata in hoc mundo A* NEGOTIATORE COELESXI. *Venit accipere contumelias, dare honores, venit haurire dolorem, dare salutem; venit subire mortem, dare vitam.*

Nomen Iesu fonti in hunc modum pariabat Sanctus Betnardinus Senensis tom. 2. serm. 49. Vbi ait: *Sicut aqua fontis exigui leuiter euaporans, in sui scaturigine primitus angustatur, & quodam suaui murmure delectabiliq; susurro deriuata, postmodum latius manans influuios multiplices, & abundantissimos latices ampliatur. Sic nomen Iesu breue syllabis, leue prolatione sermonis graue sententijs superfluit, & redundat ineffabilibus Sacramentis. Omnia quacunq; Deus pro salute humana ordinauit, in Iesu nomine comprehenduntur.*

318 Nudus Christi aspectus cum hic esset mœrentes, afflictosq; solabatur, & recreabat, adeo vt dolore correpti ad eum videndum se conferrent, quo eius visu erigerentur, & dolorem ponerent. Testis huius rei Sanctissima eios mater est, quæ apud Sanctam Brigittam lib. 4. Reuelat. cap. 70. hæc habet: *Sed qualis erat secundum corpus in mundo cognosce. Ipse enim tam pulcher facie erat quod nullus videbat eum facie,* QVI NON CONSOLABATVR IN ASPECTV EIVS, *etiamsi praecordialiter dolorem haberet. Iusti vero spirituali consolatione consolabantur. Sed etiam mali à tristitia saculi tanto tempore qui eum videbant releuabantur; Vnde & dolentes dicere consueuerunt* EAMVS ET FILIVM MARIÆ VIDEAMVS VT SALTEM TANTO TEMPORE RELEVEMVR.

Natalis autem Christi dies misericordiæ dies est dictus. S. Thomas ser. 1. in Dom. 1. aduentus. *Dies misericordia est dies natalis Domini, in quo ortus est nobis sol iustitia.*

319 Graui dolore Christus in Cruce afficiebatur, & maximè quòd pro ipso eius amici dolerent, quorum dolor dolorem Christo creabat. Beatissima Virgo Maria S. Brigittam alloquens lib. Reuel. cap. 10. hæc habet. *Quandoq; dolor de membris, & neruis corporis perforatis ad cor ascendebat, quod recentissimum erat, & incorruptum, & incredibili dolore, & Passione vexabat ipsum. Et quandoq; dolor à corde in membra lacerata descendebat, & sic mortem prolongabat cum amaritudine. Cumq; filius meus his doloribus circumseptus respexit ad amicos suos flentes, qui maluissent illam pœnam in secum auxilio eius pertulisse, vel in aeternum in inferno ardere, quàm eum sic videre cruciari. Dolor ille ex amicorum dolore, omnem amaritudinem, & tribulationem, quam vel in corpore vel in corde sustinuit excedebat, quia tenerè diligebat eos.*

320 Post Christi Resurrectionem ad gloriam, ad ornatum, ad amoris indicium in eius latere, in manibus, in pedibus cicatrices remansisse, nefas est ambigere. Illud dubium an spinarum in capite vestigia remanserint. Non displicet quod alijs placuit, valde probabilem illorum sententiam esse qui sentiunt in Capite quoq; coronæ ex spinis textæ vestigia fuisse relicta. Iacobus Granado controu. 2. de gestis mirabilibus vitæ Christi, tract. 2. Comment. 26. hæc habet de hac re. *De* CICATRICIBVS SPINARVM *non improbabiliter sentiri potest eas permanere, saltem quantum ad aliqua illarum vestigia qua claritate sui Sacratissimi Corporis illustrata coronam auro, & gemmis pretiosiorem, & lucidiorem præstant, sic enim sentire videntur Sanctus Hyppolitus Martyr in oratione de consummatione mundi, ad finem & Sanctus Leo serm. 1. de Resurrectione.*

Adm. Reuerendo Patri
LVDOVICO CAVALLI
Minoritæ.

Epistola LXVI. Lugdunum.

De Maleficis quædam obseruata.

NIueus tuus candor, qui ex nigris apicibus, chartis exaratis, mihi, cur id negem? innotuit, amorem huic pectori veluti quodam philtro immisit. Amicitiam meam poscis; dexteram dexteræ iungo, amicus ero, amicus eris, & hoc dum erimus. Quod scribis volumina, quæ luci dedimus, tibi summopere placuisse, & te alia auidè expectare, licet in vtroq; cum multis sentias, in vtroq; tamen est quod multum miror, neq; enim video qui à nostra exiquitate nasci aliquid possit, quod aut exhibitum tantum placeat, aut non exhibitum tam studiosè quæratur; in illo legentium affectui multum tribuo, in isto quærentium votis respondere conabor; & præcipuè tuis. Quatuor Euangelistas expensos quamprimum habebis, qui nunc sub prælo sunt; Omniâ in Dei gloriam resiliant, & legentium vtilitatem. Quintum annalium vestrorum volumen, quod cudi asseris auidissimè expectabo. Multa inde in rem meam, quod in alijs etiam feci, demessurus. Sed hic quoq; liceat mihi me sequi; sequor, dum Epistolæ nescio quas obseruationes adijcio circa maleficos; beneficus esse velim licet de maleficis scribam, & fors hoc ipso ero, quia non tam de ipsis ago, quàm in ipsos. 321

MAleficos, & diuinos non licebat in domum excipere, nec eorum domum subire, non eorum cibis vesci; Concilium Nicœnum lib. 3. Canone 20 sic statuit. *Nemo fidelium conuersetur, neq; consuetudinem habeat cum maleficis, & diuinis. Et qui hoc fecerit, & eorum dicta approbauerit, in domumq; eorum intrauerit, aut in suam eos receperit, & eorum cibis ac potionibus vsus fuerit, si Sacerdos fuerit: monendus est gradu suo, ac prohibendus communione fidelium, & ingressu Ecclesia ac communione sacrâ; si vero fuerit Laicus, prohibendus est Ecclesia. Quod si ad agendam pœnitentiam venerint;* 322

agen-

agenda eſt eis pœnitentia annis viginti, quo tempore pane tantum, & ſale veſci debent, & a vino abſtinere, aqua lambenti, vt ſic caſtigati non redeant.

Chriſtianis olim tanquam maleficis, maleficijs auertendis, capitis capilli tedebantur, præter abbi in hac re dicta addo nùnc Adonem, cuius hæc ſunt verba: *In ignem copioſum iactatur ſed ea orante lapſo è Cælo imbre, & concitato turbine flamma diſcuſſa aſtantes incendit. Hæc non Diuinæ virtuti, ſed maleficis artibus adſcribens* IMPERATOR, CAPILLOS CAPITIS EIVS LATENTEM. MALEFICII VIM IIS INESSE EXISTIMANS, RADI MANDAVIT. Hæc ibi: vbi etiam vides ob id capillos abradi ſolitos, quia putarent ijs maleficam virtutem adhærere.

323 Malefici & tempeſtatum excitatores vt punirentur diſco ex Vuiſigothorum legibus lib. 6. tit. 2. num. 3. *Malefici & immiſſores tempeſtatum, qui quibuſdam incantationibus grandinem in vineam meſſeſq; mittere perhibentur, & hi qui per inuocationem dæmonum mentes hominum conturbant, ſeu qui nocturna ſacrificia dæmonibus celebrant, eoſq; per inuocationes nefarias nequiter inuocant: vbicumq; à iudice vel actore vel procuratore loci reperti fuerint, vel detecti, ducentenis flagellis verberentur, & decaluati deformiter decem conuicinas poſſeſſiones circuire cogantur inuiti vt eorum alij corrigantur exemplis. Quos tamen iudex ne vlterius euagantes talia facere permittantur aut in retruſione faciat eſſe ut ibi accepta veſte atq; ſubſtantia ita viuant, ne viuentibus nocendi aditum habeant: aut regia præſentia dirigat, vt quod de illis ſibi placitum fuerit, euidenter ſtatuat; Hi autem qui tales conſuluiſſe reperiuntur in populi conuentu ducentorum ictus accipiat flagellorum: vt impuniti non remaneant, quos culpa ſimilis reatus accuſat.*

Eruditiſſimo Patri

BALTHASARI CORDERIO

Societatis Ieſu.

Epiſt. LXVII. Antuerpiam.

Charta charitatis, quæ: de legibus addita nonnulla.

324 TE amicum iàm amicè ſaluto, mi Corderi. Poteram iuſtius? Amicum te non verbis tantùm indicas, ſed & re probas iiſdem litteris & operam tuam polliceris, & nauatam nuncias. Vix incipis diligentiam tuam offerre, cùm ego diligentiæ tuæ officijs incipio grauari. Doleo par me reddere non poſſe pari. Doleo, an etiam gaudeo? Quò me pluribus arctioribuſq; vinculis obſtringis, me magis tuum facis; idq; ad votum meum eſt. Quod affirmas meos tibi labores vſui fuiſſe (vt & mihi fuerunt tui) hoc ab induſtria tua eſt, qui aurum quoq; ex luto ſcis colligere; licèt non tam collegeris, quàm feceris. Certè tua incude meliora fient, quæ ex librorum meorum ruderibus ſumes. Opera, quæ cuſurus es, auidè expectamus: guſtamus interim intueri ea, quæ dediſti. Oratum te volo, vt, ſi quid noui apud vos prodierit, quod hiſtoriam ſacram tangat, litteris ad me ſignifices. Patris Bollani labores expecto Venetias afferendos. Videat, ne nobis reliqua idem Pater inuideat. Salutem illi ſi à me dixeris gratiam à me inibis: ſic enim fiet, vt per te paulatìm me in illius amicitiæ ſinum inſinuem. Authores omnes colo: ſed illos præcipuè, quos video in Sanctorum cultu totos eſſe; calamum in ea re exercere, quæ fidelium notitiæ obiecta poteſt eorum pietatem nutrire ac fouere. Vale, Vir Eruditiſſime. Quòd ſi quid in me eſt, quod ſeruire vſibus tuis poſſit, habebis me promptum; nec tu tantùm, ſed & tui. Preces pro me ſterne, vt ſternatur in me quicquid Dei mei oculis diſplicet. Litterarium munuſculum tu quoq; accipe; nam amicis ex more offerre ſimilia ſoleo.

Aloyſ. Nouar. Var. Opuſc. Tom. Vnus.

CHarta charitatis, dictæ ſunt leges, quas Stephanus Ciſtercienſibus condidit. Robertus Sigeberti continuator ità ſcribit: *Porrò à principio cùm nouos in ramos nouella cœpiſſet pullulare plãtatio, Venerabilis Pater Stephanus ſagacitate peruigilis mirè prouiderat diſcretionis ſcriptum, tanquàm putationis ferramentum, ad præſcindendos videlicet ſchiſmatum ſurculos, quicunq; ſuccreſcentes mutuæ pacis exoriturum præfocare poterant fructum. Vnde & ſcriptum illud,* CHARTAM CHARITATIS, *competenter voluit nominari; quod ea tantum, quæ ſunt charitatis, tota eius ſeries redoleat; ità vt penè nihil aliud vbiq; proſequi videatur, quàm nemini quidquam debeatis, niſi vt inuicèm diligatis.* Sed alia de legibus alijs, præter alibi in noſtris voluminibus dicta, hic addo. 325

Cùm eduxiſſet Dominus Hebræos ab Ægypto, tonitru, igne fumoq; eos terruit, ne nimiùm ſibi de illâ libertate blandirentur; & peccatorum ſeruituti ſe ſubijcerent; qui ab hominibus eripiebantur. Scitè Theod. in Cat. veter. Patr. Græc. cap. 19. Exodi. *Sed neq; aliam ob cauſam clangores, tonitrua, nimbus, ignis, fumuſq; verticem montis occupauerant, quam vt lapidea illorum corda emollirentur: nam, cùm obduruiſſent in Aegypto, & à calamitatibus poſtremò Aegyptiorum liberi penitùs euaſiſſent; ne ſecuri ex omni parte dilaberentur in ſoccordiam, tanquàm filios perterreſacit, vt amàre Deum beneficia doceant, ſupplicia ſimùl & terrores cogant timere.*

Amuleti inſtar legem brachio appendendam docent Hebræi. In excerptis Gemmaræ Sanhed. cap. 2. §. 13. leguntur hæc, quæ ſubijcio: *Quid igitur faciam illo? Permutationem legis huius. Intellige duo legis exempla, quorum alterum in archiuijs habeat reconditum, alterum ſecum efferat, & domum referat. Atq; hoc ipſum litterarum, & membranæ ſubtilitate ita concinnum habebat* AMVLETI INSTAR; *vt vel brachio appendere commodè poſſet.* 326

Diuinæ legis ſtudium eiuſq; vtilitatem ità com-

mendabat S. Nilus Instit. ad Monach. *Vt ager incultus atq; syluestris agricoltura diligentiâ mansuescit, sic animus peccatorum sentibus horridus Diuinæ legis studio purgatur atq; excolitur.*

327 Insensati vocantur, qui Dei legem temerant. Psal. 118. 158. *Vidi præuaricantes, & tabescebam.* S. Augustinus legit: *Vidi insensatos, & tabescebam.*

Legem, *monile*, vocat S. Zeno Episc. Veronen. serm. de Iudâ. *Monile, fratres dilectissimi, lex est, quæ salutaribus monitis diuersis virtutibus, diuersoq; charismate, omnium credentium non colla, sed corda decorare consueuit.*

Qualis esse debeat legislator, indicant leges Vuisigothorum lib. 1. tit. 1. num. 4. vbi hæc leguntur: *Erit consequenter idem lator iuris ac legis, mores eloquijs anteponens, vt constitutio illius plus virtute personet, quàm sermone: sicq; quid dixerit, amplius factis quàm dictis exornet; priusq; promenda compleat, quàm implenda depromat.*

Leges in axibus scriptæ erant in eum modum, quo sulci à bubus duci consueuerant. Didymus in quodam fragmento apud Harpocrationem ità scribit: *Propter figuram scriptionis* IN AXIBVS, BOVM MORE IN SVLCIS DVCENDIS *se vertentium, institutâ, legem à sinistrâ parte incipientem, inferiorem, vocat Demosthenes. Quòd verò in axibus, vrbibusq; scriptura istiusmodi esset, manifestum Euphronion nobis fecit in Apollodoro.*

Athenienses Romanis subiectos, legibus Romanis quandoq; vsos indicat S. Chrysostomus
328 hom. 38. in Acta Apost. *Quidam Epicurei, & Stoici Philosophi conflictabantur cum illo. Non* IAM LEGIBVS SVIS VTEBANTVR ATHENIENSES, *vt potè Romanis iam subiecti.*

Legum libro olim suum pretium decernebatur, ne pluris quàm par esset venderetur. Leges Vuisigothorum lib. 5. tit. 4. num. 22. ità statuunt: *Vt omnes de cattero & improbitas distrahentis, & dispendium temperari possit emptoris, ad præsens sanctione decernitur legis: scilicet, vt, quotiescunque* HVNC CODICEM CONSTITERIT VENVNDARI, *non amplius quàm XII. solidorum numerum accipere venditori, vel dare licebit emptori. Si quis verò super hunc pretij numerum accipere vel dare licebit emptori. Si quis verò super hunc pretij numerum accipere vel dare præsumpserit, centum flagellorum ictibus à iudice verberari se nouerit.*

Adm. Reuerendo Patri.

GASPARO TRISSINO

Congr. Somaschensis.

Epist. LXVIII. Mediolanum.

Flos Animi, Flos Virtutis.

329 GRatum tibi fuisse gaudeo, quod te iubente fudi potiùs, quàm scripsi: exiguum illud ac leue, nec dignum, quod à te efferretur; satis enim erat si ferretur. Admitto aliquid fuisse, quod misi, si propensus in te animus affectusq; cum illo expendatur: alioquin sine hoc nexu commendari non poterat, negligi merebatur. Opusculum tuum de Sanctæ Sabinæ actis à tenebris tua opera vindicatis accepi; &, quia ità vis, insignis illius de melle miraculi narrationem Electis meis insculpam, quò ad plures tantæ rei notitia eat. Interim, ne ab instituto meo abeam, hæc de animi flore, flore virtutis obseruata ad te tanquàm leue munusculum transmitto.

FLos animi, quisnam dicatur, docet S. Maximus in Schol. ad Epist. 9. Sanct. Dionys. Areopag. ait enim: *Obserua, quàm mirificè tradat ea, quæ sunt animæ: nam id, quod eius est, vocat, indiuiduum atq; expers passionis: hoc autem est id, quod in animâ sublimissimum est, atq (vt ita quis dicat)* FLOS ANIMI, *quod est mens, à quâ etiam profluit vis rationalis, secundum quam etiam Anima intelligit.* Hæc ille.

Virtutis verò quinam sit flos, indicat Photius in Epist. ad Arsen. vbi hæc habet: *Prima virtutis flos est per pericula ac calamitates ad contemptum, ac obscuratam a malitiâ virtutem ire.* Deniq; (vt in flore desinam) virorum illustrium pallorem, *florem*, appellatum obseruo à S. Gregorio Nazianzeno. Hæc illius sunt verba Orat. 14. *Quin etiam pulchrũ illum* SVBLIMIVM VIRORVM FLOREM, *hoc est pallorem, aut compositam & quietam loquendi rationem, aut incessûs grauitatem cum mansuetudine consutilam heri philosophiam, hodie inanis gloriæ studium appellamus.* Sisto, nec plura de floribus addo. Tu fac, vt precum tuarum fructu particeps fiam. Hoc fructu melior per te ero, licèt non tu meis floribus doctior. Vale. 330

SIMONI STAROVOLSCIO

POLONO,

Viro Clarissimo.

Epist. LXIX. Romam.

Paradisi rosæ quinam dicti.

BEnignè nec sinè aliquo affectûs suffragiò nostra iudicas, dùm effers. Si calculum nuda veritas adijciat, seueriorem in me sententiam ferat; & fòrs pro laudibus censuram reponat. Ab amore ergo tuo accipio laudes tuas potiùs quàm à te; & mea tàm eximiè à te commendari censeo, quia eximiè me amas, & mecum etiam mea: &, cùm laudibus tuis me parem esse non posse cognoscam & fatear, conabor amore amorem tuum æquare, & affectum affectu. Sed tu quòq; (quod soleo) Epistolæ appendicem accipe, ne nuda verba videar dedisse. 331

ROsæ Paradisi, quinam sint dicti, fòrs nondùm obseruatum à te fuit. Leprosos hoc titulo circumscriptos lego. In Chron. Cartusien. lib. 3. cap. 7. hæc referuntur de S. Hugone: *Quos vide-*

videbat præ cæteris ampliori lepra corrosos, putridos, despicabiles, hos ille cum lachrymis complexans, ac reuerenter deosculans, solabatur; & , vt suas calamitates patienter ferrent, precabatur. Vos estis, inquit, ROSAE PARADISI: *vos estis lapides pretiosi, quos in suo diademate Christus insereret in æternum.* Hoc ad eos quoque non alienè transferatur, qui simili morbo corripiuntur; quorum caro vulneribus insignitur, & pus emittit. Quàm æquiori fortiorique animo plagas suas ferant, qui hasce plagas à Sanctis, verè de illis sentientibus, cogitant adeò sublimiter efferri!

Rosas, Martyrum quoque exuuias dictas reperio. Olim Sanctorum Corpora aliquando in-
332 ter Iudæorum sepulchra ponebantur in contemptum, & ignomintam, neuè facilè reperirentur ac à fidelibus colerentur. Id factum in Sanctis Martyribus Vitali, & Agricola, refert Sanctus Ambrosius tom. 5. Exhort. ad Virg. vbi ait: *Sepulti autem erant Agricola, & Vitalis in Iudæorum solo inter ipsorum sepulchra. Illic igitur Martyris exuuias requirebamus, tanquam inter spinas* ROSAS LEGENTES.

Rosas (vt hoc quoque adijciam) formosorum arma appellata obseruo. Appellauit Philostratus Epist. 27. *Lacedæmones rubris induebantur thoracibus, aut vt formidinem hostibus incuterent coloris terriculamento; aut vt sanguinem non agnoscerent, id tinctura communione prohibente. Vos autem formosos oportet solis* ROSIS ARMARI, *& hanc ab amatoribus accipere armaturam.* Et Epist. 29. *Militem galea decet: formosum autem adolescentulum* ROSAE. Idem author rosas ἔρωτος λαμπάδας. *Amoris lampadas* vocat loco producto. Epist. verò 29. γῆς ὄμματα *Terræ oculus.*

Reuer. Patri D.

BASILIO BERNARDO

Clerico Regulari.

Epist. LXX. Genuam.

Intima gemma dicta: de gemmis alia addita.

333 Sine me litterario pignore, & diligentiam tuam agnoscere, & colere affectum tuum. Vtrumque debeo, quia tu in vtroque magnus, magnum in te vtrumque est. Ab isto & ab illa fuit quicquid in operum meorum auxilium præstitisti, libros non paucos, libris condendis ex Hispania, ex Gallia, & aliundè ad me aduectos Tibi præcipuè debeo; meos quoque in varias mundi partes delatos, & deferri industriæ quoque tuæ & diligentiæ refero. Librum, quem de gemmis dedisti, gratissimus fuit: vtinam sint tibi hæc pauca, quæ de gemmis, notabam, & nomini tuo inscribebam. Quid si chartaceas gemmas exhibenti chartaceas offeram? meliores fient, si fiat ille melior qui hæc legit.

IN diuinis litteris *Intima* gemmas dici obseruabam. Rem, & causam habet Agellius noster, cuius verba produco, sic ille scribit in Psalm. 44. *Solent LXX. intima vocare gemmas, seu quod ex abditissimis terræ finibus eruantur, seù quod in secretissimis locis conseruentur. Vnde Iob 28. Quòd in nostra editione est. Trahitur Sapientia de occultis LXX. clariùs transtulerunt,* ἕλκυσον σοφίαν ὑπὲρ τὰ ἐσώτατα. *Trahe, hoc est, pondera sapientiam, plusquam res intimas, hoc est, præter sapientiam quibusuis gemmis, & cap. 20. Prouerb.* ἔστι χρυσὸς καὶ τὸ πλῆθος ἐσωτάτων καὶ σκεῦος τίμιον χείλη γνώσεως *est aurum, & multitudo gemmarum.* Sed pergo & gemmas aliquas ostendo, quibus se quilibet exornet.

Nobilis gemma spes est, de quâ ità scribit B. 334
Laurentius Iustinianus cap. 2. de spe: GEMMA *speciosissima & gratissima spes est quemadmodum gemma perlucida est, & peruia in suo interiori, ita vt per eam videantur bona æterna.*

Insignis beneficentiæ gemma est, qua ornari præcipuè diuites debent. Nicetas Choniates lib. 2. in Manuelo Comneno de Cosma Æginetâ: *Inprimis benignitate erga pauperes insignis, quæ tanquam in pretioso monili* GEMMA *radians, sic ipsa inter virtutes reliquas elucebat.*

Pretiosum nobileque monile nos esse par est si Christi margaritam in nobis volumus includi, id quod his verbis habet Sanctus Ambrosius serm. 6. *Perdit* COELESTIS MARGARITÆ *gratiam quis tam fœdissimo peccatori circumdare conatur.* GEMMAM, *sicut ipsi scitis nisi auro non conuenit, Margarita nisi pretiosis monilibus non aptatur. Estote ergo aurum optimum,* ESTOTE MONILE PRETIOSVM, *vt possit in vobis Margarita spiritualis includi.* MARGARITA ENIM CHRISTVS EST DOMINVS.

Primum qui diadema gemmis innexuit apud 335
Romanos Aurelianũ fuisse, tradit his verbis Chronicon Belgicum: *Imperator Romanorum XXIX. Aurelianus cœpit Anno Domini CCLXXIII. Mundi verò MMMMMCCCCLXXI. Imperat autem annis quinque mensibus sex, Írede Dacia Ripensi inter Daciam, & Macedoniam oriundus vir in bello potens animi tamen immodici, & ad crudelitatem propentioris Gothos strenuissimè vicit.* ISTE PRIMVS APVD ROMANOS DIADEMA CAPITIS INNEXVIT GEMMIS, *& muris validioribus vrbem cinxit, & templum Solis ædificauit. In quo infinitum pondus auri, gemmarumque posuit.*

Gemmarum contemptui pariendo opportunum illud est, quòd de Rodolpho Principe legitur: hic enim (vt refert Poggius) ad Ducem Andegauensem visendum in Castra venerat: *Ostendit ei Dux pretiosam supellectilem, Margaritas, Saphyros, Carbunculos. His conspectis Rodolphus, quæsiuit quam vtilitatem afferrent, & quanti æstimentur. Respondit Dux magni æstimari; sed nihil afferre lucri. Tunc Rodolphus, ostendam tibi, inquit, duos lapides decem florenorum, qui mihi annuatim ducentos reddunt, & ducem hæc admirantem ad molẽdinum duxit, molares lapides ei ostendit dicens illos esse, qui pretiosiorum vti-*

litatem, ac virtutem superarent.

Finiam si id, quòd de lapidibus, quibus martyrum ora contundebantur mihi obseruatum lectori subijciam notitiæ, nam hi à martyribus ipsis, & à iustis rerum æstimatoribus lapidibus omnibus pretiosis pluris fieri solebant.

Lapidibus sanctorum martyrum ora contusa non est dubium, illud non adeò obseruatum, scilicet minimè rotundos, sed acutos lapides adhiberi iussos. In Actis S. Adriani apud Mombritium. *Maximinus dixit,* LAPIDIBVS INROTVNDIS *contundite ora ipsorum*; Et nonnullis interiectis: LAPIDES TVI ACVTISSIMI *non poterunt conterere maxillas nostras.*

Doctiss. Viro, Excellentiss. Medico

SEBASTIANO BALDO

Epist. LXXI. Genuam.

Profani vaticinij caballus quisnam esset. Pleraquè alia de quibusdam alijs superstitionibus adiecta.

336 TV ipse teipsum pingis, dùm scribis; & tui imaginem expromis, dùm litteras formas. Dicam, quòd dixit Iouino Comiti S. Basilius. *Mentem tuam è litteris perspectam habui. Reuera enim nemo vnquàm pictor corporis lineamenta ità ad viuum expressit, vt oratio repræsentat secreta pectoris: nam & morum grauitas, & honoris veritas, & intellectus ad omnia opportunitas satis quidem per litterarum sermonem nobis innotescebat.* In tuis igitur litteris teipsum vidi; nam excripsisti te, dùm scripsisti; & lactei candoris tui imago vel nigro atramento formata est. Laudes, quibus me effers, & effers mea, hac tantùm lege accipio, si ad te sinas citissimè redire, nihil apud me remanere. In pilæ ludo, qui pilam apud se retinet, à victoriâ abit. Idem in laudibus fit. Incipit non esse, quod dicitur, qui blandè laudes excipit, nec statim in mittentem reijcit. Sed fors tu eâdem arte remiseris. Admitto. Ambo ergo in eodē ludo victores erimus. Quæramus potius laudabiles esse, quàm laudari. Interim, ne ad te nudæ hę litteræ veniant, & ne vel ab hac parte sint nimiùm leues, appendam illis ex more aliquid, quod pondus litteris addat, oneri tibi non sit.

AVgurij quoddam genus erat, quòd equi per
iacentes nouem hastas transitu fiebat. In 337
Actis Sancti Ottonis lib. 2. nu. 22. hæc habentur: *Hastę nouem disponebantur humo, spatio vnius cubiti ad inuicem separata. Strato ergo caballo atque frenato, sacerdos, ad quem pertinebat custodia illius, tentum freno per iacentes hastas transuersum ducebat ter atque reducebat. Quòd si pedibus inoffensis hastisque indisturbatis equus transilibat, signum habuere prosperitatis, & securi pergebant. Sin autem, quiescebant. Hoc ergo genus sortium, aliasque ligneas calculationes, in quibus naualis pugna vel præda considerabant auguria, quamuis multum renuentibus aliquibus, Dei tandem auxilio penitùs abrasit; ipsumque* PROFANI VATICINII CABALLVM, *ne simplicibus esset laqueus offensionis, in aliam terram vendi præcepit, asserens hunc magis quadrigis quàm prophetijs idoneum.*

Olim non sine superstitionis quadam labe in- 338
fantium manibus crepitacula adpendebant, & in eorum munimen coccineo stamine vtebantur. Hanc stultitiam ità carpebat Sanctus Chrysostomus homil. 12. in Epist. 1. ad Corinth. *Quid dixeris de amuletis, & de* MANV APPENSIS CREPITACVLIS, *& stamine coccineo, & de alijs magnâ repletis stultitiâ, cùm infanti nihil aliud sit adhibendum quàm Crux ad custodiam? Nunc autem is quidem despectui est habitus, qui conuertit totum orbem terrarum, & certum vulnus inflixit diabolo, & eius omnem euertit potentiam. Subtegminis autem & staminis, & alijs amuletis creditur pueri tutela & custodia.*

Antiquitùs hæc aliquos superstitio corripiebat, 339
vt vota redderent ad arbores adeò, vt, si hæ arborea cecidissent, nullus ex ijs ligna igni immittenda colligeret. Hanc insaniam arguit Sanctus Augustinus, si tamen illius est hic sermo, qui in Appendice est 68. PRO QVA RE NEC AD ARBORES DEBENT CHRISTIANI VOTA REDDERE, NEC AD FONTEM ORARE, *si se volunt per gratiam Dei de æterno supplicio liberari. Et ideo, quicunque in agro suo, aut in villâ, aut iuxta villam aliquas arbores, aut aras, vel qualibet vana habuerit, vbi miseri homines solent aliqua vota reddere, si eas non destruxerit atque succiderit, in illis sacrilegijs, quæ ibi facta fuerint, sinè dubio particeps erit. Nam & illud quale est, quod, quandò arbores illæ, vbi vota redduntur, ceciderint, nemo ex illis arboribus lignum ad focum affert? Et vide te miseriam, vel stultitiam generis humani: arbori enim mortuæ honorem impendunt; & Dei viuentis præcepta contemnunt: ramos arboris non sunt ausi mittere in focum; & seipsos per sacrilegium præcipitant in Infernum. Et ideò, qui hoc malum hucusque non obseruat, gaudeat, & Deo gratias agat, & fideliter in bonis operibus perseuerare contendat: qui verò in istis diabolicis rebus hucusque captiuandum diabolo tradidit se, toto corde pœnitentiam agat, & illa sacrilegia supradicta cum omni horrore fugiat & contemnat, vt illi Deus & indulgentiam dignetur dare, & ad æternam beatitudinem ob gloriam nominis sui faciat peruenire.*

Quædam olim superstitiosè fieri non licebat se-
ptima Lunâ, quædam nonâ. Sanctus Ambrosius 340
in cap. 3. Epist. ad Galat. *Hi colunt menses, qui cursus Lunæ perscrutantur, dicentes, vt puta,* SEPTIMA LVNA *frumenta confici non debent:* NONA ITERVM LVNA *seruum emptum, vt puta, domum duci non oportet: & per hæc faciliùs solent aduersa prouenire.*

Mulieres superstitiosè signa obseruasse, dùm texerent, indicat Sanctus Chrysostomus Hom. 12. in Epist. ad Ephes. vbi ait: *Porrò autem mulieres quoque, quandò sonant calami ad texturæ recta ligna allisi, tunc, cùm ipsa pectine discriminant,* HOC PRO SIGNO HABENT. *Rursùs, quandò subtegmen pectine concutiunt, & id faciunt vehementiùs. Deindè, qui*

sunt

ſunt ſupernè, calami ob intenſum illum edunt ſtrepitum alliſi ad rectum textura lignum, hoc habent pro ſigno; & alia innumerabilia digna, quæ rideantur.

Plura prudens non adijcio, ne harum leuitatum laciniosa recenſione incipiant eſſe nimis hæ litteræ leuiores, quibus pondus illis quærebamus.

Clariſs. Viro

IACOBO BAPTISTELLÆ.

Epiſt. LXXII. Patauium.

De Lectione, & legendi ritu aliqua notata.

341 QVid quereris, rarò tibi à me litteras? Deſine; mentem frequentius mitto, & ea mei parte me tibi ipſe ſiſto, quæ in me potior; tecum animo ſum, licet corpore abſim; & mente tecum verſor, licet ferias aliquas calamus agat: ſcio in nudæ paginæ campis amorem non adoleſcere, firmiori fecundiorique ſolo indigere. Litterarum raritatem non amoris languori tribue, ſed magnitudini; cùm ab hac ſit hæc fiducia, qua vtor in tanta ſcriptionis abſtinentia. Sed poteram te eadem paratura repercutere; non ſcripſi, quia nec ſcripſiſti; ſilentium rumpo cum tu rupiſti; ſed me vide vt aliquid in hac re peccauerim, peccatum omne nunc diluo, non nudas litteras nudus exhibeo, ſed de lectione etiam aliqua adijcio, tu cenſe an digna ſint quę legantur. Tantùm qui ſcriptionem tantum amas, ama & ſcribentem, qui tecum ſemper in amore certabit, vt vinci nolit.

342 OLim conſeruandæ vocis cauſa tacitè legebant, dum legerent, ne ipſa pronuntiatione vox obtunderetur. De Sancto Ambroſio loquens Sanctus Auguſtinus lib. 6. Confeſſ. cap. 3. *Quamquam inquit, &* CAVSA SERVANDÆ VOCIS, *quæ illi facillimè obtundebatur, poterat eſſe iuſtior* TACITE LEGENDI.

Quid in lectione quęrendum, non eſt quod longè quæramus, adeſt Dacrianus Abbas in ſpeculo Monachorum vbi ait: IN LECTIONE *vtilitatem, conſolationemque ſpiritualem, & Dei amorem non curioſitatem, non ſuperfluam intelligentiam, & ſcientiam, non verborum ornatum atque elegantiam. Quæ tamen elegantia ſicut anxiè quærenda non eſt ſi abſit, ità etiam cum contemptu reſpicienda non eſt, nam & ipſa donum Dei eſt.*

De lectionis vtilitate ſic ſentit Sanctus Auguſti- 343
nus lib. 99. ex vtroque mixtim quæſt. 120. *Tale eſt ingenium natura noſtra, vt torpeſcat ſi vſus deſtiterit lectionis. Quia ſicut ferrum, niſi vſum fuerit æruginem generat, ita & anima, niſi frequentius diuinis exerceatur lectionibus, naſcentur illi peccata. Hinc eſt vnde in Pſalmo hunc dicit Beatum, qui die noctuque legem Domini meditatur. Denique quamuis nota ſint diuina eloquia, tamen cum fuerint ſacris voluminibus memorata, ſic illa deuotum pectus ſuſcipit quaſi noua. Excitatur enim deſiderium animæ erga opera ſalutaria.*

Bonus ſacrarum Litterarum lector eſt, qui nudus non eſt lector, ſed in opera conuertit, vt in eius actibus legi poſſint, quæ ille lectitauerit. Talis fuit Beatus Epiphanius Epiſcopus Ticiuenſis, in cuius laudem hæc habet Ennodius in eius vitâ: *Refecto corpuſculo otio non indulgebat vtebatur lectione pro requie librorum venerabilium, pro blandimentis inſtrumenta ſuſcipiens: memoriter ſemel tranſcurſa reddebat: & ne crederetur ſcripturarum Diuinarum tramitem verborum tantummodo celeritate tranſuolaſſe,* PINGEBAT ACTIBVS SVIS PAGINAM, QVAM LEGISSET. *Si Propheta fuiſſet in manibus, prophetantem videres amiſſo codice lectorem: ſi teſtamenti veteris recenſuiſſet volumina. Moyſi dignus æmulator incedebat: taliter ac ſi illum Iſraelitica per deſertum agmina ſequerentur. Si Apoſtolicum lac verborum, & mel Dominicæ Paſſionis ſeueritatem legis condiens ſcriptura index reuelaſſet continuò ex ore ipſius dulciora fauis verba fluxerunt. Poſtremò quid libri docuiſſent, vita ſignabatur.*

Illorum amentiam, qui in libris membrana- 344
rum potius tenuitatem ſpectabant, & elementorum pulchritudinem, quam lectionis vſum, & fructum iurè perſtringit Sanctus Chryſoſtomus Hom. 31. in Ioan. *Omne ſuum ſtudium in membranarum tenuitate, in litterarum characteribus quam pulcherrimis conſumunt, non vt legant, non vt vſum inde aliquem conſequantur, ſed vt diuitias, vt ambitionem oſtentent, in his ſtudent. Tanta eſt inanis gloria, nullum ambitioſum audio, qui librum intelligat, ſed aureas tantum litteras admiratur. Quid hoc lucri? Non propterea ſcripturæ nobis datæ ſunt, vt in libris dumtaxat habeamus; ſed cordi inſculpamus.*

De certâ lectione, & non vagâ hoc monitum exhibet Dacrianus Abbas in ſpeculo Monachorum: *Animum ad certam lectionem prudenter conſtringe, & in ea immorari conſueſce, etiam ſi aliquando minus ſapiunt. Lege inquam non confusè, & ſparſim, ſed ex ordine. Quæ bona ſunt eadem ſæpius audire non pigeat.*



Reuerendo Patri D.

IOSEPHO GELOSO

Præpoſito Clericorum Regularium.

Epiſt. LXXIII. Panormum.

Varia eruditionis quædam Lipſana.

345 QVòd Eudoxio Rethori dixit Sanctus Gregorius Nazianzenus ad illum ſcribens, ſi idem tibi dixero non dices mihi dicam; totum enim aptè hic cadit, mentem meam exprimit; & indicat quod res eſt. *Amicitia officijs te ſupero. Prior enim vt vides, ſcribo. Ac mihi credas velim, ne me quidem oſtentaſſem (id enim à me alienum eſt) niſi amicitiam tuam plurimi ducerem, mihiq; neceſſario faciendum exiſtimarem, vt tanquam pullum equinum ſtimulo, ſic te ad ſcribendum excitarem.* Scribo igitur vt ſcribas, neuè putem ferias amantis animum agere, ſi calamus ferietur; hoc quippè exertè dico, altius te huic pectori inſcripſi, quàm vt inde abradere te poſſit ſcriptionis nimia raritas, aut vlla negligentia; ſed ex alio etiam capite manum calamo admoui. Opus editurus, in quo Chriſtiani orbis admiranda, ea ſcilicet, quæ naturæ ſuperant vires, recenſeo, opera tua indigeo, ſi quid igitur habes notatu dignum, gratum erit ſi ad me transmiſeris, alij non pauci ex amicis, quos adiui idem pręſtitere; diligentię tuę lita nec minora à te ſpero. Et verò quia in opere quod molior te tanquam amicum adeo, ſine vt hoc litterario obſequio te alijs amicis pariem, numerem te cum alijs, quos veneror, quos amo; itaque dum expecto quod poſtulo, tu habe quod non poſtulaſti. Varia ſint quæ ſubijcio, in amore tamen ego nunquam varius, idem ſemper ero.

346 APud Hebræos Nazarę̧i capillos ſuos ollę ſubmittebant; in tractat. Middoth. cap. 2. ſec. 5. hæc latinè reddita lego. *Ad ortum brumalem erat atrium Nazaræorum, quod ibi Nazaræi coquerent eucharistica ſua, & defenderent capillos ſuos,* EOSQVE OLLAE SVMMITTERENT, *quibus ſubsellius erat ignis quo Capilli abſumerentur.*

Olim apud Gręcos pueros in tabella prius litterarum elementa didiciſſe, quàm in libris legerent, diſco ex his verbis, quæ habet Sanctus Chryſoſtomus hom. 5. ad Coloſſ. *Sicut nos quoque ſæpè dicimus pueris. Cum videris in libro elementum. A. recordare quod id* HABEBAS IN TABELLA. *Vidiſti famem? Recordare quod is ipſe erat qui germina perdidit. Vidiſti bella? Recordare diluuij. Vidiſti quod ſint magni, qui terram habitant, ſed non maiores Aegyptijs.*

Statum poculorum argenteorum pondus, quod
excedere non licebat, Scipionis lege fuiſſe tradit 347
in Apophteg. Plutarchus: dum ait: *Ariolos ſacrificules, Lenoneſque ſtatim exturbauit, & omnia iuſſit admouere vaſa, demptis olla, veru, & figlino poculo: argenteorum poculorum nullum duabus libris maius permiſit habere volentibus. Lauacro interdixit: qui immergerentur, quemque à ſeipſo fricari iuſſit, quod diceret iumentis fricante opus eſſe, quia manibus ipſa carerent.*

Clericis inhibitum reperio ſine ordinarij licentia mulieres docere. In Conſtit. Mantuan. Eccleſ. num. 15. hæc leguntur. NVLLVS CLERICVS MVLIERES, *etiam quauis dignitate illuſtres doceat legere, ſcribere, aut canere, vel alio cuiuſuis generis muſico inſtrumento ſonare, niſi alicui ob ætatem, morum, ac vitæ probitatem id permitti poſſe iudicauerimus, quòd tamen non niſi facultate à nobis in ſcriptis datâ præſtare poterunt.* Ità præcipit Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus Franciſcus Gonzaga in ſuis ſynodalibus Conſtitutionibus.

De Homeri cultu hoc obſernabam aliquos in 348
eius memoriam Æneum nummum cudiſſe, quem Homeri nomine vocabant. Strabo lib. 14 hæc habet: *Cùm Lydi euertiſſent Smyrnam circiter annos quadringentos in vici modum manſit habitata, poſtmodum Antigonus eam ſuſcitauit, deinde Lyſimachus & nunc omnium pulcherrima eſt, eius pars in monte ſita eſt pars maxima in campo. Habet etiam Bibliothecam, & Homericum, Porticum ſcilicet quadratam cum Homeri templo & ſtatua. Nam & hi maximè hunc Poetam ſibi vendicant, vnde & nummus quidam Aeneus apud eos Homerus vocatur.*

Calceus in acutum desinens quæſiti ornatus nota, & ſignum erat. Sanctus Chryſoſtomus Homil. 8. in Epiſt. 1. ad Timoth. *Quid autem, inquit, cum calceus ipſe pulla veſti ſubiectus maiorem ſui decorem cernentibus præfert, atque ad imitationem antiquæ picturæ* IN ACVMEN VENVSTIVS DESINAT. Nolo plura exhibere, nam & hæc quoque tibi & nota, & obſeruata, obſeruantiæ nudè nota ſint.



Piiſſi-

Pijssimo Patri Fr.

FRANCISCO CAVALLI

Ordinis, vt vocant, Capuccinorum.

Epistola LXXIV.

Virgo Cruci comparata, Crux dicta, alia quadam de Virgine adiecta.

349 Spatijs sępè disiungimur, nunquam animo; absentiæ præiudicijs amor non subiacet, si est verus. Audio & subsigno: *Perfecta charitas corporalis absentia damna non patitur, nec animorum serena coniunctio itinerum sequestratione multatur. Quorum anima Christo in charitate sociante conueniunt; nulla possunt separari interiectione terrarum.* Ennodius hoc Elpidio dixit, & ego tibi. Et qui terrarum interstitia separent, qui mentem supra terram efferunt, in Cęlo versantur, qui terram licet corpore tangant, terrenorum tamen amore non tanguntur? O vtinam tales essemus ambo, erimus si ero; vt sim tuis me precibus adiuua. Ad varia te loca confers, vt locum in multorum cordibus pęnitentiæ facias, & omnes voces ad Christum quocumque vocaris. Perge, mi Pater, perge, satius est animę medicinam pręberes, quàm corpori, quòd tàm peritè ante pręstabas: cum in sæculo esses medicam artē exercebas, meliorem nunc exerces extra sęculum, sęculo ipso maior factus. Post tuam nihil altiùs animo hęreat quam salus animarum. Sed hęc & alia tu tibi non suasisti dumtaxat, sed persuasisti. Tibi & tuis nostra volumina huic rei deseruire nō postremam laborum meorum mercedem puto. Sub mea vmbra Virginea multos tui ordinis cōcionatores stare audio, & fructum ab ea decerpere a lijs fructibus parturiendis aptos, eosque meliores maturioresque quam illi, qui sub vmbra fuerint; nec mirum, cum fructibus maturādis æstus sit aptior quam vmbra. Totum volumen in Virginis laudem ita excurrit, vt pleraq; alia sub vmbra latitantia offerat. Et verò licet multa de Virgine ibi dederim, dederim & alibi alia, semper noua pullulant, quę dicantur. Placet hanc Epistolam quibusdam obseruationibus, quæ ad Virginem ipsam spectant absoluere. Tu mi Pater, & Virgini me commenda, & Virginis Filio; nam & ego vtrumque tibi voueo propitium.

350 Virginem Cruci comparatam obseruo, Crucem dictam, certè illud circumferri solet: *Appellabo te thronum, appellabo te Crucem:* Crucem retulit, nam in ea non minus quam Cruce Christus cruciabatur. Prætereà in hoc Crucem Virgini pariare possumus, vt sicut per Virginem ad nos Dei Filius venit, sic per Crucem ad propria iuit, quod habet etiam Sanctus Petrus Damianus serm. 18. *Sicut*, inquit, *per* VIRGINEM *descendit ad nostra, sic per* CRVCEM *est reuersus ad propria.*

Quo affectu in Crucem tribulationemque ferretur, quæ Deum tulit Beata Virgo ex sermone Angelico Sanctæ Brigitæ cap. 14. colligitur: *Desiderabat voluntas Virginis omnes mundi tribulationes gaudenter sustinere, vt in portum securitatis, scilicet in sinum Dei Patris ipsa perueniret, hoc incessanter desiderans, quod scilicet Deo qui sibi erat charissimus ab eius anima pro sua recreatione, honor ad gaudium redderetur.*

351 Os, oculosque Christi sui è Cruce iam depositi Virginem clausisse obseruo; rem ipsamet aperit, dum Sanctam Brigittam alloquens cap. 10. lib. 1. Reuelat. hæc habet: *Sicut stetit in Cruce, sic habui eum genu, quasi hominem cōtractum in omnibus membris. Posteà posuerunt eum in linteo mundo. Et ego cum linteo meo extersi vulnera, & membra eius, &* CLAVSI OCVLOS ET OS EIVS, *quæ in morte fuerunt aperta.*

Quid passa Virgo cum eius Filius felle & aceto potaretur in sermone Angelico Sanctæ Brigittæ cap. 18. sic explicatur: *Iudæis felle, & aceto ipsum potantibus, anxietas cordis, ita linguam, & palatum Virginis exsiccauit, quod labia sua benedicta ad loquendum tunc mouere non valuit.*

352 Per Mariam mulieres habuisse, vt plenius Virginitatis donum in eas fluxerit, notabat Sanctus Hieronymus Epist. 22. quæ est ad Eustochium, ait quippè; *Mors per Euam, vita per Mariam. Ideoq;* ET DITIVS VIRGINITATIS DONVM FLVXIT IN FOEMINAS, *quia cœpit à fœmina. Statim vt Filius Dei ingressus est super terram, nouam sibi familiam instituit, vt, qui ab Angelis adorabatur in Cœlo haberet Angelos & in terris.*

Mariam diuinum suum canticum proferentem sic efferebat Beatus Laurentius Iustinianus de discipl. Monast. cap. 19. *Quemadmodum ignis quanto magis in vnum colligitur, tanto amplius nutritur, & flammas euaporans sursum impetuosius erumpit, ita & mens, cum diutius intra se commorata fuerit, & ardentius per amoris incendium vrit in se, & per desiderium eleuatur in Deum. Sed sit tunc verba quædam protulerit, tota ignita sapientia nectare condita, veritatis splendore irradiata, & diuinarum laudum suauitate plena erant, sic Matrem Domini gloriosam egisse legitur. Nam post spiritualem & Angelicam salutationem, post verbi ineffabilem ex se incarnationem post desideriorum humilium ardorem, & innumerabilium gratiarum exhibitam Deo actionem, post Elisabeth tacitam salutationem, tanquam plenissimum vas odoramentorum Cœlestium, in se nimia ardens charitate, quum os sanctissimum aperire cœpit, eructauit canticum illud eximium, canticum æternis iubilationibus*

plenam

Plenum, & Sacramentis multis refertum, & ait: Magnificat Anima mea Dominum, & exultauit Spiritus meus in Deo salutari meo. Nec mirum. Nam tacentes, & orantes Dominus vt plurimum visitare dignatur.

353 Beatam quoq; Virginem Dei Matrem à suorum propinquorum consortio, & habitatione sibi maxime timuisse lego in sermone Angelico cap. 14. hæc habentur. *Frequenter quidem* TIMEBAT PROPINQVORVM COHABITATIONEM, *ne ipsorum prosperitas, vel aduersitas quæ mundi procellis similantur per verba, vel opera, ipsam ad obsequendum Deo efficerent grauiorem.* Iustius quisq; nostris à suis timeat nam periculo propinquus est, qui nimis propinquis adhæret.

Microcosmus respectu aliarum creaturarum dictus homo; Virgo Dei Mater in Dei Ecclesia perfectior microcosmus dici potest. Hoc eam donauit titulo pius illius cultor B. Thomas à Villanoua; cuius hæc ipsissima sunt verba: *Sicut in Creatione mundi in homine collecta est omnis Creatura, ideo* MICROCOSMVS, *sic in reformatione mundi in Virgine collecta est omnis Ecclesia, & Sanctorum perfectio vnde* ECCLESIÆ MICROCOSMVS *dici potest.*

Virginem Dei Matrem *escam* dictam fuisse obseruo, qua Deus peccatorum animas capit. De ipsa ita loquitur Deus pater Sanctam Catharinam Senensem alloquens tract. 4. cap. 139. *Ipsa est à me* VELVT ESCA *dulcissima collocata, & electa pro capiendis hominibus, & animabus præcipuè peccatorum.*

Quam promptè Virgini Angeli pareant docet Sancta Brigitta cuius hæc sunt verba. *Ita Angeli* OBEDIENTES VIRGINI *facti sunt, quod omnes Inferni pœnas libentius sustinerent, quam aliquibus suis præceptis in aliquo contradicere.* O' eandem nos quoq; mentem circumferremus; idem homines facerent quod Angeli, vt Angeli fierent?

Eminentiss. & Reuerendiss.
FEDERICO CORNELIO
S. R. E. Cardinali, Venetiarum Patriarchæ.

Epist. LXXV. Romam.

Occultus *de Deo; Præcipua festa per plures dies olim prænunciata.*

354 QVid stupes? me ad Eminentiæ tuæ ædes venire? Irreligiosus & nimis audax audiam, qui te adeã nullo præeunte. Et verò strauit mihi ad te viam opus, quod à me editum se tibi, verecundiæ omnis incapax, insinuauit. Liceat subsequi sine pudore meum opus. Id nunc præsto, vt vides. Audio tibi placuisse meum librum, quem statim tuis laudibus onerasti: nunc meipsum hisce litteris sisto, non vt indiecm me excipere tuas laudes; sed potiùs me suspicere laudatorem, qui adeò se demisit, vt non legere tantùm nostra voluerit, sed etiam commendare. Tanti minima mea à te fieri, fieri à me maximi debet. Faciam ità tamen, vt extra exiguitatis meę limites ferri me non sinam. Vtinam detur eò tandem peruenire, quò tu me iàm putas peruenisse? Conabor. & in hoc saltèm aliquam laudem merebor, quòd tuis laudibus excitatus studebo esse, quod esse putor. Et, ne vacuus coram te, Eminentissime Cardinalis, appaream, hæc in venerationis testationem Epistolę appendebam.

O*Ccultus* aliquando pro Deo accipitur. Pachymera in Epist. 3. Sancti Dionysij, OCCVLTVS, 355
inquit, *sæpè accipit pro voce Deus, & arcanum pro Diuinitate. Occultus igitur etiam hic pro Deo ponitur, vt qui inuisibilis dictus est.*

Circa Deum hoc notabam: perfectorum habitum fuisse Deum inuocare apposito pronomine *meus*. Beatus Dionysius Cartusianus in cap. 1. Epist. ad Corinth. hoc notabat dicens. *Princeps Theologorum Dionysius in libris suis vix dicere audens, Deus meus, sic dicit: Deus, &, si fas est dicere, meus. Propterea non quorumlibet,* SED PERFECTORVM FERVENTER AMANTIVM EST DICERE, DEVS MEVS.

Et punire Deus dicitur & misereri: sed huius frequentiùs in Diuinis Litteris fit mentio quàm illius; quod obseruans S. Chrysostomus hom. 14. in Epist. 1. ad Corinth. aiebat: *Deus quòq; etsi puniat, quòd sit quidem misericors lenis, & clemens, & diues in misericordiâ & miserationibus,* MVLTIS IN LOCIS DICITVR. *Quòd autem sit puniens & castigans, semèl, bìs, & rarò, idq; causâ vrgente.*

Summa & præcipua festa olim apud nonnullos ante quinq; quatuorue dies celebranda prædicabantur, vt se omnes ad eorum cultum pararent. Rem luculenter habet Petrus de Honestis, qui ante quingentos annos Clericorum regulam scripsit. Sic ille lib. 2. cap. 16. SVMMA FESTA CVM VENERINT, QVINTO VEL QVARTO ANTE A DIE, PERACTIS PRIVS *omnibus, quæ in capitulo gerenda manè post Primam scripsimus, quidam de fratribus, cui Prior iniunxerit, accedat in medium, & petitâ benedictione dicat: Quinto vel quarto die proxime futuro, fratres charissimi, illam festiuitatem Domini celebraturi, sanctificamini, & estote parati. Tu autem, Domine. &c. Fratribus itaq; mediocri voce, Deo gratias respondentibus, subiungat idem lector secundùm quod à Præposito statutum fuerit, qui fratres inuitatorium, lectiones, responsoria, & quæq; alia in officijs necessaria dicere, cantare vel legere debeant. Quibus pronunciatis fiat omnium excessuum patens confessio, quam pœnitentia, & satisfactionis sequatur iniunctio ante festi eiusdem celebrationem si fieri potest, implenda. Si quis tamen aliquid priuatè confiteri voluerit, confiteatur Priori siue presbyteris per Priorem ad hoc officium deputatis. Remissionem quoq. fratres sibi inuicem, & omnibus absentibus, qui offendêre, voto & absolutione, quâ possunt, exhibeant. Quod satis esset laudabile, & Ordini congruens, si etiam in singulis Sabbatis, & præcipuorum festorum vigilijs fieret. Cantaturi igitur, & lecturi hîs vel alijs diebus quibuslibet, quæ cantanda sunt, & legenda, prouideant;*

&, si

& , si necesse sit aliquid in his quærere, certa personæ à Priore designentur, à quibus licitâ hora hoc exquirere debeant, quiq; id eis humiliter exhibeant.

Reuerendo Patri D.

PETRO BALDELLO

Præposito Cler. Reg. & magni nominis Concionatori.

Epist. LXXVI. Guastallam.

De aquarum, & nuptiarum nexu aliqua paralipomena. Aliqua de nuptijs adiecta.

357 QVæ de Nuptialibus aquis scripseram, auidè te bibisse scribis. Facis, quod soles. Sapida tibi dicis esse, licèt aquam ferant, referant aquam. Non est nouum, auiditatem, melleam dulcedinem aquæ affricasse. Quùm de petrâ mel fluxisse Regius Psaltes dixit, aqua fuit, quæ bibentium siti mel est visa fuisse. Quid, si idem hic accidit? Vt vt sit, gaudeo te mea in ingenij tui stomachum traijcere, in memoriæ ventrem condere: nam in melius mutata, inq; vitalem sanguinem (vt ità loquar) conuersa, auditoribus tuis propinabis ad vitam. Nę ego felix, si plures tui similes ità labores meos excurrant & versent; vt, quæ vtilia illis, quos è suggestu alloquuntur, esse possunt, deglutiant priùs, & in lac conuertant, quo illos ad vitam alant, & nutriant. Eò certè ego spectaui, dùm in meis voluminibus non nudæ eruditioni litaui, sed pleraq; etiam obtuli, quę moribus informandis essent apta. Verùm hæc, nisi per viuam loquentis vocem meliori veste atq; forma donata in auditorum aures deuehantur, & à mortuis paginis amoueantur, vix legentes mouent. Multum ergo sacris concionatoribus debeo, qui pleraq; non dedignantur ex meis voluminibus colligere, quę spargant in suos. Quòd autem non pauci nomen meam tanquàm ab alio suo publicè producant, & verba mea tanquàm probati doctoris recitant, hoc verecundiam meâm adeò ferit, vt, quid dicam, nesciam, nisi me non habere quid dicam. O tantam authoritatem dictis dicentis sanctitas dedisset! Sed qui factum, vt, cùm ad te scriberem, de me loquerer? Ad te redeo: &, quia Aquę tibi nuptiales placuere, hæc quoq; pauca accipe, quę ad hanc Epistolam ab illo volumine excurrerunt. In hoc etiam aquę naturam ęmulantur, quę facilè labitur, & per rimas effluit: nam ęgre claudi omnes possunt. Vale, Vir doctissime, & amantem vicissìm ama.

ADeò cum aquis hærent nuptiæ, vt Italico idiotismo mulierem infelici matrimonio iunctam aquis submersam vocent. Dicunt quippe nostri: *E' stata annegata*. Et ille illius italismus: *Affogata dicesi una figliola, che si amal maritata*. Quid? quod adulterium aquæ tributum est, aut tribui poterat, dùm negatum? Sanctus Augustinus lib. 4. de Baptis. contra Donatistas; ità scribit cap. 17. *NEC ADVLTERA EST AQVA IN BAPTISMO hæreticorum; quia nec ipsa creatura, quam Deus condidit, mala est; nec verba Euangelica in quibuslibet errantibus reprehendenda sunt; sed error illorum, in quo adultera est anima, etsi à legitimo viro Sacramenti habeat ornamentum.* 358

A bibendi ab aquarum metaphor. non abibimus; sed potiùs ea, quæ diximus, confirmabimus, si hydropicis luxuriosos comparatos probemus. Probo & explico: vt enim illi, dùm bibunt, sitim non extinguunt, sed accendunt; ità & isti, dùm luxuriæ vacant, cupiditatem non implent, sed excitant. Vgo Carens. in cap. 14. Lucæ ait: *Per huac hydropicum significantur luxuriosi: quia, sicut hydropicus, quantò plus bibit, tantò plus sitit; ità, QVI SE LVXVRIAE IMMERGIT, ampliùs eam appetit.*

Anima, quæ innocentiæ litans, Christi sponsa esse poterat; iniustitiæ vacans, vxor fit diaboli. 359 Christi verba sunt in Reuelat. Sanctæ Brigittæ lib. 1. cap. 43. *Anima vitiosa est quasi VXOR DIABOLI, cuius in omnibus sequitur voluntatem: quæ tunc concipit ex Diabolo, quandò peccatum placet ei, & gaudet in eo.*

Ritus, qui in deducendâ domum vxore apud Africæ populos seruantur, in Descript. Africæ huncin modum referuntur: *Sponsus suam ducturus domum sponsam, primò tabernaculum ligneum octogonale serico tectum intrare iubet, in quo à baiulis defertur comitantibus parentibus & affinibus multò cum tubarum, & tibiarum sonitu tympanorumq; strepitu, nec non maximo facium numero. Præcedunt sponsi affines cum facibus: sponsæ verò sequuntur. Sic maximum itur ad forum, temploq; præterito, sponsus socerum & reliquos omnes salutat, domumq; quantùm potest, propelat, atq; in cubiculo sponsæ aduentum præstolatur.*

Olim cuilibet erat licitum in sponsum sponsamq; probra iacere, & eos contumelijs lusùs gratiâ operire. Moris huius abolendi meminit Sanctus Chrysost. mus hom. 12. in Epist. 1. ad Corinthios. *Hæc quoq; vulgo lex est: fugitiui, & mastigiæ & perniciosi homines securè, & cum summâ licentiâ dicunt quæ volunt, & in sponsam, & in eum, qui est cum illa habitaturus, & nihil quidem honestum, omnia autem turpia probroq; plena & dedecore. Bonam autem temperantiæ, & moderationis doctrinam non habebit sponsa, quæ hęc audit, & videt. Et est quædam diabolica contentio eorum, qui hæc suadent, vt alij alios superent probrorum ac turpium verborum gloriosa prolatione, per quæ eos, qui conueniunt, probro afficiunt ac dedecore: & illi victoria parta recedunt,*

quæ

qui plura probra, & maiores congeſſerunt turpitudines. Scio quidem me eſſe grauem importunum, & moleſtum, vt qui vita quandam amputem voluptatem; nam propterea lugeo, quòd, quæ ſunt iniucunda, videantur eſſe quædam voluptas. Quomodò enim (dic quaſo) non eſt iniucundum, contumelia, & maledicto affici, ab omnibus cum ſponſa dedecore, & ignominia notari? Et, ſi quiſpiam quidem ex foro tua coniugi maledixerit, lites & iurgia moues innumerabilia, & vitam non exiſtimas eſſe vitalem; tota autem ciuitate præſente probro, & ignominia cum futura coniuge appetitus, lætaris, & exultas. Quanta hæc ſunt inſania? ſed ea res, inquis, eſt vſurpata conſuetudine. Propterea eſt maximè lugendum, quòd rem conſuetudine concluſerit diabolus.

361 Mariti iam peregrè redeuntes aut rure, nuncios ad vxores præmittebant, qui illas de viri aduentu certiores facerent. Rem, & cauſas his verbis reddit Plutarchus Quæſt. Roman. num. 9. *Quamobrem rure aut peregrè domum redeuntes mariti præmittunt, qui adeſſe ipſos ſignificet? An, quia hoc eſt probitatis vxoris ſuæ confidentis viri (nam ex improuiſo, & ſubitò ſuperuenire ſpeciem inſidiarum, & infenſæ obſeruationis habet) ideo dant operam, vt deſiderantibus ſe, atq; expectantibus vxoribus lætum ſui aduentûs nuncium offerant? Aut potius quòd ipſi neſcire cupiunt, ſaluaſne & deſiderio ſui affectas vxores domi ſint offenſuri? Vel quoniam plura ſunt mulieribus domeſtica negotia, & rei familiaris occupationes plures, mariti vbi abſunt, variaq; cura & diſcurſus; ideò aduentûs nuncium accipiunt, vt, omiſſis iſtis negotijs, abſq; tumultu ac ſuauiter maritum excipiant?*

Qualis Chriſti ſponſæ thalamus ſit ornandus, egregiè docet Sanctus Petrus Chryſologus ſerm. 22. *Ex quo ad deſponſandam ſuam Eccleſiam Chriſtus aduenit,* THALAMVS ORNATVR SPONSÆ: *& ornatur auro fidei, argento ſapientiæ, virtutum gemmis, ſanctitatis velis, verecundiæ roſis, lilijs caſtitatis, pudoris violis, & ad alta Cœli pudicitiæ Templum, faſtigium virginitatis attollitur. Nec deſunt Pſalmorum cithara, prophetica organa, Apoſtolorum voces, totaq; ſymphonia Cœleſtium nuptiarum.*

Illuſtriſs. ac Reueren. Præſuli
VINCENTIO IVSTINIANO
Brixienſium Epiſcopo.

Epiſt. LXXVII. Brixiam.

Anna, gazophylacium Chriſti. Alia de ſequiori ſexu addita.

362 NAm cùr ab eo te cultu abiungam, cui tu per omnia par? Fratrem tuum Veron. Epiſc. litterario munere adiui: cùr te igitur prætermitterem, qui nihil eorũ prętermittere ſtudes, quę ad verã veri præſulis formã requiruntur? in quo ita contendis cùm fratre, vt eòdem, non diſſimili paſſu tendatis. Sed quid te effero, cùm modeſtia tua calamum in laudes tuas excurrentem coerceat? Non laudo, niſi maior ſit laus, mea te laude maiorem dicere: quod dico. Ad ea, quæ magis tibi arrident diuerto. Aſcetica mea opuſcula grata fuiſſe tibi cognoui. Quod pietati tuę maximè tribuendum puto, quam hiſce ferculis nutris. Accipe igitur etiam illud, quod nouiſſimè edidi de vita ſcilicèt, quàm in matris ſuę vtero Maria Dei Mater nouem menſibus egit. Vt aliundè non placeat, vel argumenti nouitate placebit, & materię ſuauitas ac dulcedo pluſquàm mellea omnem ſcriptionis inſuauitatem aut tollet omninò aut minuet. Sed prędter librum hoc quòq; accipe, quod Epiſtolæ adijcio, & Annam ipſam tangit; & alia, quę illius ſexum.

363 BEatam Annam, Dei gazophylacium dictam obſeruo; in ſermone Angelico S. Brigittæ cap. 10. Hæc in huius viraginis laudem leguntur: *O Anna; mater reuerenda, quàm pretioſum theſaurum in tuo baiulaſti vtero, quandò Maria, quæ Mater Dei fieri debebat, in ipſo quieuit? Verè ſinè omni ambiguitate credendum eſt, quòd materiam illam ſtatim, quandò in Anna vtero concepta, & collecta fuit, de qua Maria formari debebat, ipſe Deus plus diligebat quàm omnia humana corpora à viro, & muliere generata, & generanda per Mundum vniuerſum. Vnde venerabilis Anna verè nuncupari poteſt* OMNIPOTENTIS *D*EI GAZOPHYLACIVM, *quia ipſius theſaurum ſuper omnia ſibi amabilem in ſuo vtero recondebat.* hæc ibi: ſed alia, quia hic ſumus, de hoc eodem ſexu adducamus, ſi non in laudem, ſaltèm in notitiam aut etiam in cautionem. Pauca erunt, quia ſparsim in alijs voluminibus hic ſexus calamum ad ſe traxit.

Fœminæ alicubi ſuorum maritorum nomine litteras laicis ſcribere debebant, non ſuo. In Concilio Eliberitano num. 81. ità lego: *Ne fœminæ ſuo potiùs abſq; maritorum nominibus* SCRIBERE AVDEANT, *quæ fideles ſunt; vel litteras alicuius pacificas ad ſuum ſolùm nomen ſcriptas accipiant.*

Mulieribus ingredi ad altare olim nefas erat. Concilium Laodicenum ità decernit, num. 34. *Non oportet mulieres* INGREDI AD ALTARE, *nec ea contingere, quæ virorum officijs deputata ſunt.*

Apud Moſcouitas in locum nulli ingredi licet, in quo mulier peperit, niſi poſt triduum. In rerum Moſcouitarum Commentarijs hæc leguntur: *In locum, vbi mulier peperit,* NEMO ANTE TRIDVVM INGREDIATVR: *quemadmodum enim alia immunda vaſa deligenter lauanda, ità habitationem illam eſſe priùs mundandam.*

364 Mulierum in Eccleſiâ tumultum loquacitatemq; ità coercebat S. Chryſoſt. hom. 9. in Epiſt. 1. ad Timoth. *Turpe eſt mulieribus in Eccleſia loqui.* Et rurſùs alio in loco: *Lex eas ſubditas fecit: ſi quid autem diſcere volunt, domi viros ſuos interrogent. At nunc ingens vbiq; tumultus; maximus clamor, colloquutio plurima atq; confuſa; neq; vſquàm alibi tantum loqui mulieres, neq; in foro neq; in balneis, quantum intra Eccleſiam videas: quaſi ob hoc ipſum eò conueniant, vt, quæ velint, licitè loqui poſſint, ità inutilibus fabulis occupata ſunt omnes.*

365 Eiecta mulier quænam diceretur, docet his verbis Cælius lib. 18. cap. 16. *E*IECTAM MVLIEREM

He-

Hieronymus intelligit, quæ à marito viuente eycia-tur.

Mulieres aliquas (quod mireris) aliquandò suo vultui pallorem induxisse reperio, vt scilicèt amare se proderent, dùm pallerent. Ob id aut ieiunabant, aut etiam sanguinem sibi minui sinebant. Hanc amantium amentiam indicauit, & pupugit S. Anselmus Carm. de Mundi contemp. dùm canit.

Altera ieiunat miserè, minuitq; cruorem,
Et prorsùs, quare PALLEAT, *ipsa facit.*
Nam, quæ non PALLET, *sibi rustica quæq; videtur,*
Hic decet, hic color est veras amantis, ait.

Quibus præcipuè horis ambulatio & itio ad mulieres Clericis olim interdicta, disces ex his Concilij Epaunensis verbis num. 10. vbi hunc titulum præfigit: *Ne illicitis horis Clericus ambulet.* additq; *Episcopo, presbytero, & diacono vel diuersis Clericis horis indebitis, idest meridianis vel vespertinis* AD FOEMINAS PROHIBEMVS ACCESSVM: *qui tamen, si causa fuerit, cum presbytero aut Clericorum testimonio videantur.*

366 De telis, quas Iberorum mulieres quotannis publicè proponunt, hæc ex Nicolao habet Stobæus serm. 5. de Temperant. *Mulieres Iberorum quotannis telas suas publicè proponunt: viri autem, quæ ipsorum suffragijs plurimum elaborasse visa fuerit, illi maximum honorem deferunt. Habent quoq;* CERTAE MENSVRAE ZONAM, *qua si venter alicuius cingi nequeat, turpe habetur.*

Mulieres, quæ caudas in vestibus circunferebant, ità perstringit S. Bernardinus Senen. serm. 47. contra fucat. art. 3. cap. 3. *Iam tota Italia* CAVDATIS MVLIERIBVS *plena est. Nihil iam restat agendum aliud, vt completa animalia videantur:* CAVDAS, ET CORNVA HABENT; *iam enim in quibusdam partibus ad binarium numerum in mulieribus cornua deuenerunt.*

Porrò caudæ in pretiosis vestibus, non in vilibus, ferè videbantur. Indicant hoc eiusdem S. Patris verba eodem loco art. a. cap. 1. CAVDÆ *communiter fiunt in vestibus pretiosis laneis vel sericis, non in vilissimis pannis; quia Mundo quædam deformitas esset.*

Mulieres quòq; olim scribarum officio functas colligitur ex hoc antiquo lapide.

Sextia Xanta
Scr. Libraria
Em. Ol. II.

367 Fœminarum adspectus quàm noxius sit, quàmq; cautè cauendus ei, qui castimoniæ vult consultum, egregiè explicat S. Petrus Damianus Opusc. 52. cap. 5. vbi ait: *In quodam monte orientis lapides sunt igniferi,* QVI MASCVLVS, ET FOEMINA NVNCVPANTVR, *& dicuntur pyroboli: qui nimirùm, cum a se inuicèm procul sunt, non accenduntur: si verò fœmina appropinquauerit masculo, protinùs ex eis ignis egreditur, ità vt omnia, quæ circa montem sunt, flammis vaporantibus exurantur. Ab ipsis ergo lapidibus edocemur, vt, si consumi libidinis incendio nolumus, muliebris aspectûs speciem declinemus, ne de conspecta forma flamma prosiliant, quæ in nobis non montis, sed mentis fructeta peruadat.*

Illustriss. ac Reuerendiss.

FORTVNATO SCACCO

Summi Pontificis Sacristæ.

Epist. LXXVIII. Romam.

Nonnulla circa vnguenta obseruationes.

Benè olent, quę de vnguentis scripsisti; & Sacrę eruditionis odorem, qua refertissimus es ab omni parte spargunt in omnem partem. 368
Qui sacras litteras tractant, labori huic tuo multum debebunt. Perge, & reliqua, quę es pollicitus, exhibe. Libera fidem tuam, & litteratos omnes tibi deuinci. Tria tuorum operum volumina de hoc argumento à te edita, & ad me transmissa accepi. Magnum donum donatoris maximi. Displicet par non habere, quod referam. Vt in affectu tecum contendam, nolo contendere circa munera, Exile, sed offerentis exiguitati respondens est, quod exhibeo. Agnum Eucharisticum, quem emisi, ad te mitto. Grati animi signum volo esse, non mensuram: plùs nimirum significat, quàm sit. Quòd me ad mea, quę supersunt, edenda vrges; vide, ne festinatio potiùs coercenda sit, quàm excitanda. Tomus quartus Sacrorum Electorum, qui hunc titulum pręfert, *Nuptiales Aquæ*, gemit sub prælo, & citò publici iuris fiet; nam tui iàm per me est, tuusq; reipsa erit, quùm erit absolutus. Tù interim fine me litterariam appendicem hisce litteris adijcere. De vnguentis hęc pauca notabam, quę ad te adlego, non in notitiam, sed in obsequium.

IVdæorum antiquus hic ritus erat, vt in die ieiunij à cibis delicatioribus abstinerent, & vnguento non vngerentur. Hinc illud S. Hieronymi in cap. 10 Danielis: *Mos apud Iudæos:* TEMPORE IEIVNII A CIBIS DELICATIORIBVS ABSTINEBANT, *& vnguento non vngebantur; vnde Daniel neq; vnguento vnctus est.* 369

Ad thalamos nuptiales olim oleum aut vnguentum præparasse Hebræos, indicant hæc verba, quæ habentur in Arue. *Oleum est vnguentum aromaticum,* QVOD PARATVM EST AD THALAMOS NVPTIALES.

Quod in alabastris vnguenta prisci haberent, non est nouum. Alabastrum vnguenti attulisse Mariam Magdalenam ex Sacris Litteris discimus. Hoc autem faciebant, quia putabant vnguenta in alabastris optimè seruari. Ità Plinius lib. 13. cap. 2. *Vnguenta optimè* SERVANTVR IN ALABASTRIS, *odores in oleo, quod diuturnitati eorum tantò vtilius est,*

quan-

quantò pinguius, vt ex amygdalis. Et ipsa vnguenta vetustate meliora. Sol inimicus his; quamobrem in vmbrâ conduntur plumbeis vasis. Experimentum eorum inuersâ manu capitur, ne carnosæ partis calor vitiet. Istuc idem obseruabat etiam S. Isidorus lib. 20. Orig. cap. 7. *Alabastrum, vas vnguentarium à lapide sui generis cognominatum, quem alabastritem vocant,* QVI INCORRVPTA VNGVENTA CONSERVAT. Idem habet idem Plinius lib. 36. cap. 8. vbi ità scribit de alabastrite: *Hunc aliqui lapidem, alabastritem, vocant, quem cauant ad vasa vnguentaria quoniam optimè seruare incorrupta dicitur.*

Porrò de alabastrorum figurâ hæc idem author
370 lib. 9. cap. 35. de vnionibus loquens; *Elenchos appellant fastigata longitudine* ALABASTRORVM FIGVRA IN PLENIOREM ORBEM DESINENTES.

Fuisse sine ansulis alabastra asserit Massarius in Plinium. *Alabastrum*, inquit, *erat vas vnguentarium formâ turbinatâ* SINE ANSVLIS; *quod ex lapide alabastrite fiebat, quoniam optimè in eo seruantur incorrupta.*

Palæstinorum vsum fuisse diebus festis capita vngere, obseruat S. Hieronymus ad illa verba Matth. *Tu autem, quùm ieiunas, vnge caput tuum.* ait enim: *Iuxta ritum Prouinciæ Palæstinæ loquitur, vbi* DIEBVS FESTIS SOLENT VNGERE CAPITA.

Bis terq; in die vnguentum renouatum, ne in corpore euanesceret, refert Seneca Epist. 86. *Paratum sumere vnguentum, nisi bis die terq;* RENOVETVR, NE EVANESCAT *in corpore. Quid quòd odore tanquam suo gloriantur.*

Seruis apud nonnullos inhibitum, ne se vngerent,
371 indicat S. Chrysostomus hom. 4. in Epist. ad Roman. *Legislator quidam apud illos sanxit, vt serui* NEQ; IN SICCO SESE VNGERENT, *neq; puerorum amoribus vacarent; hanc scilicèt prærogatiuam ingenuis solis concedens, seu (vt veriùs dicam) hanc turpitudinem.*

Olim vnguentis aures quòq; opplebant. Rem & causam habet Herodianus lib. 1. de Roman. Princib. *Quocirca in ipsâ quoq; vrbe de medicorum sententia plerq; vnguentis suauissimis* NARES ATQ; AVRES OPPLEBANT, *suffitug; & odoramentis assiduè vtebantur; quòd meatus sensuum (vt quidam dicunt) odoribus illis occupati, neq; admittunt aera tabificum; &, si maximè admiserint, tamen eum maiore quasi vi longè superari.*

Eò aliquorum luxum euasisse, vt balnei quòq;
372 parietes vnguento spargerent, testatur Plin. lib. 13. cap. 3. dùm ait. *Vidimus etiam vestigia pedum tingi, necnon aliquem ex priuatis audiuimus iussisse* SPARGI PARIETES BALNEORVM VNGVENTO. *Maximè tamen mirum est hanc gratiam penetrasse, & in castra. Aquilæ certè, ac signa puluerulenta illa, & custodijs horrida, inunguntur festis diebus, & herclè iam quidam etiam in potus addunt.*

Quænam vnguenta reijcienda, & quænam probanda, & admittenda, peritè (vt solet) docet Clemens Alexandrinus libr. 2. Pædag. cap. 8. vbi ait: *Oportet autem viros in primis apud nos vnguenta non olere, sed vita probitatem.* SPIRET AVTEM FOEMINA CHRISTVM, *qui est regalis vnctio; non vnguenta, & diapasmata. Diuina autem semper vngatur pudicitia vnctione, sanctò delectata vnguento, nempè Spiritu. Hanc suauis odoris vnctionem hominibus notis suis Christus comparat, ex aromatibus Cœlestibus hoc vnguentum componens.*

Reuerendo Patri D.

CAIETANO BLANCO

Præposito Cleric. Regular.

Epist. LXXIX. Placentiam,

Variæ eruditionis rudera.

PLùs in me autoritatem tuam va- 373
luisse, quàm ingenium meum, euincere id potest, quod, vt tibi parêrem, parere studui. Morem gerendi desiderium fecit, vt facerem, quod vix à me ruditas mea alioquin obtinuisset, tot occupationibus obruta, ac (vt ità loquar) sepulta. Inscriptionem accipe: informem illam quidem, quia à me nata est; sed ab ea parte non improbandam, quà promptæ parentiæ partus est. Ad meliorem incudem conferre te debebas, si volebas meliora. Peritiæ tuæ pumice expoli, quod adeò impolitum ab imperitiâ meâ prodiuit. Igitur perficiendum offero, quod feci.

D. O. M.
In viuentibus haud par est mori,
Quod pro mortuis viuens fecit,
Iussitq; post mortem fieri
Petrus Paulus Moranus Placentinus;
Cuius hic cineres iacent.
In animarum suffragium ac solamen,
Quæ purgatricibus flammis expiantur,
Impendit, quicquid fuit;
Expendit, quicquid habuit;
Reliquit, quicquid potuit.
Diuina sacrificia, musicus cantus,
Dei sacra sub nube latentis expositio:
Omnis mortualis paratura, quæ statis diebus fit,
A munifica huius viri pietate,
Quæ in illo præcipua, præcipuè fuit.
Hæc, ne obliuione sepelirentur,
Ad posteros transmittebant
Clerici Regulares.
X. Kal. Martij M. DC XLIII.

HVcusq; se inscriptio porrexit, cui, ne nuda sit,
hæc pauca eruditionis variæ (vt ità loquar) 374
lipsana adiecta volo; non in tuæ notitiæ auxilium, sed in signum mei obsequij, in quo te ab ijs non abiũgo, quos mihi amicitia iunxit, iunxit affectus.

Familiæ nomen in corporis membris, animæq; motibus vsurpatum obseruo. Vgo Victorinus de Animâ lib. 2. cap. 14. ità loquitur. *Tuum est malè acta corrigere: tuum est in ordine, & officio* FAMILIAM MEMBRORVM CORPORIS, *& animæ motuum disponere: tuum singulorum negotia secundum competentiam assignare.* Richardus Victorinus lib. 1. de Erudit. inter hom. cap. 3. internam in homine familiam vocabat his verbis: *Vt itaq; ad inuicem conferamus exteriora cum interioribus, corporalia cum spiritualibus; vtinam* INTERNAM ILLAM FAMILIAM *tam disciplinatam habeamus, quàm disciplinatam istam exteriorem agnouimus?*

De

De ſibyllarum carminibus illud mihi obſeruatum: ſolita ſcilicèt in aliquibus Eccleſijs in nocte Dominici natalis recitari. Beatus Thomas conc. 2. in Aduent.ità ſcribit: *Non ſolùm Prophetis Sanctis, ſed etiam barbaris illis virginibus ex Gentilitate, Sibyllis vaticinantibus ſecretum hoc, Deo prodente, eſt reuelatum. Vnde Auguſtinus in lib. de Ciuit. Dei. ERYTHRÆÆ SIBILLÆ plura, & mira carmina ponit, QVÆ IN QVIBVSDAM ETIAM ECCLESIIS SACRA NATALIS DOMINI NOCTE CONCINVNTVR: in quibus de Iudicio, & ſignis illius vates illa Virginea luculenter edifferit. Quare hoc, Domine? nempè, vt nullus in Iudicio reus vllam tanti examinis futuri ignorantiam obtendat; nemo dicat: non fui conſcius: hoc me latuit: neſciui, quòd operum meorum redditurus eſſem rationem; ideoq; imprudenter me geſſi, voluptatibus inſeruiui; nec opera mea, vt decuit, obſeruaui. Voluit ergo Dominus, hoc tam Gentilibus, quàm Iudæis, notorium eſſe, vt legitimam non habeat coram eo excuſationem omnis caro. Propter quòd, & carmina illa Sibyllina toto Orbe quæſita, publicè in capitolio conſcribi, & in maxima haberi apud Gentes autoritate fecit, vt Iudicij ſermo neminem mortalium lateret.*

375 De Liberi cultu vt multa dederim tom. 1. Sacrorum electorum lib. 2. tamen hoc nolo ſuppreſſum: alicubi totum menſem ei tributum, quo tempore verbis impuriſſimis flagitioſiſſimiſq; omnes vtebantur. Sanctus Auguſtinus lib. 7. de Ciuit. Dei cap. 21. hæc habet. *In oppido Lauinio VNI LIBERO TOTVS MENSIS TRIBVEBATVR, cuius diebus omnes verbis flagitioſiſſimis vterentur.*

Olim in ſerui manumiſſione eius tabulæ frangebantur. Sanctus Auguſtinus ſerm. 5. ex 40. nouiſſimè editis, *Vt manumittas,* inquit, *ſeruum tuum, FRANGIS TABVLAS EIVS: Deus non frangit tabulas tuas. Tabulæ tuæ Euangelium ſunt, vbi eſt ſanguis, quo comparatus es. Manent: recitantur: admoneris conditionis tuæ, commemoratur tibi pretium tuum.*

Adm. Reuerendo Patri
N. N.
Epiſt. LXXX.

Diſcus Domini quis.

376 VOlupe fuit audiuiſſe, te tandem, poſt tergum Ægypto relictâ, promiſſæ terræ ſolum calcaſſe, & ſpiritualis vitæ tyrocinium incępiſſe. Tantùm hoc menti inſcribe: non inchoaſſe, ſed perfeciſſe, virtutis eſſe; & in viris magnis laudari potiùs finem, quàm initium. At fors hæc fruſtra dixero tibi, qui hæc & ſimilia priùs tibi non ſolum dixeris, ſed (quod eſt maius) indixeris. Deniq; tuorum monita, & exempla altiùs tuæ menti hanc philoſophiam infigent. Perge igitur ſub tàm peritis ducibus, & ità memineris, te Mundum reliquiſſe, vt te quòq; (quod grandius omnibus eſt facinus) relinquas. Sub eodem tempore, quo tu te à ſeculo ſubduxiſti, ad meliorem vitam ſe contulit Virginea Brenzonia. Sed hoc ad te aliundè perlatum fuerit; à me deferetur, quod à mea ruditate tantæ Virginis probitas exculpſit. Eius vita, eius mors talis extitit, vt illâ viuendi regulam dederit, iſtâ moriendi. Quæ poſtremis illis horis iàm abitura ediderit virtutum omnium ſpecimina, vnius Epiſtolæ anguſtijs claudi minimè poſſunt: integro eſſent volumine exprimenda. Omnia ſilentio inuoluo. Inſcriptionem, quam cum Virginis corpore ſepeliendam cudi, nolo obliuionis ſepulcro ſepeliri: hanc iccirco hìc exprimo, vt viuat etiam, cùm viuere deſiero. Eſt autem huiuſmodi.

D. O. M.

Plumbea iſta lamina nihil refert plumbeum. 377
Aurea omnia ſunt.
Virginea Brenzonia, & Virgo, & Virago,
Quæ viuens ſuo ſexu maior fuit, moriens etiam sē
Hic eſt ſita.
Situm in ipſa erat,
Quicquid, vt magnum, ſpectari in magnis ſolet.
Paucioribus habe plura.
In Virgine, in Virginia
Candorem omnia habuere virgineum.
Ad ſponſum iuit. V. Id. Octob. M DC XLII.
Aetatis ſuæ anno quadrageſimo.
Hoc quòq; hìc mirum,
Quòd breuem ætatem bonis fecit operibus diuturnam
Hæc non mærens, ſed lætus
Ad poſteros tranſmittebat
Aloyſius Nouarinus Cler. Regular.
Qui confitenti tàm puræ Virgini
Vacuas aures dabat, & non in vacuum.

Hæc effudi potiùs, quàm ſcripſi. Abiens hæc Virgo luctus materiam ſuis viſa eſt reliquiſſe: ſed, ſi ſpei mentem ſequamur, eſt potius, quod illi inuideamus. Vitæ eius puritas ſpem noſtram animat, & eius probitas nobis probat cum Sponſo nunc viuere, quæ tota Sponſi amore æſtuabat, dum hìc eſſet. Tandem tantę viraginis abſentiam leuiorem reddere poſſumus, ſi vitę huius breuitatem animo voluamus. Cadunt hìc optimè, quę in obitu Cæſarij Sanctus Gregorius Nazianzenus dixit: *Quandiù adhùc,* inquit, *eius diſceſſu angemur? Nonne ad eandem ſedem properamus? Nonne eundem lapidem ſtatim ſubibimus? Nonne idem puluis paulò poſt erimus? Nonne ex paucis his diebus, qui reſtant, hoc ſolùm lucri facimus, vt plura mala partim videamus, partim patiamur, partim etiam fortaſſè faciamus; atque ità tandem ipſi quoque naturæ legi* 378

commune ac firmum, & stabile tributum pendamus, atque alios sequamur, alios præcedamus, ab alijs lugeamur; munusque lacrimarum, quod alejs contulimus, ab alijs recipiamus. Einsmodi vita nostra est, fratres, qui fluxam vitam ducimus: einsmodi in terra ludus, vt, cùm non simus, nascamur; cùm nati sumus, rursùs dissoluamur. Insomnium sumus minimè consistens: spectrum quoddam, quod teneri non potest: auis prætereuntis volatus, Nauis in mari vestigium non habens: puluis, vapor, ros matutinus: flos suo tempore nascens, & suo tempore marcescens. Nolo plura tibi de hac re ingerere. Qui Mundo mortuus est, iacturas istas vix sentit, aut ne vix quidem, si verè est mortuus. Sed præter ista sine, hisce litteris me suam ex more appendicem litterariam adijcere: quòd vbi fecero, illas obsignabo.

D*Iscus Domini Iesu* quis dictus, & qui de causâ disces ex his, quæ habet Chrysostomus Enriquez in suo Fascic. lib. 2. dist. 26. cap. 64. vbi de Sancto Gilberto loquens ait: *id ei semper in more positum erat, vt vas quoddam, quod* DISCVM DOMINI IESV *appellauit, mensæ suppons subèret, in quod non solum reliquia, sed etiam ciborum præcipua & prima partes ad vsum pauperum congerebantur.*

Adm. Reuerendo P. D.

LAVRENTIO BVTRIGARIO

Consultori Clericorum Regularium.

Epist. LXXXI. Romam.

Locus Domini quisnam sit. Adiecta variarum rerum obseruationes pietati fouendæ apta.

379 PRobari tibi labores meos, ad votum meum est: sed vereor, ne sit supra meritum. Affectus plerumque eorum iudicium inficit, quos afficit: sed tuum purum est, & immune ab hac labe. Tu vide, & etiam illi, qui mea viderunt, aut videbunt. Ego eo tendam, quò tu me putas iàm peruenisse. Sed ab Epistolarum blanditijs ità abeo, vt aliquid offeram, quod ab Epistolari more, quem seruo, non sit alienum.

L*Ocus Domini* quisnam sit, docet his verbis S. Hieronymus lib. 1. in Ezechielem cap. 3. LOCVS AVTEM DOMINI *est omnis, in quibus hospitium inuenit. Aut certè filius locus est patris, sicut & pater locus est filij: dicente Domino Saluatore: Ego in Patre, & Pater in me. Hoc idem significat, & Micheas: Ecce Dominus egredietur de loco suo: & descendet super excelsa terræ: & commouebantur mõtes subter eum, & valles tabescent sicut cera à facie ignis, & sicut aqua quæ defertur in præceps. Descendente enim Domino Saluatori, & proficiscente de Patre, excelsa terra montesque commoti sunt, & inferiora vallium liquefacta.*

Qui Christi locus & Cœlum fideles sint, & Christus locus, & Cœlum fidelium explicat pertè Gulielmus Abbas in medit. dum ait Iesum alloquens. LOCVS TVVS *Pater est, & tu Patris, & non solum, sed etiam nos locus tuus sumus, & tu noster. Cùm ergo ò Domine Iesu, tu es in Patre, & Pater in te, ò summa, & indiuisa Trinitas, tu tibi locus es: vtique tu tibi locus es: tu tibi Cœlum es, sicut nos habens ex que, sic non indigens in quo subsistas, nisi ex te ipso in te ipso. Cùm autem nos inhabitas, Cœlum tuum sumus vtique, sed non quo sustenteris, vt inhabites; sed quod sustentes, vt inhabitetur: tu quoque Cœlum nobis existens, ad quem ascendamus: vt inhabitemus. Nostra ergo vt video, in te, vel tua in nobis habitatio, nobis Cœlum est, Cœlum verò cœli tua æternitas tibi, quæ es quod es in te ipso.*

Non satis est, vt opera nostra Domini locus alij 380
fiant, nisi nos quoque in nobis locum Deo faciemus. Cadunt hîc optimè, quæ habet Sanctus Augustinus in Psal. 118. vbi ait: *Vis ergo esse locus Domini? Esto humilis & quietus, & tremens verba Dei, & tu ipse efficeris quòd quæris. Si enim in te non fiat, quod quæris? In altero quid tibi prodest? Operatur quidem Deus aliquando per Euangelistam salutem alterius tantùm, si ipse dicit, & non facit: & fit* PER LINGVAM EIVS IN ALIO LOCVS DOMINO, NON AVTEM FIT IPSE LOCVS DOMINO. *Qui autem quæ docet ipse benefacit, & sic docet, fit locus Domino cum eo quem docet.* Alienum valdè est in alieno pectore parare aliquem Domino locum, & non in suo.

Qui tabernacula in Christo ipso melius quam Petrus apud Christum possimus constituere, egregiè docet Beatus Laurentius Iustinianus opusc. de incendio diuini amoris cap. 1 vbi ait. *O mors amabilis, ò mors delectabilis, o cur loco Crucis illius non fui, vt Christe manibus & pedibus fuissem conclauatus? Certè dixissem ipsi Ioseph ab Arimathia, non auferas ipsum à me, sed me cum ipso sepelias in sepulchro: non enim volo ab ipso amplius separari. Sed si hoc non possum facere corpore, saltem hoc volo mente: Bonum est enim secum esse, & in ipso volo tria tabernacula facere, vnum in manibus, vnum in pedibus, & vnum in latere. Ibi volo quiescere, & dormire, orare, & omnia facere, pertractareque mea negotia. Ibi loquar ad cor eius, & ab ipso, quod voluero, impetrabo.*

Ille verè Christo patienti comparitur, qui ob
peccatores tristitia afficitur, quod in hunc modum 381
colligebat Sanctus Augustinus in Psal. 68. ad illa verba. *Et sustinui qui simul contristaretur & non fuit:* ait enim. *Numquid Discipuli eius non sunt contristati quando ductus est ad passionem, quando ligno suspensus, quando mortuus? Vsque adeò contristati sunt, vt illa Maria Magdalena, quæ primum eum vidit, gaudens lugentibus nunciaret, quod viderit. Euangelium ista loquitur; non nostra præsumptio, non nostra suspicio est. Constat doluisse, constat luxisse Discipulos. Extraneæ mulieres flebant, quando ad passionem ducebatur, ad quas conuersus ait: Flete, sed vos, nolite flere me. Quomodo ergo sustinuit qui simul contristaretur, & non*

fuit?

fuit? Attendamus & inueniemus triſtes & lugentes, & plangentes: Vnde nobis mira videtur iſta ſententia. Suſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit; & conſolantes, & non inueni. Intendamus diligentiùs & videbimus eum ſuſtinuiſſe, qui ſimul contriſtaretur & non fuiſſe. Contriſtabantur enim illi carnaliter de vita mortali, quæ mutanda fuerat morte, & reparanda reſurrectione. Hinc erat illa triſtitia. De illis enim eſſe debuit qui cæci medicum occiderant, qui tanquam pernicioſè febrientes phrenetici, faciebant iniuriam ei, à quo illis fuerat ſalus allata. Ille volebat curare, illi ſæuire. Hinc triſtitia medico. Quippè nullum inuenerit huius triſtitiæ comitem. Non enim ait: Suſtinui, qui contriſtaretur & non fuit, ſed qui ſimul contriſtaretur (id eſt ex ea re qua ego contriſtabar) et non inueni.

Tribulationem *futuræ beatitudinis præſagium* dictam obſeruo. Beatus Laurentius Iuſtinianus lib. de Caſto connubio cap. 6. ait: *Eſt quidem in iuſtis tribulatio, amoris indicium*, FVTVRAE BEATITVDINIS PRAESAGIVM, *et prædeſtinationis teſtimonium.*

Eruditiſs. Patri D.

FRANCISCO BOLVITO

Clerico Regulari.

Epiſt. LXXXII. Neapolim.

Littera veritatis quæ. Quædam de Euangeliorum recitatione & geſtatione notata.

382 LItteræ tuæ, quæ meras ſuauitates ſpirant, gratiſſimæ extiterunt. Illud voluptatem, quam ex illis percæpi, nonnihil infecit: quòd in illis me maiorem meipſo facis; & adeò efferas me, vt ſuper me etiam efferas. Rem fateor, vt res eſt. Non ſum tuis laudibus par: quas ab hac parte non puto mihi tributas; quia mihi illæ tribuunt, quòd, vt à me maximè deſideretur, in me tamen maximè deſideratur. Affectum tuũ qui huc te duxit, non poſſum non probare; & conabor eò iter dirigere, quò tu me putas euectum. Quòd labores meos commendas & probas; & cùm multis ſen. tis, & multum mihi gratum extitit in hac quoque re te calculum tuum adieciſſe. Inſtitutum meum ſequor. Quatuor Euãgeliſtas à me expenſos emitto, daturus (ſi Deus vitam dederit) pari veſte donatos reliquos ſacros Scriptores. Quod in Dei gloriam, omnium guſtum & vtilitatem cedat. His verò quę huic Epiſtolæ alligo, omnibus teſtari volo me tuo affectui, tuę eruditioni, tuę virtuti maximè illigatum. Vale.

LIttera veritatis, Diuinæ Scripturæ κατ' ἐξοχὴν 383
dictæ ſunt. Sanctus Auguſtinus lib. de Grat. & libert. arbitr. cap. 21. ita capiendus, dum ait: *Fixum debet eſſe & immobile in corde veſtro, quia non eſt iniquitas apud Deum: ac per hoc, quandò legitis* IN LITTERIS VERITATIS, *à Deo ſeduci homines, aut obtundi, vel obdurari corda eorum, nolite dubitare præceſſiſſe mala merita eorum, vt iuſtè iſta paterentur.*

In ſuggeſtu olim, vbi legebatur in Miſſæ ſacrificio Euangelium, aliqua aliquandò verba ſculpebantur. Certè Romæ in Templo Sancti Pancratij hæc priſcis & aureis litteris leguntur inſculpta: *Qui legit, attendat, ad quid ſacra lectio tendat.*

Plerique olim partem Euangelij collo alligatam
circumferebant. Author ſub nomine Chryſoſto- 384
mi hom. 43. in Matth. ad illa verba cap. 23. *Dilatant Phylacteria ſua.* Cùm dixiſſet: *Puto, quòd illorum tum ſcribarum tum Phariſæorum exemplo & nũc multi aliqua nomina Hebraica Angelorum confingunt & ſcribunt, & alligant ſibi, quæ, non intelligentibus vitam Hebraicam, quaſi metuenda videntur.* Addit ſtatim de Euangelij geſtatione. QVIDAM PARTEM ALIQVAM EVANGELII SCRIPTAM ALLIGANT CIRCA COLLVM. *Dic, nonne quotidiè in Eccleſia Euangelium legitur, & auditur ab hominibus? Cur ergo, quum in auribus poſita Euangelia nihil proſunt, quomodò eum poterunt circa collum ſuſpenſa ſaluare?* Claudit: *Meliùs in corde poſita proſunt, quàm circa collum ſuſpenſa.*

Excellentiſs. Viro

FRANCISCO PONÆ

Veronenſi, Equiti, Medico, Philoſopho.

Epiſt. LXXXIII. Veronam.

De pænitentia aliqua libantur.

OPuſculum tuum vidi, & in illo 385
teipſum & tuam mentem. Iudicium meum ponere iuſſus, dedi, & ſubiectis verbis meum de illo ſenſum explicaui: *Opuſculum iſtuc Viri doctiſſimi Franciſci Ponæ ad Dauidis pænitentiam ſpectans, non eſt pænitendum; quin dignum maximè, quod cordibus conterendis, omnium manibus teratur. Pietatem ab omni parte ſpirat, & eluendis dolentis Regis exemplo maculis eſt opportunum. Edi itaque non ſolùm poteſt, ſed etiam debet. Quòd verò author poſt Dauidis lachrymas calamum ſuum alicubi liberiorem damnat, hoc adeò non damnandum, vt ſummam mereatur laudem. Incipit ſeipſo maior eſſe, qui ſui ſuarumque rerum iudicem vindicemque ſe facit. Neſcio quid plus efferam: an ſcilicet quod ſtilum author iſte tàm in ſublime*

extulerit, an quod filium ſuum in ſuum filium hic exacuerit. In vtroque magnorum eſt exemplum ſequutus, & magnis quoque exemplum dedit. Ità ego de libello cenſebam, quo Dauidis pęnitentiam nobis ob oculos poſuiſti; & de illo, quo tuo calamo in tuum calamum tàm feriò ſæuijſti. Vtrunque, ſi me audis quàm citiſſimè ede: vtrumque gratum, vtileque futurum nullus ambigo. Eò iàm te fama, ingenij tui ſublimitati innixa, euexit, vt nudum tuû nomen nomen operi faciat. Hic, præter eloquentiæ lumina, ſumma pietas nitet; & in poſtremo opere illud, quod in quolibet primum cenſeri debet, notitia ſui. Sequere iàm teipſum, vt teipſo maior fias. Interim ſine me huic quoque Epiſtolę litterariam appendicem adijcere, vt morem meum ſequar, meum in colendis amicis ſeruem inſtiturum. Aliqua hic addam; quę non prorsùs aliena ab opuſculorum tuorum argumento, vt vel hac ipsâ cognatione gratiora tibi ſint futura; nimirum, quæ tu dixiſti aut indicaſti, ego noſtrorum Doctorum authoritate confirmo.

386 QVi peccauit ſtatim reſipiſcat & doleat ſe peccauiſſe, nec de die in diem pœnitendâ morâ pœnitentiam differat. Serpentem æneum in ſublime Moſes extulit in montis vertice, eum ponens ſuper lignum; nimirùm vt ſtatim, qui à ſerpente percuſſi erant, aſpicere eum poſſent, nec differrent diù, huic, quam diximus, rei ſignificãdę. Pulchrè B. Iſaias Abb. orat. 25. *Ne turbemur, ſed potiùs in ſerpentem æneum aciem intendamus, quem ex ſermone Domini Moſes fecit. Ligno enim illum affixit in montis vertice, vt quicumque fuiſſet à ſerpentibus morſus,* STATIM IN EVM RESPICIENS CVRARETVR. Nolebat Deus diù ſerpentem quæri, ne peccati remedium diutiùs differretur; vt vel hinc diſceremus, non eſſe ei moras nectendas, qui ſuæ ſaluti conſultum vult.

387 Pura ſimplex debet eſſe confeſſio; & ex intimo corde, non ex extimis labijs, pœnitentia prodire; alioquin nihil proderit, ſicut nec profuit Iudæ. Scitè Sanctus Ambroſius lib. 1. Epiſt. 3. vbi de Spiritus Sancti igne loquens ait: *Hic eſt ignis, qui abſterſit culpam latronis. Ignis enim conſumens eſt, qui dixit ei: Hodie mecum eris in Paradiſo. Illos itaque ſanauit, in quibus ſimplicem & puram reperit confeſſionem: nihil malignum, nihil fraudolentum. Deniq; Iudas ad remedium peruenire non potuit, cùm diceret: Peccaui, quod tradiderim ſanguinem iuſtum. Qui alienum ignem voluebat in pectore ſuo, qui eum inflammauit ad laqueũ: indignus enim remedio fuit, quia non intimo mẽtis conuerſus ingemuit, & ſedulò geſſit; tantæ enim pietatis eſt Dominus Ieſus, vt & ipſi donaret veniam, ſi Chriſti expectaſſet miſericordiam.*

De fictâ ſimulataq; pęnitentiâ ità ſentiebat idem S. Ambroſius loco iàm producto: *Nunquid poteſt placere Domino, ſi quis, cùm adhuc verſetur in iniquitatibus, & iniuſtitiam cordi incluſam teneat, dicat ſe agere pœnitentiam? Simile eſt, ac ſi quis æger ſe ſanum ſimulet, magis ægrotabit; quia nihil ei prodeſſe poteſt ſimulatio ſanitatis, cùm verbo adumbretur, non vllo fulciatur ſubſidio virtutis.*

Pœnitentiæ & mortificationis cauſa olim pauimento palmas allidebant. Sanctus Petrus Damianus Epiſt. 115. ità ſcribit: *Loricâ eſt homo indutus: ad carnem ferreis membra diuerſa circulis ambit. Mutat cum labore metaneas.* ALLIDIT IN PAVIMENTVM CREBRIVS PALMAS. *Vt quid hæc & his ſimilia? niſi, vt, dum per hæc corpus affligitur, animæ refrigerium procuretur?* 388

Etiam ob venialia peccata, ineunda pœnitentia eſt, aut (quòd rectius) quam diligentiſſimè leues etiam culpæ coercendæ. Eorum grauitatem ex eorũ pœna ſic colligebat Ioan. Euſeb. lib. 2. cap. 13. *Age ſtulte: cura animam, & precare quantum poſſis, ne in tot morbos incidas, vitando veniales culpas: propterea ne parcas exiguo labori, & diligentia. Magnitudinem morbi ex magnitudine curationis conijce. Vide quomodò medicetur illis Purgatorium, quod eſt noſocomium culparum. An ne paruum eſt, quod curari opus eſt igni illo & acerbiſſimis cruciatibus? An ne paruum ſuſpicàretur aliquis, ſi videret vnâ horâ puniri fœminam delicatam in fornace ignis ardẽtis, & id iuſſu clementiſſimi & dilecti ſponſi? Planè aut ſponſus eſſet furens, aut culpa nimium diſpliceret. Cur paruum reputantur culpæ veniales, ob quas miſericors & amãs hominum Deus vult animas gratas ſibi detineri per dies & annos in Purgatorio abſque vlla compaſſionis benignitate?*

Peccati nomine diabolum aliquando circumſcriptum notat Theodulus in cap. 7. Epiſt. ad Roman. 389
dùm ait: *Occaſionem autem accipiens peccatum per mandatum, in me omnem operatum eſt cupiditatem, citra namque legem. Peccatum hîc videtur accipere ipſum diabolum. Perindè enim, vt Scriptura Seruatorem noſtrum appellat vitam, & iuſtitiam, quandoquidem & vitæ & iuſtitiæ ſit author: hunc ad modum contrariam ſanè poteſtatem, alias peccatum, aliàs mendacium, nonnunquam verò mortem appellat. Sic poſtmodum, vbi inquit: Peccatum reuixit: Satanam indicat. Per peccatum itaque deinceps occaſionem accepit diabolus.*

Sereniſs. Venetorum Principi

IOANNI CORNELIO

Epiſt. LXXXIV. Venetias.

Extra Mundum fieri, quid ſit: Quæ Superbia, Sancta, *dicatur.*

CRede, Sereniſſime Princeps, ipſe mihi præiui, & me nunc ſequor: 390
ſcilicet mente feci, quòd manu nunc præſto. Velocior calamo affectus fuit. Vix ad ſupremi honoris culmen (ad quod Te merita potius tua, quàm hominum vota, euexerunt) elatum Te cognoui, quùm animus in gratulationis actum erupit, quem hiſce litteris ità ſignifico productum, vt produci diutiùs velim. Dignitatem Tibi gratulor, & Te

Te tantæ dignitati. Nam tu inter illos censeri debes, qui honoribus honorem afferunt, dùm ad honores efferuntur. Plura de Te gestit calamus dicere: sed & dicendorũ magnitudine coercetur, & modestiæ tuæ (quæ Te ad culmen extulit, & quam Tu ad culmen extulisti) tacito quodam imperio cohibetur. Omissis laudibus, loquor quæ sint magis ad tuam mentem, & in rem tuam; atque adeò Tibi gratiora. Doleò ab hac parte tuam vicem, quòd, super alios factus, rebus Diuinis eam temporis partem dare non poteris, quam solebas. Ferè enim qui supra cœteros, sæpè sunt extra se. verùm non Te numero inter istos. A rebus terrenis Te surripies, & Cęlestibus aderis, & Cœlo inseres tuam mentem, extra Mundum factus, extra carnem. Quæ de se dixit Sanctus Gregorius & ab hoc capite Magnus, nos de te dicemus; & à Te audiri putabimus, quæ ille de se
391 dicebat: *Conabar quotidiè* EXTRA MVNDVM EXTRA CARNEM FIERI, *cuncta phantasmata corporis ab oculis mentis abigere, & superna gaudia incorporaliter videre; & non solùm vocibus, sed medullis cordis ad Dei speciem anhelans, dicebam: Tibi dixit cor meum quæsiuit vultum tuum, Domine, requiram. Nihil autem in hoc Mundo appetens, nil pertimescens, videbar mihi in quodam rerũ vertice stare; ita vt in me penè impletum crederem, quod pollicēte Domino, ex Propheta didicissem: Sustollam Te super altitudines terræ. Super enim altitudinem terræ sustollitur, qui & ipsa, quæ alta & gloriosa præsentis videntur seculi, per mentis despectum calcat.* Persarum Regum superbia hùc euaserat, vt sphærã suis pedibus subijcerent, tanquàm Mundum calcarent. Sanctiùs Tu tuique pares, si mentem supra Mundum efferas, terrena omnia infra Te ponas in contentum. Superbiam hanc, *Sanctam*, voca-
392 re possumus. Vocauit Sanctus Paulinus ad Amandum scribens, cuius verba tàm libenter excipies, quàm promptè verborum sensum amplecteris. *Est autem*, inquit, *&* SANCTA SVPERBIA, *& humilitas iniqua; nam & iustificatur superbia, quæ huic Mundo superbit, & contemnit hoc seculum, omnibusque magnis eius & dulcibus ac speciosis abutitur, intenta cœlestibus rebus, ac præceptis subiecta Diuinis. Contra autem illa humilitas condemnatur, quæ non ex fide, sed ex ignauia mentis hominibus addicitur; & humanam gratiam magis quàm suam salutem curat, mendacij famula, veritatis inimica, libertatis expers, iniquitati obnoxia, miscens aquâ vinum, idest veritatis merum aquis adulationis enervans.* Hisce superbis non resistit Deus, sed gratiam exhibet. His humilibus nõ dat gratiam, sed resistit. Nolo plura adijcere. Ab hoc labore me submouet tua pietas. Hæc non dixisti tantum Tibi, sed indixisti. Sisto, & Deum precor, vt, qui alijs maior es factus, superâ Dei gratiâ quotidiè fias, & Teipso; & virtutum exemplo prosis, quibus præes.

Clarissimo Viro

GABRIELI SCAINO

Epist. LXXXV. Romam.

Vita Probabilis, *quænam dicta: Probabilis Episcopus, probabilis liberalitas.*

AFfectûs mei signum vltra debe- 393
re non potui: non potui cultus indicium differre diutiùs. Eccè nunc nomen tuum huic Epistolæ pręfigo, vt lectores omnes sciant, meo te pectori altè inscriptum. Amor nimirùm facit in meo animo, quod calamus in hac paginâ; nisi quòd hic extimè appares, in mente altiùs hęres. Te cum cæteris numero, quos colo, quos amo. In amicitiæ iura peccasse videar, si aliter fecissem. Diligentiæ tuæ multum debeo, multùm amori tuo; & illâ & isto velùt quibusdam vinculis me obstrinxisti. Nec soluendo sum, nec soluere hos nodos volo. Tantùm hac Epistolâ & Epistolæ appendice amori, ac fidei erigere monumentum studui. Tu vide, an in probabili vitâ explicandâ probandam viam iniecim.

P*Robabilem vitam agere*, apud Sacros Doctores est vitam instituere dignam, quæ probetur & commendetur. Sanctus Ambrosius in Epist. 1. ad Timoth. cap. 5. *Amota à spe mundana conuersationis, & corporis curandi officio; propter hoc se ad Deum contulit, vt* PROBABILEM AGAT VITAM. In Actis Sancti Gunthert Eremitæ eodem sensu eadem vsurpatur phrasis: *Vt dum eorum gesta laudamus nos* IPSI PROBABILEM VITAM DVCAMVS.

Vita hæc proba, & à mundano puluere aliena,
quàm suauis, & quàm eximia dulcedine referta 394
sit, explicari vix potest. Amara insectatoribus videatur: sectatoribus est dulcis. Quadrant in illam hęc Ioan. Eusebij verba de Adorat. lib. 1. cap. 2. *Honesta est specie, & iucunda sapore: non deformis, sed Deiformis: Deum pro condimento habet, non po-*

teſt eſſe inſulſa aut fellea, aut corrupta. Sed ſatiùs erit hæc experiri, quàm explicare. Mutuis nos igitur orationibus iuuemus, vt, quod alter alteri cupit, alter alterius auxilio conſequatur.

Quî plenè, qui integrè, qui legitimè ſe quiſque Deo dare poſſit, & Deo reddere Deum (quia Deo debet Deum) peritè docet Ioann. Euſeb. lib. 4. cap. 8. *Deo potes reddere Deum, ſi habes Deum. Te quæris Deus & omnia, quæ legitimè habes: nec potes legitimè habere aliquid niſi Deum. Habe Deum, & habebis te legitimè, vt ſoluas vtrunque beneficium. Se dedit tibi Deus; nam Deo nec te potes dare, niſi ſis tuus. Tuus verò non eris, niſi Deus ſit tuus: nam, habendo Deum te habes. Ita, cùm te das Deo, Deum quoque, qui tuus eſt, dare quoque potes. Sed neque te, neque Deum habebis, niſi ames Deum; nam amore Dei illum poſſides, & illum alienas non redden de debitum, quo te debes Deo.* Redeo ad probabilem vitam.

Cùm vita, quæ innititur probitati, & proban-
395 da omninò eſt, probabilis ſic dicta; eodem ſenſu vſurpatum reperio, *viuere probabiliter*, quâ phraſi vſus eſt Sanctus Fulgentius ſerm. 12. qui eſt de Ioſeph. vbi ait: *Carcerem meruit, qui* PROBABILITER VIXIT: *carcerem meruit, qui à ſe improbata repulit.* Sanctus Hieronymus: *Probabilem Epiſcopum*, dixit vitæ probitate inſignem & dignum, qui ab omnibus probaretur, commendaretur. Epiſt. 48. quæ eſt ad Saluianum ità loquitur: *Quantò magis Epiſcopus, qui te ordinauit,* PROBABILIS EST; *tantò tu ampliùs deteſtandus, qui talem hominem feſellisti.*

Eadem ratione *Probabilem liberalitatem* dixit S. Ambroſius lib. 1. Offic. cap. 30. cuius hæc ſunt verba: *Officere iſtud eſt, non prodeſſe alteri ſi largiaris ei, qui conſpiret aduerſus patriam, qui congregare cupiat ſuo ſumptu perditos, qui impugnant Eccleſiam. Non eſt hæc* PROBABILIS LIBERALITAS, *ſi adiuues eum, qui aduerſus viduam & pupillos graui decernit iurgio, aut vi aliquâ poſſeſſiones eorum eripere conatur. Non probatur largitas, ſi, quod alteri largitur, alteri quis extorqueat.*

Doctiſſimo Patri D.

LAVRENTIO BIFFIO

Clerico Regulari.

Epiſt. LXXXVI. Bergomum.

De Agno occiſo, ideſt de Christi Paſſione obſeruationes aliquot; deque Agno ſub Euchariſtia velamine ſtante.

396 ANxia & ſolicita ſi ſcriptio ſit, extra epiſtolares leges abit; & nimis compta facies ſi appareat deſinit eſſe, quod dicitur. Audio Ennodium: *Lex eſt in Epiſtolis negligentia, & authorem genij artifex ſe præbet incuria. In quo opere illud ſubducit gratia, quod cruciatuum teſtis ſudor inuenerit.* Quod in paginam ſtatim excurrit, eat ad amicum. Quod longo eductum ſtudio, & anxia cura expreſſum, epiſtolaris liquoris ſaporem obtundit aut inficit. Hæc præmiſi, ne damnes, ſi plura, vt ſeſe offerunt, Epiſtolis implanto; & omnem verborum cultum elegantiamque abiuro, etiam quum ad illos ſcribo, qui in eloquentiæ & peritiæ arce ſunt: in qua te eſſe vt maximè neges, maximè tua probant, & ea præcipuè, quæ nouiſſimè dediſti; in quibus pietas ità cum eloquentiâ certat, vt incertum ſit cui palma tribuatur. Agni tui stantis exemplaria accepi, circa quæ illud præstabo, quod iniungis. Tu vide an alia in te probare tibi affectum meum poſſim. Interim obſequij teſſeram hoc accipe, quod hic adijcio; & minùs fors diſplicebit, quò maiorem habet cum ijs, quæ à te habuimus, cognationem.

QVòd Christus ineunte verè ſit paſſus, etiam 397
noſtrâ causâ id fecit. *In iſto menſe* (inquit Sanctus Bernardinus Senenſis ſerm. 41. Hebdom. Sanct.) *creſcunt humores, & ebullit ſanguis in corpore; & ideò ad laſciuiam magis pronus eſt homo:* ET PROPTER HOC CONGRVVM FVIT TALI MENSE PATI, QVANDO PLVS AD PECCANDVM PRONI SVNT HOMINES; *quia ipſe perpetrata peccata delere, & alia perpetranda prohibere debebat. Quod meliùs, quàm ſuâ paſſione, fieri non potuit. Poteſt & alia ratio aſſignari: quùm in tali tempore ſanguis ebulliat, vt totum verſaret & effunderet pro nobis ſanguinem, & nihil in eo remaneret; quia, ipſo ebulliente, de facili emittitur.*

In Christi ludibrium poſitam in Christi manu arundinem pro ſceptro legimus. Sancti Matthæi hæc ſunt verba: *Plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput eius, & arundinem in dextera eius. & genu flexo ante eum illudebant ei dicentes: Aue Rex Iudæorum.* Non inſolens hic ritus: in alios etiam id factum obſeruo. Philo Iudæus in Flaccum vbi de Ægyptijs, qui, vt Agrippæ Iudæorum Regi illuderent, Carabam ſtultum hominem ſic ſtatuerunt, vt ille ait: *Capiti diadema imponunt papyraceum: pro paludamento corpori ſtoream induunt* PRO SCEPTRO FRVSTVM ARVNDINIS *humi ſublatum quidam ei dedit in manum. Sic ornatum regijs inſignijs, & in Regem transformatum à more hiſtrionico, adoleſcentes perticas in humeris geſtātes ſtipabant pro ſatellitio; tum alij ſalutatum eūt dabant, alij ſibi reddi iura petebant.*

Non caſu accidit Christum obijſſe antequam in
latere feriretur. Benè bonus ille Author, & mul- 398
torum librorum editione nobilis. *Voluit (inquit) Christus* ANTE HOC VVLNVS MORI, *vt non tàm extrinſecâ neceſſitate ferientis militis, quàm propriâ voluntate animam tradidiſſe videretur.*

Quo ordine demiſſus è Cruce Christus fuerit, quinam claui prius excuſſi, diſcere ex his verbis quilibet poteſt, quæ habet Beatiſſima eius Mater apud Sanctam Brigittam lib. 2. Reuelat. cap. 21. *Primus aſcendit, & tenebat eum per medium. Secundus, aſcendens per aliam ſcalam, excuſſit primo*

mò unum clauum de uno brachio. Deindè applicatâ scalâ excussit clauum alterius manus. Qui quidem claui longè vltra stipitem Crucis protendebantur. Descendente igitur illo, qui sustentabat onus corporis paulatim & modicè prout poterat, ille alius ascendit scalam, quæ tendebatur ad pedes & excussit clauos pedibus. Cùmque appropinquaret ad terram, vnus eorum tenuit corpus per caput, alius per pedes; ego verò, quæ Mater eram, tenui per medium. Et sic nos tres portauimus eum ad quandam petram, quæ in linteo mundo per me operta erat, in quâ obuoluimus corpus, sed non consui linteum; sciebam enim pro certo, quòd non in tumulo putresceret. Posteà Maria Magdalena & aliæ sanctæ mulieres venerunt, nec non Apostoli; & Angeli Sancti multi, quasi athomi Solis, affuerunt, obsequium exhibentes Creatori suo.

Cùm de Cruce Christus depositus esset, adeò
399 brachia obriguere, vt manus ad vmbilicum vix pertingerent. Beata Virgo eius Mater hæc habet Sanctam Brigittam alloquens lib. 1. Reuel. cap 10. *Manus sic deriguerant, quòd non possent deponi nisi* CIRCA VMBILICVM. Sed ab Agno occiso ad Agnum sub Eucharistiæ velamine latentem accedo.

Vel ex nuda panis in Christi corpus transmutatione discere peccator deberet in melius vitam suam mutare, meliores mores induere, repudiatis malis. Egregiè rem versat Sanctus Bernardinus Senensis tom. 2. serm. 54. art. 2. cap. 1. *Sermo,* inquit, *mutat creaturam: & ita irrationalis creatura & inanimata, scilicet panis mutatur in melius, scilicet in corpus Christi virtute verbi Dei. Mirum est igitur, quòd* PECCATOR NON MVTATVR NEC VERBIS, NEC BENEFICIIS; NEC MINIS, NEC PROMISSIS *potest conuerti de mala sua vita in bonum.*

Sacramentales porrò species pannis illis comparatas lego, quibus Maria suum Iesum vestiuit.
400 Guerricus serm. 5. de Natiuit. Dom. *Sicut Mater Maria quibusdam assumentis pannorum inuoluit infantem: sic Mater gratia.* DISPENSATORIIS SPECIEBVS *rerum, eiusdem sacri corporis nobis obtegit veritatem. Sic etiam Mater Sapientia ænigmatibus & figuris arcanam Diuini verbi contegit Maiestatem; quatenus & ibi simplicitas fidei, & hic exercitium study meritum tibi cumulet ad salutem.*

De magnitudine Dei ità censuit Tertullianus lib. 2. in Marcion. *Deus tunc maximè* MAGNVS, *cùm homini* PVSILLVS. Quadrat præcipuè in Eucharistia, vbi adeò pusillus homini videtur, vt sub minima lateat quantitatis specie. Verè hic Deus magnus, magnus eius amor, magna eius sapientia apparet; quia sub tàm exigua quantitate delitescit.

Magni nominis Ecclesiastæ, Patri DIDACO NYSSENO

Epist. LXXXVII. Madritum.

De concionatoribus aliqua libantur.

NE mireris, si ad te tanquàm ad amicum scribo, quem oculis
401 nunquàm vsurpaui. Vt amicus tuæ virtutis semper fui, sic & tui esse potui, atque etiam debui. Fama oculorum defectum plenè suppleuit. Cadunt hic optimè Sancti Basilij verba, qui Duci Neocæsariensi scribens, ait: *Euripidis tragici dictum est, virum sapientem longè semotum, quem nec oculis meis ego aspexi aliquando, inter amicos numero. Quo modò, licèt nunquàm te conuenerim, nec magnificentia tua cognitionem habuerim, amicum tamen me & familiarem esse reor. Noli dictum à me putare assentandi gratia. Habeo famam, amicitia proxenetam.* Quid prohibet me eadem vsurpare, dùm ad te scribo? Vsurpo, alienisque verbis (sed sanctioribus) mentem meam exprimo. Quid? licèt non te viderim, tui tamen imaginem vidi, tuos libros, quos tanta eruditione, tantis acuminibus adspersisti, vt legentium admirationem vertas in stuporem. Plura de illis dicerem, pluribus illos efferrem, nisi me ab hoc labore publica Doctorum hominum non tuorum tantùm, sed & nostrorum contestatio ac plena commendatio eximeret. Et, vt homines taceant, satis exertè te commendant, qui tua è sacro suggestu ad populos proferunt: vt vix sit aliquis magni nominis concionator, qui è tuis voluminibus haurire dedignetur, quæ auditoribus suis effundat. Merebaris ab omnibus efferri, qui omnes, quos potes non solùm in medium affers, sed etiam effers, & (quod maius) etiam me: adeò vt in doctissimis tuis operibus me non semèl cum magna laude produxeris, & mea, tanquàm ab alio suo essent, quæ dedi, & à meliori calamo quàm fint. Sed authoritatem ac pondus meis affricabunt tua, tuumq; nomen meo nomen fecerit, dùm à te (tanquàm alicuius essem nominis) producor. Hoc quoque meis voluminibus debeo, quòd mihi ad tuam amicitiam proxenetæ (vt ità loquar) fuere. Quod ergo in alios amicos præstiti, etiam in te, Vir Magne, præstabo. Litteris litterarum munus adijcio non augendæ notitiæ tuæ, sed vt litterarum leuitati saltèm ab hac parte consulatur. De concionatoribus vt multa alibi dederim, tu, quæ exciderunt, concionatorum Flos accipe, ac te amantem vicissim ama.

OLim, cùm concionator aliquid ex Diuinis Litteris recitaret, auditores acclamabant, aliquandò exertè sententiam proferentes. Indicat 402
istuc S. Augustinus serm. 36. ex 40. nouiss. edit. *Finis præcepti est. Iam* VOS DICITE MECVM *(à populo acclamatum est) Charitas de corde puro. Omnes didicistis, quod non infructuosè semper audistis. Finis*

præcepti

Præcepti est charitas de corde puro.

Mirum quo horrore fideles concuterentur, cùm à Sacris concionatoribus vel nudum fornicatoris nomen è suggestu pronunciaretur. Pectora sua contudisse (quod non præstabant ad aliorum vitiorum nomina) ex eodem Sancto Doctore obseruabam serm. 28. ex 40. eisdem, qui nuper publici iuris facti. Hæc ille habet: *Nolite esse tales, quales non intraturos audistis, maximè fornicatores. Nam, cùm Scriptura commemorasset eos, qui non intrabunt, ibi etiam nominauit homicidas non expauistis.* NOMINAVIT FORNICATORES: AVDIVI, QVIA PECTORA CONTVDISTIS. *Ego audiui, ego vidi: & quod non vidi in cubilibus vestris, vidi in sonitu, vidi in pectoribus vestris, quandò contudistis pectora vestra. Eycite indè peccatum: nam pectora vestra tundere, & hæc eadem facere, nil est aliud, quàm peccata pauimentare.*

403 *Sanctitatis* nomine vsos sacros tractatores, dùm suos auditores siue lectores alloquerentur, tritum est. Illud non itèm, *Sanctissimos* eosdem vocatos. Obseruabam id fecisse Sanctum Ambrosium; nam lib. de Fide cap. 5. ait; *Propter quod,* FRATRES SANCTISSIMI, *vocationis Cœlestis participes intuemini Apostolorum, & principem Sacerdotum confessionis nostræ Iesum fidelem esse Creatori suo, sicùt Moyses in domo eius asserit.*

Doctoris Sacri esse priùs lumine perfundi, quàm cæteros perfundat, ità explicabat Pachymera cap. 3. de Ecclesiast. Hierarch. *Quemadmodum in solaribus radijs ac vitris se res habet, vt vitra cornuaue vel alia res transparentes primum lumen recipiant, ac deindè sic lumen ad alia transmittant: sic etiam in Diuino lumine doctoribusq; primùm debet doctor ipse luciformis existere, ac deindè ad alios doctrinâ suâ illustrandos accedere.* Paulò aliter rem eandem idem author versat cap. 3. de Cœlest. hierarch. *Nisi ferrum iam habitudine ignitum sit, nequaquàm sane id, cui applicatur, aduret: sic etiam Sacerdos siue hierarcha, nisi habitu superno fuerit illuminatus, nequaquàm lumen alijs afflabit. Cùm enim illuminans ad illuminatum referatur, & initians ad initiatum, ac docens ad eum qui docetur: idcirco hierarchia non solùm scientia, sed & operatio appellatur, vt secundùm habitum suum operetur in alijs illuminationem. Qua propter etiam ad Deiformitatem refertur.*

Reuerendo Patri D.

MODESTO SERAPHINO

Clericor. Regular. Præposito.

Epist. LXXXVIII. Riminum.

Auaritia Sancta qua. Quadam de non Sancta.

404 QVid tecum, mi Pater, longum silentium excusem? Amor viuit, & affectus spirat. Satis istuc amanti. Scio Epistolari colloquio amorem foueri, ac velutì nutriri: sed, quùm aliundè amor fomentum habet, carere isto potest. Meus habet, virtutes nimirùm tuas, & amorem ipsum tuum erga me; diligentiæq; tuæ officia, quibus opusculo, in quod variarum linguarum prouerbiales formulas conieci, auxiliarem manum præbuisti. Alia non narro; quia nec Epistolæ angustia, nec modestia illa, quam vel ipso nomine circunfers, id fert. Altè omnia in mentem meam demissa scito. Doleo me non habere quid referam nisi verba. Quod hìc adijcio, appendix Epistolę est, nec ire in debiti solutionem debet. De auaritiâ hìc aliqua implanto, aliqua contra ipsam.

405 SAncta illa Auaritia est, quæ in Sanctitatis Authore reperitur, in Deo. Mirum, inquies, talem posse esse, qui est tàm liberalis. Sed hæc Dei auaritia ab ipsâ liberalitate ortum habet. AVARVS EST DEVS (verba sunt S. Augustini) *salutis nostræ*; & serm. 15. ex 40. nuper editis ad hanc mentem: *Parum est Domino meo:* AVARVS EST; *sed Auaritia Dei, salus nostra est. Auarus est: nummos suos quærit, imaginem suam colligit.* Nimirùm, in quo nos sumus prodigi, ille auarus est; &, in quo nos auari, ille liberalis. Sed pergo, & auaritiam pungo, quæ pungit quem corripit, & adeo non est sancta, vt sanctitatem arietet, & euertat.

In auaritiâ aculeum vidit Gregorius Turonensis, cuius hæc sunt verba lib. 7. Histor. Francor. cap. 35. *Nonnulli ab exercitu, quos fortior* AVARITIÆ ACVLEVS *terebrabat, longius euagantes perimebantur ab incolis.*

Inter impios solos auaros, *idololatras*, dictos in eorum notam notabat S. Gregorius Nazianzenus in Carm. iamb. num. 22. in calce.

Multi licèt sint, & vocentur improbi;
IDOLOLATRA *dictus est solus tamen*
(Quo nullum in auo grauius est vnquàm scelus)
Qui præter aurum nil scit, aut nil cogitat.

Cæcos auaros esse, auaritiam oculis carere, in hunc modum explicabat Sanctus Augustinus de Discipl. Christ. cap. 10. *Et sic tamen horrenda profunditas auaritiæ non patet oculis, & scatet animus. Vidimus, &* CAECOS AVAROS. *Dicatur mihi, vndè auari sunt cæci, qui non vident. Quod habet, non habet; & tamen auarus est cæcus. Quarè? Quia credit se habere, auarus est. Fides enim facit diuitem. Credendo diues est, non videndo. Ama pecuniam, ò cæce, quam nunquàm videbis. Cæcus possides, cæcus moriturus es; quod possides, hic relicturus es. Non tenebas, & quandò videbas: quanto magis perdis, quia non videbas, quod habebas!*

Inferni puteo Auaros comparatos lego. Benè Nicolaus Den. *sunt,* inquit, *auari vasa Diaboli, vel os aut* PVTEVS INFERNI, *de facili quidem recipiunt, sed non de facili emittunt.*

406 Cor non in facellis habendum, sed mittendum in Cœlum, monebat Sanctus Augustinus in Psal. 90. *Quàm multi hic sunt, qui me modò audiunt, & non est* COR EORVM NISI IN SACCELLIS SVIS? *In terrâ est, quia in terrâ est, quod amatis. Mittatur in Cœlum, & ibi erit cor vestrum.*

Ad metalla damnati non lucernas tantùm secum deferebant, sed olei quoq; vas, vt illud, cùm

opus

opus eſſet, lucernis iufunderent. Moris huius meminit S. Chiyſoſtomus homil. 23. in Epiſt. 1. ad Corinth. *Dicitur* TERRA ILLA, E QVA AVRVM EFFODITVR, HABERE QVOSDAM HIATVS, *& receſſus in tenebrcoſis illis ſpeluncis. Reus ergo ille, qui ad illos labores eſt condemnatus, propterea accipiens lucernam, & ligonem ita ingreditur, & infert gutturnium, vt inde lucernæ inſtillet oleum, interdiu quidem luceat.* Rem deindè torquet in auatos, quos pariat iis, qui ad metalla damnati. *An non* (inquit) *horruiſtis hæc audientes? Videamus autem, an non his grauiora patiantur auari: Nam iſti quoq; grauiorem carceris cuſtodem habent auaritiam, & pecuniæ cupiditatem; eoq; grauiorem, quò cum corpore animam quoq; ſimul colligat. Sunt etiam hæ tenebræ illis magis horrendæ; non enim ſunt ſenſiles, ſed eas intrinſecus patientes: quocunq; eunt, eas ſecum circumferunt; illis enim extinctus eſt animæ oculus.*

Inexplebilis auaritia eſt, quantacumq; in eam inferas non explebis auaritiæ vacuitatem. Benè Ioannes Euſebius: ex dæmonis id verbis colligebat, dum ait. *Ingenium auaritiæ neuit Dæmon cum promiſit* OMNIA TIBI DABO. *Cenſuit nonniſi omnia cupiditatem impletura.* NIHIL DATVR AVARO, NISI DENTVR OMNIA, *& quidem ſi omnes, qui omnium regum gazophylacia grauant, theſauri, ſi omne aurum, & argentum vniuerſi, in vnum aggeraretur aceruum, ſolus vellet in mundo auarus eſſe, vt omnia haberet, aut ſi haberet, ne alter aliquid peteret, quamuis negandi cauſa ſuppetat ſemper illi, quem vitium facit ingenioſum. Nihil habet niſi omnia habeat, vt quod magis mirere, licet omnia habeat, nihil habet. Perinde rerum vſum, atq; egenus habet, cum nullum habeat. Sed & cupiditate irritatus plura cuperet, ac ſi nihil poſſideret, licet non eſſent plura, quæ habere poſſet, plura fingeret, quæ poſſet cupere. Nam, & hydropicus etiam in ſicco, aquam optat.*

Cur autem inexplebilis auaritia ſit aptè explicat Primaſius in caput 1. Epiſt. ad Romanos idcirco ait: Ideo INSATIABILIS EST AVARITIA, *quia poſt Dei diuitias quantumuis quis habeat parum eſt.*

Sanos ne dixeris diuitem, qui ſemper noxia diuitiarum laboret ſiti: à peritin medico iſtuc eſt. Sanctus Chryſoſtomus. *Quemadmodum*, ait, *eum qui perpetuo ſitit*, NON DIXERIMVS RECTE VALERE, *etiamſi copia verum affluat, etiamſi iuxta fluuios ac fontes accumbat. Quid enim prodeſt illa aquarum copia, quum affectio maneat inſedabilis? itidem, & in diuitibus faciamus, eos qui perpetuò concupiſcunt, ſitiuntq; aliena, ne putemus vnquam eſſe ſanos, nec vlla frui rerum copia, etenim qui ſuam ipſius concupiſcentiam non poteſt ſiſtere, etiamſi cunctorum opibus vallatus ſit, quomodo futurus eſt is vnquam diues?* Hactenus ille Conc. 2. de Lazaro. Sa-
407 num ſi ſe putat auarus diues inſanus eſt.

Furtum, *diaboli pecuniam*, dictum reperio. Eſychius apud Gregorium Turonenſem de Gloriâ confeſſor. cap. 82. *Caue, ne vltrà repetas; quia* FVRTVM *ſatanæ pecunia eſt.*

Quænam vera ſit verarum diuitiarum nota, ità docet S. Chryſoſtomus homil. 13. in Epiſt. 1. ad Corinth. *Bona ſunt pecuniæ; ſed ità demùm, ſi in eos, qui poſſident, dominatum non obtineant; &, ſi proximos à paupertate eximant. Neq; enim bona eſt lux illa, quæ non delet tenebras, ſed eas auget: neq; eas dixerim diuitias, quæ paupertatem non adimunt, ſed augent. Nam, qui eſt diues, non quærit accipere ab aliis, ſed aliis opem ferre. Qui autem quærit ab aliis accipere, non eſt amplius diues; ſed ipſe eſt pauper. Quamobrem non ſunt malum diuitiæ; ſed pauper animus, qui diuitias deducit ad paupertatem.*

Doctiſs. Patri Magiſtro

AVRELIO SPVLVERINO

Ordinis Minor. Conuent.

Epiſt. LXXXIX. Veronam.

Scabioſa *lingua quænam dicta. Silentij racemi colligendi.*

FAteor, quod res eſt. Ægrè ſenſi 408
iacturam, quam tu, tuuſq; Ordo feciſtis; immò quàm fecimus omnes. Vix ad me perlatum, diem ſuum obijſſe noſtrum P. Magiſtrum Franciſcum Mariam Forret, quùm dixi, tui Ordinis decus, noſtræ Vrbis lumen columenq; addo, & delicias deceſſiſſe. Plura in Viri laudem non affero, ne doloris materiam augeam, dùm Virum effero quàm amiciſſimum. Parendum Dei nutibus in amicorum quoq; amiſſione eſt, & à bonorum morte diſcendum benè viuere: nam ſolet tanquàm echo bonæ vitæ reſpondere mors bona, & quæ ſit tranſitus ad veram, & æternam vitam. Sed hæc tu tibi ante dixiſti, & tuorum morum candor, quàm altè hæc cogites etiam tacens, exclamat. Audio multa colligi in viri laudem: hoc diſticon à me excidit, quo variarum linguarum peritia nobilem efferebam:

Cùm varias linguas calleret maximus hic vir;
In Cælum vehitur, diſcat vt Angelicam.

Ità nos proba viri vita ſperare iubet. Tu verò, mi Pater, accipe quæ de linguâ ſcabioſâ notabam, & linguæ cuſtodiâ: nam hùc quòq; linguarum mentio iam facta vocare me potuit. Vale.

S*Cabioſa* quænam lingua dicatur, ſcitè explicat
Sanctus Petrus Damianus ſerm. 73. *Audiat* 409
lingua vaniloqua, audiat lingua otioſa, audiat LINGVA SCABIOSA. *Scabioſa inquam lingua, quæ velut ſcabiem quandam atq; pruritum patitur, niſi ſemper acuto quodammodò ſuperuacuæ loquutionis vngue ſcalpatur. Audiat & paueſcat: intelligat, & tam terribilem ſententiam perhorreſcat. Audiat terrorem iudicij de ore ipſius iudicaturi. An non habes aures, vt poſſis audire? Mors enim & vita in manu linguæ. Audiat ergo, quod ex ore veritatis dicitur; & ſubtili meditatione diſcutiat, quod minatur: Omne (inquit) verbum otioſum, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.*

In ſilentij vſu vſos aliquos vindemiæ metaphorâ, & racemorum obſeruabam. Sophronius in Synodicâ ad Patr. ſex. Synod. *Quis putas me*, aiebat, *conſtituet in menſe dierum anteriorum, quum* VINDEMIABAM RACEMOS SILENTII?

Aduocatus noſter eſt Chriſtus: pro nobis aduo- 410
cat,

cat, nos tuetur. Sed quid ei mercedis poſſumus exhibere? Nullam. Quòd ſi aliquam, hæc eſt taciturnitas, ſilentium. Rem egregiè verſat Gerardus Laodicenſis lib. 1. de Doctr. cord. vbi ait: *Conſidera Chriſtum peritum, & eloquentem* ADVOCATVM TVVM, *qui nouit mores Cæleſtis curiæ, cauſam tuam ſuſcepiſſe defendendam, ſi ſolummodò tacueris. Hoc eſt ſolum, & totum pretium ſeu ſalarium huius aduocati. Ideo dicit Moyſes* (*Exod.* 14.) *Dominus pugnabit pro nobis, & vos tacebitis. Hoc liquet in taciturnâ Magdalena, quæ, dùm inter conuiuas fleret, contra Simonem murmurantem nihil reſpondit: ſed pro ſe habuit Chriſtum reſpondentem. Item contra ſororem conquerentem non reſpondit: ſed aduocatus eius defendens cauſam ſuam, ſtatim intulit: Martha, Martha ſolicita es erga plurima. Item contra Iudam detrahentem de vnguento effuſo non reſpondit ipſa: ſed ſtatim defenſor cauſæ Chriſtus reſpondit.*

Illuſtriſſ. Viro, Comiti
RAIMVNDO TVRRIANO
Epiſt. XC. Veronam.

De interficiendi, & occidendi verbo actuq; aliqua notatu digna notantur.

411 NAm eŭr te in litterariâ hac teſſerâ à fratre abiungam, & in amicorum cenſu prætercam, quem præcipuè amo, & colo? Non prætereo. Conſtare volo poſteritati, vtriuſq; virtutibus me addictum, & humanitatis beneuolentiæq; veſtræ in me officia altè huic pectori inſcripta; vt ſcriptione id ſignificare debeam, licèt explicare nec velim nec valeam; immò nec modeſtia, quæ vos ambos exornat, & effert, id ferat. Tantùm, vt firmius epiſtolare hoc monumentum ſtet, ſuum illi pondus adijcio; deq; interficiendi, & occidendi verbo actuq; ità ago, vt per hoc quòq; amicitiam noſtram viuiſcere contendam.

INterficiendi verbum ad verba, ad ſermones tranſlatum obſeruo; vt ſermo ab illo interfici dicatur, à quo ſecatur, & abrumpitur. Apul. lib. 11. *Singultu crebro ſermonem* INTERFICIENS, *& verba deuorans, aio.*

Occidendi verbum ad concordiam quòq; traductum reperio, vt occidi virtus illa dicatur, quæ tollitur. Sanctus Auguſtinus in Pſal. 33. *Inter Sanctos rixæ extiterunt, ſed non quæ* OCCIDERENT CONCORDIAM. A verbis ad rem ipſam venio.

412 Olim, qui aliquem occidiſſet, capi in propriâ domo in domûſq; cancellis publicâ authoritate non poterat: expugnari tamen aduerſæ partis viribus licitum erat. Quem morem, vt poiè multarum cædium cauſam, ſuſtulit Sanctus Bernardinus Senenſis; ſic enim habetur in lib. MS. de Viris illuſtrib. qui in Bibliothecâ Vaticanâ aſſeruatur: *Hic & cancellos, qui erant ante domos ciuium deſtrui mandauit: erat enim moris, vt,* QVI HOMINEM OCCIDISSET, *dum in ſuâ domo atq; cancellis maneret, per rempublicam capi non poſſet; ſed licere aduerſæ parti illum vi expugnare: itaq; plura ſic fiebant homicidia, quæ Bernardinus prohibuit.*

Apud Indos nobiles venarum percuſſione, & neruorum, quos dormitorios vocant, interficiebantur. Auerroes lib. 2. Collect. cap. 19. *Et iam viſi ſunt homines percuſſi ſuper venas, & neruos dormitorios, qui vadunt ad cerebrum, & tunc in eis priuata ſunt omnes operationes voluntariæ; & propterea hoc nomine nuncupantur. Et dicit Rhazes, quòd, quandò Rex Indiæ volebat interficere nobiles, interficiebat eos per hunc modum.*

Reuerendo Patri D.
GREGORIO TRIVISANO
Clerico Regulari.
Epiſt. XCI. Venetias.

Beata Auguſta Elogium.

De nuptijs, de coniugio aliqua addita.

ITer noſtrum non fuit nudum iter; 413
Pleraq; loca ſacra inuiſimus, & præcipuè B. Auguſtæ ædem, quæ Diuæ corpore nobilitatur. Rogatus Elogium formare in Virginis laudem, iſtuc nexui, quod ſubijcio. Tu vide, an videri & ab alijs mereatur. Rem totam tuæ prudentiæ committo, tantùm, quicunq; legerint, ſciant à me potiùs excidiſſe, quàm alicuius diligentiæ manu formatum. Elogium igitur huiuſmodi eſt.

D. O. M.

Sancta Auguſta, verè Auguſta, quia Sancta.
A Regibus orta, regiam mentem natalibus addidit.
Maior euaſit, quàm naſci potuiſſet.
Plura Cælo debet, quàm terra Virgini dederit.
Patrem ſtatim hoſtem experta eſt.
Filiam plus extulit, quia hoſtis,
Quàm filia contulerit, quia pater.
Electa Dei hoſtia eſt facta, quia hoſtis factus eſt pater.
Pia filia, quùm impij patris iuſſa contempſit.
Contemneretur, niſi contempſiſſet.
Ferre non potuit, à patre ſibi Chriſtum auferri.
Quin, vt Chriſto viueret, pro Chriſto voluit mori.
Ornauit filia caput pater,
Quùm ſuas manus filia ſanguine fœdauit.
Iugulum gladio Virgo porrexit,
Ne Chriſti iugum excuteret.
Diſce, Lector:
Boni, malorum ſæuitiâ redduntur meliores;
Euaduntq; ſanctiores,
Quùm ſanctitatis hoſtes eos inuadunt.

AD itineris comitem it hic itineris
fructus: ſed exilior eſt, quàm vt 414

ſolus

ſolus ſiſti tibi debeat, præſertìm cùm tot labores meorum laborum causâ ſubieris. At quid dabo, quod diligentiæ ſit par? Satis exhibebo, ſi me dicam non habere, quod exhibeam. Accuratæ ſedulitatis tuæ officijs omninò vincor. Sine me onus gratitudinis in plures diuidere. Diuidam, ſi fatear, quòd pleraq; ex meis voluminibus emendatiora fideliora q; ſint emiſſa, à te quòq; aliquâ ex parte fuiſſe; qui non ſemel authorum ipſiſſima loca adiens, aliter paſsim produci deprehendiſti, quàm authores ipſi ſcripſerint; vt per te plures errores abraſi fuerint, plura doctorum teſtimonia, alioquìn luxata, ſint ſuæ ſanitati reſtituta. Qui igitur meis laboribus fruuntur, etiam tibi debent, quòd eos habeant à labibus mundiores. Solui, quod potui, dùm me ſoluendo non eſſe fateri non erubui. Nec in ſolutionis locum ire par eſt, quæ hìc addo; cùm amicitiæ erigendæ firmandæq; ſummùm ſeruiant; clamentq; te inter amicos eſſe, quem cultu amicis pario. De Nuptijs nuptialibuſq, aquis integrum me dediſſe volumen non te latet; pleraque exciderunt: pauca hîc offero, ne pereant, ſi ſupprimo. Tuum erit (quod ſoles) ad lancem expendere, & authores, vndè ſumpta, vertere; vt euertas, ſi quid vel excriptione ipſa peccatum. Sed ad rem.

415 IN nuptiarum pompis olim duo chori aderant: vnus virginum, alter nuptarum: illæ, vt æqualem honorarent: iſtæ, vt in ſuum numerum ſponſam reciperent. Meminit huius moris Sanctus Chryſoſtomus hom. 12. in Epiſt. ad Coloſs. *Laudo* (inquit) *quòd adſint virgines, æqualem ſuam honorantes: quod adſint mulieres, eam honorantes, quæ in ſuum numerum eſt relata. Hoc rectè eſt conſtitutum;* SVNT ENIM HI DVO CHORI, CHORVS VIRGINVM, ET CHORVS EARVM, QVÆ NVPSERVNT. *Illæ tradunt, hæ ſuſcipiunt. Sponſa eſt inter eas neq; virgo neq; mulier: nam illinc quidem egreditur, in hanc autem aſcendit claſſem. Quid autem meretrices? cùm oporteret eas præ pudore tegi, cùm eſſent nuptiæ; cùm oporteret eas infodi? matrimonij enim corruptio eſt ſcortatio; nos autem ducimus eas ad nuptias.*

Apud nonnullos hic mos viget, vt ſtatim ac poſt initas nuptias ſponſa cubiculum ingreditur, eius pedem ſuo pede contingat ſponſus. In deſcriptione Africæ de Africæ populis hæc habentur: *Pater, frater & patruus ſponſam ad cubiculi ingreſſum deducunt; pariterq; omnes matri ſponſi tradunt. Quamprimùm verò ſponſa cubiculum ingreditur, maritus* PEDE SVO VXORIS PEDEM TANGIT, *ſtatimq; ambo recluduntur.*

Quæ olim ſponſæ à ſponſo promitterentur apud
416 Hebræos, ex his R. Moſis Maimon verbis diſces, quæ ille habet in Halcuth isboth. nimirùm, *vt curetur, ſi ægrotet; & redimatur, ſi abducta fuerit in captiuitatem; & ſepeliatur, ſi mortua ſit; & viuat in alimentis ex opibus eius; & habitet in domo eius, poſtquàm mortuus fuerit, omni tempore viduitatis.*

Apud eoſdem cum nuptiæ celebrarentur, vnus ex Sacerdotali ordine eligebatur, qui omnia ad legitimæ diſciplinæ normam reuocaret. Certè meminit huius moris Sanctus Gaudentius tract. 9. vbi ait: *Nuptiæ apud Iudæos cùm fierent, vnus (quantùm traditione comperimus) dabatur* DE SACERDOTALI ORDINE, *qui morem diſciplinæ legitimè gubernaret, pudoriſque curam gereret coniugalis; ſimul etiam conuiuiorum apparatus miniſtros atq; ordinem diſpenſaret, & pro hoc officio architriclinus (id eſt triclinij præpoſitus) dicebatur.*

Vxorem antiquitùs repudiare non licebat: per- 417
miſit tamen Domitianus, aderantq; (vt Plutarchus ait) matrimonij diſſidio Sacerdotes, terribilia quædam, & triſtia agentes. Hæc huius authoris verba in Quæſt. Roman. num. 50. *Itaq; etiam antiquitùs vxorem repudiare non licuit, ac ne nùnc quidem licet; niſi quòd hoc permiſit eius rei gratiâ interpellatus* NOSTRA ÆTATE DOMITIANVS. *Aderant autem diſſidio matrimonij Sacerdotes, terribilia multa, & inuſitata atq; triſtia agentes.*

De ſponſæ dote apud Africæ populos hæc in deſcript. Africæ leguntur: *Quanquàm pater dotem triginta tantùm aureorum pollicitus ſit, ſolet tamen interdùm ducentos nonnunquàm etiam, & trecentos inſuper in veſtibus conficiendis, nec non, & alijs quibuſdam ad mundum muliebrem pertinentibus, conſumere aureos. Rarò autem pro dote domum, vineam, aut agrum aliquem donant.*

Ad nuptiales faces ſpectabat Achilles Statius lib. 1. *Nuptiales Helenæ* FACES *Troiam cremauerunt*, & multis interiectis: *N*VPTIALIS FLAMMA *in ſepulchralem tibi commutata eſt*. In nuptijs itaq; faces adhibebantur, ſicuti adhibentur in funere; vt tectè moueatur, qui nuptias init, mortem illi cogitandam, cogitandum ſepulchrum.

Mariti ſui mores referre mulier debet, & ad eius 418
nutum impetiumque in omnibus moueri. Quòd geometrarum lineis ſic explicabat Plutarchus de Connub. præcept. *Quemadmodum geometræ dicunt lineas, & ſuperficies non ſeipſis moueri, ſed motus corporum comitari: ita vxor debet non proprias habere affectiones;* SED MARITI *ſeria, ioca, auſteritatem vultûs, riſumque ſubſequi.*

Hoc quoque, quia de coniugio agimus, adijcio: olim quinarium numerum, *matrimonium*, dictum. Rem & cauſam affert Plutarchus de Ei apud Delph. *Quùm numerus in parem ac imparem diuidatur, vnitas facultate vtrique generi eſt communis; vt, quæ pari addita, imparem, impari adiecta, parem conficiat numerum. Principium autem paris numeri duo, ternio imparis ſtatuitur. Quinarius ex his duobus compoſitis conflatus, meritò in honore eſt, vtpotè primus ex primis confectus,* NOMINATVRQVE MATRIMONIVM *ob paris cum fœminâ, imparis cum mare ſimilitudinem. Quandò enim numeri in æquas diuiduntur partes, par omninò diuulſus principium quoddam capax in ſeipſo, ſpatiumq; relinquit: impari diuiſo, ſemper medium reſtat gignendo aptum. Itaque & fœcundior pari eſt, mixtuſque ſemper præualet, nunquàm vincitur: nunquàm enim par impari mixtus, parem: ſemper imparem producit. Immò autem vterque ſecum compoſitus diſcrimen oſtendit: nunquàm ſcilicet par pari adiunctus, imparem procreat; neque ſuam mutare naturam poteſt, imbecillus & vi alium gignendi deſtitutus: impares, quia vſquequaque ſunt fœcundi, imparibus iuncti, multos generant pares. Reliquas numerorum facultates ac differentias non eſt hic perſequendi locus. Proindè quinarium Pithagorei,* ob diſ-

ob dissimilitudinem congressus primorum, maris & fœmina coniugium appellauerunt.

419 Sponsa vt aliquando coronam gestauerit: semper sui viri sponsa corona esse debet, vt regem eferat, qui vxorem duxit. Refert, si optima vxor optimisq; moribus sit insignita. Sancti Bernardini hęc sunt verba serm. 48. de Dominâ honesta art. 3. cap. 4. *Vir, cui bona est mulier, rex vtique dici potest, cuius* CORONA *est ipsa mulier.*

Viri est amare vxorem; vxoris, virum reuereri: vt ob id vir mulieris sit caput, vxor viri cor. Pulchrè Gilb. Gion. *Maritum honora vxor: marite verò ama vxorem; hac enim* COR *coniugis, ille verò* CAPVT *est.*

Peculiares quidam ritus in nuptijs ineundis cõsecrandisque seruantur apud quosdam Africæ Populos. In Descript. Africæ hæc leguntur. *Circa matrimonium hac ferè seruatur regula. Vbi pater filiam cuidam despondit proco, mox in templum itur. Sponsum ac sponsam comitantur parentes & consanguinei: duo item accersuntur notarij, qui, præsentibus omnibus, pacta, dotemque conscribunt. Qui mediocris sunt fortunæ, filiæ triginta aureos in dotem enumerant, cui ancillam quindecim ad minimum aureis emptam adiungunt: præterea & telam versicolorem serice intertextam cum alijs quibusdam panniculis ex serico confectis, quos in capite pepli loco gestare solent: deinde & par calceorum artificiosè atque eleganter consutorum: duo item soccorum paria elegantissima: multas quoque clenedias argenteas, aut ex alia quauis materia fabrefactas; vt sunt pectines, suffimenta, ventilabra, aliaque istiusmodi, quæ mulieres maximo habent in pretio. Quibus ita peractis, quotquot vtrinque interfuerunt, ad Cœnam vocantur: quæ, vt sit suis delicijs optimè referta, panis adfertur frixus, quem antea melle temperatum diximus: huic carnes adduntur assæ; idque primò sponsi sumptibus, posteà & sponsæ pater suum apparere iubet conuiuium.*

420 Linteum nubentium pedibus substerni apud Ruthenos & Moscouitas solet. Guagnini hęc sunt verba: *Sponsus & sponsa ad mensam præparatam accedunt* IN LINTEOQVE *secundum morem pedibus substrato vterque stat*

Nobile nobis matrimonium indicat Sanctus Gregorius Nyssenus, quod carnis puritatem adeò non tollit, vt etiam augeat; totumque spirituale est. Sic illud nobis ille describit lib. de Virginit. cap. 20. vbi à corporis matrimonio ad Spiritûs transitum facit: QVI SPIRITVALE MATRIMONIVM CONTRAHERE CVPIT, *primum quidem mentis renouatione iuuenem se, & ab omni senectute remotum; deindè se diuitem ostendet & copiosum earum rerum, quibus abundare maximè beatum est: non his terrenis opibus extolli, sed Cœlestibus thesauris ornari. Generis verò nobilitatem non ex fortuna quadam, quæ casu aduenit (qualis plerisque vel pessimis hominibus contingit) ille se habere contendet; sed eam, quæ & labore & studio ex suis rectè factis comparatur. Hanc ij soli ostentant, qui sunt lucis, & Dei filij, & à Solis ortu nobiles ob splendidas suas res gestas vocantur. Fortitudinem autem, atque optimum corporis habitum, neque corpus exercendo, neque carnem saginando efficiet: sed contra potius vim spiritus imbecillitate corporis perficiat. Quæ verò harum nuptiarum sponsalia munera adhibentur, non ea sunt, quæ his fallacibus hominum sunt pecunijs elaborata; sed quæ ex animi diuitijs domo data sunt. Si munerum horum nomina audire cupis, audi Paulum optimum nuptiarum instructorem de quibusdam, qui diuites in omnibus facti sunt: in quibus cum multa & magna dicat, illud etiam. In castitate, addit. Rursusque quæcunque alibi in spiritualibus fructibus numerantur, omnia harum nuptiarum dona sunt.*

Eximia, & electa sponsa obedientia est, quam 421
ducere quisque debet, qua quisque debet duci: *Magnum bonum*, inquit Beatus Laurentius Iustinianus lib. de disciplin. Monast. conuersat. cap. 7. *& saluti necessarium est obedientia, quæ gratiam confert, Deum honorat, cœlum reserat, animam ornat, & propria voluntatis virus euacuat. Hanc in specialem eligat* SPONSAM, *quisquis Deo famulari desiderat, in solitudine, in domibus, in ciuitatibus obedientia tenenda est. Præcipuè tamen in cœnobijs & congregationibus Deo dicatis hæc tenaciter custodienda est.*

Eruditissimo Viro

PETRO PAVLO VENTVRINO

Epist. XCII. Veronam.

Quorundam obscuriorum verborum notio non ità obuia.

ACcepi tuas: acceptas legi; an
potiùs deuoraui? Certè auidis- 422
simè percurri. Gratæ maximè fuerunt tanquam docta incude formatæ, doctrinam elegantiamque ab omni parte spirantes, & (quod caput est) sinceri amoris typis (vt ità loquar) cusæ. Ægrè est, non posse pares reddere, licet affectu pari has scriptas ausim affirmare. De libris, quos requiris, omnia diligentię vela expandam, vt eos tibi sistam. Quòd coràm verbis feci, idem nunc absens litteris præsto. Author tibi sum, vt Lexicum obscuriorum verborum formes, quorum non adeò tritus sensus, nec obuia notio sit. Audeo & symbolum offerre. Multa in sacris Doctoribus huius notæ notaueram. Tu hæc pauca accipe, quæ subijcio. Tuum erit, si tanti erunt, tuis inserere. Alia plura, si monueris, mittam. Vale, Vir eruditissime, & (quòd præcipuum) ad æternitatem vrgeamus.

D*ignitosus* quo sensu dicatur apparet ex his ver- 423
bis, quæ habet S. Ambrosius in cap. 16. Epist. ad Roman. *Huius Epinæti etiam præsentem dignitatem non tacet, vt ostendat* ET DIGNITOSOS *credere; & inuitet primos Romanorum ad fidem, aut certè vt humiles crescerent.*

Gladiari apud nostros est gladio percuti, feriri. Sanctus Petrus Damianus serm. 27. *Hodierna die crucifigitur Petrus, Paulus* GLADIATVR; *& vitam ponunt pro fide Christi, vt non deficiat fides Christi.*

Latura nomen in vsu olim fuisse obseruo pro delatione, ac deportatione. Sanctus Augustinus serm. 32. ex 40. nouissimè editis: *Quæris*, inquit,

qui

qui portet, qui migret. Christus tibi in vtraque adest. Non faciet importuram, faciet insuper & LATV-RAM.

Incognitus pro ignaro aliquandò vsurpatur. Sanctus Eulogius lib. 3. Memorial. Sanctor. cap. 10. *In forum digrediens, licet* INCOGNITA *viarum Vrbis existeret.*

Migrare aliquid prisci dicebant pro ab vno lo-
424 co ad alium deferre. Sanctus Augustinus ferm. 32. ex 40. nouissimè editis: *Iam interroga Deum & Dominum tuum, & dic illi: Ecce iam* MIGRAVI, *Domine, in Cœlum quod habui; vel, quod habeo, sic habeo, tanquàm si non habeam.*

Deriuatorium dicitur, quod ab aliquo deriuat. Sanctus Ambrosius lib. 2. de Fide cap. 3. *Sat est generationem scire Diuinam non diuisam, non diminutam, non* DERIVATORIAM, *non creatam.*

Inimicari alicui, apud nostros est inimicum se illi ostendere, illi aduersari. Sanctus Augustinus ferm. 14. ex 40. *Eccè homo est inimicus tuus. Responde mihi, quid in illo inimicetur tibi. Nunquid hoc, quod homo est,* INIMICATVR *tibi? Non. Sed quid? Quod malus est. Quod homo est, quod ego feci non tibi inimicatur.* Hoc eodem verbo vsus est Beatus Laurentius Iustinianus de Discipl. Monast. conuersat. cap. 3. INIMICANTVR *homini, vt laborum eius diripiant mercedem.*

Vbi licitè de inimicis (vt hoc quoque adijciam,
425 dum de inimicandi notione ago) vindicta sumi possit, peritè philosophatur Sanctus Vincentius Ferrerius sermo. 2. Domin. in Alb. inquiens: *Nullus, quantumcumque esset audax, in palatio Regis præsente Rege reciperet vindictam, licet dicat in corde: O si istum inuenirem extra. Si totus Mundus est domus Dei (Baruc 3. O Israel, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius!) & omnes sumus intra suum palatium, & in præsentiâ suâ: ideò in hoc Mundo debemus habere pacem cum inimicis. Sed, quandò inuenis inimicum tuum extrà, scilicet in Inferno, tunc audacter recipias vindictam; quia tunc incipiet tempus rixæ: sed nunc dimitte totum, & non aufer ei verbum; sed ei loqui debes & salutare.*

Vis inimicum tuum mori? postula, vt corrigatur; & iàm non erit inimicus. Festiuè Sanctus Augustinus in Psalm. 36. *Et illi, qui orant, vt moriantur inimici, audiant Dominum dicentem: Orate pro inimicis vestris. Non ergo hoc orent, vt moriantur; sed hoc orent, vt corrigantur; & mortui erunt inimici. Iàm enim correcti non erunt inimici.*

Linguarum peritiâ,

Nobili Viro

VINCENTIO MARINERIO VALENTINO.

Epistola XCIII. Madritum.

Quædam de Aurigarum vestibus afferuntur.

426 Singularis doctrinæ tuę liquor (vt ità loquar) per Epistolæ lineas, velut per quosdam canales, ad me decurrens, suauissimus mihi fuit. Siccis illum labijs bibi, auidè degustaui. Quod cuidam Sanctus Basilius dicebat, liceat mihi vsurpare. *Cùm scribendi initium dederis, ne id facere desinas: plus etenim voluptatis affricueris, quàm qui pecunias transmittunt ad auaros.* Nam auro gemmisque pretiosiora doctrinæ sunt opes. Epigramma Græcum, quod in mei laudem cudisti, gratissimum ab eâ parte fuit, quòd ab affectûs tui sinu prodierit: si quidem, cùm me alioquin video, & ad vilitatis meæ pedes oculos conijcio, & ad mihi pariaq; optari non posse vt deprehendo; sic verecundia suffundor, quòd alijs aliud videor, quàm sim; atque adeò onerant me potiùs exhibitæ laudes, quàm ornent. Sed vel ob id amicè ferendæ; quòd amici sint, qui nos efferunt; & propterea omne adulationis virus absit. Vis, quid sentio, dicam? Ferri laudes possunt, si nos ferant ad magna; inter quæ non postremum laudum ipsarum contemptus est. Gratius igitur fuerit, si, omissis laudibus, mittas litteras: vt ob id etiam laudatus non te laudem, ne probare exhibitas laudes videar, non oblatas extorquere. Nolo tamen nudam Epistolam ad te venire. Eam vestio; &, licet vestis pannosa sit, est tamen vestis. Adeò verò vestem referunt, quæ fero, vt de vestibus etiam sint.

Laudabant prisci Aurigam, quòd quatuor sine offensione equos vrgeret; clamabantq; veste 427
donandum. Indicat istuc Sanctus Augustinus in Psalm. 19. exhibetque nouum pro illo Aurigam, & maiori laude dignum. AVRIGAM (inquit) *laudas vrgentem quatuor equos, & sine lapsu atque offensione currentes. Fortè alia miracula spiritalia non fecit Dominus. Regat luxuriam, regat ignauiam, regat iniustitiam, regat imprudentiam: motus istos, qui nimirùm lapsi hæc vitia faciunt, regat, & subdat sibi; & teneat habenas, & non rapiatur. Ducat, quò vult: non trahatur, quò non vult. Aurigam laudabat: Aurigam laudabit. Clamabat, vt* AVRIGA VESTE COOPERIRETVR: *immortalitate vestietur. Hæc munera, hæc spectacula dedit Deus. Clamat de Cęlo: Specto vos. Luctamini, adiuuabo. Vincite, coronabo.*

De veste Aurigæ victori dari solità hæc idem Sanctus habet eodem loco nonnullis interiectis: QVANDO VINCIT AVRIGA, IPSE VESTITVR. *Nunquid pauper ille, qui clamat? Victor ipse vestitur: pro victo illi insultatur. Quarè pro illo percipis reprehensionem, cum quo non diuidis vestem? Hic aliud in spectaculis nostris. Omnes quidem currunt. Paulus Apostolus dixit: In illo stadio, in illo spectaculo vnus tamen accipit brauium: cæteri victi descendunt, & perseuerauerunt in currendo; sed, cùm acceperit vnus, remanent cæteri, qui similiter laborauerunt. Hic non est sic. Quotquot currunt, perseueranter currant, omnes accipiunt: &, qui prior venerit, expectat, vt cum posteriore coronetur. Agonem quippe istum nū*

cupiditas, sed charitas facit. Omnes currentes amant se, & ipse amor cursus est. Aliud de Aurigis ex Plutarcho obseruabam.

Romani olim sacrificia & supplicationes in-
428 staurabant, si læua manu prehendisset Auriga habenas, & ob alia minutola. Disco ex Plutarcho in M. Coriolano, vbi ait: *Sacrificia supplicationesque & ludos solent Romani non solum ex tantâ occasione, sed ex minutulâ etiam instaurare: siquidem, si vnus equus thensas ducentium elanguisset, itemque* SI LEVA MANV PREHENDISSET AVRIGA HABENAS SVPPLICATIONEM DECERNEBANT INSTAVRANDAM. *Sequutis temporibus vnum sacrificium tricies instaurarunt, quòd semper aliquid delicti vel offensionis interuenisse diceretur.*

Apud Getulos, odores, tinctasque vestes mulieres auersantur: amant viri. Eusebius Cæsariensis lib. 6. Præparat. Euangel. de Getulis ait: *Aspernantur quoque apud eos fœminæ vniuersos odores,* NEC TINCTIS VESTIBVS INDVVNTVR, *& nudis omnes pedibus degunt: cùm viri apud eos è contrà & vestibus, & odoribus, & coloribus gaudeant. Nec eâ mollitie faciunt; fortes enim & bellicosissimi præter cæteras gentes sunt.*

Pretiosiores vestes, *Lenonem soluendi pudoris*, dictas reperio. Vvillielmus Malmesburiens. lib. 2. de Gest. Pontif. Anglor. *Preciosus amictus, qui mulieribus nonnullis est* LENO SOLVENDI PVDORIS, *illi erat supellex munificentiæ.*

429 De caudis, quæ in mulierum vestibus suo æuo frequenter videbantur, ità scribit Sanctus Bernardinus Senensis serm. 44. Contra mundan. vanitat. artic. 1. cap. 2. *Quid etiam dicemus de fastidioso opprobrio* CAVDARVM, *quas tantum dilatauit Diabolus per Italiam tempore meo, vt neque vilissima muliercula iam sit, quæ non erubescat, si absque caudâ incedat? De quo tempore Merlinus prophetauit dicens: Mulieres serpentes fient, & omnis gressus earum superbiâ replebitur. Renouabuntur castra Veneris, nec cessabunt sagittæ cupidinis.*

Qualis suendi ritus apud Samoiedæ populos, colligi ex his verbis potest, quæ in Descript. Indiæ Oriental. part. 10. leguntur num. 3. SVERE *etiam solent piscium spinis; easque pro acubus habent, quemadmodum animalculorum quorundam neruos pro filis.*

De vestibus pluribus ago in quinto Electorum meorum volumine, quod editioni paro. Ne laciniosa nimis te Epistola defatigem, hîc sisto, & superæ gloriæ vestem tibi precor. Tu quoque mihi.



Doctissimo Patri

LVDOVICO IACOBO

A S. Carolo Carmelitæ.

Epist. XCIV. Lugdunum.

Traiecticium fœnus facere quinam dicantur. Nonnulla de eleemosyna notata.

Liceat mihi te illis verbis alloqui, 430
quibus Paconium Presbyterum est alloquutus Sanctus Basilius. *Candor illius pectoris, vndè verba illa sunt profecta, per Epistolam te manifestabat. Aquarum siquidem riuulus purum fontem indicat: sermonis autem ingenium illud est, vt pectus, vnde emanauit, characterizet.* Nihil elido, nihil muto, tota tua sunt, & in te quadrant. A tuis statim verbis ad te lui; & vix oculis tuas litteras percurri, cùm mente mentem tuam subij candore illo ornatam, qui in verbis elucet, & foràs prodit. Præter verba, & rem habui. Quid mei causâ meorumque voluminum apud Lugdunenses Typographos præstiteris, quis dignè explicet? Longæ narrationis loco gratiarum, quam possum, actionem substituo, & exertè fateor, tuæ diligentiæ vnumquemque debiturum, quòd meis laboribus citiùs frui possit, quàm alioquin potuisset. Nam fors non emisissi, si commisisses alteri. Plena igitur volumina loquantur pleniùs, quod paucis nequit lineis fieri. Quod hic subijcio, indicem mei affectus volo esse, non mensuram. Indicare amici merita satis amico sit, licet non exæquet. Traiecticium fœnus quandò diuites facere dicantur, si exposuero, vt dicam, quid didicero; non dicam tamen, quod tu ignores aut discas.

FOenus *Traiecticium* diuites facere, quùm hic 431
terrena largiuntur pauperibus, Cœlestia in Cœlo à Deo recepturi, asserit Sanctus Augustinus Homil. 29. ex 50. *Dat de Cœlo, accipit in terrâ. Ipse dat, ipse accipit. Quasi* FOENVS TRAIECTICIVM FACIS. *Hic das, ibi recipis. Hic das res perituras, ibi recipis res sine fine mansuras.* Exercere sic fœnus quisque licitè potest: aliud tanquam noxium damnandum est.

Men-

Menſtruos fœnetatores Dæmonibus comitiales morbos indueentibus in hunc modum confeтebat Sanctus Baſilius in Pſalm. 4. MENSTRVI FOENERATORES, *quemadmodùm dæmones comitiales morbos inducentes iuxta Lunæ circuitus pauperes inuadentes*.

Ad Lunæ recurſus Græci ſoluebant vſuras: vnde Strepſiades in Nubib. Ariſtophanis optat ſibi incantatricem quàmpiam, quæ carminibus ſuis efficiat, ne quando Luna exoriatur; ſic enim fore, vt non reddat vſuras. Quandoquidem trapezitæ ad Lunas mutuam dant pecuniam, & Lunis vſuræ creſcunt.

432 Vſuris terram contaminari dixit Sanctus Gregorius Nazianzenus Orat. 15. *Alias vſuris & fœnoribus* TERRAM CONTAMINAVIT, *colligens vbi non ſeminauerat, ac metens vbi non ſparſerat: non ex terra cultu, ſed ex pauperum inopiâ & penuriâ commoda ſua comparans*.

Obſeruatum ab alijs eſt, olim adeo inauſpicatum vſurarij occurſum habitum, vt in eum incurrentes, ſe fideles ſignarent. Raulinus ſerm. 112. *Antiquitùs*, inquit, *cum videbatur vnus vſurarius* SIGNABANT SE HOMINES ET FVGIEBANT EVM TANQVAM DIABOLVM, *nec Sacerdos oblationem eius recipiebat. Nec mirum ſi eum fugiebant, quia nihil plus fugitur quam mors, fœnerator autem ſimilis eſt morti quæ nullius miſeretur, & nulli parcit*.

Fœneratorem cane ſæuiorem eſſe, ità probat Sanctus Baſilius Homil. de Diuit. & paupertat. CANES *vbi aliquid accipiunt, ſubitò manſueti ſiunt: at* FOENERATOR *magis, ac magis irritatur; non enim latrare ceſſat. Etiamſi ee iureiurando obſtringat, fidem non habet. Perſcrutatur interna commercia, tua curioſè inquirit*.

Benedictionis nomine eleemoſyna ſignificari ſolet. Sanctus Chryſoſtomus Homil. 30. ad Roman. BENEDICTIONEM *vt plurimùm eleemoſynam conſueuit dicere, vt, cùm dicit: Tanquàm benedictionem, non velut auaritiam. Erat autem mos vetus rem hanc ita vocare*.

433 Quot bona ex eleemoſynæ largitione prodeant, exprimi vix poteſt. Sanctus Chryſoſtomus præf. in Epiſt. ad Philipp. *Vide*, inquit, *quot hinc exiſtant bona: Qui dat eleemoſynam, quomodò danda eſt, is diſcit pecunias contemnere: qui pecunias contemnere didicit, is malorum radicem excidit. Quamobrem, non tàm facit beneficium, quàm accipit; non idcircò ſolùm, quòd eleemoſyna conſtituta eſt merces, ac retributio, verùm etiam quòd anima ſit philoſophica, excelſaque ac diues. Qui eleemoſynam dat, ad hanc diſciplinam eruditur: vt pecunias atque aurum minimè admiretur. Qui verò hac diſciplinâ inſtituit animum, ia ille præclarum aſcendendi in Cœlum principium fecit, ſexcentaſque pugnæ, contentionis, inuidiæ, mœroris occaſiones amputauit*.

Humorum abundantiam ſuperfluitatemque morbos gignere videmus ſæpè, ſæpè experimur. Idem à diuitiarum ſuperfluitate timendum; niſi quòd ibi infirmitas temporaria eſt, hic æterna perditio. Pulchrè Sanctus Bernardinus Senenſis ſerm. 7. de eleemoſ. art. 2. cap. 3. *Sæpè*, inquit, HVMORES SVPERFLVI *ſunt ad hominis necem: ſic & ſubſtantia ſuperflua ſæpiùs eſt cauſa perditionis æternæ*. Ne igitur ſuperflua noceant, indigentibus diſtribuantur; & diſtributa iuuabunt, quæ non diſtributa officiunt.

434 Vt ſemper eleemoſyna exercenda ſit, eſt tamen maximè Quadrageſimæ tempore, quùm ieiunamus; quo appareat ieiunium auaritiam non redolere, ſed charitatem. Certè augendas eleemoſynas ob hanc cauſam auditoribus ſuis ſuadebant. Sanctus Auguſtinus ſerm. 71. de Diuerſ. vbi de Quadrageſimæ ieiunio loquens. *Iam verò*, inquit, ELEEMOSYNAS HIS DIEBVS AVGERE *quodammodò ex debito eſt. Vbi enim iuſtiùs quàm miſerendo impendiris, quod vobis abſtinendo demitis? Et quid iniquius, quam vt, quod minùs erogat abſtinentia, ſeruet permanens auaritia, aut conſumat luxuria? Intendite quibus debeatis, quod vobis denegatis; vt, quod detrahit temperantia voluptati, addat miſericordia charitati*.

Vtilis eleemoſyna eſt, & ſanctitatem quandam dantium rebus affricat pauper accipiens. Præclarè Sanctus Chryſoſtomus Hom. 1. in Epiſt ad Philipp. *Ale eſurientem, vt ne alas gehennæ ignem. Ille de tuis rebus comedens, eam etiam partem, quæ tibi relinquitur, ſanctificat*.

Eleemoſynam porrò eò cultores ſuos effert, vt 435
ferè Sacerdotes eos conſtituat. Egregiè S. Chryſoſtomus Homil. 21. in Epiſt. 2. ad Corinth. *Charitatem inflammat, & magnitudinem animi gignit, &* SACERDOTES CONSTITVIT; *& quidem eiuſmodi ſacerdotio fungentes, quod ingentem mercedem afferat: nam, qui eleemoſynæ ſtudioſus eſt, non ille quidem talari veſte indutus eſt, nec tintinnabula circumfert, nec coronâ redimitus eſt; verùm humanitatis ac beneficentiæ ſtolâ, quæ ſacram illam veſtem ſanctitate ſuperat conueſtitus eſt; oleoque delibutus non ex materiâ, quæ in ſenſum cadat, ſed à Spiritu effecto. Ad hæc coronam à commiſeratione contextam habet (ait enim Scriptura: Qui coronat te in miſericordiâ & miſerationibus) ac, pro laminâ, Dei nomen geſtat, immò Dei ſimilitudinem aſſequitur*.

Denique *Aquilina eleemoſyna* quænam dicatur, quæ *Leonina* ex his Sancti Bernardini Senenſis verbis elucet, nam tract. de eleemoſyna art. 2. cap. 4 ait: *De rapinis, ac bonis alienis eleemoſynam facere non eſt miſerationis officium, ſed criminis potius incrementum: eius quidem criminoſi, & criminis cauſa eſt: quia talis ſibi ipſi occaſionem præſtat, vt de peccato per reſtitutionem exire non valeat. Vnde talis eleemoſyna dicitur* AQVILINA, *ſeu etiam* LEONINA.

Reuer. Patri D.

IVSTINIANO FAELLÆ

Clerico Regulari.

Epiſt. XCV. Florentiam.

Peccatum, Vndenarium, *dictum: & cùr*.

Litteræ, quæ in meas manus venerunt, inſcriptum inuenerunt in 436
meo corde, qui illas ſcripſit. Altè in hoc pectore te amor ſculpſit. Idem iſtis meis euenturum, idem mihi apud te ſingularis tua humanitas, illaque amicitia, quæ inter nos adoleuit, me ſperare iubet. Quòd inſcrip-

tionem etiam ex aliorum Patrum mente à me formari quæris, quę communi toti paroecię sepulcro exaretur, vellem tàm aptè aliquid à me cusum, quàm promptè id, quod à meo calamo excidit, ad te adlego, quod est huiusmodi;

D. O. M.

Domum hic communem habes.
Domus nullibi communis sis:
Non eris, si fueris Dei filius.
Cœlestis eiuis hic sculpti
Vitam, mores, vita, moribus
Referas, antequàm huc feraris.
Voluere illud, optauere istuc
Clerici Regulares
Hoc toti Parœciæ sepulcrum
Positum.
Anno sal. M. DC. XLIII.

437 Tu vide, an Patrum sensum fuerim assequutus, dùm tibi, ingenij mei imbecillitate reclamante, sum obsequutus. Sed fors peccatum peccato adijcio, qui inscriptione peccaui, in scriptione pecco, de peccato dùm explico tibi cur *Vndenarium* dictum. Et verò scribentis potiùs more, quàm excipientis necessitate id factum scito. Vale.

PEccatum *Vndenarium* dictum obseruo, quia scilicet extra decem præcepta abit. Sanctus Gregorius lib. 32. Moral. cap. 12. ità loquitur: *Omne peccatum* VNDENARIVM EST: *quia, dùm peruersa agit, præcepta Decalogi transit. Et quia in cilicio plangitur, hinc est, quòd in tabernaculo vela cilicina vndecim fiunt. Hinc per vndecimum psalmum dicitur: Saluum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus. Hinc in vndenario numero remanere Petrus Apostolus metuens, Matthiam duodecimum sorte missa requisiuit: nisi enim signari culpam per vndenarium cerneret, impleri Apostolorum numerum tàm festinè duodenario non curaret.*

Quod in corporis resurrectione fiet, fieri & in resurrectione animæ à peccato debet; ibi cineres omnes colligentur, colligantur hîc singula peccata. Benè Raulinus: *Sicut in corporis resurrectione omnes in vnum cineres colligentur: Sic in resurrectione animæ omnes eius cogitationes & opera in* VNAM CONFESSIONEM RECOLLIGI *oportet.*

Porrò quid eluendis peccatorũ pęnis offerendũ, egregiè docet pius ille auctor Bonauentura Bernoy, dum ait: *Ad eluẽdas autem pœnas, seu reatum earum, opportunum fuerit lucrari indulgentias si quarum copiam habemus. Ex particulari autem confidentia offeremus Deo sigillatim quæcumque passus est Christus, D. Virgo, Sancti, & quotquot adhuc in mundo militant: qui libentissimè ex charitate contribuunt, quicquid acquisierunt ad supplendum ei quod nobis pauperibus deest: immò efficacius esset, si ipsosmet Sanctos, sollicitaremus, vt propria charitate incitante suos thesaures in fauorem nostrum offerrent: quam oblationem longè acceptissimam Deo non est dubitandum: possumusque iure sperare eos id officij non denegaturos, cùm aliqui ipsorum adhuc in carne viuentes eò charitatis pertigerint, vt omnia sua anteacta opera affectuosissimè prodigerent coram Deo in liberationem vnius animæ è purgatorio: at nefas esset credere compassionem siue misericordiam eorum in Cœlis, diminutam esse.*

Eruditissimo Patri

OCTAVIO BOLDONIO

Præposito Cleric. Regularium Sancti Pauli.

Epist. XCVI. Perusiam.

Ritus varij: Varia obseruationes.

AVdio & subscribo, *Exercetur diligentiæ bonum scriptione multiplici, & per paginarum abstinentiam*, Ennodij sunt verba, *intercipitur vis amoris*, hæc alijs occupatum 438 vrgere ad scriptionem potuere; licet aliunde sciam firmam amicitiam solidiori pabulo pasci, & melioribus ferculis quam chartaceis nutriri ac sustentari, sed ab ea parte qua amici animus in Epistolis elucet, & affectus litteris se prodit, imo se amico probat hæc fercula amici amicis opportune exhibent, atq; adeo etiam ego in hunc finem exhibeo, licet alia quoq; scribendi non solum occasio, sed etiam causa suppetat, nam opus editurum quod hunc titulum effert, Admiranda Orbis Christiani, tua quoque auxiliari manu indigeo, diligentiam tuã tu ipse vrge, nihil intentatum relinque, si quid per te ipsum vel etiam per alios inueneris, quod in rem meam faciat, fac vt bona fide notatum quam citissimè ad me transmittatur. Tantum ab omni sint dubietate aliena, quæ miseris, nec enim lites serere volo, sed tollere, pietatemq; nutrire, non perfidiæ arma præbere, scilicet, quæ veræ fidei stabiliundæ seruire debent, dubię fidei minime sint. Interim dum colligis quod exigo, tu quædam accipe quę olim collegeram ne pereant, sed quia ab editis voluminibus exciderunt hic in tui memoriam planto, & licet varia sint in vnum tendunt, meo scili-

ſcilicet in te affectui ſignificando, nam hæc, & ſimilia, eos, qui eruditionis arcem tenent fere non fugere non me fugit.

439 SAcra olim loca fideles circuminiſſe in primo Sacrorum electorum volumine libr. 2. fusè probaui; ad iſtum morem faciunt verba, quæ de Sancto Fulgentio in eius actis leguntur. Et ſunt iſta. *Occaſione nauigys arrepta poſtquam ſacra Martyrum loca Romæ venerabundus* CIRCVMIVISSET *ad Aphricam velociter per Sardiniam nauigauit*. Religionis autem cauſa circuitionem iſtam initam, & abſolutam ab eo nefas eſt ambigere.

Magiam *circulatoriam ſectam* dictam obſeruo, aut quia magi huc illuc vagentur, circumeant, aut quia in ſuæ artis exercitio circulis vtuntur. Tertullianus lib. de Idolatria cap. 9. ita legitur. *Simon magus, iam fidelis, quoniam aliquid de* CIRCVLATORIA SECTA *cogitaret, vt ſcilicet inter miracula profeſſionis ſuæ, etiam Spiritum Sanctum per manuum impoſitionem enundinaret. Maledictus ab Apoſtolis de fide eiectus eſt*.

Olim qui à ſpiritibus immundis corripiebantur, publicè accendere lucernas non poterant, id illis inhibet Concilium Eliberitanum hiſce verbis. *Eos qui à ſpiritibus immundis vexantur, ſi in fine mortis fuerint constituti, baptiZari placet. Si vero fideles fuerint dandam eis eſſe communionem. Prohibendum etiam* NE LVCERNAS PVBLICE ACCENDANT.

440 Faſcinationi, & inuidiæ auertendæ luto ex balneo ſumpto puerorum frontem digito eo illito ſignabant. Satanicum hunc morem ſic euertere conatur Sanctus Chryſoſtomus hom. 12. in Epiſt. 1. ad Corinth. LVTVM *mulieres in balneo accipientes nutrices, & ancillæ cum digito vnxerint, imprimunt in fronte pueri. Et ſi quis roget, quid ſibi vult lutum, quid cænum? Malum, inquit, auertit oculorum faſcinationemq; & inuidiam. Papæ quanta vis luti, & quanta virtus cæni, tanta quidem vt totam diaboli aciem fundat ac fuget. Non præ pudore veſtros vultus tegetis? Non tandem diabolicos laqueos aſpicietis? Quomodo ab ineunte ætate ſuas machinas adhibet diabolus. Nam ſi hoc efficit lutum, cur in tua quoq; fronte hoc non facis, cum ſis vir plenaq; & perfecta habitudine, & plures habeas qui tibi inuident quam infans? Cur non totum quoq; corpus luto illinis? Nam ſi tanta vim habet in fronte, cur non te quoq; totum luto inungis. Hæc ſunt riſus, & comœdia ſatanica, quæ non ſolum ad irriſionem, ſed etiam ad gehennam euertit eos qui decipiuntur. Et quod hæc quidem fiant apud Græcos non eſt mirum. Quod autem apud eos qui Crucem adorant*.

441 Eò dementiæ aliquos olim adactos vt luto obliti currerent diſco ex Lactantio lib. 1. de falſa Religione cap. 21. *Si quis*, inquit, *percepta ſapientia depoſuerit errorem profecto ridebit ineptias hominum pene dementium, illos, dico, qui vel inhoneſto ſaltatu tripudiant, vel qui nudi, vncti, coronati, perſonati aut* LVTO OBLITI *currunt*.

Faciem fuco illinere prohibitum Iudæis eſt, quia ſcilicet mulieris habitum nequeunt induere, faciem autem fucare feminam ſuam ſapit, refert hunc morem R. Leo Mutinenſis in ſuo Rituali hebraico.

Pani bonam voluntatem, diuinæque conformem Chriſtus pariat in hunc modum, vt habetur lib. 2. Reuel. S. Brigittæ cap. 25. CORPORALIS PANIS *ſi mundus & purus eſt, duo bona habet. Primo confortat, & dat venis, arterijs & neruis omnibus fortitudinem. Secundo recipit ad ſe omnem putredinem interiorem, & cum deſcendit, & in ſeceſſum vadit, & homo emundatur; ſic voluntas pura primo confortat. Nam ſi homo nihil velit, niſi quæ Dei ſunt, nihil laborat niſi ad honorem Dei, toto deſiderio deſiderat exire de mundo, & eſſe cum Deo. Hæc voluntas confortat hominem in bono augmentat amorem Dei, facit ei mundum vileſcere, patientiam fortificat, & ſpem gloriæ adipiſcendæ roborat, in tantum quod omnia aduenientia hilariter amplectitur. Secundo voluntas bona, omnem putredinem extrahit. Quæ eſt putredo nocens animæ, niſi ſuperbia, cupiditas, & luxuria*.

Mitum hoc aliquos vti pane tanquam obſonio, carnibus, piſcibuſq; tanquam pane. Ioan. Gabell. lib. 1. comment. Pij Papæ II. de ſcotis loquens, ait, *Vulgus pauper, & incultum carnes, & piſces ad ſaturitatem* PANEM PRO OBSONIO *comedere*.

442 Hoc notatum volo, filios reſurrectionis dictos, qui poſt hanc vitæ corruptionem reſurgent. Sanctus Dionyſius cap. 1. de Diuinis nominibus. *Quando erimus filij reſurrectionis*.

Olim qui Flaminis pedes tetigiſſet aut genua immunis à verberibus reddebatur. Seruij verba ſunt in 3. lib. Æneid. *Iure Pontificali ſi quis Flamini* PEDES VEL GENVA *fuiſſet amplexus verberari non licebat*.

Actorum libri quî fieret, qua cuſtodia apud Polonos cuſtodiatur ex eorum ſtatutis patet, ſic enim ſtatuunt verbo. A. *Et quia Barones terrarum noſtrarum in Iudicijs colloquiorum generalium perſonam noſtram repræſentant, coram quibus cauſa hæreditariæ, & aliæ maiores agitantur, & tractantur; & ſententia per eoſdem lata robur accipiunt firmitatis, ac ſi in præſentia noſtra agerentur: coram quibus etiam reſignationes bonorum magnorum peraguntur, & aliæ cauſæ per eoſdem definitæ in ſpeciali libro conſcribuntur, vnde cum maiori pondere diligentiuſq; & cautius debeant obſeruari. Volumus, quod liber prænotatus, ſeu Acta Colloquij Generalis ſub clauſurà trium clauium a modo conſeruetur, quarum vnam Iudex, aliam ſubiudex, tertiam vero Notarius terreſtris habeant, & conſeruent; Nec liceat vni ſine alys clauſuram prædictam aperire. Et quia ex Actis prædictis, ſeu in Libro nonnulli litteras habere, & extrahere tempore debito cupiunt. Quapropter prouidendum eſt, quòd Iudex per miniſtralem debeat publicè quando opus viderit facere proclamare. Quod in tali diſtrictu, loco, & die tali Liber ſeu Acta ad extrahendum litteras, aperiatur, vtque eas habere volentibus ſe affectantibus pateant*.

443 Dæmones virtutes apoſtaticas dictos obſeruo. Sanctus Maximus in Epiſt. 8. Sancti Dionyſij ita loquitur. *Nota benigniſſimos Angelos etiam pro gentibus Deum deprecari, & apoſtaticas virtutes id eſt dæmones increpare*.

De puteis in nuptialibus aquis egi, dictis hæc cognata, quæ exhibeo. Puteus noxius luxuriæ eſt; vt non alienè fornicatio inferni puteus perditioniſq; vorago ſit dicta in Capitulis Caroli, & Ludouici Imp. tit. 5. c. 2. hæc habentur, *Quod penè omnibus peccatis grauior, & deterior ſit fornicatio, & vt veraciter dici poteſt. Laqueus mortis*, ET PVTEVS *inferni ac vorago perditionis, eo quod Adulteri vel Luxurioſi propter cordis inopiam perdunt animas ſuas*.

Deniq; vt finiam obſerno aliquos ita inſanijſſe, vt puteos colerent, qui idcirco puteoritæ dicebantur

tur; Philastrius lib. de Hæresibus sic scribit. *PVTEORITÆ SVNT QVI PVTEOS COLVNT, in altum fodientes deq; eis haurientes aquam salutis in ea sperantes aliqua. Cum dicat Dominus per prophetam monendo. Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi lacus detrites qui non possunt capere aquam salutarem.*

Nolo plura adijcere, ne librum videar condere non Epistolam. Vale mi Pater, & adultum amorem ita serua, vt semper adolescat; tuarum precum suffragia petenti exhibe, imo, & exhibenti.

Eruditiss. Patri, & variarum linguarum peritia insigni F.

FRANC.co MARIÆ FORRET

Belgæ Ordinis Minorum.

Epist. XCVII. Leniacum.

Quædam obseruationes variæ eruditionis Supellectili augendæ.

444 VIcem non reddo, laudem accipio, nec exhibeo, *ne dum in præconijs*, vt Ennodius dicebat. *mutuum videmur scabere adulationis suspicione polluatur affectio, & amor currat in vitium, dum illud quod apud alios debemus facere nobis incompetenter ingerimus.* Litterę quę nudas amici laudes continent, laudabiles non puto nisi cum aliunde erigi, & excitari amicus vix potest, quàm exhibitarum laudum, vt ita loquar, stimulis; noster amor talis non est, nec nos tales sumus, vt laudibus ab hac parte indigeamus. Se potius amat quam amicum, qui amici laudes amat, & fors inter amicos numerat quia cum habet laudatorem, laudantem audit. Ego verò, mi Pater, tàm parui oblatas ab amicis laudes facio vt plerumq; amicis offeram, quę inficere ac infirmare laudem omnem possint, cum scribentis infantiam alioquin non adeo notam etiam non amicis prodant. Tu vide an ista quoque sint, quę tibi, vir magne, & eruditi subselli; exhibeo; veniam hoc solo merentur, quod censenda offero, non efferenda aut commendanda, nec tanquam ignota obtrudo, sed vt per amicos notos transire ad ignotos fors aliquibus ignota possint: sed satis verborum dedi. Iam rem ipsam habe, & vt nauseam auertant varietati hic quoq; litabo.

445 OLim cum lætas gratissimasq; amici alicuius litteras sibi fuisse significarent, diem, in quo illas acceperant diem festum vocare solebant. Hic inter alias phrasi vsum obseruo Sanctum Basilium, nam Epist. 404. Amphilochio Iconij Episcopo scribens ait. *FESTVS MIHI DIES ILLE ACCIDIT OMNIS IN QVO LITTERAS A TVA PIETATE ACCIPIO: imo vero festorum dierum celeberrimus: cum accedunt etiam festiuitatis symbola, quod tam aliud vsurparem nomen quam festorum festi, quomodo lex illa vetus. Sabbatorum sabbata nominabat.*

Pleriq; antiquitus ostendentes se non nisi eos amatores, à quibus amarentur hac formula vtebatur, quam Satanicam vocat Sanctus Chrysostomus: *Si me dexter quoq; oculus non dilexerit effodiam illum*; sic ille scribit ab hac mente nos auocans hom. 27. in Epist. ad Romanos. *Si quis abs te seipsum auellere cupiat, tu vide, ne quantum in te est auellaris ab ipso. Neq; frigidum istud, & imbecilli animi verbum proferas. Si me dilexerit diligam. SI ME DEXTER QVOQVE NON DILEXERIT OCVLVS EFFODIAM ILLVM. Satanica sunt ista, publicanorumq; & Græcorum pusillanimitati conuenientia. Tu vero quum sit ad potiorem ciuitatem, & conuersationem vocatus, inq; ipsum Cælum inscripsus, maioribus quoq; legibus obnoxius es.* De primitijs hæc præter alibi dicta, & obseruata notabam.

446 Maximè solliciti erant fideles vt primitias Deo persoluerent adeo vt priùs quàm nouos fructus gustarent, gustandos Sacerdoti offerrent; ita Sanctus Hieronymus in cap. 44. Ezechielis. *PRIMITIAE quoq; ciborum nostrorum Sacerdotibus afferuntur vt nil gustemus nouarum frugum nisi Sacerdos ante gustauerit. Hoc autem facimus vt reponas Sacerdos benedictionem, & oblationem suam in domo sua, siue vt ad imprecationem suam Dominus benedicat domibus nostris. Grandis dignitas Sacerdotum, sed grandis ruina eorum si peccant. Lætemur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum, non est tanti gaudij excelsa tenuisse, quanti mæroris de sublimioribus corruisse. Neq; enim solum pro nostris delictis reddemus rationem, sed pro omnium quorum abutimur donis, & nequaquam sumus de eorum salute solliciti.*

Electionis dominicæ primitiæ dictus est Petrus Apostolorum Choriphæus. Sanctus Clemens Papa I. Epist. 1. *Simon qui ore diuino cognominatus est. Petrus, qui fuit PRIMITIAE electionis Domini.*

447 Homine cæterarum creaturarum primitias dictum ob excellentiam, quibus cæteris præeminet, obseruabam, certè illud Iacobi cap. 1. vers. 18. *Vt simus initium aliquod Creaturæ eius*, Sic aliqui apud Bedam verterunt, *vt simus PRIMITIAE creaturarum eius*; & Græca vox *ἀπάρχαί* hanc etiam notionem fert. Fideles quoq; vt ille ait, *atq; electi vocantur primitiæ humani generis*, sicut & electorum primitias Christum dixit Apostolus 1. Corinth. 15.

Lactis olim, & mellis primitiæ stato die pro infantibus offerre consueuerunt. Concilium Carth. Canon. 40. *PRIMITIAE autem, & mellis, & lactis vt mos est offerantur vno die consueto ad infantium mysterium.*

Quænam primitiæ offerri Deo debeant docet his verbis Elias presbiter in Florilegio. *Olim veteres*

teres de area, & torculari PRIMITIAS *in temple offerre iubebant nunc nos virtutis practicæ primitias continentiam, & veritatem, contemplatiuæ autem charitatem, & orationem Deo offerre oportet.*

48 Olim ex ijsquoq; quæ esui non seruiebant nisi famis tempote decimas accipiebant Hebtæorum Sacerdotes, vtiu te scribæs, & Pharisæos perstiinxerit Christus Matth. 23. quod mentham anethum, & cyminum decimarent. Rabbi Moses Ben Maimon Habac. Trum. cap. 1. ait; *Vicia quamuis non sint humana nutrimenta quia tamen famis tempore comeduntur, & iam* ADDECIMARI DEBENT, *sic & Hyssopus atq; origanum quorum semina sunt hominum condimentum, decimantur.*

Christi mercatores in contemptum Christiani dicebantur, rem & causam seu potius occasionem habet Sanctus Chrysostomus hom. 6. in Epist. 1. ad Thess. *Non dixit, Ne inhoneste vos geratis mendicantes, sed idipsum quidem tacite significauit, mitius autem hoc posuit, vt & pungat & non vehementer hoc grauet. Nam si ij qui sunt apud nos his offenduntur multo magis exterus, inuenientes mille accusandi, & reprehendendi causas, quando vident hominem sanum, & qui sibi potest sufficere, mendicare, & alijs opus habere. Et ideo nos appellant Christemporos, hoc est* CHRISTI MERCATORES: *Propterea inquit blasphematur nomen Dei.*

449 De Chinensibus mercatoribus hæc habet Ioannes Hugo in sua nauigat. *Mercatores ad tabernas suas appendunt tabulam in qua depingunt merces venales additis inscriptionibus.*

De opificibus Chinensibus hæc habet idem auctor in sua nauig. *Nati ex opificibus nonnisi parentum opificio tractare possunt excepto si à magistratu licentiam impetrent.*

Lucrandi autem pleraq; nesciunt lucri amore possessi se perdunt dum alia lucrari student. Hos iure premit Guaricus serm. 2. in Resurrect. Dom. *O cupidi qui immoramini studio lucrandi cur non discitis* ARTEM LVCRANDI? *Cur non vilia, imo detrimenta, & stercora contemnitis vt Christum lucrifaciatis.*

Eruditiss. Patri D.

CYRILLO TVRRIANO

Præpos. Cler. Regularium.

Epist. XCVIII. Veronam.

Hiemis fructus quinam dicti quadam de floribus addita, & de odore.

450 PLacet, tibi nostra placuisse, & probo quod probas, nam ab hac quoq; parte amicum te esse ostendis, qui tam amicè de nostris reculis sentias, vt in illis videas, quæ aliorum aciem facilè fugerent. Quod præter res stilum etiam laudas tanquam elegantem acuminibus plenum, imò etiam floribus, vereor vt affectus tibi imposuerit, qui te fecerit videre in alienis operibus, quod vident in tuis qui tua vident; vt ex toto deinceps falli non possis floribus volo hanc Epistolam redimire, flores hic appendo, qui dum scribo verborum flosculos nihili pendo, & nisi aliquid excidat, aut sub calamo nascatur, à mea penitus scriptione exulant. Habe doctrinę flos hęc pauca quæ de floribus notabam vt verus aliquo sensu audeas eum dicis, me scripta mea floribus adspersisse; sed quinam sint hiemis fructus prius explico.

LIbros ac sermones hyemis fructus dictos obseruo. Sanctus Basilius Epist. 172. *Quemadmodum*, inquit, *maturitas rerum ita habet vt quæq; suis temporibus colligantur vere flores, æstate spica, autumno poma; ita &* HYEMIS FRVCTVS SVNT SERMONES.

451 Hyemis fructus sermonesq; libri, & sermones sunt; cauendum igitur ne illi, ne isti dictionem habeant, quæ florida tota, nihil fructus habeat. Placet Plutatchi mens, cuius verba huc aduoco tract. de auditione. *Oportet copia, & varietate dictionis remota, ipsum persequi* FRVCTVM, *imitariq; non eas qua serta plectunt mulierculas, sed apes. Illæ enim florida, & odorata sectantes folia conserunt ac equè pertexunt opus iucundum quidem illud: sed in diem duntaxat durans, atq; in frugiferum: hæ sæpenumero prata peruolitantes violarum, rosarum hyacinthorumq; copia consita in Thymum asperrimum atq; gustus acerrimi deferuntur, eoq; adsident mel meditantes flauum: percepto quo vtili succo ad suum reuolant opus. Eo itaq; debet sincerus artisq; studiosus auditor omittere florida, & Luxuriosa verba, resq; ad actiones scenicas aut spectacula pertinentes, eaq; putare pro pabulo ficorum sophisticem ambientium, animo autem in ipsos orationis sensus penetrare intentionemq; dicentis, & quod vtile est atq, commodum ad se trahere, memoria tenens non in theatrum se aut odeum, sed in Schola ludumq; litterarum venisse, vt oratione vita corrigat, à litterarijs floribus ac pulchriores solidioresq; calamum flectere.*

452 Reperio in Ecclesiæ hotto martyres rosis pariatos, virgines lilijs, hederis coniuges, violis viduas. Sanctus Augustinus serm. 37. de diuersis: *Habet* HORTVS *ille dominicus non solum Rosas martyrum, sed & Lilia Virginum & coniugatorum hederas, violasque viduarum. Prorsus nullum genus hominum de sua vocatione desperet, pro omnibus passus est Christus* Ad naturales flores etiam eo.

Flores in Ægypto minimè adotati fuisse perhibentur, rem & causam affert Plinius lib. 21. cap. 7. *In Aegypto tamen* MINIME ADORATI FLORES *quia nebulosus & roscidus aer est à Nilo flumine quorundam suauitati grauitas inest.*

Hoc singulare tamen in Ægypto erat, cum alia germina odoribus carerent, myrtus mira suauitate esset prædita. Theophrastus de causis plantarum lib. 4. cap. 27. *Sed mirabilius quod de myrtis Aegyptijs fertur. Quanquam enim cætera inodorata penitus sint,* ILLÆ TAMEN ODORIS SVAVITATE EXCELLVNT: *neque obstat quod siccitas calidaque, cæteraque ferè quæ sensus percipit non minus in quibusdam ex reliquis, sed magis insunt.* Idem habet idem Auctor lib. 7. cap. 7. vbi de aromatis, rosis,

ſis, violis, ita ſcribit. *In Aegypto cætera quidem omnia ſine odore floreque etiam aromata dicta ſentientur,* MVRTI VERO MIRVM IN MODVM ODORATÆ ASSVRGVNT. *Prouenire ante hæc noſtra & roſas, & violas, & reliquos flores tractus illius etiam binis menſibus pluſq; durare, haud hoc breuiori tempore aiunt.* Hactenus iſte auctor, Iſtue idem Plinius habet lib. 21. cap. XI. *Diximus, & terram referre plurimum, nam in Aegypto ſinè odore hæc omnia, tantumq;* MYRTIS ODOR PRÆCIPVVS.

453 Cur odorem pleræq; arbores emittant non emittant animalia docet Theophraſtus lib. 4. de cauſis plantarum cap. 24. vbi hæc ad verbum habet. *Huic ſane proxima, & eadem fere cauſa eſt: quamobrem in arboribus, & ad ſummum in genere plantarum* ODORATA *comperiri permulta poſſint:* ANIMAL NVLLVM PENITVS ODORATVM *ſit niſi pardalim dixeris belluis bene olere, vt dictum iam eſt. Genus etenim animalium ſiccum, & calidum ſuapte natura eſt. Itaq; halitus eius tenuior atq; purior. Plantæ plus habent humoris, & plus materiæ (vt ita dixerim) extant ideoq; halitum quoq; earum talem eſſe neceſſarium. Præterea alimentum ſimplex plantarum eſt, nec quicquam ſuperuacuum habet, animalium varium eſt multaq; habent ſuperuacua,* Vt vel hinc colligatur, quam commendabile ſit alimentum, quod à ſuperfluitate abeſt, certè vt aereum non emittat odorem ſimplicitatis amatrix abſtinentia, emittit ſpiritualem, qui Angelorum deiq; vt ita loquar naribus eſt gratiſſimus, vt verus ille fuerit qui dixit. *A crapula & ebrietate tetri vapores emittuntur, Abſtinentia & ieiunium* SVAVEM EMITTIT ODOREM *cælo gratum.*

454 Viperæ morſus alicubi non lethalis eſt veneniq; timore caret quod cibis odoratis viperę paſcantur. Notabat hoc cœlius Rhodiginus lectionum antiquarum lib. 18. cap. 35. de ritibus Arabum loquens. *Quod ſi quem forte mordicus apprehenderint, fit vulnus, perinde ac ferro illatum, ſed veneni timor nullus: quando* CIBIS PASTI ODORATIS *viperæ virulentiam lethalem alius mitiore permutant poteſtate. Inſignem quippe veneni molliendi vel accendendi vim habent alimenta.* Rem ad homines transfero; ſint alioquin homines viperæ & viperarum genimina, morſus eorum à veneno deberent eſſe immunes quia Euchariſtiæ Sacramento paſcuntur.

Talis eſt peccati fœtor vt nullo florum odore, fragrantia nulla, comprimi poſſit niſi Dei gratia adſit, quæ illud tollat. Benè Oleaſter in cap. 5. Leuitici. *Tum horribile, & fœtidum peccatum eſt, vt quibuſcumq; illud* ODORIBVS MISCEAS; AVT RESPERGAS FOETOREM NON PERDAT. Plura de floribus, de odoribus & vere admiranda in opere habebis, quod de Chriſtiani Orbis admirandis inſcripſi, pauca iſta, & inſtituto meo ſatis erunt, & reſtando meo in re cultui, quem floribus perenniorem futurum ſcito.



Reuerendo Patri D.

ALEXANDRO PORRO

Clerico Regulari.

Epiſt. XCIX. Comum.

In Vrbis ſpectaculis ſacrorum tractatorum mos.

IMbecillitatem meam prodo, imperitiam meam produco: offero tibi, 455
quod, tibi vt parerem, peperi. Peritiæ laude carens, non careo promptæ parentiæ. Laudem omnem ad imperium tuum contempſiſſe, laudi dabitur. De B. Iuliana pauca hæc exaraui, quæ ad te tranſmitto. Tu vide, an digna ſint, quę ab alijs videantur. Ego aliunt iudicem nollem, quàm illum, qui in me imperium exercuit, vt in imperantem reſilirent parentiæ lapſus. Tu te tanquàm ſcutum oppone, qui id muneris imbecillitati meæ impoſuiſti. Vt obedientiæ limites porrigerem, tàm anguſtis terminis clauſi, quæ de tantâ virgine exprimenda iniunxeras. Nolo plura in mei excuſationem dare, præſertìm cùm mei muneris ſit laudare virginem, non virginis laudis prætextu laudem meam venari.

I.

Pietatis hic illicium habes.
Pius huc veniat, vt amplius ſit;
Non pius, eſſe vt incipiat, quod non eſt, 456
Sancta Iulianæ Virginis, & Martyris
Solennia celebrantur.
Auguſtiora erant, erunt lætiora,
Si ſpectator omnis fiat Imitator.
Spectarunt huc, qui hæc ſpectanda
Clerici Regulares
Exhibuere.

II.

Quàm benè, quàm iuſtè
Quæ virtutibus, quæ Deo nupſerat,
Homini iungi noluit.
Qui bonitati, qui iuſtitiæ repudium dederat,
Patrem hoſtem habuit, matrem verò nouercam.
Dei contemptores contempſit Virgo;
Contemnenda ipſa, niſi ipſos contempſiſſet.

Quæ

III.

Quæ ſuos, quæ ſe vicerat,
Satanicum etiam hoſtem vicit.
Sed (quod eſt magès mirum)
Catenâ illius collo iniectâ
Per vrbem mancipium ſuum Virgo duxit.
Vt in ſuî ludibrium circuiret,
Qui ſolet in aliorum fraudem.

IV.

Beata Iuliana;
Ebullienti olla impoſita
Nil læſa exiuit.
Nimirùm,
Iniquitatem vt aquam neſcia bibere;
Aqua æſtuantis vim non ſenſit.
Veritaq; eſt aqua Deum reueritam.

V.

457 *B. Iuliana capillis ſuſpenſa*
Sponſi ſui cor sic potuit crine vulnerare.
Rota imponitur, quæ in Dei obſequium
Vt rota voluebatur;
Fortunæq; rotam irridebat & fortunarum.
Abſciſſo capite viuere hic deſijt.
Fidem mortuam hôc minùs habuit,
Quò magis conſtat mortuam eam eſſe pro fide.

Hæc ſunt, quæ de Beatâ hac Virgine explicanda duxiſti & indixiſti. Sed tu quoq; litterariā tibi appendicem habe, vt ſaltèm ab hoc capite non adeò leuis ſcriptio iſta ſit. Licèt, quod à meo calamo eſt, ponderis aliquid adijcere alicui vix poſſit. Verùm ego non tàm mea exhibeo quàm aliena, à me tamen obſeruata, & in obſeruantiæ ſignum chartis illita, & litteris in amicitiæ fomentum cuſis adiecta.

458 Olim cùm in vrbe ſpectacula aliqua agerentur, aut vanitate aliquâ Mundi homines detinerentur, ſolebant ſacri tractatores longiorem habere ad populum ſermonem, vt interim vanitatis illius ſpectandæ tempus elaberetur. Certè, iſtuc feciſſe S. Auguſtinum, ex eius verbis colligo: nam tract. 7. in Ioann. cùm initio dixiſſet: *Iſte dies, qui latus perditis hodiè in iſtâ ciuitate, crás vtiq; non erit; nec ydem ipſi crás hoc erunt, quod hodiè ſunt; & tranſeunt omnia, & euolant omnia, & ſicùt fumus euaneſcunt.* Abſoluto tandèm ſermone, in eius calce ſubijcit, tractatùs prolixitatem excuſans: *Etsi aliqvanto vos divtivs tenvimvs, consilii fvit, vt importvnæ horæ transierit. Arbitramvr iam illos peregisse vanitatem svam. Nos autem, fratres, quoniam paſti ſumus epulis ſalutaribus, quæ reſtant, agamus; vt diem Dominicum ſolenniter impleamus in gaudijs ſpiritualibus, & comparemus gaudia veritatis cum gaudijs vanitatis. Et ſi horremus, doleamus: ſi dolemus, oremus: ſi oramus, exaudiemur: ſi exaudimur, & illos lucramur.* Sed alium etiam morem habe.

Iidem ſacri tractatores feſti diei causâ ab aſpe-
459 riori in vitia reprehenſione ſe abſtinere dicebant.
Sanctus Gregorius Nazianz. Orat. 6. ità loquitur: *Quid palea cum tritico? quid carnis voluptates cum Martyrum certaminibus? Illa theatris congruunt, hæc meis conuentibus: illa libidinoſis, hæc caſtitatis, & temperantiæ ſtudioſis: illa carni addictis, hæc ijs, qui corporis vinculis ſoluuntur. Deinde geſtit quidem animus audaciùs aliquid proferre:* Sed diei hvivs reverentia cohibeor, ne qvid infesti avt asperi dicam. *Ceterùm (vt mitiùs loquar) haudquaquàm hæc à vobis Martyres expoſcunt.*

Eodèm etiam ſpectat S. Bernardus ſerm. 3. in Epiph. Dom. vbi ait in præcipuis ſolennitatibus ſolennitatis potiùs rationem explicandam, quàm contra vitia ſæuiendum, pungendos peccatores. Hæc illius verba ſunt: *Neceſſarium nobis videtur, fratres, iuxta ceterarum ſolennitatum conſuetudinem, etiam ſolemnitatis hodiernæ vobis exponere rationem. Interdùm enim contra vitia loquimur, & genus illud ſermonis perutile:* Sed diebvs cæteris videtvr opportvnivs convenire. *Feſtiuis autem & maximè in præcipuis ſolemnitatibus magis circa ea, quæ ſolennitatis ſunt, immorandum videtur; vt pariter, & erudiatur animus, & excitetur affectus. Quomodo enim celebrabitis, quod neſcitis? aut quomodò ſcietis, niſi annuncietur vobis?*

Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ.

COZZÆ COTTIO
Canonico Veronenſi.

Epiſt. C. Veronam.

Veri Epiſcopi vera forma, hoc eſt Ioannis Matthæi Giberti imago alieno penicillo exhibita.

Verè ita eſt. In te affectus nec in mortuos amicos mori poteſt; obierint illi, hic tamen in te viuit; ab eius calore eſt, vt cures, mortuorum labores ne pereant, ſed in viuentium vtilitatem, ac guſtum, in eorum, qui fuerunt, gloriam honoremq; prodeant. Alienos teſtes non aduoco, ipſe mihi teſtis, & alijs ſum. Te ſumma diligentia, & induſtria Franciſci Polæ conterranei noſtri, ſcripta nonnulla (omnia non potuiſti) ab interitu, qui illis imminebat vindicaſſe; notum ferè illis eſt, quibus tu notus. Tuus in amicum cultus hic non ſiſtit, præſtare id ſtudes, quod erat ipſe præſtaturus, ſi vixiſſet. Inſcriptionum opus ad antiquarum regulam formatarum editioni Pola parauerat, eius mentem euertit, quæ eum euertit, mors. Tu edi curas, & è re tanti viri putas, ego puto è re mea futurum, ſi cum meis reculis edantur. Pondus, & lucem ſcriptis meis addita addent auctoris huius opera, quę magni etiam à magnis, & probę notæ viris fiunt. Ab eodem 460

dem tuo affectu, ab eadem tua diligentia fuit, quod Onuphrij Panuinij pariter conterranei nostri Veronenses antiquitates lucem videant, non facilè visurę nisi tu omnes obices aut sustulisses, aut superasses. Auxiliarem ego quoq; manum admoui, sed omne quòd pręstiti, si calorem in his rebus tuum specto, fuit nihil. Et verò quia non soleo nudas mittere litteras in te quoque solemne meum seruo, & quod Epistolæ alligo ad te adlego; funebrem scilicet orationem, quam habuit in obitu Ioannis Matthæi Giberti doctissimus vir Adamus Fumanus Canonicus Veronensis, quæ in tenebris hucusq; latuit luce dignissima. Si laudatorem specto, & laudatum vix alicui aptius offerri poterat, quam tibi, quum & ille ex tuo cœtu fuerit, & iste illius fuerit sedis Anstistes, in qua tu post primum tam pręcipuum locum tenes. Quod verò tibi vni inscriptum eo, gratiam à multis initurum spero. Obijt magnus iste Pręsul die trigesimo Mensis Decembris Anno M D XLIII. hora decima sexta. Oratio verò habita fuit in Cathedrali Ecclesia die secunda Ianuarij M D XLIV. quæ omnia ipsi orationi ipse orationis auctor præmisit, vt videre est in codice manuscripto; sed rem ipsam exhibeo, gratissimam sperans tibi futuram; si quid aliud interim cura mea venabitur tuum erit, vt & qui ista pollicetur. Sic igitur liber manu exaratus, quem apud me habeo, habet.

ORATIO FVNEBRIS



461 *ICCINE tu ò magne serue Dei, quas viuens innumerabiles tributas tibi vndiq; ab alienis laudes æquis nunquam auribus audiuisti, ex innumerabilibus ijs ne vita quidem functus aliquas hinc dici tibi à tuis æquo animo patiere? Ita ne vsq; adeo præter seuerissimè à te petitam funerius à nobis negatam, tam nullam tibi tanto tui funeris pompam agi tecum optares demisse, vt hic etiam in parte a pietate nos in te nostra velles descissere? Quodq; tu, nisi ijs quibus id minus deberetur, esset tributum, acerrime grauissimus fueras censor reprehensurus, id si tibi, cui vni maxime omnium debemus, tributum erit indignabere? At non ita tu nos instituisti Pater; Quamobrem veniam tu quidem dabis nobis si quapiè seruare nos in alios eras iussurus hac in te præcipuè pietatis nobis magistrum seruamus. Verum enim, Auditores, si quantum ego esse in me sentio doloris, ex diuini huius viri acerbissimo nobis, sibi autem ex rebus praclarissimè ab ipso in vita gestis plurimis, maturo satis iampridem obitu, tantundem etiam esse mihi facultatis ad dicendum sentirem, spes quoq; mihi esset profecto me in hac suscepta à me hodie ex infinita pene earum multitudine breui quarundam eius laudum commemoratione, & pietati in illum mea, & vestra, multorum de nonnulla fortasse mea dicendi peritia expectationi satisfacturum; Quem præter cætera de rerum etiam humanarum imbecillitate fortiter disserentem, afflictosq; hoc grauissimo casu animos vestros ad melioris vitæ ac rerum cogitationem spemq; erigentem, aliquam fortasse oratione mea dolori vestro allaturum consolationem putatis. Verum quum, & ad dicendum facultas mihi vel nulla prorsus, vel per quam exigua semper fuerit, eaq; in hoc aperta palestra genere nunquam exercitata, metuo magnopere, ne qui persequendis diuinis, optimi de nobis meriti antistitis laudibus pius videri studeo, vt partim ingenij mei culpa deterendis, sermonis ruditate impolite explicandis pietatis officio præpostere vsus videar fuisse. Neue de rerum humanarum imbecillitate disputans, ipse maxime imbecillis, & cæteris consolationem cupiens afferre, consolatione ipse maximè videar indigere. Quocirca etiam prouinciam hanc, qua multis partibus inferiorem esse me probè intelligerem, alteri totam facile eram cessurus, nisi ex amicis aliquos tacita, me quoq; multorum ex vobis flagitatione vestraq; adeo in primis apsrta Ecclesia ac ciuitatis nostra primores ad eam vocari contenderent, ipsiq; verecundantem cunctantemq; suis hortationibus incitarent. Quod huiuscemodi de præclaris magni huius Antistitis laudibus dicendi munus à nemine iustius dicerent exspectari, quam ab eo qui eius beneficio magnam ætatis suæ partem in litterarum boneq; dicendi studijs si non posuisset, ponere certè potuisset. Quamq; vt hoc etiam facilius onus subirem, ea me impulit mens quod orationis meæ qualiscunq; illa tandem esset futura, exitum spe mihi illum proponebam quem summe desiderassem. Nam siue & voluissem, commode essem locutus, præclare actum esse mecum putassem, qui excellentes summi Antistitis laudes dicendo assequi potuissem, sin id quod prorsus mihi euenturum prouidebam talem virum laudare, conanti dicentem me in tanti argumenti dignitate ac magnitudine ornamenta, viresq; defecissent; nihilominus hac quoq; ratione maximas me eas esse demonstraturum confidebam, vt quæ ab homine nec rudi in dicendo ab omnibus habito prorsus, nec qui non id magnopere voluisset, haud quamq; explicari commode potuissent. Verum enim ne in tam vberi rerum summa cum laude ab ipso gestarum copia, quæ & propter earum multitudinem, & temporis quibus nunc vt video vrgemur angustijs necessario nobis in oratione nostra strictim percurrenda erunt potius quam amplè commemoranda ipso diutius exordio vos teneam, ad eas beneuole me (vt facitis) iam iam aggressurum attendite.*

Quanquam ex ijs ipsis illas tantummodo attingere 462
animus est, quæ & præcipua sunt, & in quarum percensione quod ea nobis notissima sint, fingendi mihi apud nos locus omnino nullus esse non possit. Igitur non hic ea solum omittam, quæ vbi id res patitur & commode fieri potest honeste in omnibus ferè laudationum initijs adhiberi solita sunt, atq; in huius nostra haud scio an honestissime potuissent patria videlicet illius veterem nobilitatem, generis in ampla ciuitate Reiq; publica honestatem Patris Franchi Giberti cognitam in Romana Vrbe egregiam industriam, atq; apud Pontificem Iulium, gratiam eximiam illustresq; toto oriente peregrinationes, & insignes Reipublica suæ classium præfecturas, admirabilem videlicet in pueritia sancte ac fouere educata ad maxima ac splendidissima quaq; ingenij indolem oris speciem ac totius corporis cum pari pudicitia coniunctam, totamq; adolescentiam in assidua laborum patientia firmatam, ac clarissima hominum luce summa semper cum laude versatam singulare apud tres deinceps Summos Pon-

tifices

tificet aliosq; Europæ Reges complures in vix dum iuuenili ætate, & authoritatem, & gratiam, resq; ab eo quamdiu Summi Sacerdotalis Imperij gubernaculis assedit, cum Romæ tum foris magnificentissimè in omni virtutũ genere gestas, quæ ille omnia, ex quo clarior ei lux veritatis affulsit, tanquam in splendore quodam forensi posita, neq; ad solidam veræ pietatis laudem pertinentia quam vnicam ille postea assiduè constanti iudicio in Christiani hominis laudibus duxit, magnopere semper contempsit leuissimaq; vir omnium grauissimus habuit; ergo & hæc omittemus, quæ vt summè alijs essent illustria tamen nec in suis ipse numerari laudibus velit, nec nos nostramq; ciuitatem vtilitate sua priuatim quicquam attingunt, atq; ad illa properabimus, quæ & minus ægre forsitan dici de se ipse patiatur, & apud nos nostri causa potissimum omni pietate plena vir omni pietate plenissimus gessit. Quæro igitur ex vobis ex quo hic vir diuinitus missus ad nos Antistes est ecquod proprium vllum veri alicuius Ecclesiæ Antistitis munus est, quod non egregie ille nobis præstiterit. Meministis enim, opinor, meministis quam densis ante eius ad nos aduentum vepribus horridisq; dumetis Dei apud vos vinea obsita teneretur, quamq; vbiq; dominicus ager sentibus plenus squalleret. Videtis autem nunc, videtis, neq; vos solum videtis, sed longinquæ etiam summa cum admiratione exteræ audiunt nationes, quemadmodum incredibili eius sapientia, assiduaq; diligentia, ac laboribus, addo etiam periculis, quæ ad religionis nostræ cultum pertinent, omnia hic sint diligenter purgata, ac desiderata olim (quantum in ipso fuit) pijs omnibus nitori restituta, quippe enim vir Sanctissimus summaq; animi præditus magnitudine vbi delatum sibi Sacrosanctum summi huius Ecclesiæ Sacerdotij munus vidit, non vt pleriq; oblatam sibi ad inertiam ac turpe ocium occasionem, ratus, sed ad eam quam in Deum semper habuisset pietatem declarandam, facultatem, omnes confestim ingenij sui neruos in eam vnam cogitationem intendit, vt quam homine amico Clementi VII. Pontifici maximo fidem per multos annos in eius rebus constantissimè integerrimum vsq; ad perspicuum mortis periculum seruarat, eandem ac si posset maiorem multo summo Deo in hoc delato sibi munere administrando conseruaret. Igitur quod ad hoc maiorem quandam rerum diuinarum cognitionem, quam multiplicibus ac varijs superioris vitæ negotijs distractus, summè cupiens assequi nunquam potuerat necessariam in primis esse sibi animaduertebat, ita breui magna ingenij bonitate acerrimo studio ac frequenti eruditorum aliquot consuetudine, sed ope in primis Diuina, sine qua omnes ille omnium conatus in huiusmodi rebus præsertim inanes semper iudicauit, sed ita in eâ profecit vt quamplurimis qui ætatem suam totam in librorum Sanctorum lectione contriuisset, nequaquam inferior multis etiam superior haberetur; neq; enim è putridis barbarorum multorum recentium lacunis perplexisq; atq; omni exitu carentibus quæstionibus, hauriendã sibi sacrarum rerum arcana vir acri iudicio censuit, sed è viuis Græcorum ac Latinorum veterum fontibus quorum purissima doctrina certisq; & ad munus suum apte pertinentibus præceptis perfusus veluti illius animus, ac detersa naturali omnibus hominibus illarum rerum inscientiæ rubigine notionem illam concepit, quæ assiduè sibi ab oculos posita eam veri boniq; nobis Antistitis effigiem expressit quam intuentes, non magnopere illorum veteris memoriæ illustrium virorum virtutes desiderauimus. Quæ enim vlla vnquam in vllo ipsorum paulo insignior virtus fuit, quæ non in hoc multo splendidior eluxerit, multas vero quibus illi (pace ipsorum dixerim) caruere quis in hoc vnquam (sano modo iudicio) desiderauit cuius nimirum tota ab initio vsq; ad exitum vita nihil aliud quam concinnus atq; chorus vt continens virtutum omnium corona fuit.

Etenim si sapientiam illorum admirari solemus 463
vt infinitam quandam rerum memoria dignarum in eo cognitionem omittam, quæ quotiescunq; opportunus de ijs differendi locus incideret, magnam illi apud audientes omnes admirationem pariebat, vt exquisitissimum etiam eius omnibus in rebus iudicium taceam quæ quæso Beseleelis Salomonisue vlla tanta in condenda arca templove exædificando sapientia fuit, quam non in Ecclesia nostra reparanda multis hic partibus superarit? non enim (vt facere videmus plerosq;) nimis crasso meo iudicio de rebus statuentes, veram ille Ecclesiam, aut verum Ecclesiæ decus in lecta materia, aut rectis ac firmis parietum structuris, columnisue, vel nostro, vel peregrino marmore fabrefactis tectisue superbe laqueatis cæterisq; eiusmodi rebus consistere iudicabat, sed concordi hominum cœtu suum in summum Deum amorem, spemq; ac fiduciam collocanti ac certa sacrorum rituum lege circumsepto honestaq; sanctorum disciplina morum exculto. Atq; vt eam, quam & vulgo ita appellamus & oculis cernimus, & in quam frequentes hodie conuenimus, ac nunc etiam sumus, preciosis cuiusq; generis (vt videtis ac scitis) donarijs instruxerit atq; adornarit, multo tamen maiorem animi curam ad eam ornandam adhibuit, quæ exculta maiorem se à Deo suo initurum gratiam sciebat. Cæterum quod ad hoc facilius consequendum magnum in eo esse sibi situm momentum videbat, si Sacerdotij sui administros viros, & vitæ integritate, & rerum sacrarum cognitione præstantes haberet, quando vix fieri posset vt qui nec bonus esset ipse nec doctus ijs quibus ducendis ac docendis præesset, viam, quam nec insisteret ipse nec nosset ostenderet. Ita aliam confestim omnem animo ac mente perlustrat, virosq; vndecunq; quos potest, & bonitate, & rerum sanctarum doctrina excellentes honorificis ad se propositis conditionibus accersit, accersitos consiliorum ac rerum gerendarum participes facit. Ex his partim domi alit, partim foris, alios Sacerdotijs minoribus præficit alios populari eloquentia præditos maioribus in vrbis Basilicis Christianæ Philosophiæ rudi populo è loco superiore Magistros proponit. Quos à se in acie instructos & strenuè aduersum Amalechitas pugnantes Moises ipse & præsentia sua animat, & sublatis in altum manibus vt victores ab hostibus redeant facit.

Bonos quos reperit complures, pluresq; sua ipse diligentia excitauit, comiter ijs atq; humanè tractandis, ac plerisq; vt cuiq; magis esse opus videbat, à necessitatibus vitæ subleuandis, confirmat, expeditioresq; ad res diuinas curandas facit.

Improbis quibusque sua displicere aliquando impro- 464
bitas posset, seipsum perfectissimum solidæ omnis generis pietatis exemplar exponit; Indoctis & tamen quæ ad officium suum pertinerent, volentibus discere magistros ad omnem vtilem ipsis doctrinam dat, perseuerare in flagitijs atque inscitia sua volentes acriter castigat, sacerdotijsque vt quæque deferendi ei vel occasio datur, vel facultas, ad alios longè vita, ac voluntate dissimiles, deferendis, vel excitat, vel irritat. His faciles ad se accessus præbet, illis non item quos ex ægrotantibus lenibus sanari posse medicamentis videt, ijs lenes adhibet medicinas quibus, paulò acrioribus esse opus perspicit, cum ijs acrioribus agit quibus medicamenta cuiusque generis nihil prodesse animaduertit, ijs ferrum adhibet, quibus verò nec vtilem esse ipsam ferri vim sentit, eos igne sanare contendit, quos postremo omnibus his ad sanitatem perducere se videt, non posse hos vt penitus desperatæ salutis, ne contagione sua reliquos sanos inficiant à grege suorum amandat. Ita præmijs idoneis dandis & pœnis in commeritos infligen-

figendis, quibus ille duabus rebus homines in officio atque hominum in vita societatem contineri, è sapientum scriptis acceperat, multoque magis è longinquo rerum maximarum administrandarum vsu didicerat, omnem Sacerdotum minorum ordinem; atque ex eorũ doctrina exemploq; ciuitatem penè vniuersam in eam formam redegit, quam proximis mensibus cum vidisses egregius & in rebus magnis versatus vir, qui ex Hispania profectus hac iter habuerat, nullam suo iudicio ad conuincendos præfractos hæreticorum recentium animos, vt Deum à nobis esse faterentur, rationem hac potiorem inueniri posse, passim prædicabat, quam si nostros eis mores institutaque instituenda licerect offerre. Cedo enim ecqua vbi vis gentium tàm benè morata hodiè ciuitas reperitur, vbi tanta in veneratione Summi Dei cultus, vtrique Dei cultores habeantur, vbi in Sacerdotibus, iisque qui sacris sunt initiati tanto in honore castitas corporis, animique multo magis? vbi suendæ ordinis sui dignitatis cura tàm diligens in incessu, in vestitu, in gestu, habituque corporis totius vbi Christianæ sapientiæ prima rudimenta tanta publicè à viris piis diligentia paruis tradantur, atque inculcentur, quippè apud nos quidem tenera ætate pueros, puellasque ea tenere, ac recitare videmus memoriter, quæ apud alios recitata annosi atque stultissimi alioqui senes vix intelligunt, neque hoc intra vrbem tantum, sed in vicis pagisque omnibus agri nostri totius passim cernimus factitari. Quæ porrò alia vlla in Christianis ciuitas est, vbi sacri Sanctarum Virginum conuentus melioribus legibus ad meliora sint instituta reuocati.

465 *Iam præclara illa summæ apud nos in sociûm charitatis argumenta quis non iure admiretur, apud quos proximis hisce annis solerti diligentissimi Antistitis cura, de diuina huius virtutis nomine nobilissimorum Ciuium amplissima illa conflata societas est, quæ non vt reliquæ simili de causa institutæ particulam ciuitatis aliquam vnam, aut ordinem ciuium aliquem vnum attingeret, sed vniuersam complexam ciuitatem quoscunque quibuscunque calamitatum generibus afflictos, largitione curaque publica subleuaret, quo in munere non illud modo spectatum est, vt corporum necessitati subueniretur, sed animorum multo magis; vbi verò alibi tàm multorum pupillorum, pupillarumque eorum inopia, qui infirmam illam ætatem regerent, atque ad vtile vitæ artificium aliquod instituerent, miserabiliter per vrbem errantium mendicantiumque tam clemens facta collectio, vbi porrò sanctior diligentiorue educatio. Vbi prostitutæ pudicitiæ fœminis, & ad meliorem se recipere frugem volentibus profugium datum tàm opportunum. Vbi virginibus quæ per scelus fraudemue suorum alienorumuè violata semel pudicitia, ob admissum dedecus à propinquis, ac domesticis pulsæ præcipites in omne deinceps libidinis flagitium erant ruituræ præsidium quo se confestim reciperent alibi vspiam inuentum tàm tutum.*

466 *Quæ omnia, ac multo plura, quæ nunc nos temporis breuitas numerare non sinit. Quis ante huius diuini viri ad nos aduentum nõ modo facta in ciuitate nostra, vidit, sed fieri vnquam omninò posse credidisset. In veteribus illis sanctarum litterarum commendatione illustribus viris summis feruntur iustitiæ laudibus Noe Daniel, Iob, porro autem iustitiæ illius documenta illa quanta sunt, tandem quòd in summa facultate maximarum opum cumulandarum vtilitatem suam visus est semper neglexisse alienaque assiduè seruasse, quot enim ille oblata sibi a potentissimis regibus optima sacerdotia recusauit, quot autem ipse non modo in hac ciuitate, sed cuncta penè Italia, finitimisque Italiæ regionibus repente viros bonos nihil tale non modo sperãtes, sed ne cogitantes quidem simili ratione locupletauit, Quos postremò iniquorum calumniis circumuentos, ac potentiorum vi appetitos, non modo opem suam non implorantes, sed ne implorare quidem, propter summam eius amplitudinem, suamque tenuitatem audentes, ipse vltrò patrocinio suo in rerum suarum possessionibus cõseruauit. Iam si laudata maximè in priscis illis Antistitibus erga egentes liberalitas est, vt ne innumerabiles ad collocandas tenuiorum ciuium Virgines collatas ab eo dotes enumerem, neue cognitos eatioris indolis adolescentulos in publicis academiis ad multos annos alitos commemorem; quis egenus ad eum vnquam accessit calamitatis suæ opem implorans, qui non miseriæ suæ solatium inde aliquod repertaris; vt nunc illos omittam quos in singulis totius vrbis vicis descriptos notatosque cum haberet, pudori suo magis, quam victus inopiæ consulentes liberalissimè vltrò modis omnibus iuuare solitus erat. Quæ autem Iosephi laus hoc in genere cum huius laudibus comparata, non meritò vilis habeatur, quippè quem premente aliquoties vrbem annonæ caritate, & compressa tenentibus frumenta, quam plurimis & miserorum ciuium fame ad nefarium quæstum abutentibus horrea sua prædæ propemodum populo scimus exposuisse, maioremque argenti atque auri vim ipsum vnum profudisse, quam ex vniuersa, nec tamen restrictissima in huiuscemodi temporibus ciuitate colligi potuisse admirati omnes obstupuimus, taceo hic (vnquam id nihil ad nos) quos in vltimis terris positos viros bonos indignè egentes, grandi, plerumque missa pecunia summa grauibus egestatis oneribus subleuarit, quod si in veteribus illis, & maximè Ecclesiarum moderatoribus laudi maximè data sobrietas est, & in victu, cultuq; corporis frugalitas, atq; modestia, quem ex omni annalium memoria Pontificem, tam verè sobrium, frugique ac modestum reperire poterimus: cui quidem noster hic meritò sic post habendus, qui in vrbe voluptatum omni genere abundanti, ipse copia rerum omnium abundantissimus, integerrima ætate, integerrimis sensibus ab omni non modo turpium, sed honestarum etiam voluptatum propemodum omni genere honesti, atque adeò nostri gratia semper abstinuit, quique non vt facere, aut fecisse videmus, plerosque, haud scio an mirabiliter ad vulgi opinionem, magis, quàm iudicio sapientum prudenter continentiam in immodica quadã corporis maceratione horridam in speciem vestitu consistere indicabat, sed in laudabili quadam potius moderatione, si videlicet neque crapulæ, luxuriæque quis indulgeret, & tamen quæ ad vitam tuendam, viresque ad necessaria honestaque vitæ munia obeunda necessarias sustentandas opus essent, corpori non subduceret, atque vt in vestibus pretium sectari minimè solitus esset, inimicum tamen sordibus in se suisque munditiem adamauit. Inter cætera quæ primis illis Antistitibus, à Paulo præcepta scimus fuisse, hoc esse videmus cum primis, vt domus illi suæ ritè scirent præesse. Rogo vos igitur, ecquã non modo vidistis, sed memorari vnquam audistis Antistitis alicuius familiam ex tàm diuersis non vrbibus solum, sed prouinciis etiam, naturali veluti odio plerumque inter se dissidentibus conflatam, in qua tam pulchrè omnibus inter omnes conueniret. Vbi disciplina tàm seuera, religio tàm pia, vita tàm sancta? Quæque erudita ad omnes egregias artes esset iuuentute florentior, aut instructa ad quæuis sana consilia senectute maturior. Verecundior sum hac in parte, ac multa prætereo ab aliis fortasse pleno ore commemoranda, atque à quibusdam etiam aliqua ex parte hactenus ex hoc ipso loco commemorata nedum de cæteris magnificè loquor de me quoque qui inter illos fuerim, parum modestè & sentire, & dicere videar voluisse.*

Atque si illud etiam nostris temporibus inque An- 467
tistitis munere est, locorum sacrorum religiosorumuè quibus ipse præsit, iura omnia perquirere, ac tenere, ædes sacræ ne ruant, atque vt idoneis ministris, reli-

quisq;

quisque necessarijs illis rebus instructa, apparataque
sint, prouidere. qui locus intra extraque vrbem est sacer
religiosusuè, cuius non iura ille omnia diligentissimè
peruestigasset, ac memoria alte defixa teneret, quod au-
tem sacellum tam non modo ab omni hominum frequē-
tia, sed penè etiam cognitione remotum, quod non
sartum ille tectum, sedulò habendum curarit idoneis-
que (quantum in ipso fuit) ministris & reliquis neces-
sarijs illis rebus omnibus apparatit. Itaque cum alijs in
locis plurimis passim (proh pudor) videre sit sacrorum
ministros inertes ac sordidos, templaque & quidem il-
la celeberrima, situ a pedore obsita, nudaque omnibus
non solum ornamentis, sed necessarijs etiam ad rem di-
uinam instrumentis florere, nos vbique ciuitatem no-
stram, agrumq́; nostrum sacerdotum fortium, ac mun-
dorum copia, templisque optimè instructis, ac decen-
tissime ornatis videmus, vt qui peregrè alicunde ad nos
accedunt, vel hoc ipso vno aspectu mirabiliter ad pie-
tatis cultum excitentur; quam multos enim putatis hac
intuentes hospites priuatos homines, virtutis huius stu-
dio magis hinc, quam cum huc ad nos venerant accen-
so discessisse, domesticarumque Ecclesiarum suarum
vicem vehementer doluisse, beatamque hanc nostram,
qua a tali tantoque Antistite regeretur, vbique depræ-
dicasse? quam multos vero, qui similiter ipsi quoque
Ecclesijs aliquibus praessent, viros bonos, sed non satis
ipsos per se, in tanta præsertim deprauatissimi sæculi
huius corruptela, sine aliorum exemplo fortes, huius
nominis gloria excitatos, vrgente etiam conscientia vi,
hinc ad Ecclesias suas ritè temperandas consilia sibi,
leges, exemplaque petijsse.
Age dum enim quo quo versum per vniuersam Ita-
68 *liam, Europamque mentis oculos circumducite, & ani-*
maduertite, qui verò in nostro Pontificali officio fungen-
tium Pontifices sint, & videte num aliunde, quam ex
hoc ipso vberrimo omnium istiusmodi laudum fonte
laus ista profluxerit (liceat enim mihi verè quod sen-
tio dicere) Is enim in magna rsus muneris, vel negli-
gentia, vel ignoratione omnibus ferè eiusdem cum eo
ordinis torpentibus, atque errantibus, ceteris præcla-
ram, velut ex præalta specula facem prætendit, cuius
splendore excitatos, ac lumen secutos incolumes multos
recta cursum ad portum cernimus tenuisse. Et si qui
adhuc arte æquare Tiphyn nouerit inuentus est nemo,
vt exemplo etiam multo magis Christianæ respublica,
quam ijs qua in Ecclesia sua priuatim gessit suis videa-
tur profuisse. Hinc illa rerum publicarum Princi-
pumque, ac Regum præclara de illo testimonia. Hinc
Pauli Tertij Pontificis multis merito nominibus maxi-
mi de eodem gloriosa iudicia, qui in decennali iam
Pontificatu nihil propemodum est aggressus, quod ve-
rum Pontificis summi munus propius attingeret, in
quo non eius potissimum, & consilio, & opera vti vo-
luerit: vt nunc laudes illas præteream, quas publicè
cum aliàs, tum proximis hisce diebus allato ad eum
falso de obitu eius rumore audiente ac summè ap-
probante iuncto vniuersa Ecclesia primorum Senatu
maximas illi ac plurimas tribuit, priuilegiaq; quæ
omnibus eiusdem cum eo ordinis fenere ac constanter
semper negata libens petenti concessit amplissima.
Iam si in magnis & res magnas gerentibus viris
non laudabilis solum sed necessaria etiam semper ha-
bita est fortitudo, atq; constantia, quem hoc diuino an
Viro an heroe fortiorem constantioremue vnquam An-
tistitem nostra ciuitas habuit, quem multa cuiusq; au-
ctoritate, nullis precibus, nullis minis, nullis quoti-
dianis prope vitæ maximis periculis ab recto, quem se-
mel instituerat, persequendi muneris sui cursu, potuisse
vnquam vidimus dimoueri. Mitto quæ de singulari-
bus his eius virtutibus commemorare hic cum alia
possem plurima tum Clementis VII. Pontificis Maxi-
mi scriptas ad hominem sæpe eius ipsius manu accu-

ratissimas litteras, Romam ipsum, è tot in quot hic
eam primis sui ad nos aduentus diebus audierat inci-
disse, & discriminibus, & probris ad summam se-
curitatem, honoresque amplissimos summis precibus
reuocantis. Mitto aliàs aliorum Regum eius patroci-
nio Romæ apud Pontificem indigentium, hoc idem
summopere ab eo contendentes, quarum ille auctorita-
tem suscepto à se certo consilio ac ratione officio, nun-
quam sibi anteponendam putauit. Mitto eadem vel
simili de causa susceptas ab eo plerumq; cum poten-
tissimis viris maximas atq; grauissimas simultates.
Vidistis vos anno superiore, vidistis cum compre- 469
hensis publicè Venetijs fœda proditionis auctoribus
hominibus, haud quaquam in ea Ciuitate obscurissi-
mis, ac studio perquirenderum, si qui essent reliqui
eius sceleris vel consilij vel participes, vniuersa illa
ciuitas arderet, tantumq; in illa ibi summa omnium
trepidatione impij ac sacrilegi vnius veteratoris ne-
pharie conficta calumnia valuisset, vt summi Reipub.
Venetæ magistratus reum vere atrocissimi criminis co-
gnitam per tot annos innocentiam vel suspicarentur
vel (id quod mihi magis fit verisimile) quo in com-
munis illo peruestigandi persequendiq; tam audacis fa-
cinoris totius Ciuitatis ardore diligentiam probarent
suam, suspicatos saltem se fingerent, sed ministris
quemadmodum à duobus tum illi amicissimis ciuitatis
nostra præfectis, id aliunde ipsis facere iussis repente
non perinde, vt mos erat eius Pontificalis dignitatis
habita ratione, accitus Venetiasq; se lectis veluti mi-
nacibus litteris ante suprema Potestatis Triumuiros
sistere iussus, pauentibus qui id audierant ceteris, ipse
non modo intrepido animo atq; tranquillo, sed hilari
etiam atq; iucundo triste illud bonis in ciuitate omni-
bus nuncium acceperit, quomodoq; suo interim rerum
gerendarum cursu non intermisso postridie eius diei
itineri se latus accinxerit; quo quidem tempore pari-
ter, & diuinam eius prudentiam, & Sanctissimæ
Reipub. illius miram, suiq; semper similem Magi-
stratuum moderationem æquitatemq; animaduertere
facile fuit, quippe cum, & is audita confestim aliquot
ante dies subita parricidarum illorum comprehensio-
ne, palàm audientibus quam plurimis, qui circum il-
lum eramus, sibillum illum eminus aduentantis ad-
uersum se procellæ videre se dixerit; prouidebat enim
vir prudentissimus fieri nullo modo posse quin multi-
pliciter conuenientibus in se licet innocentissimum cō-
iecturis tam exspectata hominum perfidia, tam mul-
tis ad se lædendum in insidijs positis maleuolis tam
diligenti in rebus ad summam imperij pertinentibus
republica orta in eos illius subita tempestatis vis se
aliqua si non prosterneret, at aliquatenus saltem
afflaret atq; perstringeret. Nec Magistratus illi ho-
minem ad se prius descendere iusserint, quam is ipse,
cuius vt illi essent negligentissimi interesse plurimum
videbatur, tacitus secum omissioris eos in re tanta ani-
mi accusarit atq; id aliquibus etiam audientibus dixe-
rit; Ceterum quum non deessent, & quidem ex inti-
mis eius amicis qui crebrescente magis ac magis etiam
in ipsa via rumore eos, qui illa eadem de causa modo
in custodiam ac vincula erant coniecti seuerissima de
ijs habita quæstione publicè interdiu medio foro inter
duas columnas, è patibulo fuisse strangulatos, tamq́;
magno rudis vulgi Venetijs clamore ad simile turpis-
simæ necis genus vocari; sed cum non deessent ad
fugam multorumq; eorumq́; illustrium virorū exem-
pla proponerent, qui in similis criminis suspicionem
adducti nequaquam satis firmum aduersus confictas
maleuolorum calumnias, inuidiamq; multorum apud
iustissimos etiam, plerumq; iudices præsidium inno-
centiam habuissent; non tantum ille salutis suæ ha-
bendam sibi rationem duxit, quia opinionis, quæ de
suatot annorum innocentia rebusque præclarissimè ge-

stis vbiq; apud omnes maxima esset, multo eam habendam sibi maiorem censuerit. Neq; id sui tantum causa vir grauissimus, & in illatis in se quotidie à procacibus maleuolis probris ferendis contemnendisque exercitatissimus, sed quod videbat, si fuga criminis tam atrocis suspicionem confirmasset, hoc vnico facto sua se superiorum annorum gesta omnia infamaturum, & qui vt exemplo vitæ omnibus prodesset, mirificè semper studuisset hac praua de se confirmata in animis hominum opinione plus obfuturum quam reliquis omnibus rectè factis profuisset, plurimis præsertim paratis obtrectatoribus, qui quæ ille pietatis ergò splendidè ante gessisset, ea nunc ex hac ipsa occasione simulationi facilius essent tributuri, quam virtuti vera antea tribuissent. Idq; eo tum magis quod pistilentis in vulgus quorundam ad quos visendos audiendosq; magni ex omnibus, ad quascunq; appulissent Italiæ totius ciuitatis concursus fieri soliti erant, simulatæ sanctitatis exitu, ita vbiq; nuper imperitæ multitudinis animos esse affectos videbat, vt si ipse quoq; tam capitalis fraudis affinis aliquatenus credi posset fuisse, neminem omnino ex omni hominum genere essent habituri, cui crederent, vanaq; ac ficta omnia existimari, non quæ ab ijs modo quos ipsi vidissent audissentue, aut dicta pietatis nostræ causa essent aut facta, sed quæ ij etiam de quibus memoriam acceperant viros eos sine dubio fuisse sanctissimos, scripta eadem de re posteris tradidissent.

470 Hac illo cogitatione armatus, suaq; conscientia præsidio fretus nequaquam id, quod multorum iudicio, non modo legitimè, sed magna etiam cum prudentiæ laude facere poterat, ad frementis odio aduersum se numerosissimi populi ciuitatisq; potentissimæ inuidiam impetumq; declinandum, conuerso itinere Pontificem appellat, sed alacer ad seuerissimi Magistratus conspectum properat, à quo longe dissimili de causa placidè accitos viros, nihilominus vt ipse erat innocentissimos solo eorum nomine conterritos trepide aliquando scimus fugam arripuisse.

At credo hac animi præsentia vsus tantum principio atq; in ipso itinere est, postea vero vbi ad eos admissus periculi magnitudinem considerare propius cœpit, vehementer expauit. Immo vero tum vel maximè quasi liberum testificanda innocentia suæ campum nactus, suspensis ancipitis euentus expectatione omnium foris stantiam animis, quod essent, qui nequaquam exiturum inde eum amplius crederent ita intrepidus, illos tantam in tam exiguo illo corpore animi magnitudinem admirantes allocutus est, vt iudicem eum formidabilis cæteris magistratus diceret, non reum, pauloq; post eodem vultu exeuntem viderint omnes, quasi introeuntem ante animaduerterant. Quid cum postea ante præcipuos nobis illius Senatores, principesq; reipub. viros aliquoties ad colloquium verius quam ad dicendam causam esset admissus, nec tam celerem, vt volebat vir acer ab ijs sapienter omnia ac pedetentim ponderantibus aliorum magis causa quam illius maturo iudicio reditum impetrasset, nonnisi postremo adhibita ad eam qua hactenus vsus erat modestiam singularem, magnifica illa peculiari eius acriq; dicendi libertate atq; omnibus suis superiorum annorum in Rempublicam illam beneuolentiæ signis meritisq; explicatis; ita demum terribilibus grandis eloquentiæ fulguribus, tonitruis, fulminibusq; purpuratorum illorum animos cœpit, ac miscuit, atq; in Summi sui amorem atq; admirationem attraxit, vt honorifica facta illi ab omnibus consurrectione certatim cuncti pro se quisq; citato, cum orationis impetu torrentem leuiro aggressi sint, iuitoq; confestim ea ipsa die inter se consilio honorificentissimo abs se decreto dimiserint, eamque perpetuo deinceps de sincera eius in se fide ac virtute opinionem habuerint, quam postea vbicumque res tulit, publicis, & vocibus & scriptis testatam relinquere non dubitarint. Eum autem tum ad Ecclesiam suam redeuntem qui bonus videns teuere præ lætitia lacbrymas potuit? quo tempore etiam vt certissimum fauentis ei Cœli argumentum animaduersum notatumque ab omnibus illud est, quod quo die in vrbem rediens introiuit, post fœdissimas plurimorum dierum tempestates purissima repente serenitas apparuit. Et hac igitur vidistis, & illam præterea quam septimum iam mensem cubans, postremam ad vos orationem habuit, audistis ò qui Ecclesiæ ciuitatique huic merito vestro maximo præsidetis, non tam testem certissimum perpetuæ suę erga vos voluntatis, quam indicem animi excelsi atque magnifici, cùm videlicet vicinæ iam morti latus occurrens atque extrema singulis mandata dans siccis ipse oculis lacbrymas vobis omnibus excussit. At vt sapientissimus ille, iustissimusque ac largissimus fuerit vt regendis etiam prudentia nemini cesserit, continentiaque superiorem nullum habuerit, ac fortissimos quosuis sui ordinis fortitudine constantiaque superarit, in castigando tamen, si quis peccarat paulò erat incitatior, in quos incitatior? nonne in eos quibus inutilem sæpe verborum lenitatem erat expertus. At flagitia acrius aliquantò vindicabat, metuebam ne rectè facta diceret, sed cur ista eadem ratione leges etiam non damnamus, quod in sontes illa grauioribus, plerumque supplicijs animaduersant. Quòd si Ciuitatum salutem illis acceptam ferimus, diuinisque eas laudibus solemus offerre, quis est qui ab illarum præscriptis nusquam discedentem damnare audeat omninò, nisi qui eam inanem stultus clementiæ laudem aucupatur, callidè suis ipse & aliorum patrocinari flagitijs vult.

At in quotidiano conuictu seuerior erat aliquantò, ac minimè blandus, scilicet credo accusandus est Leo, 471 quòd ludicros simiarum saltus non imitatur, potiusque generosam natura sua maiestatem (vt ita dicam) stataria corporis motione meatur, aut magister gentium Paulus reprehendendus, qui inter Antistitis virtutes, hanc etiam quod ridiculus esset, numerare nescierit. Quamquam si illud etiam quod hoc in genere esse laudabile potest, quærimus, quis eo quando id vt fieret ratio tempus admonuissent in familiaribus colloquijs festiuior, quis in iocando argutior atque concinnior cuiusnè dicta tam lepida, tam faceta, tam salsa? Et quando sunt qui maiorem quandam natura se se ad omnium ingenia accommodatis agilitatem veluti in eo videntur desiderasse, quis eo vnquam cum magnis maior, cum mediocribus moderatior, cum infirmis demissior? quis cum omnibus vt Christo omnes coniungeret magis omnia. At qui sunt etiam quos eum vt fastidio elatum homines ipsos fastidiosissimos, ac commune plane sensu carentes notare non puduerit quem ad rusticani, ac rustici hominis nimio plus in remittenda aduersario iniuria duri animos molliendos atque placandos, deposita omni Pontificalis in speciem dignitatis cura, quam in eo positam esse certissimè ipse sibi persuaserat, si humilem Christi magni Pontificis animum esset imitatus ad illius genua (quando frustrà omnia alia tentarat,) supplicem se abiecisse quamplurimi viderint, tamdiuque adhæsisse quoad pacem ab eo hosti impetrauerit. Notissimum nunc demississimi eius animi signum illud omittam, quod vt filios vestros erudiret Vir amplissimus, atque vniuerso orbi merito admirabilis, perinde ac si Theologus vnus esset, de multis domi sua priuatim eos res sacras docendi munus vt rem amplitudini suæ contrariam suscipere aliquando non est veritus, quamquam quid mirum sit, ad hac illum descendisse, qui vt priuatus penè in vrbe priuata viueret, suapte se spontè in medio ipso honorum cursu, maximis se quos habebat honoribus spoliarit, maioribusque quos si voluisset habere, facillimè potuisset,

sei,

set, subduxerit, seque ipsum adeò vtilitatis salutisque nostræ causa propemodum exinanuerit, vt Iesus meus, vt ne leuiora illa commemorem, quòd tam sæpè cum domesticis suis omnibus cœnitare solitus erat, sessitareq; cum lautioribus, ac colloquia serere iucundissima, quod profectò facere nunquam potuisset, si eo fuisset ingenio, quo isti eum videri volunt fuisse. Verùm isti opinor expolitam morum grauitatem, maiestatemque naturæ superbiam atque arrogantiam nominant, qui ista eadem ratione videntur mihi, & fortem audacem, & consideratum timidum, & iustum agrestem atque inhumanum appellaturi. Homines rerum imperiti, qui de finitimorum vitiorum nominibus virtutes appellant, & prauitate sua normæ rectitudinem peruersè audent dirigere. At animi iracundia in eo erat plerumque feruentior, quid si ego multos proferam & quidem veteris memoriæ viros laudatissimos, Deoque acceptissimos, quibus clementissimo alioqui præditis ingenio hoc quod iusta indignatione vehementius aliquando exarserint, eaque incitati cædes etiam maximas fecerint, clementiæ laudem non ademit.

472 *Quid si sapientes illos appellem qui vtiliter eam, vt fortitudinis cotem à natura nobis datam contendunt? Quid si illos item qui rationis satellitem, ministrumque insitum in animis nostris diuinitùs dicunt? Quid si multos commemorem denique viros sapientissimos, quibus ad summam gloriam aliud nihil videtur defuisse, quam animi vehementior quædam interdum in loco incitatio? Quid verò si perturbationem eam animi violentiam in illo negem fuisse, sed oris ac verborum tantummodo ad compescendam insolentium audaciam improbosque flagitiis facinoribusque absterrendos commotionem ratione, ac voluntate susceptam? Quoties enim misso ab se aliquo, in quem iracundia vehementius fuisse videretur incensus, atque è conspectu sublato, alium confestim, qui tùm fortè astitisset, vultu verbisque placidissimis clementissimè alloqui visus est, id quod profectò facere (mea sententia) nunquam potuisset, si in priorem illum ex animo penitus exarsisset, quod nequaquam illud ferat natura, vt iratum efactus excandefactusq; animus tàm citò, tàmque facilè subsidat, ac deferuescat, sed vt modica illa fuerit perturbatio, & in tam formoso virtutum corpore vnicus næuus, & demus orationi, quod ratione dare non possumus, in quem quæso tot millibus quibus cum illi aliquando res fuit ea elatus dentes nunquam attulit, aut manus, id quod facere soliti sunt ij qui damnabiliter huiuscemodi animi morbo laborant, aut quem non potius correptum meliorem à se si attenderet multò dimiserit, aut si grauiter ac præter modum dolentem sensisset, non aliquo mox humaniore officio placare studuerit, vt facilè declararet se quicquid egisset, non lædendi, sed iuuandi studio fecisse. Quin memini aliquando virum valdè experientem, quique assiduè vna cum eo aliquot annos erat versatus dicentem me audiuisse, male cum eius domesticis illis amicis agi, quibus non se aliquando ille iratum ostenderet, obseruaret enim ex diuturno cum eo vsu vir callidus, neminem ab eo in illa iracundia specie leniter læsum, cuius non conceptam inde molestiam, vel tùm illo ipso læsionis fructu, si modo is eum attendisset, vel gratissimo mox facto aliquo compensarit, quamquam de illa, quæ videbatur quibusdam modica eius (vt ita dicam) acerbitate naturæ si modo appellanda illa verè acerbitas fuit, quis non vidit quantum posterioribus hisce annis & consilij, & ingrauescentis iam ætatis esset maturitate detractum? At illatas sibi iniurias acrius aliquantò persequi solitus erat, quas iniurias? Eas ne quæ in communis sibi cum cæteris ordinis sacrosanctæque dignitatis dedecus redundarent, at quis hoc sana mentis audeat reprehendere? Cùm in ijs vindicandis vel potissimam muneris illius partem positam sciamus fuisse; an eas quæ ad ipsum pertinerent priua-tim? At quàm in ijs remittendis facilis fuerit, norunt ij quibus omnia modo illius ignota non sunt; nec ipsi eius implacabiles hostes licet impudentissimi atque illi omnibus in rebus semper dissimiles negare tot præsertim contra paratis testibus audebunt omninò, à quibus tanto nunquam odio lædi potuit, quin maiore ijs facilitate semper ignouerit.*

Misso cætera spurcissimum nequissimi hominis scri-
ptum proximis hisce annis, atque editum aduersus illum 473
libellum, legere scio potuistis vestrum plerique; cæterùm scimus nos, qua animi æquitate lenitateque allatum, atque adeò oblatum sibi ab illo ipso eodem eius authore, ac venenorum huiusmodi Pharmacopola teterrimum pus, ac virus illud exceperit, quomodoque eidem posteà inuicta illa eius patientia ad maioris quotidiè sceleris licentiam abutenti, atque propterea à quibusdam eius amicis crescentem ex diuturna impunitate importunissimè belluæ effrænem audaciam stomachantibus in eum locum redacto, vt meritas sacrilegæ temeritatis pœnas, mox esset daturus, supplex penè veniam ab irato Iudice & petierit, & impetrarit. Verùm quid ego singula coner refellere, quæ homines non nisi aut impurissimi, aut rerum omnium, eiusque ipsius maximè quàm maximè profitentur, maledicendi artis, ignari imperitique illi conantur affingere. Quæque olim veteribus eius similibus, atque eodem cum eo ordine viris sanctissimis ab istorum similibus illorum æqualibus vitio peruersè data scimus fuisse, quùm concordi bonorum rectèque sentientium omnium iudicio nullum nostris temporibus omnium virtutum exemplar ab omni parte limatius politiusque terris diuinitùs ostensum, credatur fuisse. Potius ò res nostræ fragiles atque caducæ. O spes fallaces & inanes hominum cogitationes, nunc cum vel maximè scopulosis iam propemodum omnibus nauigatis cotibus, & tetra superiorum temporum discussa caligine lenior in aperto nauigantibus nobis aspirasse ventus videbatur, cœlique serenior facies affulsisse, en vt maioribus quam ante obortis tenebris diu iniquo in Salo luctanti medio in cursu hærentes constitimus. Ereptus ereptus nobis est peruigil ille noster Gubernator, qui vt incolumes nos & tempestatum periculis cõseruaret, innumerabilibus alacer se in puppi stans, ante procellis obiecerat. O Ciuitas multis iam ante afflicta calamitatibus, sed nulla vnquam tàm sicut hac ipsa facta verè calamitosa.

Nunc stabile illud prius rerum tuarum columen 474
concidit nunc illud, quo modò læta inter omnes florebas pulcherrimum tuum decus defloruit. Extinctum tuum est, nec tuum modò, sed orbis etiam totius luminare, scopus omnium vbique Ecclesiarum sublatus. Firmamentum solida eius, quæ erat in Christum fidei, confractum vera omnis pietatis simulachrum, ac virtutum omnium domicilium disiectum, cessit ille antiquarum legum consuetudinumque obseruator, cultorque diligentissimus, rituum rerumque nouarum hostis, atque insectator acerrimus, induere itaque (vt propheticis iam tecum verbis agam) induere vestimentis viduitatis tua filia populi mei, accingere cilicio, conspergere cinere luctum quasi vnigeniti, fac tibi planctum amarum, quia cecidit fortis propugnator tuus de Israel. Et te sacrum sanctumque caput Antistes venerande tota communem parentem lachrymis flens orba prosequitur Ciuitas, vterque sexus, ordo omnis, ætasque omnis, præcipuè verò ipsa hac charissimo te suo viduata sponso nostra mærens luget Ecclesia, te sibi sacer inprimis Coriphæum consessus desiderat, suo gemens obitu sordidatus, en squallet omnis Sacerdotum chorus te pudicitiæ suæ custodem castissimum sacri dolentes Virginum cœtus requirunt. Inter tam multos atque hos ipsos præcipuè arctiore tecum contubernij necessitudine sanctaque viuendi consuetudine hactenus tecum cõiunctos, acerbissimo tuo bonis omnibus à nobis discessu afflictos,

atque prostratos, ego erepto te mihi totius vitæ meæ præsidio certissimo, studiorumque, ac rerum omnium mearum duce, moderatoreque apud quem factus eram tanquam iumentum, & ego semper tecum, quo me vertam, quid agam? quid nisi per diem vt pellicanus solitudinis facessere a me iubebo amicum & proximum, & sedebo velut passer solitarius in tecto deducens tanquã torrentem lachrymas, & in amaritudine animæ meæ panem meum tanquam cinerem manducabo, & poculum meum cum fletu miscebo, & per noctem velut nycticorax in domicilio, memor assiduè nominis tui, meditansque in operibus manuum tuarum, atque expectans, dum dicatur mihi, vbi nunc est Deus tuus lachrymis meis stratum meum rigabo. Quid placet ne tibi hæc sic fieri pater, immò verò alia omnia, inquit, quid enim in tam ancipiti summæ lætitiæ argumento, mœrore opus est, aut lachrymis, vos si me filij, vt verè extinctum lugetis, iam scitote morte me extinctum non esse, sed ad præstabiliorem istbinc multò vitam commigrasse, ad quã cæteris cęterarum omnium rerum studijs abiectis toto animo totisq; viribus spirantem me semper vidistis, nam vita illa, qua illic in terris moribundo in corpore ante vobiscum viuebam, haud scio an verius mors fuerit dicenda quam vita, quippe quæ innumerabilibus quotidie obnoxia casibus ipsisq; in summum diem culpę præcipue quæ vnica ac vera nostra mors est nihil viuidum habere verè poterat, aut vitale, sed victa omnia atq; caduca. Enimuero lamentis illa nobis fuerat ac lachrymis deplorandã hæc, in qua auo deinceps frui spero me sempiterno, lætitia vobis est, ac lætis vocibus celebranda, sin ille angit te cura gregis, quod metuis, ne tuo à te pastore sublato intrent in ouile tuum lupi rapaces, qui te disperdant, mactent, nec parcant tibi, ades animis atq; omitte metuere, aderit tibi quem tu abesse nunc putas, pastor tuus, salutem tuam aduersum impetentes te feras acriter è sublimi propugnabit, & nunc multo quam ante expeditior atq; vegetior. Aderit tibi qui tibi ante hac affuit semper, princeps summus ille pastorum ab eo pastorem tibi qui te non seipsum pascat, & petito, & expectato, & memoriam illic mei (si bene quid de te meritus sum, vt ego hic tui pie in posterum semper vsurpato ita facito, ita fiet Pater.

475 *Tu verò te enim pro omnibus nunc vnum appello ad quem præcipua communis mœroris huius pertinet cura, tanto nunc Auunculo Orbate adolescens satis iam satis superioribus diebus dolori tribuisti, vidimus in tota septimestri Auunculi tui lachrymas tuas, notauimus gemitus, suspiria exaudiuimus, nunc alia ineunda tibi ratio est, alioq; animus ab ista tristitia conuertendus, amisisti fateor Auunculum, & quidem talem auunculum, qualem solum habuisse maximus tibi ad omnem gloriam esse aditus potest. Nunc verò cum illum etiam amiseris, qui tibi ab incunabulis parentis, & amantissimi ac diligentissimi parentis loco semper fuerit, teq; in isto in quo nunc es bonarum artium cursu posuerit, quis tecum actum esse incommodissime neget? verumtamen illud etiam cogitare te velim, eum te non fuisse amissurum nisi prius habuisses, atq; habere quidem huiusce modi propinquos paucis admodum contingere, amittere omnibus, si te hoc male habet, illud consoletur, vincat hic quod vincere par est doloris causam communem, priuata lætitia, quin illius tibi potius diuinam sapientiam, iustitiam, liberalitatem, modestiam, in rebus gerendis prudentiam, atq; in vera pietate inuictum animum atq; magnificum imitanda propone, vt quibus illum gradibus certo in Cœlum credimus eo ascendisse, ijsdem tu quoq; aliquando eius vestigia secutus possis ascendere.*

Reuerendo Patri

N. N.

Clerico Regulari.

Epist. C I.

Varia de Virgine Dei Matre eiusque cultu.

GRatia, & amor Christi Iesu in corde tuo æternùm regnet, vti- 476
nam & in meo. Vt verum vetus dictum sit, Epistolam non erubescere, ruborem tamen plerumque elicit; elicuit tua, hanc enim ego legens erubui, meas laudes in ea inspiciens, quæ verè, quùm non merear, meæ non sunt. Et vnde hoc mihi, vt tu qui assiduè cum Deo loqueris, qui iugiter rerum diuinarum meditatione animum pascis, qui tempus rerum temporalium neglectu sacras æternitati, qui cælo & æternis natus cælum & æterna cogitas ad me miserum scriberes? Quid opus laudas? prudentis imperij, promptæque parentiæ laus aliqua fit; ego inscitiam ostentaui, infantiam meam prodidi, & calamo ad posteros transmisi, veniam proinde, non laudem merui, tu tamen multus in ista, nullus in illa es. Charitas quæ peccata omnia operit, errores maculasque quibus opus nostrum obsidetur, à tuis oculis subduxit. Humilitas quę in te regnat, & vexillum in mente tua extulit, huc te dimisit, & fors ab vtriusque sinu tuæ laudes profluxere. Lumen meum, inquis, tuas tenebras illuminasse; vbi Christus, qui lux vera est, nullæ tenebræ sunt; quin si opus quod emisi lumine refertum esset, animam prius meam denoctasset, quam tuam, & mentis meæ tenebras dispulisset; nisi fortè ignorantiæ meæ crassa aqua, quæ librum obruit, solis tui radijs percussa, quod alias etiam licet aliter factum, erupit in flammam lumenque effudit tuo lumine prius perfusa. Vt vt sit, laudes tuas Christo exhibui, quia ipsius vel inita lege erant; nam antequam opus ederem ita condixi, vt si quę fortè laudes libro tribuerentur, Christo sisterem; si quid secus, meum esset, meique laboris merces, quod ita factum, quùm Hispanicas, Gallicas, Italasque laudes excepi. Diuinæ gloriæ, Proximique saluti opus sacraui, humanis laudibus nullus scripsi. Tu precibus tuis è superna nube in laboris mei campos fœcundum

imbrem

imbrem deplue, vt plenam ex eis cæleſtis agricola ſegetem demetat. Næ ego felix ſi parem laudibus mihi opem feras, & tuis orationibus apud communem Dominum me iuues. Quòd mones vt calamum ad Virginis quoque laudes flectam, monito tuo iam præuii; librum integrum, cuius hæc inſcriptio, *Virginea* vmbra, de Virgine ſcripſi, Virgini inſcripſi, quòd citò prodibit, & licet non quæratur à luce, lucem tamen quærit, quàm ſi Deo videbitur videbit. Vtinam qui de Virgine ſcribo, Virginis veſtigia premã, ne aliud calamo, aliud moribus agam. Interim dum liber cuditur hæc pauca de Virgine Virginisq; cultu in anteceſſum accipe, quæ non adeo facilè inſeri illi operi potuero.

SErmonem Ieſu, & Mariæ nomine condire optimum eſt; præterea in exemplum illi viri
477 Deo dicati, de quibus in Chronico montis Sanctæ Agnetis cap. 5. hæc leguntur: *Si quis ad aliquam tranſiſſet negotij cauſa, verbum breue de Deo primum proferebat aut* IESVS *dicebat, & alter mox* CHRISTVS, *aut* MARIA RESPONDEBAT; *pro vt deuotio miniſtrabat.*

Beatam Virginem Diuinæ potentiæ theſaurum & Spiritus Sancti elemoſynariam vocatam obſeruo. Syluester de Prierio tract. 2. in Sabb. poſt Dominicam de Paſſione; *Pater fecit eam theſaurum ſuæ potentiæ;* & paucis interiectis; *Et Spiritus Sanctus fecit eã* ELEEMOSYNARIAM SVAM. *Pater enim, & Filius dant nobis dona ſua per amorem, & conſequenter per Spiritum Sanctum qui eſt amor, & primum donum, ſed ipſe Spiritus Sanctus dat nobis ſua dona per Virginem.*

In Italiæ laudem, eamq; maximam reſilit, quod domum ſuam in eam traſferre Chriſtus voluerit, adeo vt peculiari quadam ratione, & Ieſus, & Maria Itali poſſint dici. Pulchrè Ferrar. orat. 4. *O Italia ex hac vna perexigua domo, quam ex ampliſſimis vrbibus illuſtriorem Nazaræa Deipara, Deuſq; filius domicilij translatione,* IAM ITALI SVNT. Quid aliud dignius efferat Italiam, quàm quod Italiæ titulum ferat Deus, & Dei mater?

Quid in Ieſu partu Virgini acciderit Virgo ipſa ſignificauit; præſtat hîc eius verba ſiſtere, ſic enim illa habet apud Sanctam Brigittam, eam alloquens lib. 1. cap. 10. *Quando peperi eum, ſine dolore, & peccato peperi eum ſicut & concepi, cum tanta animæ, & corporis exultatione, quod pedes mei præ exultatione non ſentiebant terram, vbi ſtabant. Et ſicut in omnia membra mea cum gaudio totius animæ mea intrauit, ſic cum gaudio omnium membrorum exultante anima ineffabili gaudio ſine læſione Virginitatis meæ exiuit. Cumque conſpicerem, & conſiderarem pulchritudinem eius, anima mea quaſi rorem præ gaudio ſtillabat, ſciens me indignam ad talem filium. Quando verò conſiderabam loca clauorum in manibus, & pedibus, quos ſecundum Prophetas crucifigendos audiui, tunc oculi mei replebantur lachrymis, & cor meum quaſi ſcindebatur præ triſtitia,*

Erigi paſſim in varijs vrbibus domos ad exemplar Lauretanæ notum eſt, nouiſſimè id Patres
478 noſtri Cremonę pręſtitêre, iuſſus inſcriptioně aliquam huic rei ſignificandæ, formarè hanc quam hîc exhibeo exhibui.

Siſte, pius cultor, ſiſte:
Lauretana Virginis laurea
Texitur.
Laudum flores adde.
Templum dicatur Templo.
Terrenum Diuino.
Inanime Viuo.
Vtrumq; venerare, & Templum fiat:
MARIA.
In humili domo, Dei facta eſt domus.
Iurè
Tam magna in orbis oculis, quæ tàm vilis in ſuis:

Quoties Salutationem Angelicam inchoabant genua Virgini flectere aliquos ſolitos legimus. Nicolaus Godignus in vita Gonzali Sylueriæ lib. 3. cap. 2. hæc habet: *Quoties Salutationem Angelicam inchoabat toties* ANTE SACRAM EFFIGIEM GENVA FLECTENS *pium erga Beatam Virginem animum oſtendebat; quod facere ſolitos accepimus tum Margaritam Hungariæ Regis filiam, quæ feſtis Deiparæ diebus ſalutationem Angelicam millies recitans cuiuſcumq; ſalutationis initio magna pietate poplites curuabat, tum Mariam Oegniacenſem inſigni pietate fœminam, quæ ſingulis quaternis diebus millies vndecies noctu, & interdiu eadem ratione Deiparam ſalutans, ad initium quoq; vniuſq; ſalutationis idem præſtabat; quam venerationis formam dediſſe mortalibus creditur Angelus Gabriel.*

Circa eandem Salutationem Angelicam dignum eſt vt omnium notitiæ exponatur, quod à Beata Iuliana Virgine Ciſtercienſi didicimus, ſic enim in eius vitâ legitur, cap. 14. *De ſalutatione igitur Virginis quam frequenter habebat in ore ſolebat dicere ſuis familiaribus, & amicis; Quod multum placebat Virginis glorioſæ cum ſalutationi ſuæ, addebatur ſui conſenſus reſponſio, videlicet. Ecce Ancilla Domini fiat mihi ſecundum Verbum tuum. Vnde omnes de quibus confidebat affectuoſius hortabatur, vt ſicut ipſa hoc dicebat, ſic & ipſi dicerent. Dicebat enim illud additum eſſe conſummationem ad ſalutationem Beatæ Virginis, quia tunc perfectè in ea celebratum fuit incarnationis miſterium, cum ipſa reſpondendo, Ecce Ancilla Domini, ſuum præbuit aſſenſum.*

Olim apud Placentinos feſtum Aſſumptionis 479
Beatę Virginis celebrari iubebatur maximè pro ſalute eorum, qui deceſſerant; Illorum ſtatuta lib. 1. in hunc modum de hac re loquuntur: *Ad honorem Dei, & Beatæ Virginis Mariæ Poteſtas teneatur facere fieri ſemel in anno feſtum honorabile maioris Eccleſiæ Placen.* IN ASSVMPTIONE DICTÆ VIRGINIS MARIÆ PRO SALVTE ANIMARVM PLACEN. *ciuium & omnium defunctorum eorum, quod fiat per poteſtatem, & milites, & paraticos, & populum Placentiæ, & quod omnes oblationes in laborerijs ipſius Eccleſiæ conuertantur; & quod poteſtas teneatur congregare conſilium generale occaſione dicti feſti ſolemniter ordinari.*

Quænam ſint ſeptē Virginis gaudia, quibus in Cęlo nunc Virgo perfunditur ipſamet docuit, & ad eorum meditationem inuitauit Beatum Arnulphum de Bruxellis, & in illo omnes alios; nam vt in huius Beati vita habetur, ſæpe Virginis ſeptem gaudia, quibus in terris afficiebatur, cum in terris eſſet, meditanti, dixit Virgo: *Recogita cum his ſeptem alia quibus in Cælis afficior:* Addidítq;

1 *Gaudeo ob gloriam mihi paratam maiorem quam quis loqui vel cogitare poſſit, vt ſuperet omnem Gloriam Beatorum.*

2 *Quia cęleſtis hierarchia illuminatur, & lętatur gloria, & felicitate mea ſicut dies illuminatur à ſole.*

3 *Quod Cęleſtis exercitus mihi obedit, & me vt matrem Regis honorat.*

4 *Gaudeo quod ſuprema, & inſeparabilis Trinitas benigno fauore mihi conſentit.*

5 *Gaudeo eo quod famulis meis conceditur in hoc mundo, & in futuro ſecundum voluntatem meam.*

6 *Gaudeo eo quod ſuper omnes choros Angelorum exaltata ſum, & ſingulari priuilegio proxima cum Sanctiſſima Trinitati, & fruor iucunda ſocietate omnium Sanctorum.*

7 *Gaudeo eo quod omnino certa ſum, quod nunquam gloria mea deficiet ac minuetur.*

Finiam, & obſignabo, ſi illam laudis coronam, tibi omnibuſq; exhibebo, quam ex cęleſtis patrię horto floribus collectis in eiuſdem Virginis gloriam cultumq; texebam,

Laudis corona Virgini Marię ſimul, vel per partes offerenda.

I.

480 *Offero tibi Virgo Dei Mater Maria omnem laudem, ac gloriam, quam tibi omnes* Virgines, *exhibent, & æternum exhibitura ſunt.* Pater noſter, Aue Maria, Gloria Patri, &c.

II.

Offero tibi Virgo Dei Mater Maria omnem laudem ac gloriam, quam tibi omnes Confessores *exhibent, & æternum exhibituri ſunt.* Pater noſter, Aue Maria, Gloria Patri, &c.

III.

Offero tibi Virgo Dei Mater Maria omnem laudem, ac gloriam, quam tibi omnes Martyres, *exhibent, & æternum exhibituri ſunt.* Pater noſter, Aue Maria, Gloria Patri, &c.

IV.

Offero tibi Virgo Dei Mater Maria omnem laudem, ac gloriam, quam tibi omnes Patriarchæ, & Prophetæ *exhibent, & æternum exhibituri ſunt,* Pater noſter, Aue Maria, Gloria Patri, &c.

V.

Offero tibi Virgo Dei Mater Maria omnem laudem ac gloriam, quam tibi omnes Apostoli, & Euangelistæ *exhibent, & æternum exhibituri ſunt,* Pater noſter, Aue Maria, Gloria Patri, &c.

VI.

Offero tibi Virgo, Dei Mater, Maria omnem laudem ac gloriam, quam tibi omnes Angeli *exhibent, & æternum exhibituri ſunt.* Pater noſter, Aue Maria, Gloria Patri, &c.

VII.

Offero tibi Virgo, Dei Mater Maria omnem laudem ac gloriam, quam tibi omnes Archangeli *exhibent, & æternum exhibituri ſunt.* Pater noſter, Aue Maria, Gloria Patri, &c.

VIII.

Offero tibi Virgo Dei Mater Maria omnem laudem ac gloriam, quam tibi omnes Throni. *exhibent, & æternum exhibituri ſunt.* Pater noſter, Aue Maria, Gloria Patri, &c.

IX.

Offero tibi Virgo, Dei Mater Maria omnem laudem, ac gloriam, quam tibi omnes Dominationes *exhibent, & æternum exhibitura ſunt.* Pater noſter, Aue Maria, Gloria Patri, &c.

X.

Offero tibi Virgo Dei Mater Maria omnem laudem, ac gloriam, quam tibi omnes Principatus *exhibent, & æternum exhibituri ſunt.* Pater noſter, Aue Maria, Gloria Patri, &c.

XI.

Offero tibi Virgo Dei Mater Maria omnem laudem, ac gloriam, quam tibi omnes Potestates *exhibent, & æternum exhibitura ſunt.* Pater noſter, Aue Maria, Gloria Patri, &c.

XII.

Offero tibi Virgo Dei Mater Maria omnem laudem, ac gloriam, quam tibi omnes Virtutes *exhibent, & æternum exhibitura ſunt.* Pater noſter, Aue Maria, Gloria Patri, &c.

XIII.


Offero tibi Virgo Dei Mater Maria omnem laudem, ac gloriam, quam tibi omnes Cherubim. *exhibent, & æternum exhibituri ſunt.* Pater noſter, Aue Maria, Gloria Patri, &c.

XIV.

Offero tibi Virgo Dei Mater Maria omnem laudem, ac gloriam, quam tibi omnes Seraphim, *exhibent, & æternum exhibituri ſunt.* Pater noſter, Aue Maria, Gloria Patri, &c.

XV.

Offero tibi Virgo Dei Mater Maria omnem laudem, ac gloriam, quam tibi omnis Sanctissima Trinitas *exhibet, & æternum exhibitura eſt.* Pater noſter, Aue Maria, Gloria Patri, &c.



Piiſ-

Pijssimo Patri Fr.

ANGELO MARIÆ

Ordinis, vt vocant, Capuccinorum.

Epistola CII. Venetias.

Offerendi Sacrificij formula, & pro eo gratias agendi; aliqua de gratiarum actione addita.

481 SCilicet à me petis, quòd exsculpere à tuis posses aut etiam à Te. Tua, tuorumque pietas, & in spiritualibus rebus peritia subducere me à labore poterat, quem infirmis imperitiæ, & ruditatis meæ humeris, vt ita loquar, imponis. Ad Sacerdotij culmen euectus iubes, vt aliquid tibi mittam, quod tanto muneri aptè exercendo deseruiat. Doceri potiùs debeo, quam docere; sed quia ita vis, nec aptius nunc occurrit, duas Tibi formulas mitto, vnam quam sacra facturus præmittas, aliam qua post sacrificium in gratiarum actionē vtaris. Vtramque aliorum quoque opera adiutus vsui meo formaram, & porrigendis meæ exiguitatis angustijs aptaueram. Tu vtrique tuo spiritu spiritum, animamque inhalabis. Interim fac mei ad Altare memineris, vt perfectè tantæque dignitati vitæ, morumque celsitudine aliqua saltem ex parte respondeam. Næ ego felix, si nuda verborum oblatione ea bona consequar, quæ verbis nequeunt explicari. Sed Tu iam accipe, quod promisi, vt ego à Te accipiam, quod mihi de Te promitto, à tuarum precum fusu spero.

F O R M A

Intentionis, Missæ celebrationi præmittenda.

482 *DEVS meus, Amor meus, & cor meum, Ego indignus tuus, & Ecclesiæ tuæ Sanctæ minister offero Diuinæ Maiestati tuæ hoc Sacrosanctum Missæ Sacrificium, & cum eo, ea omnia, quæ a prima illius institutione oblata tibi fuere, offeruntur, aut offerentur, simulque pretium Sanguinis Christi Iesu, cunctosque labores, & cruciatus ipsius, omnia merita Sanctissimæ eius Genitricis Mariæ, omnium virtutum actus, quos tui in Tui gloriam, siue in Terris, siue in Cælis, aut elicuerunt, aut elicient; hancque oblationem, & ea, quæ illi adijcio, in singulis momentis confirmare intendo, & infinities multiplicare cupio. Tibi cum hoc vno Sacrificio offero quicquid Tibi offerri posse cognoscis. Offero tibi Teipsum, vnamque Sanctissimæ Trinitatis personam offero alteri, & alteram vni. Hæc autem omnia me præstare profiteor; in vnionem infinitæ illius charitatis, quæ nobis tuum vnigenitum Filium dedisti, in vnionem sacrificij illius, quod Vnigenitus tuus in Cœna, & in Cruce perfecit, & consummauit; in obedientiam illius mandati, quo vt idem in eius commemorationem faceremus, indixit; in cultum supremæ adorationis, quam Tibi Creatori meo, rerumque omnium Authori debeo, in honorem ac reuerentiam Sacratissimæ humanitati Domini mei IESV CHRISTI debitam; in memoriam Incarnationis, Natiuitatis, omniumque mysteriorum Vitæ, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis ipsius; in gloriam & venerationem Sacratissimæ Genitricis DEI MARIAE, omniumque Sanctorum & Sanctarum Curiæ Cælestis, in eorum auxilium, qui in Terris degunt: in refrigerium animarum, quæ purgatricibus flammis expiantur. In virtute huius sacrificij gratias ago Immensæ Maiestati tuæ pro thesauris omnium bonorum, quos in Sanctissimi Filij tui humanitate abscondisti; pro immensis donorum opibus, quæ in Beatissimam eius Matrem contulisti; pro maximis beneficijs, quibus Sanctos Angelos, omnesque Cæli ciues, ac præsertim eum, quem hodie solemni ritu veneramur, affecisti; pro singulari beneficiorum copia, quæ in me, aliosque omnes & contulisti, & confers, & per totam æternitatem collaturus es; & præsertim quod me ad tam sublimem sacerdotij dignitatem extulisti. Et quia in hoc munere pro omnibus apud Te legatione fungor, cor meum ante Maiestatem tuam effundo, & deprecor Te, vt respicias Ecclesiam tuam, tuam sponsam, augeasque in ea fidei puritatem, sanctitatis nitorem, virorum verè Apostolicorum numero exornes, hostesque eius ita euertas, vt conuertas ad eam. Da Summo Pontifici, omnibus Ecclesiæ præsulibus, cæterisque Ecclesiastici corporis viris eam mentem, eos mores, vt dignitati, murerique suo dignè queant respondere. Regibus, Principibus, Superioribus omnibus eas virtutes tribue, quibus ad innocentiæ & probitatis culmen prouocare subiectos suos valeant. Da Magistratibus, Iudicibus, Nobilibus, Ignobilibus, Diuitibus, Pauperibus, Virginibus, Viduis, Coniugatis; da omnibus abundantiam gratiæ tuæ, vt Tibi in ea qua vocati sunt, vocatione dignè & laudabiliter famulemur. Da bonis vt meliores fiant; da malis vt fiant boni, & ad Te conuertantur, qui à Te auerterunt se. Aegrotis, & in mortis agone constitutis, tentatis, tribulatis, & in aliqua necessitate positis subueni, prout vides illis ad illorũ salutem, ac tuam gloriam expedire. Eadem ratione rogo Te pro parentibus meis, Fratribus, Necessarijs; Benefactoribus, Amicis, Inimicis, & pro illis omnibus qui se orationibus meis commendauerunt, aut cuperent commendare. Da his omnibus, quod maximè ipsis conuenire, Tu vides. Et vt omnia des, da plenè Teipsum. Hæc omnia & mihi omnium minimo concede, Amor meus; Da, vt benè de Te sentiam, feruentissimè Te amem, in virtutibus omnibus semper proficiam, totus in Te liquefiam. Tibi ita vniar, vt vnum tecum sim.*



Bon-

Beatissimæ Virginis MARIÆ AVXILIVM Sanctorumque omnium ante Missæ celebrationem hac formula postulandum.

483 *FILIVM Dei, & tuum, VIRGO, Deo Patri in Missa Sacrificio, quod celebrare intendo, oblaturus, ad te venio, vt per te ad me veniat illud, quo huic tam magno operi exercēdo opus me vides habere. Auxilium tuum postulo; huc te ille ardor excites, quo cupis, vt IESV Filij tui puritas purissimè contrectetur. O possem, dum celebro, tuam puritatem, cæterasque tuas virtutes à Te mutuare? Possem tuo ore, tuo corde, verba dicere, quæ sum dicturus; tuo pectore excipere tuum IESVM, adeò vt quicquid hic facturus per Te facerem? Id cupio, Dei Mater, in Dei tui gloriam, & in tuam. Vellem tuis labijs formulam quam præmisi, pronunciare, ratam illam tua mente, tuis votis habere, idquè non semel, sed millies, sed infinities, vt quod à nihilitate mea nihil est, à Te aliquid esset, quæ in Dei oculis es tàm magna. Sine me igitur Maria vt sacra facturus tota mente, & toto affectu te ipsam induam; & totus in te migrem. Post Te, imò etiam per Te, tuoque nomine Sanctos omnes adeo, enixeque eos precor, vt per sua merita; perque ardens diuinæ gloriæ desiderium, quo tenentur, obtineant mihi quicquid ad hoc munus dignè exercendum necessarium est. Omnes ea ratione, qua possunt in auxilium meum currant, vt dum ab omnibus iuuor, perfectius munus meum in Altari obeam, quod in Dei & tui, Virgo, omniumque Sanctorum gloriam honorem & gustum cedat.*

F O R M A
Gratiarum agendarum post Missam.

484 *QVID retribuam tibi, DEVS meus, & cor meum, pro omnibus, quæ retribuisti mihi? Quid tibi pro tanto beneficio soluam, quo me adeò extulisti, vt ante Maiestatem tuam starem, & sacrificium Corporis & Sanguinis Filij tui offerrē Tibi? Illud idem Sacrificium in gratiarum actionem offero, quod in Maiestatis tuæ gloriam, honoremque Maiestati tuæ obtuli, immò omnia alia, quæ hucusque oblata tibi fuerunt, aut deinceps vsque ad finem offerentur, & præcipuè illud ipsum, quod Christus in Cœna obtulit, obtulit in Cruce. Beatissimam præterea Virginem Filij tui Matrem oro & precor, vt pro me Tibi gratias agat, quæ beneficij huius pondus plenius, quam ego agnoscere possim, agnoscit. Idem pro me præstent omnes Angeli, Sanctique omnes, quos in Cœlesti Curia beata tui visio beat: immò Tu ipse Tibi ipsi gratias age; agat pro me Filius tuus. Interim omnes gratiarum actiones cordis sinu colligo, quæ tibi à quocunq; pro quolibet beneficio tuo aut persolutæ fuerunt, aut persoluentur; easque omnes Tibi sisto, tanquam à me pro hoc tuo munere essent elicitæ. Vt verò omnes in gratiarum actionem voce, ita quoque pro omnibus omniumque beneficijs gratias Tibi, Deus meus, ago non secus ac si dona alijs exhibita, in me essent collata; in omnibus enim amo Te, ac omnes in Te amo. Laudent Te, Deus meus, pro me, Teque benedicant omnes Angeli, omnes Beati, & præcipuè Beatissima Virgo. Laudet Te summa tua bonitas, infinita tua charitas, sempiterna tua virtus, incomprehensibilis tua potentia, sapientia, & Diuinitas tua. Tu ipse fac tibi ipsi, quod nec ego præstare dignè queo, nec alius extra Te. Et vt laudis & gratitudinis materia adhuc magis augeatur, tam grande beneficium nouo beneficio cumula, Da vt melior, dum ad bonitatis fontem accedo, semper fiam. Tolle à me quicquid Tibi, summa puritas, displicet. Tolle me à meipso. Quod in Pane, quod in Vino, meo ministerio facis, fac in ministro. Panis desinit esse panis, & fit Filij tui corpus: vinum etiam vinum esse desinit, & Sanguis fit Christi. Idem de me fiat, idem fiat in me. Totum igitur me in Te transforma: totus per Te in Te migrem, ne pani, ac vino, quæ tango, quæ video, inuideam. Hæc omnia vota, hos omnes actus toties firmo, approboque, Deus meus, quoties spiritum emitto, quin infinities in infinitum: omniaque in gratiarum actionem refero, in laudem tuam dirigo, quæ referri, quæ dirigi posse, Tu vides, & quoties dirigi possunt, & referri, eaque mente ac si quod à me vno fit innumeri pro me efficerent. Denique offero nunc Tibi, quod in Tuè gloriam aptius præstabo, quum tua me gloria excipiet, me Tui visu beabis, quum in Cœlo Tecum ero quamdiu eris.*

Ad Beatissimam VIRGINEM,

Sanctosque omnes pro gratijs Deo soluendis post Missæ Sacrificium hac potest formula iri.

MAGNA Magni DEI Mater, & Virgo MARIA, per puritatem, sanctitatem, dignitatemque tuam, per dona quibus Te Deus tuus super omnes Creaturas extulit, demississime Te oro, & precor, vt pro me gratias Deo agas, cum illis persoluendis omninò impar sim. Benedic, & lauda Deum tuum, quod me ad Sacrum Altare admiseris, dederitque vt sacrificium Corporis & Sanguinis IESV CHRISTI Filij sui simul & Tui, licet indignus offerrem. In gratiarum actionem Tu exhibe, quicquid scis exhiberi posse; exhibe tua, exhibe Te, & tecum etiam me ipsum, & illam ipsam gratiarum formulam quam dixi, non secus, ac si à tuis esset purissimis labijs dicta, dictata à tuo corde. Idem pro me præstent Sancti omnes, qui tecum in Cœlis regnant, & Dei visione beantur. Singuli pro dono, quo me Deus ad Sanctum Altare cumulauit, offerant omnes gratiarum actiones, quas pro hoc & quocumque alio beneficio, à quocumque alio pietas & deuotio, aut elicuit, aut eliciet, omnisque huiusmodi actus aliat omnes omnium virtutum secum ferat infinities multiplicates. 485

Hucusque formulæ producuntur; addere tu poteris aptiora, quia aptior, & meliora, quia melior; sed sine me hic alia quædam adijcere, quę ab argumento non sunt aliena, puto nec à tua mente.

Gratias agere, vt omnium sit qui beneficijs afficiuntur, hoc tamen præcipuè ad Sacerdotes spectare, præcipuumque illorum munus esse, docet Sanctus Chrysostomus Homil. 2. in Epist. 2. ad Corinthios, vbi monet Sanctos Viros

ros à nobis adeundos, vt gratias pro nobis agant.

486 Peculiarem agendarum gratiarum in menſa formulam recenſet Sanctus Athanaſius de Virgin. in hæc verba: *Poſt Synaxim comede Panẽ tuum Domino gratias agens in menſa tua ad hunc modum, Benedictus Deus, qui alis me a iuuentute mea, qui das cibum omni carni. Imple gaudio, & lætitia cor noſtrũ vt in omnibus omnem ſufficientiam habentes, abundemus in omne opus bonũ in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cum quo tibi gloria, honor, imperium vna cum Sancto ſpiritu in ſæcula ſæculorum, Amen.*

Ter panem ſignandum in menſa verbiſque Deo gratias agendas docet idem S. Athanaſius de Virginit. dum ait: *Vbi ſederis ad menſam, & inceperis frangere panem ter eum conſignans his verbis gratias age. Gratias agimus tibi Pater noſter de ſancta tua reſurrectione per Ieſum Filium tuum, quem nobis notum reddidiſti, quod quemadmodum hic panis olim multis ſeminibus diſperſus, nunc autem coactus vnum quiddam redditus eſt, ita tu quoque congreges Eccleſiam tuam à finibus terræ in Regnum tuum, quoniam tua eſt potentia & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.*

Addit & menſa abſoluta tribus vicibus Deo gratias agendas; hæc illius verba eod. lib. de Virginit. *Quum ſurrexeris a menſa, rurſum gratias agendo tribus vicibus dicas. Miſerator & miſericors Dominus, eſcam dedit timentibus ſe. Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto. Rurſumque poſt peractam glorificationem preces tuas his verbis abſoluas. Deus omnipotens & Dominus noſter Ieſus Chriſtus, nomen quod eſt ſuper omne nomen, gratias agimus tibi & collaudamus te, quod dignatus ſis nos tuorum bonorum participes fieri, carnalium ſcilicet bonorum. Rogamus te & inuocamus te, Domine, vt cæleſtes eſcas nobis dones, deſque nobis tremere & timere venerabile & precioſum nomen tuum, vt non contẽnamus præcepta tua. Nomen tuum, & iuſtificationes tuas conſtitue in cordibus noſtris. Sanctifica autem ſpiritum & animam noſtram per dilectum filium tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, cum quo tibi gloria & imperium in ſæcula ſæculorum, Amen.*

Gratiarum actionem tanquam diues quoddam depoſitum cuſtodiendum monebat Sanctus Baſi-
487 lius Hom. in diuites, & auaros, vbi ait: *Vt* PRETIOSVM QVODDAM DEPOSITVM *gratiarum actionem in anima tua cuſtodias, & recipies tu quoque duplicem illius iucunditatem. Reminiſcere Apoſtolici dicti. In omnibus gratias agite.*

Quanti meriti res ſit in aduerſis Deo gratias agere exprimi vix poteſt, martyrii facinori id pariabat Sanctus Chryſoſtomus Hom. 8. in Epiſt. ad Coloſſ. *Nihil eſt*, inquit, *anima illa ſanctius, quæ in malis Deo agit gratias. Reuera ea* NIHIL DISTAT AB ANIMA MARTYRIS. *Similiter & ipſa, & ille coronatur. Nam eam quoque vrget lictor, qui cogit Deum negare per blaſphemiam: inſtat & diabolus cogitationum vrgens carnificinas, & tenebras offundens animi ægritudinibus. Si ergò dolores tulerit, & gratias egerit, coronam accipit martyrij. Vt infans ægrotat, & Deo agit gratias. Quo tormento non eſt deterior animi ægritudo. Sed ea non cogit verbum acerbum emittere. Moritur rurſus agit gratias. Facta eſt filia Abrahami. Nam etſi propria manu non occidit, ſed tamen læta ta eſt propter ſacrificium, quod par eſt. Non ſuccenſuit cum donum auferretur. Rurſus ægrotauit: non fecit amuleta, reputatur ei martyrium, mente enim ſacrificauit filium.* Hactenus ille.

Eruditiſſimo Patri

FRANCISCO QVARESMIO

Laudenſi Ordinis Minorum, vt vocant, de Obſeruantia.

Epiſt. CIII. Laudum.

De Vrbe Ieruſalem, alijſque Vrbibus quædam notantur.

OPus, quod ad me miſiſti non eſt opus me efferre, ipſum de ſe 488
loquitur, ſe laudat, & quod eſt conſequens, auctorem ipſum, dum ſe exhibet. Legi illud, & nihil cęlo, excerpſi aliqua, meo operi de Chriſtiani Orbis Admirandis, quod formo, inſerendis. Vis omnia vno verbo dicam? Tuum eſt, nimirum ab omni parte perfectum eſt, pietatem, & eruditionem ſacram ſpirat, & rebus refertiſſimum eſt, dignis quę in omnium notitiam eant. Induſtriæ tuæ, tuę doctrinæ multum ſacrarum rerum ſtudioſi debent, & multùm tibi tota poſteritas eſt debitura, qui de locis Terræ Sanctæ pleraque in medium protuliſti, quibus errorum quorundam tenebræ auferrentur, & multis ſacrarum litterarium locis, alioquin cæcis, & ſubobſcuris, ſua lux immitteretur. Perge, Doctiſſime Pater, & quinque eaque grandia volumina, quæ de quinq; Chriſti vulneribus ſcripſiſti, quis crederet de re tantillâ, ſi figuram ſpectemus, tantum potuiſſe ſcribi? omnium oculis expone, & publici iuris eſſe ſine, vt ab his quæ de quinque plagis dixiſti, diſcamus eas plagas delere, quas nos ipſi in nobis ipſis fecimus. Sed quia hic nudas non ſoleo litteras inſerere, litteris litterarium munus appendo, non vt notitiæ tuæ terminos porrigerem, ſed vt obſequij mei limites extenderem. Multa tu nobis de Vrbe Ieruſalem dediſti, ego hęc pauca exhibeo, etiam ab hac parte meum in te affectũ probatura, quod agnata ſunt ijs, quæ tu litteris commiſiſti. Eant flumina ad mare, nunc & ſtillæ ad tuæ doctrinæ Oceanum current. Vale, & me tuis precibus iuua.

OLim itio ad Ciuitatem Ieruſalem, ſi quidem
deuotionis cauſa fieret, non pecuniæ, aut 489
honoris cuiuſuis pœnitentiæ ſoluendæ par putabatur. Concilium Claramontanum num. 2. ait:

Qui-

Quicumque pro ſola deuotione, non pro honoris, vel pecuniæ adeptione ad liberandam Eccleſiam Dei Ieruſalem profectus fuerit: ITER ILLVD PRO OMNI PÆNITENTIA REPVTETVR.

Eorum qui Ieroſolymam petebant, vt opem Chriſtianis ferrent, domus reſque omnes ſub Beati Petri, & Romanæ Eccleſiæ protectione recipiebantur; In Concilio Lateranenſi ſub Caliſto II. cap. 11: hæc habentur: *Eis, qui Ieroſolymam proficiſcuntur, & ad Chriſtianam gentem defendendam, & tyrannidem infidelium debellandam efficaciter auxilium præbuerint, ſuorum peccatorum remiſſionem concedimus, & domos, & familias, atque omnia bona eorum in B. Petri, & Romanæ Eccleſiæ protectione, ſicut, à Domino noſtro Papâ Vrbano ſtatutum fuit, ſuſcipimus. Quicumque ergo ea diſtrahere, quamdiu in viâ illâ morantur, præſumpſerint, excommunicationis vltione plectantur. Eos autem, qui pro Ieroſolymitano, vel Hiſpano itinere cruces ſibi in veſtibus poſuiſſe noſcuntur, & eas dimiſiſſe, cruces iterato aſſumere, viam ab inſtanti paſcha vſque ad ſequens proximum paſcha perficere Apoſtolicâ auctoritate præcipimus. Alioquin ex tunc eos ab Eccleſiæ introitu ſequeſtramus, in omnibus terris eorum diuina officia, præter infantium baptiſma, & morientium pænitentias, interdicimus.*

490 Arx Ieruſalem vt olim cuſtoderetur, ſic docet Ariſtæas tract. de LXX. Interpretibus; vbi hæc habet. *Seruatur autem arx ipſa, diſpoſitis in turres robuſtiſſimorum iuuenum fidiſſimis excubijs: qui ob benè de ſe merita patria plurimùm debeant: his arcem egrediendi nulla poteſtas datur, præterquam cùm feſtus dies adfulſerit, idque non niſi ex parte quadam ac per vices conceditur. Intromittendi quemquam nemini eſt facultas. Nam ſumma diligentia perſpicuitateq; arcis præfectus ſi quando aut rediens, quis aut nouus admittatur, ita cuncta explorat, vt falli prorſus nequeat; quemadmodùm nobis contingit, qui inermes ac multa rogando ſoli duo vix tandem ad inſpicienda ſacra recepti ſumus. Dicebant enim & ſacramento idem firmabant, omnes qui quingenti ad huius cuſtodiam ſemper aderant, ſacro iure iurando adactos, ne ſupra quinque eodem tempore recipiant, quoniam omnis templi cuſtodia ſaluſque in ea arce conſiſtat, qua victa nullum ſupereſſet templi propugnaculum.*

In expiatione Ieruſalem duas Placentas circumlatas obſeruo; Turrianus tract. de Euchariſtia cap. 30. ita ſcribit: *Iudæi in expiatione Ieruſalem, & portarum, ac murorum eius* CIRCVMTVLERVNT IN MODVM POMPÆ DVAS MAGNAS PLACENTAS, *ſequentibus Sacerdotibus cum tubis, & vaſis, id eſt inſtrumentis Cantici Dauid, & alijs præeuntibus cum laude, & gratiarum actione, collocaruntque eas, in domo Dei.*

491 De vijs, & in ijs incedendi ritu, qui olim in vrbe Ieruſalem ſeruabatur, hæc productus Ariſtæas loco producto offert: *Earum viarum ſtrata, quæ rectâ tendant, multis & opportunis diuerticulis exornāt, quippè vt ciuitas, quæ in monte conſtructa ſit multam ad aſcenſus deſcenſuſque facilitatem habeat. Sicut & ad ipſos viarum exitus tranſcenſus quidam, per quos præſtantiores altius incedant, cum alij depreſſius eatur, & maximè ad primores vias, ne qui ad ſacra fuerunt, immundorum contactu inter eundem polluantur.* O idem noſtri cauerent, qui ad ſacratiora in ſanctioribus templis myſteria ſe conferunt, nec iàm facilè ſe malorum hominum conſuetudine inficerent, aut ad templum ituri, aut dum ex illo exeunt! Sed placet ad alias etiam vrbes calamum flectere.

Nonnulli olim putabant nullas in terrâ veras ciuitates eſſe, ſolum Cœlum hoc nomine gaudere. Clemens Alexand. lib. IV. Stromatum, ita ſcribit: *Dicunt enim Stoici quoque, cælum quidem propriè eſſe ciuitatem, quæ autem ſunt hic in terra,* NON ESSE CIVITATES: *dici enim, ſed non eſſe. Res enim bona eſt ciuitas, & populus, honeſtus aliquis cœtus, & multitudo hominum quæ regitur lege, ſicut verbo Eccleſia, ciuitas, quæ non poteſt circumſideri, nec opprimi tyrannide. In terra diuina voluntas, in terra ſicut in cælo.*

Turrim Babel illius vrbs capitolium dictam
obſeruo, ita Sanctus Hieronymus in cap. 14. Iſa- 492
iæ; *Arx autem*, inquit, *ideſt Capitolium illius Vrbis* (Babyloniæ) *eſt Turris quæ ædificata poſt Diluuium in altitudine quatuor millia dicitur tenere paſſuum, paulatim de lato in anguſtias, coarctata, vt pondus faciliùs à lateribus ſuſtineretur.* Hæc ille.

Formula illa, qua extremum vrbis alicuius excidium ſignificatur, cum dicitur, nec relictum iri mingentem ad parietem, ideſt canem, videtur olim in vſu fuiſſe; Indicat hoc Vopiſcus in Aureliano, vbi addit, & modum quo hæc comminatio eluſa aliquando fuerit. *Quum miles iuxta illud dictum quo canem ſe relicturum apud Thyanæos negant, euerſionem vrbis expoſcerent, reſpondit ijs,* CANEM, *inquit,* NEGAVI IN HAC VRBE ME RELICTVRVM, CANES OMNES OCCIDITE.

Quod à cuſtodibus Ciuitatis verberatam ſe di-
xit in amoris Cantico Sponſa non eſt ab hominum 493
conſuetudine diſſitum; nam in vrbibus quandoq; poſitos cuſtodes, qui occurrentes verberarent, patet etiam ex eo quod narrat Luitprandi lib. 1. de rebus per Europam geſtis cap. 3. in hæc verba: *Conſtantinopolitana vrbs quæ prius Bizantium, noua nunc dicitur Roma, inter ferociſſimas gentes eſt conſtituta. Habet quippe ab Aquilone Hungares, Bizenacos, Chazaros, Ruſios quos alio nomine nos Nortmanos appellamus, atque Bulgaros nimium ſibi vicinos. Ab Oriente Bagdas. Inter ponentem, & meridiem Egypti, Babyloniſque incolas. A meridie verò Aphricam habet, & notam illam vicinam ſibique contrariam inſulam Cretenſem. Cætera verò quæ ſunt ſub eo climate nationes, Armenij ſcilicet, Perſæ, Chaldæi, Auaſgi huic deſeruiunt. Incolæ denique ciuitatis huius ſicut memoratas gentes diuitijs ita, & ſapientia deſeruiunt. Moris quippe eorum eſt ne à vicinis gentibus opprimantur: ſingulis quibuſque noctibus per totius ciuitatis biuium triuium quadriuiumque armatos milites cauſa cuſtodiendæ ciuitatis qui eam inuigilent ponere. Sicque vt ſi poſt crepuſculum quemque deambulantem aliqui* CVSTODES OFFENDERINT: *captus protinus verberibuſque cæſus cuſtodia peruigili compedibus in carcere ſtringitur vſque in craſtinum in publicum producendus ſeruetur.*

Quæ in vrbis portis pingi noſtrorum lege deberent habes ex his verbis in Statutis Veronenſibus lib. 4. cap. 20. *Statuimus quod in portis omnibus Vrbis Veronæ apertis, vel quæ pro tempore aperientur fieri, &* DEPINGI DEBEANT IMAGINES DOMINAE SANCTAE MARIAE VIRGINIS MATRIS DOMINI, CVM IPSO EIVS FILIO IN BRACHIIS, ET SANCTI ZENONIS PROTECTORIS NOSTRI, ET SANCTI PETRI CVM CLAVIBVS IN MANV, ET SANCTI CHRISTOPHORI.

Conſtantinopolis vrbs Regia olim diceba- 494
tur; Calcedonenſe Conc. 23. ita loquitur: *Peruenit ad aures Sancti Concilij, quod quidem Clerici, & Monachi, quibus nihil ab Epiſcopo ſuo commiſſum eſt, aliquando verò, & communione ab eo priuati peruenientes ad Vrbem Regiam Conſtantinopolitanam, in eâ diutius immorantur, excitantes turbas, & ſtatum Eccleſiaſticum commouentes, ſubuertentes etiam quorundam domus. Decreuit itaq; Sancta Synodus huiuſmodi*

iuſmodi primo quidem per defenſorem Cōſtantinopolitana ſanctiſſima Eccleſia commoneri, vt egrediantur Ab vrbe regia. *Quòd ſi iiſdem negotiis imprudentes inſiſtant, etiam nolentes idem defenſor expellat, vt ad propria loca perueniant.*

Nouam Romam Conſtantinopolim dictam alibi dixi, nunc firmo etiam ex verbis Concilij Conſtantinopol. Can. 3. vbi ait: *Conſtantinopolitana Ciuitatis Epiſcopum habere oportet primatis honorem poſt Romanum Epiſcopum, propterea quod ſit* Nova Roma.

Cum noua Roma diceretur Conſtantinopolis, antiqua alia quandoq; dicebatur. Sexta Synodus Conſtantinop. actione X. ita loquitur: *Qua iam pulcra ſunt a parte Apoſtolica Sedis* Antiqvae Romae; & in Litteris miſſis ab Vniuerſali Sexto Concilio ad Agathonem Papam hæc habentur: *Sanctiſſimo, ac Beatiſſimo Papa ſenioris Roma Agathoni in Domino ſalutem*; & prius dixerat: *In hac à Deo conſeruanda, & regia Conſtantinopoli noua Roma.* & in ſubſcriptionibus Epiſtolæ; *Georgius Miſericordia Dei Epiſcopus Conſtantinopolitanus noua Roma ſubſignaui.*

495 Apud nonnullos ſorte decernebatur, quæ prior vrbs eſſet oppugnanda, cùm plures eſſent; quod qui fieret docet his verbis Sabellicus lib. 5. Decad. 1. *& ſortium de quibus loquor, ratio huiuſmodi fuiſſe traditur: vt nomina oppugnandarum Vrbium in proximam aram temere conſecta, manu rudis adhuc pueri miſcerentur. Inde diuinis rebus rite procuratis, puer ille vnam ex ſchedulis, quibus ſingulis ſingularum Vrbium nomina inſcripta eſſent, ad conſpectum Principum deferret. Apparuit ea ratione, vt dixi, à Tyria oppugnatione bellum inchoandum.*

Lege vetitum lego in Vrbe caſas palea operire; Statuta Veronenſia lib. 4. cap. 67. ita loquuntur; *Statuimus quod nulla perſona poſſit, ſeu debeat habere, nec tenere aliquam domum* Coopertam de paleis, *in Ciuitate, ſeu Burgis Verona intra muros ipſius Ciuitatis, & qui contrafecerit puniatur pro qualibet, & qualibet vice in 60. ſold. & ipſam domum, vel tollat, vel de cupis cooperiat.*

In obſidionibus Vrbium, in pretio erat allium, vnde illud citra nomenclaturam apud Suidam; *Perdo* Allia *in obſidione.*

Olim ſuper Vrbium portas vtilia quædam monita ſculpere conſueuerant; Diſco ex apophtegmatis Arabum, in quibus hæc habentur: *Fertur ad portam Vrbis cuiuſdam in Gracia lapis eſſe in quo hac ſcripta habentur litteris, & Sermone Graco: O' ſi conſiderares modicum, quod victurus es, abhominareris id, in quo nunc ſpem collocas, minueresq; cupiditates, ſollicitudines non ad extremum peruenit te; horum.*

Doctiſſimo Viro

IACOBO GAFARELLO

Epiſt. CIV. Pariſios.

Sacra quadam antiquorum monumenta nunc primùm luci commiſſa.

496 Doctos pleroſq; viros cum litteris compellem, nomen vt illorum nominibus ſcriptis meis faciam, & amicitię, vt ita loquar, commercia exerceam, nō fuit mihi integrum te, Doctiſſime Gafarelle, præterire, quem varia eruditio in doctrinæ culmine conſtituit, eoq; libentius ad te venio, quo gratius tibi futurum ſpero munuſculum litterarium, quod litteris hiſce adijcio. Scio te veterum monumenta diligentiſſimè venari, nulli te labori, ſumptuiq; parcere, vt tibi compares quicquid antiquitatem olet, præſertim ſi ad ſacram ſuppellectilem ſpectet, & ex Sanctorum Patrum, Eccleſiaſticorumq; doctorum lipſanis ſit; iſtud eſt, quod offero; Arethæ Archiepiſcopi Cæſareæ Cappadociæ explanationem in Pſalmum XXXV. ex Græco vertit eruditiſſimus Adamus Fumanus conterraneus meus; hanc tibi hic exhibeo, & poſt te etiam cæteris. Sic igitur res ſe habet in codice manuſcripto.

Aretha Archiepiſcopi Cæſarea Cappadocia explanatio in Pſalmum XXXV. Quam vertit Adamus Fumanus.



ABET quidem fortaſſe nonnulla præſens hic Pſalmus, qua ſpectant ad Hiſtoriam rerum geſtarum Beati Dauid. Videtur namq; (quemadmodum ante nos etiam quidam aſſeruerunt) argumentum ſuum ſumptum habere ex iis, qua inuidia motus Saul aduerſus ipſum faciebat, cum militars etiā eum manu rabide in mōtibus perſequeretur. Ego vero commodius arbitror accipi poſſe, ſi ſcriptus intelligatur occaſione nata ex eo flagitio, quod Amnon primogenitus eius in ſororem Thamar fœde commiſit. Atq; hac quidem ſi nuda tantummodo littera inſiſtamus, neq; Pſalmi prepoſitum eſſe velimus, ipſam eius inſcriptionem, qua in finem tranſmittit, prorſus enim in finem id eſſe non poteſt, quod ad id refertur quod abſolutum iam eſt. Caterum diligentius conſideranti parum admodum Hiſtoriam curaſſe videri poſſit is, qui huiuſmodi armonia magiſter fuit paracletus qui ſolitus eſt interdum multis qui eius ſunt generis, obliuioni traditis, ſilentio occultare, quod audiri non deceat, ne ſi id exponere velit, rudibus noceat, quippe cum eo modo illos ad nequitiam eſſet accenſurus, & ad imitationem malefactorum lubricos eorum animos pertracturus, atq; ita imprudenter peccato materiam ſubminiſtraturus, & prauis inſipientium hominum cupiditatibus perniciosum exemplum propoſiturus. Quo fit, vt iis non facile admodum aſſentiar, qui hac qua pra manibus habemus nūc, exiſtimant ad hiſtoriam referri debere, potiuſq; ex diuiniore illo modo dicta fuiſſe exiſtimauerim, quo multa dicuntur, qua illa, qua ſunt futura, prænuntiant. Verum vt hac eadem etiam cum rerum geſtarum hiſtoria conueniant, nihil prohibet, ſi quidem hoc peculiare eſſe ænigmatis ſolet, vt recte ad pleraq; etiam alia accommodentur, quod ſi ſit, qui hac hiſtoria ſeruire valde contendat, huic cedere mihi quidem non ſit admodum difficile, atq; ita moleſtias contra diſputare volentium effugere. Caterū vtramcunq; quis ſententiam ſequatur, ſiue hanc, ſiue illam, (neq; enim in hoc ego 497

qui-

quidem pugnauerim) is ſine dubio ſtatuet, omnem
animam quæ Dei præcepta contemnat, ea re contem-
nere eum Dei timorim neglexerit, & abiecta omni
penitus ſpe de ſalute ſua, totam ſe in maligni dæmo-
nis poteſtatem tradiderit, vt nullis iam naturalibus
gratiis ſubleuetur, neq; ratio ea quæ vere ſana eſt ac
498 *ſalutaris, eam à lapſu valeat reuocare. Sed enim*
aggrediamur iam Pſalmi huius per ſingulas eius par-
tes interpretationem. Dixit iniuſtus vt delinquat in
ſemetipſo. Summa quandam huius, de quo loquitur
hic, animi prauitatem ſignificat. Cum enim biſa-
riam conſiderentur cauſæ eorum, quæ ab hominibus
committuntur peccatorum, quod ſcilicet ex animi im-
potentia inſanis aliis cupiditatibus ſeruiant, alij cul-
pentur, quòd dedita opera peccent id quod etiam eo-
rum ad res prauas libidinem manifeſtam facit, huius
ſane peſſimi generis verba hæc eſſe illum teſtantur, qui
prauo animi impetu prudens ſciensq; peccatum pa-
trauit. Vbi enim is eum ſemel ſibi finem propoſuit,
vt nihil eorum quæ recta ſunt agat conſilium ſibi nul-
lum præterea in animo reliquum facit, niſi illud, quo,
quæ ſibi collibita ſint omnia acriter perſequatur, ſi
quidem deliberauit ſecum ipſe is qui iniuſtus eſt, &
conſilium hoc cum animo ſuo diligenter excoxit. Huc
enim nunc ſpectat verbum illud. Dixit. vt ſcilicet
peccata mordicus teneat. Huiuſmodi enim eſt ſem-
per prauorum hominum mens, vt ad nihil vnquam ex
iis, quæ vere vtilia ſunt ſe applicet, ſed nullo bonorum
ſibi fine propoſito ruat. Qui enim, & ea quæ natura
noſtræ inſita ſunt à Deo bona, quam ſcimus legem
à Conditore noſtro in animis noſtris velut in tabula
inſcriptam fuiſſe, contempſit, & à præceptis iis, quæ
mandata litteris ſunt, quantum potuit receſſit is qui
fieri poteſt, vt recte quicquam atq; ex officio gerat?
Non eſt timor Dei ante oculos eius. Scimus timorem
eſſe impendentium malorum expectationem, eiuſq; du-
plicem eſſe ortum ſolere, nam & timor eſt, qui ex ho-
minibus naſcitur, cum ſcilicet conſeruandarum, aut
cuſtodiendarum cauſa rerum futilium, ac nullius pre-
tij ab hominibus nobis metuimus, eſt item alterius ciuſ-
dam generis timor qui quidem a Deo nobis intenditur,
& inſtar pædagogi ad ſalutarium mandatorum ſu-
ſceptionem, conſeruationem, non mediocriter nobis vti-
lis eſt. Hoc igitur, quo fit vt vir iniuſtus intemperan-
ter atq; inuerecundè peccet, & peccatum perinde vt
eximiam rem quandam ſtudioſe colat, non aliunde
quam ex eo naſcitur, quod à ſe Dei timorem excuſſe-
rit. Cùm enim, qui eiuſmodi eſt, vbi eu animi ſui
ſenſibus ſemel exterminauit, quibus ſenſibus mens
veluti oculis quibuſdam res ſolet diſcernere, & neq;
diuinum in præſentia ſupplicium metuit neq; futuri
ignis comminationem animo ſecum verſat, ob ea quæ
nequiter geſſit, fieri non poteſt, quin is mentis caligi-
ne quaſi quadam obcæcatus in omne, quod vetitum eſt,
præceps agatur, atq; ad omnia quæ ſibi offeruntur, in-
trepide manus iniiciat. Quoniam doloſe egit in con-
499 *ſpectu eius, vt inueniant iniquitatem ſuam, & odio*
habeat verba oris eius iniquitas, & dolus malorum
vbertas hæc circa iniquitatis arborem conſideratur,
quæ neutiquam alienum à cultione fructum profert,
& indicium ſui apertum opera, quæ facit, exhibet; ex
fructu enim (vti dictum eſt à Domino) arbor cognoſci-
tur, & quemadmodum conſequens eſt, vt bonus homo
de bono theſauro proferat bona, ſic contra etiam con-
ſentaneum eſt, vt qui in flagitiis ac facinoribus vitam
agit, is ea proferat, quæ in vitæ ſuæ theſauro condita
tenet. Verum quidnam aliud anima timoris Dei con-
ditoris ſui oblita, & vni tantum maleficio per totam
vitam intenta queat proferre, quam omnis officij igno-
rationem atq; aduerſus omnes animi prauitatem, &
id vt ſtudia ſua eminentis velit nominibus appellari,
hoc enim ſignificare vult illud: Doloſe egit, eſt enim
dolus compoſitus quidam ad fallendum alterum ani-
mi habitus, cum quis abditam intra ſe alte nocendi
cogitationem ſpecie bonitatis obtendit, ex quo illud
dictum eſt. Dolus in corde cogitantium mala. Tales
ſunt, qui cum placidè loqui ſe ſimulent, fraudes tamen
in pectoris ſui penetralibus verſant. Talis fuit Iudas
qui blando, & leni oſculo nefarium illud proditionis
virus euomuit, atq; ætate ſuperior his omnibus Cain,
qui ante omnes audax ipſe facinus aggreſſus primus
ſe architecti malitiæ diſcipulum oſtendit, & diſcipli-
næ ſuæ ſpecimen ſcelus in fratrem patrauit. Quam-
quam quid ego nunc multis proferendis exemplis mo-
leſtus ſim vobis, cum ætate noſtra complures ſint, qui
non imagino ſimilitudinibuſue, ſed re ipſa malum id
præſeferant, de quo loquimur, & praua vita ſuæ ſtudia,
ſimplicitatis, ſinceritatiſq; ſimulatione vendit are ſoliti
ſint, à quibus optandum eſt mihi vt grex ſacer his
liberetur. Verum enim animaduerte, quo inſtructa
dolis officina feratur. Doloſe egit, inquit, in conſpe- 500
ctu eius vt inueniat iniquitatem, & odio habeat. Et
his verbis illud nimirum videtur, neſcio quomodo
velle oſtendere, dare quidem illum ſedulo operam,
vt inſidiis proximos circumueniat, veruntamen eo
eius conatus recidere, vt quæ agat omnia poſtremo
odium excipiat, quod videlicet ſimul, vt libidinem
ſuam expleuerit, ſuſcepti à ſe in ea re laboris pæni-
teat atq; ex iis primum, ad quæ libidinis impetu ca-
piebatur ignominiam reportet. Quod quidem ſcri-
ptum legimus euenisse etiam Amnom, & poſt eum
diſcipulo proditori, quem etiam patrati à ſe ſceleris
agnitio impulit, vt nefariam eius in templo merce-
dem proiecerit, vel etiam ex Symmachi verſione
fructum hunc tulerit vt aliorum ipſe odium incurrat,
ſic enim vertit ille, vt inueniret iniquitatem ſuam,
& odio haberetur, Quis enim non vehementer ab-
horret hominem illum, ab cuius animo omnis prorſus
ſinceritas abſit, quiq; orationem ſuam fallaciis totam
contexat, & dolis ſuis ſocialem, & mutuæ coniun-
ctionis ſymbolum vitiet atq; corrumpat? Si quidem
neminem arbitror dubitare nulla re aq; deuinctam te-
neri homines inter ipſos ſocietatem, atq; hac quam
nobis opifex, & beata natura largita eſt ſermonis
communione. Noluit intelligere vt benè ageres, ini-
quitatem meditatus eſt in cubili ſuo; Aſtitit omni via
non bonæ, malitiam autem inimice non eſt aduerſatus.
Excellentem hæc quoq; improbitatis nobis magnitudi-
nem arguunt, ſummamq; à rebus omnibus ad ſalu-
tem pertinentibus auerſionem, cui enim ne in ipſa qui-
dem voluntate illud haſit vnquam, vt rectè ageret, ſed
intus in ipſo cordis cubiculo conditum ſtabile noxium
iudicium conſeruat. (Id enim vt intelligimus) cu-
biculi vox facit, quemadmodum prorſus via etiam
vitæ inſtitutum ſignificat, quo quidem ſenſu illud ac-
cipimus. Et omnes vias meas præuidiſti; ac verecun-
dia omni prorſus abiecta, omne vitiorum genus per-
ſequi ſtatuit, ſeq; perindè vt miniſtrum ad quæcunq;
illa iuſſerint, protinus peragenda paratum præbue-
rit, quidnam hic præterea boni ſibi reliquum fecerit,
mihi quidem venire in mentem non poteſt. Verum 501
enimuero qui attentius aliquanto verborum horum
ſenſum perpendant, dubitabunt fortaſſe, quamobrem
ſcriptum non ſit, Aſtitit omni via mala potius, quàm
non bonæ. Quibus illud reſpondebimus, quod quem-
admodum maliti a hoſpitium eſt illud, quo commoran-
di in eo cauſa, iniuſtus peruenire feſtinat, via vero,
ſtudia illa quæ ad eam ducunt, nihil eſt autem quod
aliquo ferat, idem cum eo, quò fert, id enim ſi eſſet,
vtiq; eò cum perueniſſent facto ſtatim itineris initio
nihil amplius eos progredi oporteret, quippè cum ibi id
aſſequuti eſſent, quod cupiebant, ſed ab inſequenti la-
bore deſiſtere, adeptos iam, quod à primo ſibi propo-
ſuerant atq; ſperauerant. Similiter quoq; ij qui in

vita

*vita improbitatem ſequuntur, non protinus ad id Sum-
mum perueniunt, quod petunt, quippè cum in eius adhuc
confinijs hæreant, atque quod ad laborem quidem at-
tinet, ac voluntatem illud adepti iam ſunt; quatenus
autem re vera eo nondum pertigerunt, ab eo abeſſe di-
cuntur. Iccircò rectè non dixit, Mala, ſed, Non
bonæ, quibus verbis dum id, quod bonum eſt, tollit,
medium quẽdam inter bonum & malum ſtatum oſten-
dit. Quippè enim hæc ſolet eſſe natura ſtudiorum no-
ſtrorum, vt donec in actus erumpant, atque ad eos ve-
lut ad manſionem quandam peruenerint, nihil ſimplex
ſincerum atque à ſui contrario penitus ſeiunctum præ-
ſeferant, ſed quò magis ad extremum accedunt, eo
maiorem cum eo ſibi ſimilitudinem acquirunt, idque
ob eam cauſam, quod ab illis longius recedunt, atque
ad huius naturam tranſeunt, neque finem progredien-
di faciunt priùs quàm metam ipſam contigerint.
Quòd quo apertiùs, opinor, declararet, conſentaneum
in modum cum eo, quod dixit aſtitiſſe iniuſtum omni
via non bonæ, illud etiam intulit, malitiam eum ini-
micè auerſatum non eſſe. Sine controuerſia enim, qui
ita ſe comparauit, vt ad ea omnia quæ non decent, pa-
trandaſe paratum præberet, & animum à malitia
alienum noluit habere, is poſtremo in id quod ſummum
eſt, iniquitatem videlicet velut in quoddam maxi-
mum incidit baratrum. Verùm fortaſſe etiam hoc
vobis dubitandum ſuperſit, quid ita non ſic propemo-
dum dixit: Malitiam autem non odio habuit, ſed
malitiam autem inimice auerſatus non eſt. Atqui du-
bitationem iſtam videor mihi hinc non difficilè admo-
02 dum poſſe diſſoluere, ſumpto nimirum hinc argumento
quod ex odij magnitudine inimicitia cõſueuit exiſtere,
quatenus ſcilicet illud quidem lenior eſt, mitiorque à
proximo auerſio, inimicitia verò durior acerbiorque,
& eiuſmodi quæ arma iam & bellum paret. Hoc au-
tem ita eſſe teſtimonio ſuo ſatis docuit diuinus hic idem
propheta; cùm enim apertiùs dixiſſet perfecto odio
odiſſe ſe eos, qui Deum ipſi odio haberent, eoſdem
affirmauit factos ſibi fuiſſe inimicos. Perfecto inquiens
odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi. Ad
hæc igitur appoſita vſus eſt locutione cum dixit. Non
inimice auerſatus eſt, non autem non odio habuit. Quip-
pè tanquam odium rei ſit minus damnanda, inimici-
tia verò longè grauior, aſperiorque; quamobrem hoc,
quod iniuſtus inimice auerſatus malitiam non ſit, indi-
cio eſt, nulla eum in parte à rebus peſtiferis declinaſſe,
ſed ſumma amentia, ſummoque impetu rectà ad eas
actum fuiſſe tranſuerſum, quippè enim ex conſuetudi-
ne Græcæ linguæ, idem eſt dicere non admodum odiſ-
ſe, ac ſi dicatur, prorſus non odiſſe. Domine in cœlo
miſericordia tua, & veritas tua vſque ad nubes; iuſti-
tia tua, ſicut montes cœli, iudicia tua abyſſus multa.
Videtur hoc in loco oratio ſenſum habere diuerſum ab
ijs, quæ ſuperius dicta ſunt, vt alia illa videantur,
ad alia hæc, quæ hic habentur referri, verumtamen
ea nihil in ſe habent huiuſmodi, niſi quod non recedens
ab ijs, quæ dicta ſunt ſupra, vbi modicè eos accuſauit
rurſum admodum feſtinat, vt Dei erga nos patientiam
oſtendat, neque enim turbatis animi motibus ſeruire
conſueuit, beata illa & vno atque eodem in ſtatu ſem-
per perſeuerans natura, neque vellicationi leuiſſima-
rum rerum humanarum obnoxia propriæ ſuæ bonitatis
obliuiſcitur. Sed eos etiam qui à ſe receſſerunt amicè
inſequitur, amplectiturque & contumaces aduerſum
ſe diligit, nec auerſatur, cumque à nobis negligatur,
in prouidendis ipſa rebus nobis opportunis aſſidua eſt,
nam & perenni Cœli in orbem incitatione anni tem-
porum nobis viciſſitudines gignit, & condito à ſe ſa-
pienter operi miſericordiam impertit, & nubibus man-
dans vt pluant, & veris non ſimulatis terram benefi-
cijs inuiſens, palàm eam imbribus inebriat, atque ad
eorum, quæ ex ipſa oriri ſolita ſunt germinationis habi-
lem reddit, commodis nimirum atque vtilitati ani-
mantium conſulens hoc modo. Hæc dum facit, nequa- 503
quam (quemadmodum ineptus fortaſſe exiſtimare
quis poteſt) temere iniuſtèque prouidentiam ſuam in-
ſtitoris more venalem exponit, aut ſtultè immerentibus
miſericordiam tribuit, ſed re vera iuſtitia eius vt mon-
tes Dei, ſtabilis eſt, & firma, eiuſmodiq; quæ omnem
mentis humanæ cogitationem exſuperat, ſeque in di-
gnam Deo altitudinem erigit, extollitque; illud enim
vt montes Dei, neutiquam ita accipi debent, perinde
quaſi comparatio cum alterius Dei opere fiat, quis enim
alius eſſe præter vnum, ac ſingularem Deum poteſt,
tametſi perſonarum is triplicitate diſtinguitur; cæterùm
additum aduerbium illud, veritatem deſignat, & ma-
nifeſtè orationi admirationem adiungit, quemadmo-
dum Ieruſalem etiam ædificari, vt ciuitatem ante pro-
nunciatum fuit. Ijs conſequenter etiam adiungitur in-
ſcrutabile diuinorum iudiciorum arcanum. Quis
enim (vt eſt in oraculo) cognouit ſenſum Domini; aut
extrema eius peruenit. Abyſſo ea multa comparan-
tur, quæcunque illa tandem intelligi abyſſus debet, an
ea fortaſſe, quæ in infinito, atque imperueſtigabili ve-
luti quodam fundo abditã intus ſui cognitionem tenet.
Huiuſmodi enim abyſſi vocabulo collecta in vnum ſub
terra aquarũ ingẽs multitudo appellata eſt. Cæterùm
poſſunt etiam ea, quæ dicta ſunt ab ijs, quorum ad res
contemplandas mentis acutior eſt acies, ac ſpiritum
magis ſequuntur, in hunc ſenſum accipi, vt cœlum qui-
dem ſit, ea, quæ omnia ad virtutem pertinentia in ſe
continet, atque vnique meliorem in partem connexa te-
net pietas in Deum, quam Dominus ex ſola nobis ſua
clementia impertiuit, non autem ex noſtris vllis meri-
tis rerum à nobis geſtarum. Quæ enim eſſe ea poterãt
qui nihil priores ipſi offerre potueramus id quod Diui-
nus eſſe aſſerit Paulus, cum ait. Omnes ſub peccato
eſſe concluſos, atque ex ſola Dei gratia ſaluos factos.
Nubes verò illa, quæ ex ſublimi ſapientia iucundas
hominibus pluuiæ guttas, nempe Chriſtum ipſum Do-
minum anticipata veriſſima ijs inſtillant, qui in loco
inferiore ſunt poſiti, quarum ſiti accenſi tum ille qui
incredibili amoris deſiderio in terra deſerta, inuia,
& inaquoſa, nequaquam animo ad id, quod ſperarat
deſpondens, tum illa etiam in Canticis ſponſa vehemẽ-
ter affligebantur, cùm ille dolenter admodum diceret;
ſitiuit animam ſuam ad eum, quem deſiderabat.
Illa verò amatoris ſui amore flagrans, dari eum ſibi
in conſpectum, & voces eius ad aures ſuas peruenire
eminus valdè ſuppliciter peteret, vocationeque
ſua, quantopere eum ſitire oſtenderet. Poſſunt præterea
per nubes Propheta intelligi, apud quos etiam tene- 504
broſam aquam, nempe verborum doctrina in obſcuris
quibuſdã notis reconditam eſſe, hic ipſe quem habemus
in manibus dulciſſimus carminum modulator obſcurè
ſignificauit, atque is etiam, qui Prophetis omnibus gran-
diloquentia antecellit Eſaias, ſi modo is haberi idoneus
debet, cuius teſtimonium ad huius rei confirmationem
adhibemus, is enim (mea quidem ſententia) in Pro-
phetas ſermonem intendens, eos ait veluti nubes &
pullos aquilarum volare, idemque rurſum mandatu-
rum Dominum, ne ſuper dilectam vineam eadem hæ
nubes fluerent imbrem, denuntiat, ad quos vſque etiam
diuinam veritatem pertingere nemo ſit, qui poſſit am-
bigere, quando poſt eos nemo nobis relictus eſt alius,
qui ſimilis atque illi veritate ſit fætus. Cæterùm vide-
tur mihi etiam montes Dei eos ipſos appellare nunc, in
quibus parem atque ex æquo cum illis certantem iuſti-
tiam ponit, eam nimirum, quæ ante Deum ambulat.
Et in viam pacis greſſus dirigit. Hi autem fuerit Pe-
trus, & Andreas, & Paulus, & aliorum huius gene-
ris virorum chorus verè diuinus, quippè hos æque atque
illos in admirabilem quandam atque alijs inacceſſam
ſe altitudinem ſcimus extuliſſe, & multiplicem rerum*

*vita huius varietatem, vanitatemque excellenti animi
sui magnitudine inferiora duxisse, & abditissimarum
rerum cognitionem in animis suis habuisse, & in sum-
ma obscuritate demersa Dei iudicia protulisse, illos va-
ticinando, & res futuras nobis prænuntiando; idque
per obscura quadam symbola atq; eiusmodi interdum,
quæ non ita omni ex parte laudanda videantur,
Quemadmodum in Osea scimus gestum fuisse. Hos
verò salutaris nobis prædicationis verbum annuntian-
do, cuius rei causa maximas etiam & grauissimas
ærumnas subierunt, ex quibus vt in multorum animis
offensio solita sit generari, nihilominus tamen in malo-
fi.os ipsos earum auctores culpa suspicionis redundant.
Veruntamen fieri non potest, quin ijs quoque qui ea
proferre coguntur, valdè hæc grauia molestaque
sint, tametsi virtutem suam in infirmitate perfi-
ci fortissimo suo satelliti Paulo Exercituum Do-
minus, idemq; fortis in prælijs confirmandi eius cau-
sa responderit, Homines & iumenta saluabis Do-
mine, quemadmodum multiplicasti misericordiam
tuam, Deus; Filij autem hominum in tegmine alarum
tuarum sperabunt, Perstat adhuc in gratiarum a-
ctione de ijs, quæ vtilitati nostræ consulens largita est
nobis diuina prouidentia, & laudum actionem ampli-
ficat, quippe qui ab ijs, quæ condita sunt sensu caren-
tia ad ea progrediens, quæ sensu & anima prædita
sunt. Dei circa hæc prouidentiæ magnitudinem vehe-
505 menter admiretur, ac sic propemodum dicat, In ex-
cellenti supra modum clementiæ tuæ magnitudine
O mitissime Deus miserationes tuæ super omnia opera
tua, eò quod salutem das iumentis natura rationis
experti, & quæ prouidentiam erga se tuam nullo pa-
cto agnoscit atq; hominem etiam præcipuum opus ma-
nuum tuarum æq; atq; illa custodis, id enim significa-
re vult illud saluum facere. Cæterum ab ea quæ par-
ticeps est rationis natura, hoc plus habes, quod ea pro-
uidentiam tuam intelligit, & spe illa quam sibi in te
collocat velut dono quodam tuam in se vicissim remu-
nerari bonitatem studet. Prorsus autem hoc quoq;
opus tuum est, & tuæ erga nos bonitatis, quid enim
habemus quod non acceperimus? Quod enim opus
moueatur, vt gratum esse aduersum auctorem suum
studeat, merito eius rei causa dicendus sit auctor ipse,
qui illud ratione honestarit, atq; ad hoc erudieris, vt
quibus possit modis ipsi vicissim honorem velit tribue-
re. Cæterum quæ de saluto ac spe prolata sunt futu-
rum ea tempus respiciunt, saluabis enim, inquit, &
sperabunt, quod familiaris est scripturæ temporum
commutatio, quemadmodum cum ait. In flumine
pertransibunt pede, siue quod hebraica lingua vetu-
stum loquendi morem retineat, neq; de temporum si-
gnificatis admodum sit sollicita, siue quod etiam ex
eo, quod rem nondum adesse significat, admoneat nos
de spe nunquam omittenda, sed perpetuo conseruan-
da. Possumus præterea argutiore etiam sensu id ex-
plicare, quod in spei vocabulo complicatum latet,
sumpta ad hoc nimirum abunde occasione ex propheti-
ca profunditate, quippe alarum tegmen sensu omni-
bus exposito intelligi potest Dei prouidentia, qua nos
ille solitus est custodire, sumpta ab alis auium tran-
slatione, quibus illæ pullos suos non solum tegunt, sed
ab aliorum etiam noxiorum animalium insidijs de-
fendunt, quotiescunq; hi animaduersis ijs, quæ sibi
nocere possent, ad paratum sibi præsidium matrem
confestim accurrunt, quod quidem etiam ab Ezechia
factum fuisse sancta littera docent, quando ei mina-
tus est Rapsaces quo etiam tempore barbaram regis ar-
rogantiam Deo teste propalauit, vtq; hoc quidem, que-
madmodum supra docuimus ita intelligere difficile
non est, cæterum ex sensu quodam magis etiamnum
recondito per tegmen alarum, & repositam in his spem,
non aliud ego quam Vnigenitis Filij Dei ad nos descen-
sum arbitror significari, quo quidem naturam illam,
quæ damnata in Paradiso morti fuerat addicta, fo-
uet atq; viuificat atq; ab occidente littera, & impetu
fallacium dæmonum tutatur atq; defendit. Et quod
hoc manifestissime ita sit, indicant quæ mox sequun-
tur, Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & tor- 506
rente voluptatis tuæ potabis eos. Ex ebrietate scimus
solere mentis alienationem existere, quandocunq; vi-
delicet vinum immodico sumptum naturali suo calo-
re exhalans cauas cerebri partes petit, easq; humore
suo igneo replens animanti capitis veluti scissionem
intentam, & eo quod animalem spiritum interpellans,
cerebrum ipsum coarctat, & dolore incredibili angit,
cumq; per membra illa, quæ sensuum sedes sunt, ad
partes exteriores eliditur, eaq; libera muneribus suis
fungendi potestate priuarit, ac vim in ijs eam quæ
quæq; percipiuntur, confuderit, ac mox per membra-
nam illam, quæ cerebrum subtus amplectitur ad
neruos vniuersum destillauerit, ex ijs quæ natiuum
ipsorum humorem exuxerit, horum etiam vigorem ac
robur dissoluit, & totum animal ad languorem dat,
atq; ab eo quod erat ante penitus immutat. Simile
quiddam in ea, de qua nunc agimus, ebrietate licet
animaduertere, simulac enim ex admirabili rerum
naturæ ordine is qui Deo recens adhæret, vtilo ani-
ma, & interiorem hominem lætificans populum hau-
serit atq; ex amplitudine pulchritudineq; rerum diui-
nitus conditarum earum auctorem fuerit contempla-
tus, is exhalante in sublime ad pietatem cogitatione,
subito præter modum incaluit, ac quadam veluti e-
brietate correptus, ab eo, in quo prius versabatur er-
rore recessit, & repudiata penitus istiusmodi vanita-
te, se ad veram vitam accommodauit, & quoniam
rudi, & qualis puerili institutioni apta esse solet do-
ctrina ei opus erat, & eiusmodi, quæ puerum quem
intra se contineret ad maiora perfectioraq; proueh-
ret, nactus est interim præceptiones Moysis viri San-
ctissimi, quas etiam inductus est vt torrentem appella-
ret, vel vt temporariam inchoatamq; quæ in hoc est,
expiationem vel abundantem ac repentino vniuersam
affusam rerum meliorum copiam ostenderet. Atq; hinc
clarius iam acriusq; in ea, quæ potiora sunt oculos men-
tis coniectis, & quæ quidem spretis ijs quæ ad præsen-
tis vitæ luxuriam spectant; & propter fastidium, &
quod carnis ac terra in se plurimum possidene, quæ
vero illa omnia vrgens deinceps quæ ad eam quam in-
de habemus nobilitatem, & veterem in qua conditi
eramus formam pertinent, ad supplicem se deinde pre-
cationem conuertit, rogans dari sibi quæ optat. Et quæ 507
sunt hæc quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine
tuo videbimus lumen, quoniam inquit, satis nos eru-
diuisti, ac sitientes primo quidem mira quadam de
domo tua redundante affluentia ebrios reddidisti, tum
scripta legis vberrimis copijs instructos ad res altiores
perquirendas additis veluti alis in sublime euexisti,
vnde velut per speculum vera quodammodo vita no-
bis ostenditur. Tu, inquit, bone Deus, apud quem
nullum aliud fluentum vitæ est, quod hoc quod sis aliun-
de tibi suppeditet, totus enim es fons, ipse inexhau-
stus, & in vniuersa, quæ à te condita sunt, bonitatis
tuæ vires profundis, fac vt in eo quod interim donatum
est per Moysem exili ac modico diuinæ cogitationis
lumine, verum tuum videamus lumen, nempe cogna-
tum tuum, tuiq; spiritus verbum quod tu in morem ful-
guris vibras, coruscatione infinita ex singulari efful-
gens qui apud te est beato splendore. Prorsus autem
nemo negabit opinor domum Dei appellatum esse mun-
dum hunc, quem oculis cernimus, nisi is qui etiam
Moysem fidelem in tota domo Dei audiens nominari
cogitationem suam ab eo qui verè, auocet (cuius etiam
opificium cum pie Moyses idem descripsisset minister
Dei fidelis est appellatus) ac Dei domum aliam quærat*

fab u-

fabulosam fortasse, quamuis cogitatione ad legem re-
currat, quæ domus ipsa non est, sed præcepta domui
conuenientia, itemq; domesticos ac domus ipsum cu-
stodem stolidè admodum inspiciat, cum positum eum
sibi ante oculos aurum perspicere oporteret, neq; alibi
illud inuestigare, more cæcorum, neq; alius sit quispiam,
qui in præsenti lumine aliud sibi Dei lumen optet osten-
di præter vinum illum gloriæ splendorem, vnde etiam
omne est quicquid aliud hominibus honesto viuendi
rationis luminis immittitur, nisi is fortè sit, qui præ
lippitudine manifestè hallucinans valdeq; ad hoc ipsũ
lumen impatiens, quod debili admodum oculorum acie
sit minoris alterius luminis naturam desideret, perinde
ac si noctuæ essent, aut nycticoraces, qui hoc optarent.
Verum enim quod propemodum impetu rationis proue-
ctus indiscussum reliqueram, æquum fore sum arbi-
tratus, si hoc loco à me abderetur vt nihil hoc amplius
possit requiri. Animaduertendum est enim dixisse
eum, torrente potaturum, non autem inebriaturum, &
voluptatibus multis non vna tantum, quod mandata
Moysis nec præsentaneæ sis potio, nec eiusmodi, quam
qui hauserit, eum penitus ab se abalienatum in seipsis
victurum promittant, sed lenta, & paulatim refri-
gerans, & eiusmodi quæ ad eam quæ in Christo est
perfectionem, eos eueh at, qui infantum more ipsis ad-
hærent, nec vna re tantum culpam expiare, & sancti-
tatem afferre sufficiant, quemadmodum quod penes
nos est peccatorum piaculum, quippe cum ea multis
pijsq; diuersis vtatur delitijs, & quæ quotidiana quæ
corpori impenditur, alimoniæ magis similes sint, neq;
efficacem ac durabilem ad tollenda peccata vim vllam
possideant. Extende misericordiam tuam scientibus
508 te, & iustitiam tuam his, qui recti sunt corde. Illumi-
natus à Spiritu Sancto Propheta, ac propterea cogni-
tis ante diligenter, quæ erant futura, ad ea quæ pau-
lo ante precatus erat addidit etiam hoc, vt ne dissipa-
retur Misericordia Dei, sed prorogaretur potius, &
præmij loco tribueretur ijs, qui ad eam suscipiendam
rectum cor præparauissent, quod nimirum nihil erat
aliud, quam aduentus per carnem huius ipsius, qui fa-
ctus est nobis sapientia à Deo, Iustitia, & Sanctifica-
tio, & Redemptio, & quicquid præterea de eo, is qui
ad tertium vsq; Cœlum ac Paradisum peruenit, ma-
gnificè prædicauit. Ita enim rectius est nos intellige-
re, quàm ex eo sensu, qui plerisq; communiter consue-
uit occurrere, si quidem legem spiritualiter iubemur
considerare, quam quidem ex huius eiusdem Pauli
sententia vmbram futurorum didicimus intelligere,
prorsus autem legis nomine veniunt scripta hæc quoq;
quæ nunc habemus præ manibus, nisi forte oscitanter
frustraq; veram sapientiam audimus, quæ verba ci-
tans ex hoc ipso libro, odio, inquiens, habuerunt me
gratis, ea protulit, tanquam à se ex lege desumpta.
Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris
non moueat me. Ibi ceciderunt omnes qui operantur
iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare. Ni-
mirum hoc loco ordo transpositus est, vt verborum, ita
etiam sententia. Neq; enim pes superbiæ causa est,
quamobrem manu peccatorum moueatur vir pius, sed
contra potius manus, hoc est prauorum hominum im-
probe facta causa fuerant viro iusto, vt non constite-
rit sibi, atq; interdum à pristina sua modestia reces-
serit. Cæterum ad confirmanda ea, quæ à se dicun-
tur Propheta, & cautionem adhibere solitus est, &
copiam, cum ad cætera, tum ad id etiam, signando
ad res peccatorum secundas considerandas animum
adiecit. Fatetur namq; parum abfuisse, quin emoti
sibi sint pedes, & gressus dissipati, quippe tanquam
animum suum ad indignationem maxime incitaret,
ea prosperitas, quâ hi perpetuo in hac vita fruerentur,
non minorem tamen præterea ad animum suum
in hanc fraudem inducendum vim habere, illud af-
firmat, quod nullum ex ijs vnde soliti sunt ad frugem
reuocari hac re in eos flagellum intendatur. Non enim
est, inquit, recusatio, scire, vt vertit Symmachus ver-
satio in morte eorum, & firmamentum in flagello ipso-
rum, quæ quidem causa fuit cur illi non paulatim ac
pedetentim in ambiguam atq; inchoatam, sed in cer-
tam atq; absolutam importunitatem ac superbiam per-
uenerint. Pedes autem est gressus figurate nostras ad
agendum motiones appellat, vt enim ex gressibus pedes
quis habere intelligitur, ita ex ijs quæ agit quisq; illius
studia cognoscuntur. Verum enim quoniam hæc ita se
habent, & per manum peccatorum facta eorum sole-
mus intelligere, vnde cruere huiusmodi hominum cæ-
dis dicimus virum iustum manus suas id est facta
abluentem, emundari. Iccirco hanc huic loco expla-
nationem afferimus, Prophetam orationem suam eo
voto concludere, quod oret, procul à cogitationibus
suis abesse quicquid ad improborum imitationem in-
uitans, atq; ad superbiam hominem extollens, elatam
postea grauissimo casu in præceps deturbat. In quem
omnes (sic enim Symmachus reddidit illud ibi cum, 509
ipso verterit, vbi,) detrusos esse operarios iniquitatis,
& expulsos à spe rerum meliorum, quas propositus
nobis textus spopondit, confirmat, foreq; ait, vt nun-
quam ad honestum ipsorum pristinum statum reuo-
centur. Tale est enim malum superbia, & quam ve-
hementer id animæ noceat Paulus significauit, cum iu-
dicium eam diaboli appellaret, quod videlicet qui ea
teneatur difficillime corrigi sanariq; possit. Quocirca
alius etiam vir de numero sanctorum, vt superbi ho-
minis duritiam, & præfractum ad resipiscendum ani-
mum describeret, propter insitam penitus, & in qua
iam callum obduxit consuetudinem, rudi necdum
subacta incudi cor eius simile esse pronuntiat, sed hic
dicat aliquis; Quid hæc ijs obstant quæ dicta sunt su-
pra? Ego vero longè plurimum arbitror. In quo
enim vitæ dissolutio causa est, vt animi eius cogita-
tiones vitientur is principio statim vniuersi prouiden-
tiam tollit, eamq; quam longissimè ab se ablegat, mox
superbia ac fastidio elatus omne à se moderationis
frænum excutit, omnemq; pietatis in Deum doctrinam
auersatur, nugatorium existimans hoc, quod dicitur,
creatorem ex ijs, quæ oculis videntur, intelligi, magis
verò etiam nugatorium putans hoc, quod dicimus eum
sub humana forma nobis apparuisse, si quidem cui
vita ipsius deprauata opinionem hanc in animo im-
pressit, is temere ac fortuito omnia agi putat, quæ in
mundo fiunt, neq; causam esse, quamobrem hoc ma-
gis quam illo modo existant. Quod ne nobis eueniat
popule mi, & Dei, immo mi etiam, quoniam Dei,
filij honorati o vos Dei dilecta omnes simul prosperita-
tem rerum vitæ huius perindè vt rem fallacem si-
mul, & falsam, & animarum nostrarum saluti con-
trariam, eiusmodi quã nulla ex parte viris pietate
præditis debeatur despiciamus. Quid enim possit af-
ferre vita delitijs affluens, & voluptaria ei viro, cuius 510
totum in eo studium fuerit, vt labore, & ærumna quæ
virtuti præposita sunt præmia adipisceretur, quiq;
certum magnitudinis animi sui specimen in perfe-
rendis fortiter rebus aduersis solitus sit præseferre?
Non sunt illa hæreditas mea ait Dominus etiam
nunc, neq; hæc pars eius qui vitium supplantat dile-
cti, & simplicis Iacob. Esau sunt hæc odiosi illius,
& profani, & à paterno lare procul extorris, qui &
montanus est, & magnam partem locis inuijs dele-
ctatur, & lentis edulio primogenita sua vendidit.
Nos vero suscepta Christi nostri humilitate, qui mi-
tis fuit, & humilis corde, & quamuis eandem cum
patre formam haberet, portaretq; omnia verbo virtu-
tis suæ, non tamen dedignatus est humanitate nostra
assumpta fieri vocariq; filius hominis ac discipulorum
suorum pedes manibus lauit, & ab ingrato discipulo

proditus fuit, ac morte demum crucis turpissima affectus est, vt ego à morte, & turpi seruitute liberarer eius, qui me olim in Paradiso fascinauit, horum omnium memoriam assidue in animis nostris circumferentes, colamus in nobis agrum, illum inquam plenum, cui benedixit Dominus, in humilitatis nostræ altitudine gloriantes, colamus autem modo, nimirum si cauebimus, ne cupide apud alios quod boni egerimus, ostentemus, si quidem manifesta esset amentia, si cum a superbia male fugeremus, inanem gloriam quæ nos ad illam duceret, sectari vellemus. Sed ignotum alijs, atq; vni tantum illi qui in occulto vides, patri notum thesaurum ferentes, ab eo præconium expectemus, quando rerum à nobis gestarum iudex aduenerit, & meritam vnicuiq; mercedem præbebit; cum quo gloria patri summeq; sancto, & bono, & viuificanti spiritui, nunc, & semper in sæcula sæculorum Amen.

Hucusq; se Arethæ explanatio porrexit. Sed vt plenius tuis votis velificer aliud antiquitatis monumentum offero, quod gratissimum tibi, & ijs qui eandem tecum rerum antiquarum sitim patiuntur, futurum spero. Cur statim natus Iesus permiserit tot infantes, innocentesq; occidi multæ redduntur ab auctoribus causæ. Res luculenter explicatur quæst. XXVI. ex Amphilochijs Photij Patriarchæ, quam integram hic exhibeo, quod nondum in lucem edita sit, nec latina veste donata. Tu habe, & quicumq; hæc voluerit. Vale vir doctissime, & scito me tua expetere, dum tibi ea quoq; offero, quæ non mea, nisi ab ea parte quod primus iuris publici illa facio.

Ex Amphilochijs Photij Patriarchæ

QVÆSTIO XXVI.

Cur Christus vt primum natus est permiserit sui causa Infantium cædem.

511 *PERPVLCHRA sanè hæc tua est dubitatio; magnamque redolet commiserationem, sed non minus præclara forte asse afferetur solutio, quin etiam dulcius, vt arbitror apparebit Iudiciū. Diram Infantium cædem ab Herode patratam, vniuersis innotescere, manifestarique oportebat, hoc autem minimè contigisset si id occisionis scelus in homines adultæ edidisset ætatis, facili enim negotio assentatores quasdam commenti essent rationes, quibus persuaderi posset eiusmodi nefariam cædem iuste ab illo perpetratam cum interfectos assererent multorum reos esse facinorum; scelera autem impunita sinere, Regem minimè decere; de hisce vero Infantulis, nec fabularum impudentissimus structor, tale quid effingere vel excogitare poterit, ideoque inexcusabiles manifestè apparent inhumanitas, & incredibilis sæuitia mentis, lingua, manusque scelesta. Insuper necessum erat, vt Immolanda ante nouam Impollutamque victimam omnis actualis peccati essent expertia, ne præstantissimam victimam suo dedecorarent sacrificio.*

Quapropter, & congruentius extitit Infantium Chorum quam alios quoque, vel nimis inquinatos peccatis Diuino præimmolari agno mundi delicta tollenti. Quòd si leuamen aliquod pro ijs optas, qui maximis premuntur calamitatibus, & id pariter hinc emergere perspicies. Siquidem iugulantur Infantes, quorum ætas incapax est peccati, Vnde cum afflictos se aliqui viderint, nec arbitrari queant id sibi contigisse ærumnarum, quod grauiora admiserint scelera, ideoque acerbiori conficiantur angore penè in desperationem versi, ve primum innoxiorum Infantium sibi proponent exemplum, dirumque in illos facinus scelestorum, instar solatij id totum habebunt, & quam maximè ad patientiæ inhortationem aptum, quo in gratiarum actionem excitentur in eum, qui nostra omnia sapienter gubernat. At ex homini Impudentissima internecione Infantium qui nullam sibi concitare poterãt inuidiam; quam enim inuidiæ causam nuper geniti Infantes præbere valebant? Perspicuè intelligi datur quo modo Iudæorum gens saluatorem beneficia exhibentem, incurabilesque curantem morbos, cuius ignominiosaque mortis damnaret supplicio, quem æquum fuisset pro impensis beneficijs laudum rore perfundere, illustribusque redimire coronis, etenim si Innocentes, contra quos Inuidia insurgere nequibat, impia tamen trucidatione Rex Iudæorum peremit; Quid non sunt ausi, qui à Rege ipso ad cædes instructi fuerant, & præexercitati tanta præsertim flagrantes inuidia? enim verò quo magis ad laudem ac venerationem homines grati excitantur erga illos, quorum eximia, & admiranda apparent opera, quæue iamplurium in se conuertant intuitum beneuolentiamq́; concilient eo vehementius detestabiles hic animi motibus in ijs dominans qui ingrati sint, ac dolosi ad odium eos accendit, sed & alias quæso contemplare rationes, Primus qui iustus extitit Abel nullius culpæ reus neci expositus, subitamque mortem suæ Arcis fundamenta infirma esse ostendit. At quoniam post eum scelesti plures illius ædificium in circumuallatam extruxerunt munitionem, opera pretium sanè erat, vt qui ob humani generis bonum aduenit saluator eiusmodi expoliaret Regiam.

Quapropter præordinantur ipsi Infantes, & tanquam Hastati quidam, ac magni Regis Præcursores 511 *peccati expertes, martyrijque conspersi sanguine ad arripiendos in Inferno detentos præmittuntur, qui simul Dominicum Aduentum, & communem redemptionem sua euangelizantes præsentia, iugulationesque ostendentes, quas propter communem liberatorem perpessi erant, ac fidem per ipsas facientes humani generis saluatorem a Prophetis prænũtiatum aduenisse ipsi mox Inferno inspicienti adeo magnam, & quæ vix numerari posset insontium phalãgem terrorem incusserunt; atq́; etiam ferè integram plenamque ei ad futuram euersionem per hæc exordia indicarunt, cum tam multorum insontium, nec ius mortis penitus auferat, eamq; destruat. Præterea hinc elucet quod maximè in moro diuina est sapientia. Quale hoc? ineffabilis sanè & quæ nec mente comprehendi potest, Dei id plerumquè consueuit sapientia, vt ex tristibus læta producat, atque iucunda ex contrarijs emittat opposita. Sic etiam Iosephum suorum fratrum exagitatum inuidia Dominum constituit Aegypti: etenim nisi inuidis illum oculis ijdem aspexissent fratres venditus non fuisset, quod si non venditus seruitutique addictus, & in carcerem detrusus vinculis obstrictus non fuisset, implicata somnia non soluisset, & nisi exinde Regi innotuisset Præfectura Aegypti nequaquam ei demandata fuisset. Vides quam eximium ex fratrum Inuidia, & odio emanauit bonum, quoque Deus Iosephum coronauit glorijs. Alius postmodum Pharao in Israeliticam desæuiens tribum masculis Infantibus iniquus flumen carnificem excogitauit; At ex huiusmodi interfectione contigit,*

vt

vt Moyſes vice propria domus, quæ vna erat de Populo, nil à cæteris tribus ſuæ diſcrepans, Aegyptiacis enutritus ſit in Palatijs; Diuina inde indicante prouidentia quod is, qui inſidijs petebatur inſidiantium potiturus eſſet dominatu; Hinc cum Aegyptium occidiſſet ipſius iniuria afficientem contribulem deſecto facinore fugam arripuit, tum rurſus ſignis, prodigijſque munitus ſupra quam credi poterat vrget, flagellatque Aegyptum, & demum à dura ſeruitute ſuos liberat contribules atque eos, qui in eam illos redegerant cum vniuerſo exercitu ad compẽſationem nimirum fluuialis cędis in maris demergit fluctibus. Quare ex quibus Pharao fluuiali morte Hebręorum damnauit Infãtes, ex his genus omnem è captiuitate erutum eſt, & Aegyptiorum ſuperbia cum omni exercitu, curribus, ac ducibus in mare ſubmerſa. Multa verò eiuſmodi ex ſacris Eccleſię Pratis quis decerpens oſtendere poteſt, ſic quidem etiam per diram, & ſceleſtam Herodis cędem Infantulis hiſce Beatorum Martyrum incorruptę efflorueruns, & contenta ſunt corona, datumque eis cum fiducia aſtare Deo, & perpetuam illam in gaudio, & lætitia inenarrabili cum cęleſtibus agminibus ſimul ducere Choream, ac Beatiſſimo omniumque deſiderabilium pręſtantiſſimo frui ſpectaculo. Quibus quotnam cædes, quæuè pænarũ acerbitates condignę cenſebuntur? Quare non ſolum ſatius fuit nefariam & immaturam Infãtium mortem nullatenus inhibere, ſed multo extitit melius permittere, vt ea inferretur, cum hinc tã magna, & ęterna, ac ineffabilia ipſis geminauerint bona.

Sed hęc quidem vt tibi indulgerem, qui tanto ſtudio ſacra diſcendi teneris, leuiter tetigi, ſi verò aliquis Arcanorum verborum, quæ Paulus audiuit, conſcius effectus non ſacra perfectius edocere voluerit quam maximas eiuſmodi viro gratias habere fatentes libentiſſimè toto vitæ tempore tanquam Præceptori operam dabimus.

Hucuſque ſe quæſtio extendit, hìc illius eſt terminus. Volue iſta dum plura, dum maiora paro. Tu caue ne nobis ea inuadeas, quæ aut à tui ingenij fęcunditate ſunt nata, aut tuâ diligentiâ fuere collecta. Noli ſolus habere, quæ prodeſſe multis poſſunt. Vale.

Illuſtriſs. Reuerendiſs. Præſuli
IOANNI TEVPOLO
Venetiarum Patriarchæ.

Epiſt. CV. Venetias.

Sacerdotum manus Virginis vtero pariata; cum Virgine collati Sacerdotes: alia de Sacerdotibus, Altariſque Sacrificio addita.

Gloriam tibi tua ſcripta pariant,
513 mihi verecundiam creant, eum in illis me productum video, & mea verba tanquam probæ, & antiquæ notæ Doctoris in teſtimonium eitata. Me nimium effers, Pręſul magne, te demittis nimium. Vtrumque tamen ferendum, & quia iam factum, & quia tu ita voluiſti. Hoc me erigit, & recreat, tantæ auctoritatis tua verba eſſe, vt alienis quoque pondus adijcere poſſint, ſi tuis adiecta, inſerta tuis ſint. Quod meam mentem circa magna, & multa volumina, quæ editioni paras, quæris, cenſeo à te moram omnem amoliendam, nedum cunctaris tàm immenſas diuitias videaris viris, qui ſacras diuinaſque litteras verſant, & Dei verba populis è ſuggeſtu prædicant, inuidiſſe. Tu ſolus tantæ moli, tantis ſumptibus par, vix ab alio ſperes, quod tu ipſe à te ipſo non obtines. Expoſui quid ſentiam, tu expone, quæ auidè expectantur. Interim tu quoque in obſequium accipe quæ ſubijcio, quæ quò pauciora, & magis obuia, eò firmius euincunt me, non vt te doceam, ſed vt venerer, ea hiſce chartis conſignaſſe. Plura à me ſi voles, volumina quæ edidi volues, quod à te frequenter fieri loquuntur volumina quę edidiſti, loquentur & illa; rubor me corripit, dum cogito, quæ paras editioni.

SAcerdotum manus Virginis Vtero pariata alibi
obſeruabam; rem firmat quod habet Sancta 514
Brigitta lib. 2. Reuelat. cap. 17. *Filius Dei loquebatur ad Sponſam dicens. Credis tu firmiter, quod hoc quod Presbyter tenet in manibus ſit corpus Dei? Reſpondit illa. Ego credo firmiter, quod ſicut verbum miſſum Mariæ factum eſt in ventre eius caro, & ſanguis, ſic hoc quod nunc video in manibus Sacerdotis, Credo eſſe verum Deum, & hominem.*

Sacerdotem porrò ſacra facientem, cum Virgine Deum, hominem in vtero concipientem ſic confetebat Ioannes Euſebius: *Si in contentionem duo adduxeris, hinc Euchariſtica illa admiranda pariter, & adoranda, mox hac, Virginem concipere abſque viro; parere abſque perrupto clauſtro; matrem fieri & Virginem permanere; haud facilè ſtatueris, inquam quid alteri anteponas. Naturam ſuperant vtraque; diuina potentia operatur vtrinque: ſed hinc in Virgine; vnica ſemel ad breue tempus, vna in Palæſtina; inde verò operatur in homine Sacerdote Angelo corporeo, terreſtri Deo. Nec in vno, ſed in pluribus: ſed multo ſæpiſſimè, ſed vſq; ad conſummationem ſæculi: vbique locorum ab ortu Solis vſque ad occidentem iuge ſacrificium operatur; fuit in Conceptione Maria Mater gratiæ, gratia plena, ſed nullo per hoc ſpeciali charactere inſignita; ex cuius vi & poteſtate plures productura foret, pariterque parituros. Quia verò in ſui auguratione quicumque Sacerdos? Hic diuine in anima interiore imprimitur charactere, quo & à cunctis Deo ſegregatur Chriſtianis, & præ cunctis Angelis deuouetur Deo, vnitur Deo, vt ſit vnus ſpiritus plenus Deo, vt diuina procuret ex Deo; Deum rebus adeſſe humanis, & homines gaudere, fruique Deo faciat ex officio. Væ tibi Sacerdoti, qui geris officium tantum, nec ad Dei illud exeris ſeruitium, nec ad hominum, aut rarè, aut torpidè, aut indignè id exerces beneficium. Quid ità diuino plenus theſauro mortales miſeros deſpicis, ac dimittis inanes, cum toties operari diuinis intermittis? Tamilline tibi, ad genitricem Dei, non, aut raro, aut improbe te accedere*

dere velut genitorem Dei? O meliora Deus? Nescio an grautus vrgeri res possit, aptiùs explicari.

Pergit idem auctor, & eosdem Sacerdotes cum eadem Virgine, vt Dei matre comparat, aitque: *Sacrata Virgo Dei est mater, habendo se passiuè, idque benedicto solum ventre, & carne sua, contulitque ad prolem id quod suum erat, humanum, ex sua naturali potentia, licet Deo supra naturam operante. At verò Sacerdos, quadamtenus dici potest esse Pater Christi, habendo se actiuè; vnde dicitur sacris operari, facere sacra, diuina patrare. Idque ex intentione mentis, ventre nobilioris, exque dati vi spiritus diuini; conferque ad transubstantiationem id quod Dei est diuinum intra se & supra se; & tamen in voluntate sua ad operationem, aut omissionem liberum; estque illud potestas characteris, quæ purè est spiritualis habetque se effectiuè. Beata Virgo obumbrata Deo, consentiens concepit intra quinque verba:* FIAT, *en passiuè se habens,* MIHI SECVNDVM VERBVM TVVM. *Sacerdos verò actiuè, velut generas, certè efficientia sua verberum quinque transubstantiat, dicens:* HOC EST ENIM CORPVS MEVM. *Item,* HIC EST CALIX SANGVINIS MEI. *Denique Beata Virgo parens genuit Dominum, semel paruulum, non loquentem, non ambulantem, seruulum, passibilem, mortalem; Sacerdos verò facit adesse hominem, substantia panis ac vini cessante, saluis accidentibus; sæpè ad placitum suum, perfectum, regnantem, Dominum, impassibilem, & immortalem. O inexplicabilis potestatis excellentia? Hoc tamen inter Deiparam ac Sacerdotes interesse tenendum est, quod in iam dictis illam quidam superare videantur. Verùm quoad modum dumtaxat, non autem quoad substantiam facti. Quia Virgo beatissima Dei Mater est eatenus substantialis, quod dederit illi esse verum hominem nouum ex se talem, qui ante non fuit homo, Sacerdos iam ante hominem Deū facit existere iam sub speciebus, vt non nisi analogicè, quasi Christi Patres, queant appellari. Itaque præcellunt in modo, in facto Deipara, eò quod Sacerdotalis operationis est fundamentum.* Quàm sublimes nos auctor iste extulit, quā egregiè Sacerdotis dignitatem extendit! Digna omnia sunt quæ seriò cogitent, qui tàm grande munus exercent.

Summam Sacerdotis excellentiam, ac in sacrifi-
515 cando potentiam, sic ex B. Vgonis Carthusiensis Reuelatione expendebat, magnus ille auctor: *Dei Patris magna est potentia Creationis, vnde Pater & Creator audit vniuersorum:* DIXIT ET FACTA SVNT. *Sex diebus operatus est: prima lucem: altera firmamentum: tertia Maria, & Terras, & Plantas: quarta Luminaria Cœli: quinta Pisces, & Aues: Sexta Hominem omnium dominum: septima quieuit. Hæc Patris in creando potentia, quæ facit res creatas, terrenas, corporeas, corruptibiles. Sacerdos verò suæ officij sacri potentia, quid producit? Increatum, causam causarum,* IESVM CHRISTVM *Deum & Hominem, qui non moritur, nec videbit corruptionem. Ad hunc vnum Sacerdotalis sanctionis effectum ter maximum age, confer millies millenas mundorum myriadas, manifestè comperies, finitorum omnium ad vnum infinitum nullam esse comparationem posse. Atqui mundum & ea quæ in eo sunt produxit potentia Patris Dei; Sacerdotis verò potentia produxit Filium Dei in Sacramentum, & Sacrificium. Quo admirabilior potestas est Sacerdotij transubstantiatione Filium Dei, quam creatione res perituras Dei Patris producentis?* Hactenus ille. Vix aliquid maius de tantæ dignitatis dignitate dici poterat. O muneris excellentiæ motum, vitæque sanctimoniæ responderemus! Sed aliqua nunc adijciamus de ijs, quæ circa ipsos.

Olim in aliquo casu solebant aquam benedictam in Calicem sanctum mittere, & in os stillare. Hinc illud in vita Sancti Antonini Abbatis, vbi de quadam muliere, quæ corruerat, hæc leguntur: *Cum tota iam præmortua extremum palpitaret, quum raros singultus traheret, quum spiritus in suprema linguæ hæreret, prædictus Archipresbyter aquam benedictam in* CALICEM SANCTVM MISSAM GVTTATIM IN OS RECLVSAM STILLABAT, *& inter hæc simul cum astantibus pro ea incessanter orabat. Hac illi refectione iniecta, anima in sedem propriam reuersa, vitam reddidit & calor paulatim in ossa diffusus, sensum restituit.*

Cùr antiquitus quoque Sacerdotum ablutio coram sacris Symbolis fieret, ritè explicat Pachyme- 516
ra in cap. 3. Hierarchiæ Ecclesiasticæ, vbi hæc habet: *Cæterùm cur coram sacris symbolis illa Sacerdotum ablutio instituitur? Quia nimirum corā Christo, qui occultissimas quasque humanas cogitationes intuetur, suprema illa expiatio perspicacissimis scrutationibus, exactissimisque & integerrimis iudicijs absoluitur; hoc enim modo Hierarcha diuinis rebus vnitus diuinissima consecrat mysteria.*

Quisnam ex Apostolis primus fuerit, qui post Christi in Cœlum Ascensionem sacrificium corporis & sanguinis eius Deo obtulerit, non est ita facilè statuere. Marcus Vigerius Christum suos Apostolos ita alloquentem facit Chorda 9. *Tu Petre, quem caput omnium nominaui, per Crucem vitam æternam assequeris multis benedictionibus copiosus. Tu Andrea, quoniam frater es Petri per Crucem me sequeris. Tu Ioannes consobrine mihi, & corporis integritate sublimis eris benedictionibus copiosus. Tu quoque Iacobe, Ioannis frater copiosa à Deo benedictione manant. Tu verò, Iacobe, qui priori Iacobo consobrino nostro, meo inquam, tuo, non meritis, sed vocationis ordine minores nominandus; vt benedictione præuentus es meæ consanguinitatis, sic te benedictionibus facio gloriosum, es mihi corpore & virtute quam similis;* PRIMVS OMNIVM MEVM CORPVS ET SANGVINEM SVB PANIS VINIQVE SPECIEBVS PRO BENEDICTIONVM COPIA CONSECRABIS, SVMES, *conseruabis, & distribues. Tu insuper Simon consobrine carissime benedictionibus repletus esto perpetuo. Tu Iuda mihi consobrine dulcissime per martyrium ad me gloriosus accedes, benedictione copiosa vestitus. Tu Philippe fili carissime, scito benedictionem tuam esse longissimam, primus omnium Coapostolorum gentes ad me congregabis, ad me venies granum purum pœnarū multitudine excussum. Et tu Bartholomæe meis esto benedictionibus fertilis. Tu adhuc Thoma qui multarum benedictionum copia digitos misisti in loco clauorum assumeris à me. Tu Mathæe cui multas benedictiones iam contribui, nunc te scribam, & Cancellariū meum constituo de tua diligentia, & probitate securus. Hæ sunt vt coniecturare licet, benedictiones, quas ascensurus Iesus dedisse innuit Euangelista cum dicit. Et eleuatis suis manibus benedixit eis, & factum est, dum benediceret illis recessit ab eis.*

Duos vel tres Calices in Altari alicubi aliquando positos indicāt verba quę habet Gregorius Pontifex Epist. ad Bonifac. Episcop. Moguntiourn, vbi hæc habet: *In Missarum autem solemnijs illud obseruandum est, quod Dominus noster Iesus Christus Sanctis tribuit Discipulis suis. Accepit namque Calicem & dedit eis dicens: Hic Calix noui Testamenti est in meo sanguine hoc facite quotiescumque sumitis.* VNDE CONGRVVM NON EST, DVOS VEL TRES CALICES IN ALTARIO PONERE CVM MISSARVM SOLEMNIA CELEBRANTVR. Plura prudens non exhibeo, cum multus de hac re fuerim in meo agno Eucharistico, qui multorū dentibus & præcipue Patrum tuorum teritur, & auidè, vt ita loquar, glutitur.

Illustrissimo Comiti

ALBERTO POMPEIO

Epistola CVI. Veronam.

Quædam obseruationes de augustissimo Trinitatis mysterio.

517 NOn puto alienum alienis tibi verbis meam mentem aperire; quòd Ennodius Firmino dixit dicam ego tibi: *Iucunda sunt commercia litterarum docto auctore concepta, illa in quibus ad vnguem politi sermonis splendor effulgurat; vbi oratio diues frænis peritiæ continetur; at vbi scaber sermo angustiam pauperis signat ingenij; adeò non petentis desiderium acuunt, vt scribentis labor contemnatur, & ieiuna, ac hiulca scriptione incipiant displicere, quæ altoquin placuissent.* Placuit hæc inserere doctoris eloquentis verba, vt statim tibi constet quam pauidus scriptioni manum admouerim, daturus ad te litteras, nec enim aut quas expetis possum exhibere, aut illis pares quas mittis: *Tu fauos loqueris*, sunt & ista ab eodem calamo, sed in te non minus quadrant, quam in Olybrium, cui scripta, *& per domos cereas eloquentia nectare liquentis elementi mella componis, vt non mirum si peregrinum tua legentium labijs saporem epuli diuitis infundas.* Docta sunt incude formata, quæ dedisti, & quod rarum, stylus & melleus, & acer est, blanditur simul, & pungit, nimirum apem refert, & aculeum habet & mel. Grata fuerunt, quæ iam habemus, reliquum est vt des reliqua, quæ auidè expectantur. Libera fidem tuam, vt lectores tuos arctius liges. Nouissimè quæ de Sanctissimo Trinitatis mysterio ex Hebræorum fontibus libasti, in quodam tuo opere vidi, quæ hic extra Hebraicos limites adijcio nescio an in rem tuam sint, faciant ad tuam mentem. Tantùm fine huic Epistolæ subijci in meæ signum obseruantiæ.

518 ILlud circa Sanctę Trinitatis notitiam obseruabam in Veteri Testamento filium obscurius prędicari, in nouo apertè ostendi, Spiritus sancti diuinitatem subobscurè indicari; rem, & causam habet Sanctus Greg. Nazianz. orat. 37. vbi ait: *Vetus Testamentum Patrem apertè prædicabat, Filium obscurius; Nouum autem nobis Filium perspicuè ostēdit & spiritus diuinitatem subobscurè quodammodo indicauit. Nunc verò Spiritus ipse nobiscum versatur, seseque nobis apertiùs declarat. Neque enim tutum erat Patris diuinitate nondum confessa Filium apertè prædicari; nec Filij diuinitate nondum admissa, Spiritum sanctum velut grauiorem quandam (si ita loqui fas est) sarcinam nobis ingeri, ne alioqui velut cibis vltra vires grauati, ac solis radijs hebetes oculos adijcientes, ijs quoque, quibus præditi eramus, viribus periclitaremur: quin tacitis potius accessionibus, & (vt Dauid loquitur) ascensionibus, atque ex gloriâ in gloriam progressionibus, & incrementis. Trinitatis lumen splendidioribus illuceret. Ob hanc causam (vt opinor) ad Discipulos quoque sigillatim se confert, ad excipientium videlicet captum modulumque sese impertiens nimirum in Euangelij principio; virtutes perficiens post Christi passionem insufflatus, post ascensum igneis linguis apparens.*

Augustissimæ Trinitatis excellentiam hoc maximè declarat, vt nūquam Dęmon tentasse cultoribus suis legatur se tanquam trinum & vnum adorandum. Pulchrè ille: *Cùm Lucifer, atque illius sequaces spiritus, aduersus Deum, insolescentes, æquales ei fieri affectassent: Ero similis Altissimo, quo ad modum saltem, suam à seipsis beatitudinem obtinendi, neque diuino eam beneficio, in bonorum operum præmiū, acceptam referendi, quantumuis ea procacitate, ac superbia contra Deum se extulissent, tantam nihilominus de huius Sanctissimæ Trinitatis sublimitate, opinionem retinuerunt, vt nec ipsa eorum superbia omnium maxima, eò aliquando arrogantiæ eos euexerit, vt in hoc quod est trinum, ac vnum esse Deo exæquari ambiuerint. Cùmque eo insania vanus atque impudens eos tumor adegisset, vt rem adeò impossibilem, atque etiam Deo in Beatitudinis obtinendæ modo similes esse, cōcupiscerent, haud quaquam tamen ita in hac sua elatione euanuerunt, vt de hoc, quod est trinos vnosque fieri, vel leuissimè cogitauerint. Tanta nimirum est altitudo, ac sublimitas huius mysterij, vt eo contemplando, & innata Angelica intelligentię perspicacitas hebetetur, & obstinatæ voluntatis pertinacia, contentioque frangatur.*

Addit & rem adhuc vrget: *Vbi iusto Dei iudicio meritas superbiæ pœnas dantes iam Cœlo excidissent, cum magna diuinæ iniuriæ cupiditate, & furiali in Deum odio, perciti, illius nomina sibi vsurpassent, atque oracula, templa, sacrificia, milleque alios colendi ritus, soli Deo debitos arrogassent: nullibi tamen hactenus auditum aut lectum nouimus, ausos hoc sibi aliquando assumere, vt se trinos vnosque esse, vel maximè credulis superstitiosisque suis cultoribus, persuadere tentarent. Adeò supra conditionis suæ captum visum illis hoc mysterio, tàm intellectu difficile, tamque obscuro, vt vel credulos maximè populorum animos, alienaturum potiùs, quàm in sui cultum admirationemue tracturum videretur. Atque hæc non dubiè magna, & admirabilis veritatis vis, atque præstantia est, in hoc sublimi mysterio, quod cùm nihil omninò vel sensu delectabile aut iucundum, vel intellectu blandum, in se contineat; quinimmò tàm magnam ac difficilem mentis deditionem, ac subiectionem exigat, cæcosque ac suspensos ab omni sensibilis experimenti iudicio oculos, intellectumq; ab omni rationis innatę ductu reuocatum, ac retentum; orbem nihilominus peruadens vniuersum debellauerit fidemque extorserit.*

Hucusq; bonus iste auctor, quæ obseruationes dignę mihi visę, quę tibi sisterētur; nam plura dare nec animus, nec opportunitas est. Vale Vir doctissime, qui, quod rarum, Marti Mineruæ iungis, & doctrinam armis armas, arma doctrinis expolis.

Reu. Patri D.

PETRO HABITABILI

Clerico Regulari.

Epist. CVII. Goam.

Pia quadam obseruationes circa sacram Eucharistiam.

519 EX tuis, mi Pater, colligo, lata locorum interstitia amori nil officere, nullum charitati præiudicium afferre, si verus ille, vera ista sit. In longinquas partes te alienæ salutis cupiditas ita traxit, vt detractum nostro affectui nihil sit. Pergamus, & in amoris stadio alter alteri non cedat; ego vt fatear me in omnibus alijs à te vinci, hic aut victor ero, aut esse contendam; & incipiam esse, dum esse cupio. Gratum fuit audiuisse, istue quoque afeetica mea opuscula peruenisse, & aliqua in linguam translata, quæ intelligi ab illis gentibus possit. Quòd quæris, vt si quid noui cudi, ad te mittam, libenter id faciam, vbi se occasio dederit; è re mea maximè puto esse, si opuscula mea in tàm dissita ferantur loca, vt ibi quoque fructum aliquem ferant. Quia verò mei moris est aliquid Epistolis alligare, quod pondus aliquod Epistolis adijciat, hæc obseruationes nõnullas circa augustissimam Eucharistiam habebit, quę cùm Inferi Agno Eucharistico non potuerint, hic ne pereant implanto, quæ eò gratiores erunt tibi, quò salubriora monita continent. Vale, & quò longius locorum distamus spatijs, hoc affectu viciniores esse contendamus, imò non vicinitatem tantum quæramus, sed & vnitatem.

520 MVltum refert quam dispositus ille sit, qui Eucharisticum panem accipit. Christus ipse Sanctam Catharinam Senensem alloquens tract. 3. cap. 112. hæc habet: *Similitudinariè loquendo contingit* VT IN SIGILLO *quando super cera bene disposita ponitur, quo sublato remanet effigies eius in cera: sic in anima bene disposita remanet effigies gratia mea, virtutes istius venerandi Sacramenti: quia videlicet remanet in ea calor ignita charitatis mea, qua Sancti Spiritus est. Ibi quoq; manet Vnigeniti filij mei sapientia intellectus oculo clarius illuminato in ipsa Verbi mei sapientia, vt videat eoq; cognoscat ipsius veritatis mea doctrinam. Hac ergo sapientia in magna fortitudine remanet participando fortitudinem patientia mea, qua fortificat animum contra mundum, & aduersarium, atq; propriam passionem sensitiuam.*

Non casu factum, quòd non post resurrectionem hoc Sacramentum instituit, sed antequam impij carnificem sanguinem eius effunderent, vt sic amorem suum proderet, & innueret voluntatis fuisse, quod est passus non necessitatis: *Christus*, inquit Ioannes Eusebius, *pra desiderio se nobis donandi, suique Sanguinis pro nobis profundendi ante diem festum Pascha antequam violenter illius cruorem extraherent impij carnifices, vltrò ipse dedit nobis proprium sanguinem, & corpus totum, & sicut Gregorius Nyssenus dixit, vt mortem anteuerteret prius se Hostiam obtulit, & Victimam, non quidem vtcunque, sed vt illius sanguine pasti illum magis amaremus, illum intimius amplecteremur, non solum intra brachia, sed intra ipsa pracordia illi intimius vniremur, in illumque toti transformaremur.*

Vtile est, quod ante sumptionem Eucharistici epuli faciendum docuit dum fecit B. Gertrudis. lib. 3. cap. 34. Insinuationis Diuinę pietatis ca. 34. hæc leguntur: *Christi corpus sumptura vice quadam dum se nimis imparatam doleret, orauit Beatam Virginem, & omnes Sanctos, vt Domino* PRO SE OFFERRENT OMNEM DIGNITATEM, *qua quilibet ipsorum paratus fuisset ad quamlibet gratiam recipiendam. Orauit insuper Dominum Iesum Christum, vt ipse pro ea offerre dignaretur perfectionem illam, qua in hora Ascensionis paratus astitit Deo Patri ad suscipiendam glorificationem. Et post paululum dum inuestigare niteretur quid per hanc orationem lucrata esset. Dominus respondit: Hoc lucrata es, quod iam verè omnibus cęlicolis appares in eo ornatu quem tibi petisti; Et adiecit Dominus: Quare diffidere velles de me omnipotenti, & benignissimo Deo, quod perficere potest quilibet homo in terris, vt scilicet habens vestimentum vel ornatum illo vel simili sibi induere possit amicum suum, & inde prestare, vt amicus suus appareat gloriosus eodem ornatu quo ipse fulgebat.*

Quanti referat in Eucharistici Sacramenti vsu os ab inanibus, & noxijs sermonibus custodire didicit, & docuit apta similitudine Sancta Gertrudis, nam lib. 3. Insinuat. Diuinæ Pietatis cap. 18. hæc leguntur: *Post sumptam communionem, die quodam dum reuolueret quanta diligentia os esset obseruandum, quod pracipue inter alia membra est receptaculum preciosorum Christi mysteriorum, hac similitudine edocta est: Videlicet, si quis non obseruans os suum à verbis vanis, falsis, turpibus, detractorijs, & similibus impœnitens ad Sanctam accedit communionem, tali modo suscipit Christum (quantum in se est) sicut qui hospitem in ipso ingressu lapidibus in superliminari congregatis obrueret, vel vecte duro caput eius obtunderet.*

In Eucharistia affinitatem cum Dei Matre nos contrahere, sic deducebat Ioãnes Eusebius: *Nullus homo propinquior est affinitate alteri, quàm est tibi comuncta Beata Virgo. Qui corpus Christi suscipit in Eucharistiâ, vnione quadam reali fit vna Caro cum Christo; vt non sit vnio alia, & coniunctio tam propinqua, & similis inter homines, etiam inter virum & vxorem: quare etiam debes te putare affinem matri ipsius Christi, & reputare habere eandem carnem. Maior item est coniunctio Physica, & realis inter Deum, & te, quàm inter te, & Patrem tuum: qualis ergò erit affinitas, quam contrahis cùm matre ipsius Dei.*

Quanta puritate ad Eucharisticam Mensam accedendum sit docet Christus ipse Sanctam Catharinam Senensem alloquens tract. 3. cap. 124. 521
Nosse, inquit, *debetis quia si possibile foret expediret etiam* IPSAM ANGELICAM NATVRAM *in hoc venerabili Sacramento purificari, sed omninò purificatione non indiget: quoniam in Angelo peccati venenum*

num occurrere non valet; hoc verò tibi dixi, vt intelligas quantam ab omnibus in hoc Venerabili Sacramento puritatem exquiro.

Et verò in Eucharistiæ vsu cũ reipsa peruenire
522 non possumus ad illam, curandum est, vt votis perueniamus; inter quæ illud maximè opportunum, quod his verbis exprimebat Ioannes Eusebius iam productus: *O vtinam possem te excipere* ILLA REVERENTIA, QVA BEATISSIMA MATER TVA TE EXCEPIT VTERO SVO, *in stupendâ illâ horâ Incarnationis: aut quomodo corpus tuum sanctissimum de cruce refixum accepit in suo gremio:* ET PATER TVVS IMMENSVS EXCEPIT SPIRITVM TVVM, *in manus suas commendatum, cùm expirasti.*

In malorum os ingreditur, ne se damnatos crederent, si subire eorum impurum pectus Christus nollet, hæc Christi sunt verba apud Sanctam Brigittam lib. 2. Reuelat. cap. 2. *Sicut*, inquit, *in humanitate mea, & boni, & mali exigerunt me, ad ostendendum veram humanitatem, & patientia humilitatem, sic & boni, & mali comedunt me in Altari. Boni ad maiorem perfectionem, mali autẽ ne credant se esse damnatos, & ex eo quod possunt hoc corpore meo sumpto, si volunt personaliter mutare voluntatem, & conuerti. Et quam charitatem maiorem possum ego ostendere, quam quod mundissimus ingredior etiam ad immundissimum vas? Quapropter sicut Sol materialis à nullo possum inquinari.*

Firmamentum sacram Eucharistiam dictam, probant hæc verba, quæ in actis Sancti Caloceri apud Mambritium habentur: *In quo eis* FIRMAMENTVM *Dominici corporis traderent.*

Nolo de hoc argumento plura dare; integrum de illo volumen cum condiderim, publicique iuris iam fecerim, possum hîc breuitati litare, præsertim cum Epistolaris angustia id quoq; suo iure veluti exigat.

Adm. Reu. Patri

N. N.

Ordinis N.

Epistola CVIII. N.

Contumeliæ, vt digerenda, & excipiendæ. Aduersitas desponsationis annulus.

AVdio te non leuibus iniurijs la-
523 cessitum, quæ tibi eò grauiores visæ, quò tu innocentior. Falleris; iniuriæ, quibus es appetitus, si non mereris, tuæ non sunt, nec in te iactæ, alium petunt, innocentia tua ab illarum te ictibus subducit. Denique tui est ita excipere, vt quodam patientiæ calore absumas, & digeras. Vtile illud est, & dignũ, quod te quoq; numeret inter eos qui illud excipiunt. *Non est sapientiæ vomitus solatio euacuare iniurias integras, sed digestione consumere. Est malè affecti stomachi euomere cibos, nec posse satis concoquere.* Ab hoc te auoco, ad illud voco. Vale.

FVit, hæc quæ adijcio pro literariâ appendi-
ce seruiant, qui contumelias excipiebat, 524
non secus ac margaritas, & vniones essent. Sedulius in Sancti Francisci vitam hæc habet rei firmandæ: *Contumeliam imponit, & inhumanè conuiciatur, tu despice, & contemne illum contentum, veluti latratum canis, si feras constanter exemplo Dauidis, a Semei maledico lacessiti conuiciatore: animum te gerere significas supra vulgi opinionem magnum & laude dignum. Simulque pro maledictis referto benedictionem Dei. Hoc nouerat Frater Iuniperus, socius Sancti Francisci, qui opprobrijs lacessitus gremium conuiciatori adparare atque aperire solitus est, & dicere. Amice proijcias huc, imple gremium istis lapidibus pretiosis,* CONTVMELIAS APPELLANS VNIONES. O eandem nos quoque mentem circumferremus, æquiori enim animo, lætiorique contumelias omnes ferremus, & potius timeremus laudes quam iniurias.

Porrò, vt hoc adijciã, laudis amore qui corripiũtur, & adulatorijs vocibus delectantur, vt sine illis torpeant, similes illis arboribus sunt, quæ irrigatæ fructus producunt, sine aquis, ac fimo exarescũt. Festiuè rem explicat S. Ioannes Climacus gradu 2. *Animaduerti*, inquit, *plurima & diuersi generis virtutum plantaria, ab ijs qui in mundo degunt, consita, tanquam ex occultis cuniculis ventosa gloriæ Stimula irrigari, atque ex ostentatione quadam suscepta, laudibusque velut stercore nutrita & inquinata, postquam in sola eremi loca & sæcularibus inuia translata sunt, nullaq; grauéolentis profanarum rerum uliginе tincta, repentè exaruisse. Neque enim in humido nata stirpes solent in asperis aridisque religiosæ disciplinæ officinis fructus gignere.* Sed quod de aduersitatis annulo præmisi, promisique iam probo.

Corporalis aduersitas spiritualis desponsationis 525
anulus est dicta. Apud Sanctam Gertrudam in insinuatione diuinæ Pietatis lib. 3. cap. 2. hæc habentur: *Dum in quadam oratiuncula offerret Domino omnem tolerantiam, qua tam in corpore quàm in spiritu grauabatur, & omnem delectationem qua tam spiritu, quam carne frustrabatur. Apparuit Dominus, illa duo quæ sibi obtulerat, scilicet, delectationem & tolerãtiam in specie gemmatorum annulorum quasi pro ornamento vtrisque manibus ferens. Quòd cùm intellexisset, prætactam orationem sæpius iterans, post aliquantulum temporis cùm eandem recitaret, præsensit Dominum Iesum annulo sinistræ manus (quem intellexerat corporalem grauaminis tolerantiam esse) sinistrum oculum eius lædere. Et ex tunc eundem oculum (quem Dominus visus est in spiritu tangere) doluit in corpore. In tantum, quòd postea nunquam plenè conualuit ad priorem sanitatem. Hinc intellexit, quod* SICVT ANNVLVS SIGNVM EST DESPONSATIONIS, SIC AUVERSITAS TAM CORPORALIS QVAM SPIRITVALIS, VERISSIMVM SIGNVM EST ELECTIONIS DIVINÆ, *& quasi desponsatio animæ cum Deo: in tantum quod grauatus quisque veraciter, imò confidenter dicere possit illud: annulo suo subarrauit me Dominus meus Iesus Christus.* Hanc cum Deo desponsationem qui amat non facilè repudium aduersitatibus det.

Adm. Reu. Patri D.
STEPHANO MEDICES
Vifitatori nunc Generali Clericorum Regularium.

Epift. CIX. Venetias.

Infcriptiones quadam: quadam elogia, & nonnulla variarum rerum obferuationes.

526 NEfcio vnde factum, vt exiftimer aliquas infcriptiones poffe condere, quæ lapidibus incifæ ad pofteros tranfmittantur. Tu quoque, mi Pater, me adis, & à mea ruditate vis tibi infcriptiones formari, quibus futuris fæculis fiat præfens, quod præteritum eft. Parui nutibus tuis, & quod à me exculpfi fculpendum mifi, fi ita vifum tibi fuerit; nam fors non fepulchris imponenda, fed obliuionis fepulchro præftabit condere, quæ condidi. Totum iudicio tuo committaur. Mihi interim fatius fuit promptæ parentiæ titulo confuluiffe, quàm doctrinæ. Sed iam habe, quod ad imperium tuum cudi.

I

D. O. M.

Situs hic eft, in quo olim fitum
Quicquid in magnis fpectatur vt magnum
Edici nomen poteft, res tantum indicari.
LAVRENTIVS PRIVLVS *Ioannis Filius*
Patricius Venetus.
Reipublicę natus bono benè res Reipublica
Apud Summum Pontificem.
Exterofque Reges prudentia nunquam exterus
Tractauit
Rexit Populos à populis erigendus,
In Patria ad fummos honores euectus
Dignitatis onus eâ fuftinuit dignitate
Iure, vt vertatur in dubium,
Ipfe necne auctus honoribus, an honores ipfo.

II.

D. O. M.

Alterum mutus hic lapis, non alium
Ac oppofitus loquatur, loquitur,
Idem LAVRENTIVS PRIVLVS
Melior vt effet veluti cogeretur
Maior eft factus.
Ad Venet. Patriarchatum euocatus
Cleri fui mores, certis legibus, viuis exemplis
Duabus perfectis Synodis
Aut efformauit, aut reformauit.
A CLEMENTE VIII. S.R.E. CARDINALIS *creatus*
Veftium purpuram morum candore exornauit,
Altare quod erigendum illo reliquerat
Et MARCVS PRIVLVS *eius Nepos inchoauerat*
Perfecit viri fui iuffu poft viri fui obitum
MARIA LAVREDANA.

Hucufque fe imperium tuum porrexit, 527
fed latiores limites meus in his litteris emittendis mos aut exigit, aut admittit. Liceat igitur mihi plura, quàm poftulacris, dare, quia hic pluribus loquor, fcribo pluribus, etiam cum vni fcribo. Nonnullas alias infcriptiones adijcio, quæ vtinam fint illius faporis, vt à viris peritis mentis admotæ palatui non ftatim reijciantur. In his quæ maximè contractæ nos lapidis aptauimus anguftiæ.

Venetijs in Templo Sancti Nicolai Tolentinatis.

D. O. M.

Samaritana Fufcarina Fufcarinæ Samaritanę,
Viuens nimirum fibi moritura,
Hucq; ponenda ponebat
Anno falutis M. DC. XLIII.
O ad vitam fit paraffe, quę ad mortem.

Ibidem.

D. O. M.

CÆCILIÆ DIEDÆ *Matris, &* LVCRETIÆ *Filia*
Aeterna domus, fed non æternum.
Cæleftem expetunt expectant non cafuram,
Quam cum hic effent probâ vitâ
Pararunt fibi, fibi compararunt.
P.
Anno fal. M. DC. XLIV.

In eadem Vrbe in eodem Templo.

Nefcio an fuperius pofitum, an quod fubiecto.

D. O. M.

Hanc quietis habent domum
Virtutum qua fuere domicilia
CÆCILIA DIEDA *Mater, &* LVCRETIA *Filia*
P.
Anno fal. M. DC. XLIV.

In Agro Vicetino.

D. O. M.

SANCTO LEONARDO *Aedes hac facra, & Sancta*
Quam IOANNES GALEATIVS *Comes Thienaus*
Suorum pietati infiftens, non fuorum quoque confulens
commodo
Pofuit *Erexit*
Domus parua, magnum ipfe magna religionis
domicilium.
Cuius hoc votum
Animatum Dei Templum vt fiet,
Quifquis inanime iftuc ingreditur.
Anno ab orbe redempto. M. DC. XXV.

AdSe-

Ad Sereniſſimum

Mantuæ Ducem
FERDINANDVM
GONZAGAM,

Dùm Mediolanum occultè, & ſine vlla pompa adueniſſet.

Notus Orbe Princeps notâ Vrbe latet?
Verius latere putat.
Scilicet
Sol ſuo ſe lumine conatur tegere, ſed conatur
Difficilius tibi Magne Dux latere
Quam alijs ſit ſe prodere.
Etiam verè deliteſcis,
Sed ſub Iuſtitia purpurâ.
Sub munificentia velamine,
Sub Sapientia veſte.
Te virtutum operimenta magis produnt, dum tegunt;
Nempe
Minus opertus videris, quia his vndique operiris.
Pietas huc te duxit, Tu quocunque abis Pietatem,
Religio tibi comes,
Quæ in corpore debili, non debilis, ſed vegetior.
Notum ſit tibi Magne Princeps
Minus ignotus es, quia ignotus eſſe voluiſti,
Etiam humilem animum in te latitare, dum latitas, oſtendis
Fœlix Mantua fœlix,
Quæ
Huius Principis ſedes eſſe meruiſti,
In quo
Virtutes ſedem poſuêre.

28 E L O G I V M

Excellentiſſimi D.

FRANCISCI A CASTRO

Supremi Hiſpaniarum Conſiliarij.

FRANCISCVS A CASTRO
Fœlix omen etiam ſub nomine deliteſcit,
Res mira, lector, ſed vera,
In CASTRO *iuſtitiæ metropolis continetur.*
CASTRVM *iſtuc virtutum* CASTRA *tenentur.*
Pietas, Prudentia cætera animi dotes hic militant, non milites
Hic Aequitas non Equites excurrit.
Pugnant inter ſe virtutes de primatu
An moribus nobilior vel ſanguine,
Grandior an humilior,
Magis pius, an magis ſapiens
Dicendus
Lis indicitur
Vtri palma detur magna laudi dabitur tā magno viro.
Dum dirimitur ita cenſe.
Virtus ſanguinis nobilitatem nobilitat
Et auorum purpura virtutem veſtit.
Hinc iure in ius vocatur.
An ipſe ad dignitates euectus fuerit,
vel dignitates ad ipſum
Legati munere functus ſæpè, Prudentiam,
ac dexteritatem ablegauit nunquam
Neapoli, ac Sicilia Prorex
Rex vbique ſui
In Supremi deniq; Hiſpan. Conſilij numerū adſcitus
Nec numerus dici debet.
Bonus aliorum Conſiliarius, qui benè conſulit ſibi.

DOCTORIS LAVREA

Dum Doctiſſimus

HIERONYMVS BOSSIVS

Donaretur.

HIERONYMVS BOSSIVS
Externarum litterarum cultor non externus,
Reipublicę litterariæ columen,
Quam & multis editis monumentis
Et multis edendis
Quæ & quærunt lucem, & à luce quæruntur,
Illuſtrauit.
Varia eruditione ornatus, variæ eruditionis ornamentum
Romanâ Ciuitate donatus
Romana Eloquentiæ Ciuis, imò Senator,
Iure vtriuſque Iuris laurea inſignitur;
Nempe
DOCTORIS Lauream accipit, doctrinarum laurea.
Gaudeat Iuris Prudentia;
Bonus repertus eſt Caduceator
Qui
Fœdus inter ipſam, bonaſque litteras feriret,
Et Baldos Tullianâ incude in Tullios verteret,
Accurſios in Quintilianos.
Honorem huncce Magnus Boſſius accipit
Magnus Honoris Honor futurus.
Diſce Lector
Bonus ille legumperitus cenſeri debet
Qui leges inanimes dum didicit, euadit lex animata.

Alias plures inſcriptiones plura alia Elogia aut amicorum poſtulatio, aut magnorum virorum nutus exculpſerunt, ſed hæ, quas dedimus ſatis noſtro inſtituto eſſe poſſunt. Obſignabo, vbi quaſdam obſeruationes adiecero, vt promiſi. 529

Et in primis nolo hic ſuppreſſam obſeruationem non adeo tritam, nimirū Archiepiſcopum olim in ſua Prouincia *Summum Pontificem* dictum fuiſſe; Euincunt id Vvitichindi verba: *Eodem tempore, quo hæc intra Italiam gerebantur* SVMMVS PONTIFEX *Vvilhelmus, Archiepiſcopus Moguntinus vir ſapiens, & prudens pius, & cunctis affabilis à Patre ſibi commendatum regebat Francorum Imperium.*

Patres dici in Epiſtolis ab amicis nolebant pleriique religioſorum, licet Abbatis titulo eſſent inſigniti. Sanctus Petrus venerabilis Abbas Sancto Bernardo ſcribens lib. 6. Epiſt. 3, ita habet. *Reuerentiſſimum me dicis, Patrem nominas, amicum chariſſimum appellas. Duo præcedentia neſcio; tertium agnoſco.* Et nonnullis interiectis. *Reuerentiſſimum me eſſe ignoro, Patrem quantū ad te me eſſe nego.* Ac tandem ſe Guigonis Abbatis exemplo tuetur: DE PATRIS NOMINE, *hoc tibi, Reuerende Frater, ſcribo, quod ſingularis ſuo tempore, & præclariſſimus religionis flos, Domnus Guido Prior Carthuſienſis, mihi quondam ſcripſit, ſcribebam ei frequenter, & ſæpè cum eo, vel verbis adinuicem collatis, vel litteris familiaribus delectabar, & eum in Epiſtolis meis Patrem nominabam. Tolerauit hoc primum, putans me finem factarum ſcribendi. At poſtquam me perſiſtere vidit, & frequentibus litteris Patris nomen iterare: in hæc verba Sanctus ille tandem prorumpit, ſcripſit namque mihi Epiſtolam, in quam inter cætera hoc inſeruit,* 530

Vnde

Vnde petimus per eam, quæ in nos indignos feruent viſcera, dilectionem: vt quando noſtra exiguitati veſtra ſcribere dignatur ſerenitas, ita de propria cogitetis ædificatione, vt infirmitatem noſtram periculoſa non inflectis elatione. Ac ſtatim, & illud, inquit, præ omnibus ac ſuper omnia quæſumus, & defixis in terram genibus obſecramus: ne vilitatem noſtram Patris nomine dignam vlterius æſtimetis. Satis, & ſuperſatis eſt, ſi Frater, ſi Amicus, ſi Filius appelletur, qui nec ſerui nomine dignus habetur. Scripſit hoc ille mihi, ſcribo & ego hoc idem tibi.

Inter cæteraa humilitatis prærogatiuas hæc ſingularis, qua dicebatur, virtutes cęteras *Beatificare.* Nicolaus Notarius Sancti Bernardi Epiſt. 37. hæc in humilitatis laudem habet: *Humilitas virtutum magiſtra, ſingularis filia ſummi Regis, à ſummo Cęlo cum Cælorum Domino deſcendens in Cęleſtibus Animis æternam poſuit manſionem, ſine humilitate per prudentiam eligere, quod diligendum eſt, ſicut ſapiens ait, Erronea diſcretio eſt, aduerſa per fortitudinem ſuperare, tacens victoria, illecebris pertemperantiam reſiſtere, temulenta ſobrietas: operibus iuſtitiæ inſiſtere, palliata ſuperbia: ſola eſt humilitas,* QVÆ VIRTVTES BEATIFICAT.

Excellentiſs. Viro, & variarum ſcientiarum peritiâ Nobili

HIERONYMO SARDI *Medico.*

Epiſt. CX. Genuam.

Fluuiorum nomina morbis ſuperſtitioſè olim applicata. Alia circa morborum medicinam ſuperſtitiones; addita ſaniora quadam monita.

531 TAndem tuus Medicus ad me peruenit. Admoui illi manum & venam tetigi, & licet non ſim Medicus, ſanus mihi tamen adeo eſt viſus, vt ſanitatem etiam affricet ſi voluatur. Vbi hucuſque iacuerit, neſcio, hoc tantum ſcio, ſerò ad me veniſſe, vel vt verius loquar, perlatum; quòd idcircò ſcribo, ne mearum litterarum accuſes tarditatem, meque negligentiæ arguas, & inſimules. Vis verbo dicam, quid de tuo libro cenſeam? Dignus eſt, qui legatur ab omnibus. Placet medica Ars, quę non ſanitati tantum conſulit, ſed & ſanctitati. Placet doctrina, quæ ſacram non ſacræ nectit, & hanc illi ſubſternat. Saluam nobis vel ſolo titulo commouiſti. Placitura, quæ dabis, fidem faciunt, quæ dediſti. Tu igitur te ipſum ſequere: Dum imitator tui fueris, nos erimus admiratores. Fruimur exhibitis, & cupimus exhibenda. Quòd quæris, vt ſymbolum ego quoque offeram; facturus id eram antequam quæreres. Non vni tibi, ſed omnibus aliqua, quæ ad medicam artem ſpectant, editioni paraui. Librum quippè condidi qui totus circa medicos, & medicinam verſatur, ſacris litteris, meo more, facem præferens, & immittens lucem. Locum illum Euangelici Prophetæ explicans, quo nonnemo ſe à culmine eximens, dixit ſe non eſſe Medicum, conatus fui, imò & coactus, vt vulgatum interpretem ab omni nota vindicarem, plura circa medicinæ artem conuehere. Videbis, nam operi iam eſt vltima impoſita manus. Interim dum mea offero tua quæro; & vt fortius te ad tuorum editionem prouocem hæc, quæ ſubijcio, Epiſtolę alligo, quibus velut quadam eſca ad lucis littus citò trahantur, quæ es pollicitus. Vale.

AD Medicum ſcribens aptè à morbis exordiar. 532
Ineptè olim, & ſuperſtitioſè fluuiorum nomina morbis applicabant; quod damnat Sanctus Chryſoſtomus Hom. 8. in Epiſt. ad Coloſſ. *Dic mihi,* inquit, *ſi quis acceſſerit Medicus, & medicina dimiſſis medicamentis incãtet, eùmne dicemus medicum? Nequaquam. Medicinæ enim non videmus medicamenta. Ita nec hîc Chriſtianiſmi.* ALII AVTEM RVRSVS APPLICANT NOMINA FLVVIORVM, *& alia audent innumerabilia. Ecce dico & prædico vobis omnibus, quod ſi quiſpiam fuerit deprahenſus, non parcam iterum, ſiue amuletum, ſiue incantationem, ſiue huius artis aliquid aliud faciat.* Sic ille.

Sed & poſteriora ſecula par, aut maior etiam inſania infecit. Lachrymis ſunt digna, quæ ſuo æuo impiè aliquos præſtitiſſe, narrat Sanctus Bernardinus Senenſis ſerm. X. de Idololatriæ cultu art. 3. cap. 2. Siſto eius verba, vt quiſque videat, quam ab idiotarum quorundam leuitate timendum ſit: *Contra febrem continuam, tertianam, vel quartanam dant herbarum folia ſcripta ad comedendum ieiuno ſtomacho, vel pomum ſcriptum, ſiue ſcriptam hoſtiam, & hoc tribus diebus, quaſi diabolus velit præferri Chriſto, qui ſemel in vltimo infirmitatis in ſacramento aſſumitur ab infirmo, diabolus autem ter: Chriſtus in neceſſitatis articulo ſumitur etiam à non ieiuno: ſed diabolus venerabilius ter à ieiuno ſtomacho vult ſumi.*

Addit aliud, quod non minus ſtultitiam, ac impietatem, quàm ſuperius ſapit: *Contra morbum regium, ſiue morbum caducum, ponunt duodecim candelas ad duodecim Apoſtolos, & cum infirmus ſit prius baptiZatus in nomine Ieſu Chriſti, tunc rebaptiZatur in nomine Diaboli, cum mutatur nomen impoſitum in baptiſmo, & imponitur nomen Apoſtoli ſecundum quẽ remanſerit candela accenſa.* Quàm fatua, quàm delira ſuperſtitio, quàm noxia, niſi ſtatim, ac pullular, aboleatur.

Olim, quòd mireris, alia quoque amentia aliquos tenebat, ſingultienti quippè dicebãt, vt dextera manu ſiniſtrum pollicem teneret. Meminit huius ritus riſu potius, quàm notitia digni Sanctus Auguſtinus de Doctrina Chriſtiana lib. 2. cap. 20. vbi inter alia ait: *Quæ miniore nomine phyſica vocant,*

cati, vt non quaſi ſuperſtitioſè implicare, ſed natura prodeſſe videatur: ſicut ſunt inaures in ſummo auriũ ſingularum, aut de ſtruthienum oſſibus anſula in digitis, aut cùm tibi dicitur ſingultienti; VT DEXTERA MANV SINISTRVM POLLICEM TENEAS. *His adiunguntur millia inaniſſimarum obſeruationum, ſi membrum aliquod ſalierit, ſi iunctim ambulantibus amicis, lapis, aut canis, aut puer medius interuenerit: atque illud quod lapidem calcant, tanquam direptorem amicitiæ, minus moleſtum eſt, quàm quòd innocentem puerum colapho percutiunt, ſi pariter ambulantibus intercurrit.* Hæc ille. Sed demus aliqua ſaniora.

33 Corporum medicinam cum ea qua anima curatur, peritè inter ſe conferebat Sanctus Gregorius Nazianzenus, huiuſque difficultatem præ illa ita colligebat orat. 1. apologet. *Profectè*, inquit, *ars quædam artium, & ſcientia ſcientiarum, mihi eſſe videtur hominem regere, animal maximè omnium varium & multiplex. Porrò hac quadam ratione quiſpiam perſpexerit, ſi animarum curandarum rationem cum corporum medicina contulerit, quantoque hæc noſtra laborioſior, quam illa ſit, expenderit, ac, tum materia natura, tum artis facultate, tum actus fine, præſtantior. Illius enim labor circa corpora verſatur, fragilemque hanc, & humi labentem materiam, omninò tandem interituram, eaque quæ fert, ipſius conditio, perpeſſuram, etiamſi artis ſubſidio, diſſidium illud quo laborant, nunc ſuperet. Eam enim, aut morbi vis, aut tempus extinguet, naturæ legi cedentem, nec fines ſuos excedentem. At huius ſtudium atque opera, in anima ponitur, quæ ex Deo eſt, atque diuinæ ſupernæque nobilitatis particeps, ad eamque properans: tametſi viliori interim, ac deteriori aſtricta ſit.* Digna verba, quæ ſeriò illi expendant, quibus animarum cura demandata eſt.

Vtile monitum ex noxijs humoribus, quos latentes foras prodire peritus Medicus curat, vt ab ijs ægrum curet, & ſanitati reſtituat, elicit Sanctus Gregorius Nyſſenus, cuius hæc ſunt verba, libro de vita Moyſis: *Quemadmodum ſi praui ac pernicioſi humores in præcordijs, ac inteſtinis lateant, non accuſatur Medicus, quod eos ipſe fecerit; ſi arte ipſos eijci vomitu curauit, ſed effecit quidem illos inordinata diæta, traxit autem in manifeſtius non imperitus Medicus, ſic cùm dolores ac cruciatus, hominibus à Deo factos audimus, intelligere decet à nobis ipſis initia, & cauſas eorum vexationum fuiſſe. Qui enim bene vixit, huic non tenebræ, non vermes, non Gehenna, non ignis, non aliud vllum, & nomine & re terribile imminet.*

Reuerendo Patri D.
ANTONIO BENALIO
Clerico Regulari.

Epiſt. CXI. Bergomum.

Virginis Elogium; Roſarij vſus; & varia variarum rerum obſeruationes.

534 QVi Virginem amat, aut porrigere eius cultum ſtudet, aut gaudet porrigi. Illud à te fuit, iſtuc à nobis. Sub proſperi ſucceſſus titulo colendam Dei matrem, à te curari nobis innotuit, & ſumus non mediocriter gauiſi. Quidni ſub nouâ, vt ita loquar, colatur formâ, quæ nouam ſemper cultûs, & obſequij materiam exhibet, dum noua ſemper dona offert, per quæ ſibi mortales deuinciat? Et verò neſcio an proſperum ſit ſucceſſum habiturum, quod Elogium à me formari poſtulas, quo res iſta ita exprimatur, vt commendetur hoc inſtitutum. Hoc informe à me preces potius tuę excuderũt, quàm aut ingenium, quod in me nullum, aut labor qui fuit exiguus, & maximis ſemper eſt rebus impar, formare potuerint. Tu Virginis, quam ſub nouo hoc titulo venerandam offers, humilitatem imitare, contentus inſcriptionis huius vilitate; aut ſi meliorem optas, meliori incude nouam de nouo forma. Interim hanc habe, vt à me excidit.

D. O. M.

Mira mira audi, ſed vera vera crede:
Infortunia iam ſunt fortunata.
Aduerſa ſunt ſecunda,
Dura non frangunt animos, ſed durant.
Caſus auertunt caſus.
Lapſus adeo non deijciunt, vt erigant,
Iacturæ iacturas anteuertunt,
Siniſtri euentus nil habent ſiniſtri,
Infelicia felicitatem donant.
Amara tollunt amaritiem,
Diſcrimina ferunt extra diſcrimen;
Quæ vulnerant curant vulnera.
Spem fouent, quæ ſolent enecare ſpem.
Omnia verbo habe.
Mala non amplius mala, ſed ſunt bona.
Nouè dicta ſunt iſta, at verè dicta ſunt iſta.
Vis hoſce nodos ſoluere? cultu te Virginis liga.
Ad Mariam curre, ſpem iace in Mariam,
Quæ PROSPERI SVCCESSVS titulum effert,
Et ab ijs quæ putabas noua, nouitatem amputabis.
Solet hæc omnia ſuis exhibere Virgo

Sed cum inſcriptione chartaceum neſcio quid tu quoq; accipe, debeo enim in hoc me ſequi, qui in illa tibi obſecutus fui; ſed nec hîc quoq; à Vir- 535
gine abeo, nam illam tangit, illiuſq; cultum, quod ſubijcio.

De Pſalterij, & Roſarij, quod vocant, vſu hæc apud Thomam de Templo leguntur in operibus Alani: *Ea in veneratione, S. Dominici ætate, habitum fuiſſe Pſalterium, vt, qui vel nouum vitæ ſtatum ordiretur, aut officium auſpicabatur: ipſum protinus* CVM PSALTERIO, *pietatis indice, comparere in publico fuerit neceſſe, niſi de viri boni nomine periclitari vellet. Quid? ſponſum vel ſponſam* ABSQVE PSALTERIO *vidiſſe nudos monſtrum, aut ominis mali portentum fuiſſet creditum.* Addit ſtatim: *Qui vel addiſcendo mechanico opificio applicabatur, vel ad nauandam litteris operam ludo includebatur, is vnacum pſalterio addito in tyrocinium tradebatur; Nullus cuiuſquam artis aut artium liberalium capeſſere magiſterium ſinebatur, ni* CVM PSALTERIO *inſigniter apparuiſſet. Religionem ingreſſuri, mercaturam peregre ſecuturi, caſtra ſectaturi, in hoſtem infeſta ſigna illaturi,*

per mare vela daturi, aut quod aliud aggressuri, in auspicata censebantur omnia ni Psaltery comitante freti tutelà sibi consuluissent.

536 Apud nonnullos hic mos inget vt primo cuiuslibet mensis die Ciuitatem à dæmonibus purgent; istuc superstitioso hoc ritu fit à Sacerdotibus Tebetensium, quod refert Ioannes Eusebius lib. VIII. historiæ naturæ cap. XVII. his verbis: *Illud non sine superstitione: primà die cuiusque mensis solemnem pompam ordinantes extra ciuitatem, producunt tres horrendas effigies Diaboli; hac cæremonià* CIVITATEM PVRGANT EO MENSE A LARVIS, ET DÆMONIBVS, *quos ritu illo putant ablegare.*

Ritus quem in iuramentis obseruant incolę Tangis nescio an magis notitia sit dignus an risu à Nicolaus Godignus in vita Gonzali Syluerię lib. 1. cap. 4. ita de illius gentis moribus agens scribit; *Quando stabilire aliquid* IVRAMENTO VOLVNT, *vel terræ pugillum vel incensam fauillam manu sumunt, & insufflantes demittunt in terram, tum iureiurando rem affirmant, aut negant. Solemnior alius est iurandi modus, atque is talis: primum ante bellicum Regis tympanum, cuius ad leucas quatuor auditur sonitus, poplites flectit iuraturus: eius deinde corio dextram imponit; tum illud osculatur: demum hac ipsi, ac si non tantum sensum, & rationem, sed etiam diuinitatem habeat, verba facit: iureiurando adigor confiteri, an tale crimen susceperim. Si factus reus sum, en adsum, cedite me; si culpa careo, ne patere innocenti mihi vitam eripi. His dictis manus iterum tympano imponens osculumque repetens surgit. Tanta vero illis barbaris in hac tympani cærimonia religio est, vt credant ilice moriturum, qui eo modo falsum iurârit.*

Formula illa, qua nostri vtuntur vt adolescentes ad studia vrgentes, vt homines fiant, antiquissima est, & Sancti Augustini æuo vsitata. Sic ille scribit lib. de disciplina Christiana cap. XI. *Non enim parentes nostri, quando nos in Scholam mittebant, hoc nobis dicebant: discite litteras, vt habeatis vnde legere possitis codices Dominicos. Nec ipsi Christiani filys suis hoc dicunt. Sed quid? discite litteras, quare?* VT SIS HOMO. *quid enim? modo pecus sum? quod dico* VT SIS HOMO, *hoc est, vt sis eminens inter homines.*

Reuerendo Patri D.
SERAPHINO CESANÆ
Præposito Clericor. Regular.
Epist. CXII. Mutinam.

Salutaria quadam monita.

537 NOn ita me, aut mea perditè deperreo, non ita cæcus ad mea sum, vt non videam, si quid in ijs placui, quæ publici iuris iam feci, argumenti id potius fuisse, quàm artis, & amicorum genio pluris in hac re tribuendum, quàm ingenio meo, quod adeo in me exiguum, vt sit etiam nullum. Edidi, fateor, multa, cur enim id negem, quod omnes vident? sed plura in ijs esse, in quibus mihi ignoscatur, quàm quibus innotescam, si meę tribunal mentis subeam, & video, & fateor. Sine me, Pater, hac cautione, coercitioneq́; tuas laudes excipere, & meorum operum commendationem, qua soles efferre, quæ offero. Quod quæris, vt opusculum, & formam, & edam, in quo doceã qui dignè occurrere Spiritus Sancti aduentui quisq; possit, iure te ad te ipsum mitterem, qui aptius ista tractas, & dignius versas, sed quia onus à te discutis, & meis humeris non vnis litteris imponis, conabor tibi obsequi, & imperia tua in opus vertere. Vtinam mores in hac præcipuè re meo calamo præeant, & ad scriptionem ducat scribentis vita, ne vaeuus Spiritu de Spiritus tractem aduentu. Interim dum librum formo, tu hæc spiritualia monita accipe, quæ vt solemne meum seruem, huic Epistolę alligo. Varia sint, quæ exhibeo, non varius tamen amor, sed semper vnus, quo in te feror. Vale.

CVm feruore, & auiditate Eucharisticus cibus vt comedendus sit, pulchrè explicat Ioannes Eusebius; *Tanti, inquit, refert modus manducationis, vt idem cibus non eosdem imo contrarios sortiatur effectus, cumque celestis ille cibus sit, & celestes reddat feruidè sumentes illum, terrestres tamen relinquit segnes, vt nihil ipsis prosit, quemadmodum nihil prodest Chamaleonti aere vesci re subtilissimà, leuissima, velocissima, vt ipse velox, & agilis sit. De hoc animali dixit Tertullianus quod oscitans vescatur, tardissimum, & socors manet. Sic est qui* TEPIDE, ET SEGNITER MANDVCAT HVNC CIBVM *vt terrenus perseueret.* 538

Cur legalem cœnam Eucharisticæ præmiserit Christus sic docet B. Bruno in cap. 11. Epist. 1. ad Corinth. *Notandum est cur Dominus Iesus post cœnam celebrato veteri pascha Corpus, & Sanguinem suum nouum scilicet pascha Discipulis tradiderit, quod satis competenti ordine factum est, si enim prius nouum pascha deinde vetus celebraret, non videretur per hoc nouum Sacramentum destruere vetera, sed videretur innuere, quod iterum post hac noua adhuc reducturus esset illa vetera.*

Lachrymas nobili hoc titulo donatas lego, vt pietatis adeps sint dictæ, Sanctus Petrus Damianus sic loquitur: PIETATIS ADEPS, *qui intus latitat, foras per oculos emanat.* Sed ita foras prodit, vt quod mireris, intus magis crescat.

Sacerdoti non esse Pontificale culmen ambiendum ita monebat Sanctus Vgo Carthusiensis, vt refert Ioannes Eusebius his verbis: *Quid, ò Sacerdos Pontificatum ambis. Hic* SPVMA SACERDOTII; *qua vt aquis vita supernatet, altior gradu; at inanior est pretio, ac inferior.* 539

Deum præsentem iudices spectent, nec facilè à iustitiæ tramite deuiabunt. *Quo ad præsentiam Dei*, ait Siluester Petrasancta, *vnum referam, quod narrant ij, qui Constantinopolim, & Curiam ac tribunalia eius viderunt. In loco, vbi summi Præsides prouinciarum ius dicunt, Podium, seu suggestum Ty-*

rannus habet, ex quo paruis foraminibus spectare, & audire omnia potest: & per conclauia illuc secretò aduenit, secretò abit; ex eoque fit, vt Præsides semper trepidi, ius administrent; perinde ac si ab eo aspicerentur semper, à quo vtique semper aspici possunt, sic raram iniuriam Clientium, aut gratiam Reorum, credunt è subsellijs Iudicum prouenire. Certius multo existimare possunt ij, qui orbi terrarum præsunt, se stare semper coram Deo, qui vtiq; non adesse potest duntaxat spectator omnium: sed abesse non potest, & quia vbique est, vbique omnia vides, hoc reputent animò Principes, & erunt etiam ipsi, Principes coram Deo.

540 Quanti referat sensus, & præcipuè os custodire peritè explicatur apud Sanctam Gertrudam lib. 3. Insinuationis diuinæ Pietatis cap. 30. *Pertractans* aliquando, quo iudicio aliqui tanta Spiritus pinguedine in seruitio Dei abundarent, alijs tam aridis remanentibus, hunc à Deo accepit intellectum: Quod cor à Deo creatum est ad continendas delectationes, sicut vas quod continet aquam. Si verò vas continens aquam eam emitteret per minuta foramina, vas tandem euacuari posset, in tantum quod etiam vas siccum remaneret: sic cor humanum continens delectationem si eam emittit per sensus corporis, videndo scilicet, & audiendo, vel etiam per alios sensus corporis perficiendo quæ libent, tantum emittere potest, quod cor vacuum remanebit ad delectandum in Deo. Vnde, & hoc quilibet in se poterit experiri. Cum libuerit videre vel loqui verbum vnum, in quo paruus vel nullus est profectus, si hoc statim perficit, pro nihilo reputat, quia sicut aqua perfluit. Si verò propter Deum continere proponit, tantum crescit in corde quod vix superare præualet. Vnde cùm in talibus didicerit homo se superare, assuescit in Deo delectari, & quanto grauiori labore hoc perfecerit, tanto fructuosius in Deo incipit delectari.] Hæc illa.

Iram ab ira gigni, à rabie rabiem apto exemplo firmabat. B. Petrus Damianus lib. 1. epist. 15. vbi ait. *Dum vnus irascitur, alter ad insaniam prouocatur; & rabies rabiem generat, ac furorem furor inflammat. Sic & hoc experimento dignoscitur, quia si rabidus canis hominem fortè momorderit, tanta vi rabies eius in viscera protinus humana transfunditur, vt mox ipso vrinę conceptaculo catuli generentur. Quod nimirum hoc euidenti comprobatur indicio, quia si is, qui canino morsu correptus est, Cantalenas, quod muscarum genus est, in aqua tritos ebiberit, mox cum vrinâ simul non sine magni doloris gemitu catulos fundit.*

Eminentiss. & Reuer.^mo^

GASPARI MATTHÆO

S. R. E. Cardinali.

Epist. CXIII. Romam.

Dei, & Deitatis vmbra qua.

541 Memor imperij tui, sic interpretor tuos nutus, meç tenuitatis sum oblitus. Manum calamo admoui, calamum chartę, & inscriptionem exaraui; nescio an ad tuam mētem sit. Tu videbis an & benè exprimar, quod iussisti. Lapidis angustia fecit, vt excurrere latius non potuerim. Imbecillitatis meç margo lapidis limes fuerit, & eò pauciores maculas contraxero, quò contractior scriptio ipsa fuit. Sed rem ipsam iam habe, & incidi iube, si iudicas huiusmodi esse, vt possit dignè posteros in omni æuo alloqui, & docere, sicut loquetur posteritas, quod piè à te gestum, & admirabitur quid feceris, qualis fueris. Informis inscriptionis forma hæc est.

D. O. M.

Qui ades
Ne hinc abeas, ni hoc habeas.
Hic Concilij Tridentini Patres,
Florem ipsum doctrinæ, Pietatis sedisse;
Hic ab ipsis sanctè sancita,
Quibus
Errores euerterētur, ēuerterentur errātes.
Sua forma omnes, omnia suo nitori
Restituerentur.
Tantæ rei memoriam
Hac transiens transire ad posteros
Lapidis huius erectione voluit
Eminentissimus S. R. E. Cardinalis
GASPAR MATTHAEVS.
Anno MDC XLIV.

Inscriptioni placuit aliud addere, quod à volumine excidit, *Virginea vmbra* titulo insignito; feres hic implantari, ne pereat; & dum minuta ista offero maiora exspecta, quæ nomini tuo dicanda parantur.

Deitatis vmbram Christi humanitatem dictam euincunt, quæ habet B. Thomas à Villanoua Conc. 1. de Annunt. vbi ait: *Competenti similitudine, Christi Sanctissima caro* DEITATIS VMBRA *nuncupatur: quia sicut vmbra corporis motus formamq; insequitur ita à Deitatis nutibus, sacerrima humanitas illa neq; ad modicum deuiauit.* 542

Dei vmbram Dei gratiam esse asseruit Cardinalis Bertrandus, & rem in hunc modum explicat in serm. Cinerum: *O Deus, quàm delitiosum, & quam vtile est sedere sub vmbra illius, qui est desiderabilis locus, id est sub refrigerio suæ gratiæ, ab æstu desideriorum carnalium requiescere.* VMBRA ENIM CHRISTI IPSIVS EST GRATIA, *sicut vmbra semper coniungitur illi cuius est vmbra. Sic gratia gratum faciens semper comitatur diuina bonitati à qua procedit; sicut etiam vmbra corpus non est, & corpus repræsentat: sic gratia etsi Deus non sit, tamen Deum repræsentat, & illi assimilatur. Iterum sicut vmbra ab æstu refrigerat, sic & diuina gratia ab æstu refrigerat vitiorum. Item, sicut vmbra fugit, & deludit capientem, sequitur autem fugientem: sic gratia Dei fugit illum qui proprijs viribus credit illam accipere.*

Excellentissimo,
Et Variarum Linguarum, doctrinarumq; peritia Nobili
IOANNI PEDEMONTIO
Patritio Veronensi I. V. D.

Epist. CXIV. Veronam.

Adagiales quædam formulæ.

543 QVi scribunt negotium agere posterorum nonnulli dixère; sed vereor, ne nimis arctè describentium labore senserint, qui ita loquuntur; agunt scriptores negotium etiam præsentium, & quod est consequens, sui. Ego certè ita pleraq; volumina ad posteros transmisi, vt præsentes voluerim colere, præsentibus, & mihi præcipuè consulere. In hoc volumine cum multorum virorum doctrinâ illustrium fores adeam, non fuit mihi integrum, Te, quem in Variarum scientiarum culmine peritia posuit, præterire. Sed fors aliquis reponat, sic quoq; negotium agi posterorum, quia præsentium cultus ad posteros ibit, & magnorum virorum notitia hac arte ad eos, qui sunt futuri, transmittitur. Vt vt sit, sine me in amicorum censu te iam posito, inq; doctorum virorum numero locato, in te præstare, quod in alios præstiti. Accipe tu quoq; in cultum quædam, quæ tunc manum meam fugerunt, cum adagia ex Sanctorum Patrum operibus collegi, & explicaui, inq; duos tomos publici iuris iam factos, distribui. Leuia sint, quę exhibeo, pondus illis affectus, amorq; adijciet. Interim dum mea accipis quæ non quæris, disce tua dare, quæ à luce quæruntur, à multis expectantur. Vale.

544 IMpium hominem, & ab omni parte flagitiosissimum, præsertim si imperij habenas teneat, non sine prouerbij specie *dæmonis supplementum* vocatum obseruo: hoc titulo Iulianum Apostatam donauit Sanctus Gregorius Nazianzenus, cuius hæc sunt verba orat. 1. *Nec verò supremum bellum extimesco, nec belluam illam aduersus Ecclesias excitatam*, SPIRITVS IMPVRI SVPPLEMENTVM, quasi nequissimus homo nequissimi Spiritus vices suppleat, & quod non præstat diabolus præster aliquando homo flagitiosus.

Prouerbiali quodam schemate *aureo pugno frangi* ille dicitur, qui auri aliquid præstaui, quod alias non erat præstaturus; contra qui muneribus extra æquitatis limites abripi se non finit, aureo pugno non frangi dicitur. In Actis Sancti Adalardi Abbatis Vrbeicensis; *Ibi vt Angelus prædicabatur; non enim in iudicio alicuius personam accipiebat*, NEC AVREO, VT DICITVR, PVGNO FRANGEBATVR, *sed pacem, & æquitatem infractus colebat.*

Regiam, & Imperatoriam Maiestatem, ac potestatem aurum præfert; regibus, ac imperatoribus non est inferius. *Aurum*, inquit Beatus Petrus Damianus opusc. 12. cap. 29. *nunc ipsis Senatoribus præsidens in tribunalibus iudicat* VELVT IMPERATOR QVIDAM, *pragmatica sanctionis edicta promulgat; sicut enim rex in secretalibus adytis de regni statu, de rerum summa deliberat, quodammodo sic aurum, & latet in occulto, & sententia depromit in publico, in sudario angusto concluditur, & decisis negotijs calculos iudiciales apponit.*

Hæc quoque formula; *Non sunt dimittendæ veteres viæ propter nouas*, prouerbium sapit, estque apud nostrates frequens; quod si ad mores, vitæq; institutum transferatur elegantius euadet; transtulit Petrus Cellensis lib. 6. Epist. 23. dum ait: *Prouerbium est:* NON SVNT DIMITTENDÆ VETERES VIÆ PROPTER NOVAS. *Quis sanctorum, quis antiquorum non ambulauit semitam nostram.* Huc facit elegans ille italismus.

Chi lascia la via vecchia per la noua,
Spesse volte ingannato si ritroua.

Summa Senacherib impietas, qui in Deum blasphemus fuit, & vniuersas Ciuitates Iuda extra omnem iustitiæ, & humanitatis lege oppugnasse in Sacris litteris perhibetur, fecit vt simili impietate vestitus, non sine prouerbiali figura *Nouus Sennacherib*, dicatur. Prouerbiali hac formula vtuntur veteres annales Francorum apud Baronium anno 876. *Hac Octauo idus Octobris contra* NOVELLVM SENNACHERIB *gesta sunt.* O' huiusmodi semen omnino esset abditum, vt nullus deinceps huius notę pullularet!

N. N.

Epistola CXV. N.

Charitatis pondus.

NON probo, quod nimis adhæres tuis, & finis te à Christo tuorum affectibus abduci. Amor iste, 545
odio est dignus, non amore. Parentes eousque reuerere, quò te à Christo non surripiunt, non surripiunt tibi Christū; tunc Parentes non sunt, cùm non sinunt te Christo parere, sunt hostes. Præstat inter tuorum amplexus volare ad Christum. Felix qui crucis eligit potius brachia, quam suorum, & consanguineorum blanditias vitat, vt dedat se Deo. Hunc animum, hanc mentem à te quæro, vt sis tuus. Quid enim *carnem propriam*, vt ille ait, *quam animat abnegare, anima debet, cur nimis amabit alienam, & examinam, quæ alijs deseruit? Iubet Deus temetipsum odisse, & carnem, & sanguinem tuum proprium, quomodo tibi amor vacat,*

vacat, vt diligas propinquum, & consanguineum, & non propter Deum, & non modo virtutis; aquè & pulices, vermesq; vt consanguineos amare posses, cum tamen occidas. Hæc eadem tibi dicta puta, imò ea die tu tibi, vt plenius sis tuus, quò minus es tuorum. Nouimus plerosque in magna pericula coniectos nimio suorum amore. Perdiderunt se multi, quia perditè amauerunt suos. Felix, qui per parentum lachrymas ad Christum nauigat, & illorum suspirijs velut quibusdam flatibus velocissimè ad Deum fertur. Quando pro Deo effundemus sanguinem nostrum, qui immoderatè cognatum amamus? Vtile à Christi exemplo elicuit monitum Vgo Carensis, quod tibi etiam offero, vt in mentis stomachum demittas, & ad vitam digeras: *Nota*, inquit, *quod licet Dominus compateretur matri, non tamen voluit de cruce discendere, ita nos qui ferimus crucem Domini propter parentes nostros non debemus ad carnalia declinare.* Nolo plura de hac re adijcere, ne videar pessimè de te sentire. Hęc pauca, cum his quæ tu tibi dixeris poterunt ab eo affectu te auocare, qui hucusque te ligauit, vt non posses expeditè ad Christum ire. Et verò, quia amici verba te auditurum spero, idem quod in alios amicos præstiti in te præsto, & litterarium munus exhibeo. Charitatis pondus expendo, tu interim à charitate profecta esse crede, quæ dedi. Vale.

BOnum pondus charitas est, quæ cæteris virtutibus ita præponderat, vt sine illa nimis leues homines sint & verè nihil. Egregiè de hoc pondere philosophatur Ioannes Eusebius, nequeo hic eius verba supprimere, & sunt ista. *Nonne grauis charitas erit, quæ omnibus præponderat virtutibus, & quam pondus dixit Augustinus? Vt meritò in scriptura sacra coarguantur propter leuitatem peccatores: nunc arundo, nunc stipula, nunc palea, nunc fœnum, nunc puluis reputati, de quibus David ait; Non sic impij, non sic, sed tanquam puluis, à quem proijcit ventus à facie terræ. Leuissimi sunt, & tanquam nihil habentur sine charitatis pondere. Sanctus Augustinus propter defectum huius aurea virtutis, ita de se loquitur: Ab vno tunc auersus à multis euanui. Eadem ratione de peccatoribus canit David: Ad nihilum deuenient tanquam aqua decurrens; cui consentiens Richardus dixit: Verè autem in nihilum reputantur, qui perdiderunt verum esse, quibus profectò melius esset omninò non esse, quam sic esse. Amittunt peccatores verum ac solidum esse, quoniam non verè amant illud quod est, & est quod est; illa potius diligentes, quæ pre nihilo reputantur, & in nihilum redigentur. Non valet plus homo, quam est, quod diligit; qui amat vana & futilia, mundi bona, vanus leuis & futilis est, qui amat æterna & stabilia constans, & stabilis est. Hoc charitas facit cuius pondere pretiosissimi Deo, & desiderabiles sumus super aurum & lapidem pretiosum: cuius pondere constantes sumus, & stabiles, & quieti; sine illo tamen à leuissimâ qualibet raptamur aurâ, turbamur, mutamur, vexamur; hinc est cur vel vno solo verbo audito, non modo pellantur aliqui loco suo, sed mente. Cur qualibet aduersitate statim commoueamur? Cum tot & vanissimarum rerum cupiditatibus distrahamur? Cur laudibus nostris etiam mendacissimis efferamur? desectus profectò ponderis hoc operatur, defectus soliditatis, desectus* CHARITATIS.

In eruditionis verę Arce posito Patri

SYLVESTRO PETRASANCTÆ

Societatis Iesu Theologo.

Epist. CXVI. Lauretum.

Orbis anniuersarius dies quis. Quadam de Quadragesima ieiunio notata.

TAndem in manus meas peruenit liber, quem tu in Ecclesiæ hostes conscripsisti. Placuit, & eò magis, quò magis illis displicuit, quibus veritas ipsa displicet & fides. Suspicio, veneror que calamum, qui Hæreticos ità vulnerat, vt curet, si velint resipiscere, & erroris venenum euomere, quod biberunt. Vt multa sint, quæ me ad te non alliciunt tantum, sed & rapiunt, hoc in postremis non loco, quòd totus in fidei defensionem es, & hæreticas sepias in apertam lucem producis, illarum fraudes retegis & reuincis, & fœda monstra de suâ paraturâ repercutis. Librum pereurrens ad libri authorem statim cucurri, à quo affectu non discesseram. Verba, quæ magni cuiusdam viri facinus efferens, dixit Sanctus Augustinus, menti meæ exprimendæ sine me aptare, aptissima enim sunt. Factum in scriptum muto, & nihil immuto. Excipere mea verba puta, quùm excipis illius: *In hoc tuo facto te cognitum amplectens, exultaui, vt gratularer tibi in Christo Iesu Domino nostro; tibique has gratulatorias litteras mitterem, qualecumque specimen cordis & amoris erga te mei. Neque enim amplius potui.* 546

tui. Sed quæro, ne tu hactenus, quicquid te diligo, metiaris. Perlectam transi hanc Epistolam transitu inuisibili, qui intus fit; & perge cogitando in pectus meum, & cerne quid illic de te agatur: patebit enim oculo charitatis cubiculum charitatis, quod claudimus aduersus nugas tumultuosas seculi, quum illic Deum adoramus; & videbis ibi delicias lætitiæ meæ de tàm bono opere tuo, quas nec lingua effari, nec stylo exprimere valeo; calentes atque flagrantes in sacrificio laudis eius, quo inspirante hoc voluisti, & quo adiuuante potuisti. Gratias ergo Deo super inenarrabili dono eius. Quæ ille de alio sensit, sentio ego de te, deque tuo volumine. Hęc quoq; ille de eodem, & ego de teipso illius verbis: *Bona opera tua Christi gratia germinantia te nobis in membris eius honorandum & planè notissimum dilectissimumque fecerunt. Neque enim, si quotidiè faciem tuam viderem notior mihi esses, quàm cùm interiorem tuum pacis decorem pulchrum, ac veritatis luce radiantē in vnius tui facti candere cōspexi, conspexi & agnoui, agnoui & amaui. Huic nunc loquor, huic scribo, dilecto amico meo, qui mihi corpore absenti absens innotuit.* Mentem meam potui alienis verbis exprimere, quin etiam debui, cùm meis non tàm aptè potuerim. Sequere te, mi Pater; alia cude, quæ auidè expectamus. Sitim non solent tua extinguere, sed excitare. Librum, quem de perennibus miraculis paras, quò citiùs in lucem emiseris, fructus vberes eò celeriùs colliges. Operi, quod de Orbis Admirandis molior, præire tuum vellem, vt tuis firmarem mea, tuoque meum laborem illustrarem. Sed interim, patere magnum tuū nomen nomen leuibus hisce reculis dare, quas Epistolæ subijcio, tuæ notitiæ obijcere non ausim.

547 PRimum ieiunij Quadragesimalis diem, quem *Cinerum* nos vocamus, *Ieiunij caput*, olim appellabant. Liquet id ex Sancti Bernardi anctoritate, qui sermoni hoc die habito hunc titulum præfixit: *Sermo Primus in Capite Ieiunij.* Id quoq; ab alijs factum obseruaui: sed hoc valdè tritum: istuc non adeò, scilicet hunc diem aliquos dixisse: *Totius Orbis Anniuersarium.* Ioannes Reulinus serm. 1. *In capite Ieiunij* (nam iste quoque auctor diem, quem *Cinerum* dicimus, hoc titulo circumscripsit) sic scribit: *Tertium respicit exteriorem hominem; impositio scilicet cinerum super caput nostrum, in quo hodiè celebrare nos ostendimus* ANNIVERSARIVM TOTIVS VRBIS, *quandò in homine primo omnis homo mortuus est.*

Porrò aliquos olim hanc religionē subijsse, vt à carnibus abstinentes, vasa, in quibus carnes coctæ fuerant, tanquàm immunda aduersarentur, refert & reijcit Sanctus Augustinus serm. 74. de diuersis, vbi eos quoque suggillat, qui abstinentiæ tempore epulas quærerent præparatu difficiliores, & maioris pretij. Hęc Sancti huius Patris verba sunt, *Admonemus eos, qui se à carnibus abstinent, ne vasa, in quibus sunt cocta, tanquam immunda deuitent; sic enim Apostolus loquens, ait: Omnia munda mundis. Quod enim fit in huiusmodi obseruationibus sanâ doctrinâ, non fit causâ immunditiæ deuitandæ, sed concupiscentiæ refrænandæ. Vnde & illi qui sic se à carnibus temperant, vt alias escas, & difficilioris præparationis & pretij maioris inquirant, multùm errant: non enim hoc est suscipere abstinentiam, sed mutare luxuriam.* Et nonnullis interiectis hoc post eiusdem luculentiùs & acriùs vrget: *Sunt quidam obseruatores Quadragesimæ deliciosi potiùs quam religiosi, exquirentes nouas suauitates magis, quàm veteres concupiscentias castigantes: qui copiosis pretiosisque apparatibus, fructuum diuersorum quorumlibet obsoniorum varietates & sapores superare contendunt; vasa, in quibus cocta sunt carnes, tanquàm immunda formidant, & in suâ carne ventris & gutturis luxuriam non formidant. Ieiunant, non vt solitam temperando minuant edacitatem; sed vt immoderatam differendo augeant auiditatem: nam, vbi tempus reficiendi aduenerit, opimis mensis, tanquam pecora Præsepibus, irruunt, numerosioribus ferculis corda obruunt, ventresque distendunt; artificiosis & peregrinis condimentorum diuersitatibus gulam, ne vel copia compescatur, irritant.*

Prætereà fuisse nonnullos, qui tempore Quadragesimæ se à vini potu temperarent, ità tamen, 548
vt variorum liquorum suauitates requirerent, idem Sanctus Doctor loco producto indicat, nec non etiam damnat. Præstat illum audire: *Sunt etiam, qui vinum non bibunt, vt aliorum oppressione pomorum alios sibi liquores non salutis causa, sed iucunditatis exquirant; tanquàm non sit quadragesima piæ humilitatis obseruatio, sed nouæ voluptatis occasio. Quantò enim honestius si stomachi infirmitas aquam potare non tolerat, vino vsitato & modico sustentetur, quàm quærantur vina, quæ vindemiam nesciunt, quæ torcularia non nouerunt, non vt potus mundior eligatur, sed vt frugalior improbetur? Quid autem absurdius; quàm tempore, quo caro arctius castiganda est, tantas carni suauitates procurare, vt ipsa faucium concupiscentia nolit quadragesimam prætertre?* Hæc dixerim, vt morem meum seruarem, non vt notitiæ tuæ terminos porrigerem. Eodemque spectant, quæ de eodem argumento subijcio.

Olim, cùm ieiunij dimidium tempus in ieiunio consumpsissent, gaudio corripiebantur, dicebantque: *Vicimus, superauimus, ieiunij dimidium profligatum est.* Huius rei meminit Sanctus Chrysostomus, & vtile circa illam monitum exhibet. Sic ille scribit Homil. 17. ad Popul. Antioch. MVLTOS VIDI GAVDENTES, ET INTER SE DICENTES: VICIMVS, SVPERAVIMVS, IEIVNII DIMIDIVM PROFLIGATVM EST. *Tales autem hortor non propterea gaudere, quia profligatum sit ieiunij dimidium; sed illud considerare, si peccatorum sit profligatum dimidium, & tunc exultare: hoc enim voluptate dignum: hoc est id, quod quæritur, & propter quod facta sunt omnia: vt defectus nostros corrigamus, nec tales exeamus de ieiunio, quales ieiunium ingressi sumus; sed abluti, & omni malâ consuetudine depositâ, sic sacram agamus solemnitatem. Si hoc desit, non tantùm nulla nobis erit vtilitas, verùm & maximum ex consummato ieiunio damnum. Ne igitur læte-*

mur

mur, quòd ieiunij prolixitatem expediuimus; nihil enim magnum hoc eſt: ſed lætemur, quando cum profectibus ipſum exegerimus, vt, etiam ipſo tranſacto, fructus ipſius effulgeat.

Ieiunij tempus veri æſtatique comparatum ob-
549 ſeruabam: in quo quid præſtandum fideli ſit, à
Beati Chryſoſtomi penicillo preſtat, vt accipiamus,
Homil. 3. ad Popul. Antioch. ſic ille ſcribit: *Quemadmodùm, præteritâ hyeme, & æſtate apparente, nauta quidem nauigium deducit, miles verò arma detergit, equumque ad bellum parat; & agricola acuit falcem, & viator fiduciæ plenus longum iter aggreditur, & ad certamina pugil expoliatur, ſeque denudat:* SIC ET NOS IEIVNIO, TANQVAM ÆSTATE QVADAM SPIRITVALI APPARENTE, *& arma tanquam milites abſtergamus; & falcem acuamus tanquam agricolæ; & tanquàm nautæ contra vndas, contra absurdarum cupiditatum cogitationes opponamur; & tanquàm viatores arduum ad Cœlum iter inuadamus, & tanquàm pugiles ad certamina ſpoliemur. Fidelis enim & agricola & gubernator & miles, & athleta, & viator eſt.* Denique, vt, tranſactâ hyeme, germinat terra, flores emittunt arbores: ſic par eſt ieiunia obeuntem, omnium virtutum actibus ornari, &c. bonorum operum germinibus redimiri.

Aliquos ità ob futuram Quadrageſimam fuiſſe ſollicitudine correptos, vt, ob ieiunij præteriti liberationem, fructum ex eo natum ac voluptatem non ſentirent, indicat idem Sanctus Doctor Homil. 18. ad Popul. &c, ab hoc ſenſu auditores ſuos auocans, in hunc modum ſcribit: *Perſeueremus igitur, quæ ſuſcepimus cum diligentiâ ſeruantes, vt & ieiunio præterito, ieiunij ſcaturiat fructus; & per bona, quæ de ieiunio cepimus, etiam ipſius ieiunijs recordemur. Si nos igitur ſic comparemus, adueniens ieiunium cum voluptate ſuſcipiemus denuò. Multos etenim video, ſe ità puſillanimiter habentes,* VT IN PRÆSENTI DE FVTVRA SOLICITI SINT QVADRAGESIMA: *multoſque dicentes audiui, quòd poſt ieiunij liberationem non ſentiunt voluptatem ex remiſſione propter futuri anni ſollicitudinem. Quid his quæſo magis eſſe poſſet puſillanime?*

Denique ieiunium, tanquàm ſponſam, ſummo
apparatu in mentis thalamum introducendum, 550
monebat idem Sanctus Pater Homil. 1. in Geneſ.
vt religio ſit hic eius verba deſiderari, & ſunt iſta: *Quemadmodum caſtam quandam & ingenuam* SPONSAM *ducturi, thalamis vndique tapetibus ornatis, domoque totâ purgatâ, & ingreſſu omnibus inhoneſtis ancillis interdicto, in cubiculum illam introducunt: pari modo vellem, etiam vos purificatâ veſtrâ mente, valeq; delicijs & voracitati dicto, matrem omnium bonorum & pudicitiæ, aliarumque virtutum omnium magiſtram,* IEIVNIVM *inquàm, explicitis mentis veſtræ ſinibus ſuſcipere; vt & vos maiori fruamini voluptate, & illud congruam vobis ſuam medicinam conferat.*

Siſto hic, mi Pater: & ità Epiſtolam claudo, vt veræ ac non moriturae amicitiæ fores clauſas nunquàm tibi aut tuis velim. Vale.

Finis Encyclopædiæ Epiſtolaris.

DELICIÆ
DIVINI AMORIS.
HOC EST:
De occultis DEI beneficijs, DEI Amori excitando, ac fouendo.

OPVS,

Quod sua nouitate eò sapidiores fructus producet, quò minùs exposita arbores, ex quibus illi collecti fuere; edidit omnium profectui vtilitati, gustuique.

R. P.
ALOYSIVS NOVARINVS VERONENSIS
CLERICVS REGVLARIS.




DEO OCCVLTORVM Beneficiorum Largitori.



ET cur non ipſe præſtem, quod preſtandum alijs non indicaui tantùm, ſed indixi? In gratiarum actionem tibi, Amor, pro occultis tuis beneficijs Librum offero, quo tua beneficia, tuis non manifeſta, manifeſto. Redit ad Te, quod à Te fuit. Tua dona hoc Opuſculum ita verſat, vt donum tuum etiam ſit. A meis tenebris nulla potuiſſet lux prodire, quâ in tuorum beneficiorum notitiam hæc exhiberem. Qui caligo in manifeſtis, quid in occultis agerem, niſi in retegendis beneficijs Tu adfuiſſes, qui ea confers? Inter occulta igitur beneficia tua numero, aliqua de illis cognoſcere, & in aliorum vtilitatem chartis potuiſſe conſignare. Interim me Deus meus, nouo beneficio bea. Da, vt in me legantur à te, quæ hîc legentur à tuis; & moribus referam, quicquid offert Opuſculum, quod offertur. Præſta, Maieſtas ſumma, vt beneficiorum notitia amorem augeat, & amor auctus notitiam, ac vtrumque me totum in Te transferat, totum in Te transformet; beneficijs enim tuis non benè reſpondet, qui totus beneficio tuo non fit tuus. Siſto in hoc voto Diuinæ Beneficentiæ tuæ

Dicatiſſimus Seruus

Aloyſius Nouarinus Cler. Regularis.



Illustrissimo Viro


ALOYSIO MVSTIO
PATRITIO VENETO.

DIVINORVM beneficiorum tractatio aurem mihi peruellit, vt ea quoque beneficia cogitarem, quæ per homines Deus hominibus confert. Cogito; & illa præcipuè, quibus Congregationem nostram, quam cordis sinu insculptam singularis tua humanitas circumfert, tanta beneficentia cumulat. In memoriæ signum hoc Opusculum Illustrissimo tuo Nomini inscriptum prodire volui: in memoriæ, inquam, signum, non in solutionis alicuius fidem; scio quippe auctum iri beneficia, dum Librum benignè excipis, qui de beneficijs agit. Poteram muneris oblationi tuarum laudum syllabum adijcere: sed nimis angustè de illis sentire visus essem, si tam breui spatio eas concludi posse existimassem. Libri igitur exilitas me ab hoc labore subduxit, &, quod maius, modestia tua, quæ te intra te continet, magnitudo. Magnorum hæc nota est, vt non facilè ferant se efferri; hoc ipso commendabiliores, quòd non patiantur se commendari. Laudo te de hoc laudum neglectu: magna hinc laudum seges pullulabit, quod te non laudo. Perge, Illustrissime Aloysi, ijs pietatis sensibus incedere, qui semper tecum, dum adolesceres, adoleuere. Deum interim precor, vt te suis donis ita ditet, vt ditet se. Veronæ Kalend. Ianuar. Ann. M DC XLI. Illustrissimæ dominationis tuæ.

Obsequentissimus

D. Aloysius Nouarinus Cler. Regularis.

Lectori



LECTORI MEO.



DE occultis Dei beneficijs Italicè ſcripſeram; gratum vtilemque laborem fuiſſe inaudiui. Suggeſſerunt aliqui, è re multorum futurum, ſi Latinâ linguâ pluribus fieret hæc lectio communis. Morem (vt vides) geſſi, multorum commodo conſulens ac profectui. Aliqua conſultò addidi, aliqua conſultò ſuppreſſi; cùm hic doctioribus ſcribam, quibus omnia præmanſa in os ingerere non erat neceſſe.

Hac occultorum beneficiorum tractatione id conſequi cupio, vt meliùs deinde manifeſta cognoſcantur, Deus vbique laudetur, laudetur in omnibus; patientia per ærumnarum campos excurrat deinceps libera; in ijs omnibus, quæ dicuntur mala, quia mala putantur, querelarum loco, gratiarum actio ſubſtituatur; latens vbique Dei beneficentia appareat; efferatur Deus, etiam dum infert, quæ vocantur aduerſa.


Tuum, Lector, eſt, Dei tui beneficia ſeriò cogitare, vt hac cogitatione veluti fræno à Benefactoris tui offensâ cohibearis. Cordi inſerenda hic inſeram, quæ habet Sanctus Auguſtinus. *Certum eſt*, inquit, *fratres chariſſimi, quòd ſi ſemper* BENEFICIA *Dei noſtri, quæ nobis, nullis præcedentibus meritis noſtris, collata ſunt, aſſiduè cogitamus*, PECCATA NOSTRA *nobis aut non dominantur; aut, ſi fortè ſurrepſerint, citò per* POENITENTIAM *corriguntur*. Quod vniuersè de Diuinis beneficijs ille dixit, coarctare ad occulta poſſumus, quæ eò vehementius vim exerunt, & à malo nos abducunt, quò iuſtiùs bona ducuntur, quæ mala malè putabantur. *Serm. 67. de Temp.*

Præterea non à peccatis tantùm nos auocant Dei beneficia, ſed & excitant ad virtutem. Peritè, vt ſolet, Sanctus Chryſoſtomus: *Nihil*, inquit, *tantoperè nos iuuat, quàm iugiter* BENEFICIORVM DEI *tum communium, tum priuatorum meminiſſe. Si enim benefactorum* *Eclog. de triſt. & mœrore.*

amici recordati aut iucundo verbo, vel re audita incalescimus; multò magis, si cognoscamus quanta in pericula inciderimus, quòdque ab omnibus nos Deus exemerit, PROMPTIORES IN VIRTVTIS STVDIO ERIMVS. Vides, vt occulta Dei beneficia, dum nos vrgent, vrgere ad Deum debeant; & dum nos premunt à nobis virtutum succum (vt ita loquar) exprimere. Lege hic igitur, quæ in tui vtilitatem damus: vtque ab omnibus bonus censearis, bona ea quoque cense, excipe tanquam bona, quæ solent reijci tanquam mala.



DIVI-



DIVINI AMORIS DELICIÆ.

HOC EST:

De occultis Dei Beneficijs.

CAPVT I.

Occultorum beneficiorum notitia, occultum Dei beneficium est.

1 MVLTA multúmque manifesta damna sunt, quæ ex occultorum beneficiorum ignoratione nascuntur. Non adeò faciles ad malum homines currerent, non adeò lentè bono manum admouerent, si in ea beneficia oculos figerent, quæ occultè à Dei manu ad eos excurrunt.

Occulta Dei beneficia qui nouit, Deum semper in benefaciendo videt occupatum, diuinæque prouidentiæ fontes nunquam sistentes; vt si mentem habeat, sistere in bonis operibus vix possit, quin ad maiora vrgeatur, qui hoc cogitat; aut in malis stare, quin resipiscat.

Hoc ipso magis singulare hoc beneficium est, quo illi sunt pauciores, quibus conceditur, rarioresilli, qui admittuntur ad illud; aut (vt veriùs loquar, dequè diuinâ bonitate innocentiùs) illud admittunt. Exiguus illorum numerus, qui hac notitiâ beantur, donum grandius reddit, reddit magis singulare. Pauci obuia & manifesta beneficia cogitant; sed multò pauciores occulta euoluunt, & non manifesta considerant.

2 Qui mentem habet, manifesta Dei sui beneficia versabit, versabit occulta; per illa sternet sibi ad ista viam, per ista ad illa redibit: ab vtrisque patietur se ferri ad Dei sui amorem, qui & per occultas vias, & per manifestas, omnes ad se vocat.

Hoc quoque boni fert occultorum beneficiorum notitia, vt innumeras querelas tollat, quas in ijs, quæ mala putantur & aduersa (cùm ex verò bona sint) elicere ab hominibus solet hominum infirmitas, & cum infirmitate iuncta cæcitas, & stupor quidam in diuinis beneficijs cognoscendis.

Occulta Dei tui dona nosce; & statim laudis materia fiunt, quæ priùs fuerant querelarum, & murmurationum. Notitia ista, velut falx, noxias querimoniæ abscecat herbas, & diuite manu benedictionis semina cordis humo committit, quæ ex corde pullulant, & non semel vel in ore florescunt.

O possem, Amor meus, tua quà manifesta, quà 3
occulta beneficia cognoscere, vt in tui semper amorem æstuarem, in tui semper laudem mea mens, mea lingua erumperet, semper efferrem te, semper ferter ad te!

Beneficijs hoc adijce beneficium: occulta beneficia dum confers, confer & hoc, vt cognoscere possimus, quæ exhibes; vnde à nobis ingratitudinis tollatur vitium.

Vt gratior tibi gratiarum actio sit, offero tibi, Deus, ipsam tuam tuorum beneficiorum notitiam; &, quod pro illis debere tibi cognoscis, vellem soluere, cuperem exhibere, si possem.

Sed hæc quoque volitio, hoc desiderium, si aliquid est, in occultis beneficijs, occultum est beneficium: tam fœcunda tuorum beneficiorum natura apparet, iam fertilis. Calamus hîc sistat, ne si materiam sequatur, nunquam finiat.

CAPVT II.

Occultum Dei beneficium, à beneficijs conferendis quandoque Deum abstinere.

ITA est: beneficia Deus confert quandoque, 4
cùm non confert: donis nos occultis donat, cùm negat dona: adeò vt munera tunc quoque recipiamus, cùm non recipimus. Rem, vt res est, explico, & edissero, ne falsitatis laborare nota putetur. Plerumque Deus præuidet beneficijs nos abusuros, si beneficijs ditaremur: malitiam ille nostram anteuertit, &, vt minùs rei simus, beneficijs nos non onerat, ne nos illorum malo vsu culpis oneremus. Quis in negatis beneficijs concessum beneficium non inspiciat? Quòd, quia huiusmodi non solet iudicari, in occultorum beneficiorum censu iure à nobis est positum.

Pauciora Deus sæpè dona concedit, concedit sæpè minora, ne pluribus onerati, maioris sceleris arguamur, vtque maiora negata à maiori nos crimine subducant; sicque ex vero aliud facit beneficium, dum aliud negat: quòd, quia magis occultum,

cultum, minùs ingratos apparere facit, quibus confertur.

5 Damnanda ingratitudo, quæ vberes diuinæ beneficentiæ fontes tentat claudere: ſed eò grandior Dei eſt beneficentia, quò minùs appatet, vt multorum oculos effugiat.

Gratias igitur tibi, Amor meus, ago pro illis omnibus beneficijs, quæ non accepi, ingratitudinis meæ vltio, non liberalitatis tuæ anguſtijs: inq; donorum numerum iam loco dona ipſa tua, quibus eram malè vſurus, ſi accepiſſem.

Itaque iam habes beneficium, etiamſi beneficium non habeas. Benè & iuſtè de diuinis beneficijs ille ſentiebat, cùm diceret: *Id ipſum*, QVOD NON HABEO, BENEFICIVM MEVM PVTO; *quia tu, Domine, donas, prout cuique expedit; & negas, vt proſit.* Sicque benefica eſt Deus, etiam cùm benefacere non videtur.

Ex alio capite nos ſibi Deus deuincit, dum munera ſua nobis negat; nimirùm, quia ſolet minora non dare, vt det maiora; vnde vnius beneficij negatio iter quodammodò ad maius, grandiuſquè
6 ſternit.

Exercere patientiam noſtram vult Deus, dum negat beneficia: quò nos reddat idoneos, vt maioribus donemur, aut ſi non dentur maiora, maiora tamen fiant, dum, aptiores excipiendis facti, illa demùm excipimus.

Feram, Amor meus, ſi neges beneficia tua, ita tamen, vt non negeas te. Patiar priuari donis, dum donatore non priuer. Damno quicquid impedire beneficia tua poteſt: beneficiorum verò damnum feram, vt à tuà voluntate non abeam.

Fallor, damnum nudum damni nomen eſt, nihil prætereà, ſi mente excipiatur, non adhærente tantùm tuæ, ſed etiam quæ in tuam quodammodò immigrauerit.

CAPVT III.

Quibuſdam beneficijs priuari, occultum Dei beneficium eſt.

7 IN hoc quoque ſuas diuitias Diuina bonitas ingenioſè (vt ità loquar) manifeſtat: quòd quædam nobis auferat, quæ benignè conceſſerat. Nam in primis hac ablatione fit, vt pluris à nobis Dei dona fiant; & plerumquè ad Deum nos vrgent, quæ Dei prouidentia à nobis ſurripit, vt nobis nos ipſos reſtituat, maioraque, quàm abſtulerat, exhibeat. Rectè, vt ſolet, hic philoſophatur Sanctus Chryſoſtomus: *Non quòd,* inquit, *det tantùm; ſed etiam quòd, quæ data ſunt,* AVFERAT, MAXIMÆ SPECIMEN PRAESEFERT BENIGNITATIS. Pergit, & exemplo rem firmat in hunc modum: *Si placet, ex ſermone de paradiſo id oſtendere aggrediamur. Paradiſum dederat: hoc ipſius cura fuit. Indigni hoc munere viſi ſumus: hoc noſtra fuit improbitatis. Abſtulit munus illis, qui indigni euaſerant: hoc ipſius bonitati tribuendum eſt. Ecqua tandem hæc bonitas eſt, rem datam auferre? Expecta, & omninò audies. Cogita namque, quis futurus fuiſſet Cain, ſi poſt homicidium in paradiſo manſiſſet: ſi enim, cùm ab illà habitatione excidiſſet; ſi ad laborem & ærumnas damnatus, & mortis minas intuens imminentes; ſi, cùm ante oculos poſitam parentis calamitatem haberet, & obiecta pedibus ſuis ira Dei veſtigia cerneret, ac tantis malis circumſeptus eſſet, in tantam erupit improbitatem, vt naturam ignoraret, communionis partus obliuiſceretur; eum, à quo nulla fuerat affectus iniuriâ, necaret; fraternum ſanguinem funderet, dexteram cruentaret; cùmque Deus illum admoneret, vt quieſceret, non pareret; ſed Conditorem ſuum probro afficeret, parentibus ignominiam inferret: hic, ſi in paradiſo verſatus fuiſſet, expende in quantam nequitiam proruрiſſet. Nam, ſi tam multis frænis iniectis, tot lethales ſaltus dedit; ſi ſublatis obices illi fuiſſent, quò non ſeipſum præcipitem egiſſet?* Vide quàm magni ablati paradiſi fructus, quàm magnæ vtilitates.

A filio ad matrem calamum flectit; à Cain ad 8
Euam ſe confert, & vtriuſque exemplo hanc vnam rem, quam verſamus, firmat. Religio eſſet hic aurea aurei Doctoris verba deſiderari: *Vis etiam,* ait, *ex matris huius exemplo diſcere, quantum bonum extiterit à paradiſi habitatione excidiſſe? Scrutare, qualis anteà eſſet Eua, & qualis poſteà eua ſerit. Anteà quidem deceptorem diabolum, malignum illum dæmonem, fide digniorem Dei mandatis exiſtimauit; & ſolo arboris aſpectu illecta, latam ab illo legem violauit: poſtquàm autem excidit paradiſo, quo pacto melior ac modeſtior ſit facta, conſidera. Cùm enim filium eſſet enixa; Poſſedi, inquit, hominem per Deum. Ad Dominum confeſtim aufugit ea, quæ Dominum antè contempſerat: neque naturæ rem adſcribit, neque matrimonij legibus partum acceptum fert; ſed naturæ Dominum agnoſcit, eique nato iàm filio, gratias agit: quæque maritum antè in fraudem illexerat, filium etiam erudiuit; eique nomen impoſuit, à quo de Dei munere poſſet admoneri. Cùmque alterum rurſus peperiſſet, ait: Suſcitauit mihi Deus ſemen pro Abel, quem occidit Cain. Calamitatis recordatur, neque fert impatienter mulier: ſed iterum Deo gratias agit, ac filio nomen ex munere Diuino imponit, eiq; perpetuam doctrinæ occaſionem præbet.* ITA, CVM ETIAM ABSTVLIT, DEVS MAIORA BONA LARGITVS EST. *Paradiſo excidit mulier, ſed ad Dei cognitionem hac eiectione deducta eſt; itaq; plus inuenit, quàm perdidit.* Id enim ſæpè nobiſcum præſtat Deus, beneficiumque confert, cum, ſi extimè res penſetur, putatur auferre.

CAPVT IV.

Occultatio ipſa beneficiorum, occultum Dei beneficium eſt.

HOc hîc adijcio; dum occulta beneficia 9
Deus hominibus confert, occultatio ipſa beneficiorum, occultum eſt beneficium. Rem ſic explico, ſic oſtendo. Dùm occultè Deus benefacit, rectè indicat ſe non accipiendæ laudis amore eſſe beneficum. Homines plerumque hoc ſtimulo ad ſua ſalijs largienda vrgentur: non vrgetur Deus.

Præterea occultat Deus ſua beneficia, vt nos quoque illius exemplo occultemus eius obſequia; amemuſque neſciri, & ab hominum oculis ſubduci, quæ in eius gloriam, opera præſtamus.

Occultatio iſta beneficiorum aliâ quoque ratione aliud continet beneficium: quia nimirùm nos minùs ingratitudinis reos reddit; maior quippè ingratitudo eſt, quæ in manifeſtis ſe manifeſtat beneficijs, quàm quæ ſe in occultis occultat, & quodammodò coarctat. Culpæ etiã noſtræ leuiores redduntur inter occulta dona: maiores fierent, ſi inter non occulta adoleſcerẽt. Quò manifeſtiùs beneficiũ eſt, eò manifeſtius & grauiùs eſt crimen, vnde læditur bene-

benefactor. Operit sua beneficia Deus, quò aliqua ex parte nostros errores ita occuleret, vt minueret.

10 Non hîc sistit occultationis huius vtilitas & commodum: ampliùs adhùc effunditur ac dilatatur. Tegit sua beneficia Deus, vt plus mereamur, dùm sedulæ seriæque meditationis actu ea cuuluimus, & quodammodò eruderamus.

Vtilitati quoque nostræ Deus hac ratione consuluit, consului & sapori, dulcedinique: beneficia ipsa, si occulta, suauiora fiunt, sapidiora redduntur, dùm diligentis, piæquè meditationis bipaliu educuntur in lucem. Suauius fit, quod aliquo labore quæritur & inuenitur, quàm quod nullo.

Benignitatis tuæ ingenium, Amor, hîc agnosco, & veneror. In occultis beneficijs numero beneficiorum tuorum occultationem; quin hoc quoque tuum donum est, quod mihi in tuorum donorum occultatione non occultas, sed aperis.

11 Gratias tibi, Amor, ago, quòd tantâ dulcedine adspergis beneficia, dum occultas; & tantâ suauitate perfundis eos, qui se in occultis tuis beneficijs cognoscendis & expendendis, quantùm illis per te licet, exercent.

Proh! quàm vtilis, quàm sancta curiositas, quæ nos ad occulta Dei beneficia diligenter inuestiganda fert! Tàm auidè in occultarum rerum notitiam fertur humana mens, quæ plerumq; mentem alienant, dum alienæ sunt; nec occultorum beneficiorum notitiam quærit, quæ seriò cogitata adeò non alienant mentem, vt mentem menti reddant, vniant donatori.

CAPVT V.

Occultum Dei beneficium est, nihil posse à Deo fieri, quòd non sit nostrum beneficium.

12 EOrum, quæ sunt dicenda, hoc faciendum veluti fundamentum: quicquid fit, à Deo fieri, & omne, quod à Deo fit, ex bonitatis illius sinu prodire; atque adeò omne singulare beneficium esse, licet aliter caligantibus humanæ mentis oculis videatur. Præiuit in hac re pius ille author, cuius verba producam: *Hoc vnicum est solatium humanæ vitæ inter tot miserias: quod nihil possit fieri nisi à Deo; & quidquid facit Deus, aut permittit, non potest non esse beneficium, iuxta naturam bonitatis: & quodcunque beneficium fit, id à Deo fit*; ET QVICQVID A DEO FIT, IDEST BENEFICIVM MEVM FACTVM MIHI. Huiusmodi est diuinæ bonitatis ingenium, vt nihil ab illo possit fluere, quod beneficij charactere destituatur. Quicquid Deus facit, Dei beneficium est: sui fontis naturam redolent riuuli, suæ causæ conformantur, quæ ab ipsâ.

Rem eandem luculenter versat Ioannes Eusebius, dùm ait: QVICQVID A DEO FIT BENEFICIVM MEVM EST; *Dolores corporis, & miseria vitæ, cum patior ego aut alius, fames communis, morbi, pestes, omnia sunt mea beneficia; O Domine, qui propter bonum meum affligis alios. O Deus quantùm tibi debeo qui vt ego pauperculus acciperem sanctam aliquam inspirationem, non dubitas ipsos reges, & mundi Monarchas occidere; nec attendis tot regnorum lacrymas, & calamitates, vt ego inde aliquid addiscam. Pluris æstimas quòd sanctum quid rusticus contritus cogitet, & sapiat, quam vitam & capita Regum aliquorum coronata, ac populos interdum integros.* Quid poterat grandiùs dici, aptius afferri?

13 Vt nihil facit Deus, quod non sit ad gloriam suam; ita nihil quoque facit, quod non sit ad vtilitatem nostram: *Gloria Dei* (vt ille ait) *& vtilitas nostra, sorores sunt, amplexantur se inuicem. Sicut nihil potest facere contra honorem suum, sic* NIHIL FACIT CONTRA VTILITATEM NOSTRAM.

Beneficij nota carere aliquid videatur, beneficium verè est, si à Deo fit: nimis Dei beneficentiam coarctat, qui magis angustè de illa sentit. Qui sapit alienis verbis assuet suam mentem, & cùm quodam Dei seruo Deum suum alloquetur in hunc modum: *O Deus, quàm immensus cum beneficentiâ tuâ!* QVICQVID AGIS, BENEFICIVM EST. *O lumen veritatis: O natura bonitatis! Et ideò beneficia nihil potes agere,* QVOD NON SIT BENEFICIVM. Quantùm Deus porrigit beneficentiam suam! par est igitur, vt & gratiarum actio extendatur.

Cùm omnia, quæ à Deo beneficia nostra sint, fit vt in omnibus debeamus Deo gratias agere, non eius iudicia iudicare. Eximiè Sanctus Leo, dum ait: *Cùm Deus bonos nos esse velit, quia bonus est, nihil nobis debet de eius iudicijs displicere.* NAM NON PER OMNIA ILLI GRATIAS AGERE, QVID EST ALIVD QVAM EX QVADAM EVM PARTE REPREHENDERE? *Audet plerumque humana insipientia aduersus creatorem suum, non solum de inopia, sed etiam de copia, murmurare; vt & cum aliquid non suppetit, querula, & quùm quadam exuberant, sit ingrata.*

14 Quicquid à Deo est, Dei est beneficium: quicquid ergo à nobis est, gratiarum actio sit, etiam illud, quod prima fronte ab illa videtur abesse. Præiuit in exemplum Apostolus, cuius hæc sunt verba: *Gratias ago Deo meo semper pro vobis.* Et quî agere semper gratias poterat, cùm multa alia præstaret, quæ gratiarum actionem minimè redolebant? Omnia redolebant, quia ad ipsam omnia referebat Paulus. Pulchrè ille: GRATIAS SEMPER AGEBAT, *quia omnia ob beneficia accepta Deo referebat.* Quòd si hoc faciebat ob aliena, quid pro suis eum præstitisse credendum est? nisi quia & aliena beneficia sua putabat.

CAPVT VI.

In occultis Dei beneficijs numeranda ea beneficia, quæ nobis Deus non confert ob impedimentum, quod illis obijcimus.

15 QVàm magna, quàm multa hîc apparent beneficia, quæ sub ignorantiæ nostræ, sub torporis nostri velamine antea latebant? Rationem subducat, qui potest: nos non possumus, & fors nullus alius. Rem saltem, vti ferent vires, excuneemus, & in confuso ita cogitemus, vt non ante Deum confundamur.

Beneficium istuc in hoc situm est: multa cuilibet beneficia Deus negat, quæ alioquin conferret, si in nobis impedimentum aliquod non reperiret. Proh! quam magna hîc abyssus latet! se quisque adeat, torporem suum excutiat: & innumera sibi Dei dona negata deprehendet, quia obicem Dei beneficijs posuit, obex ipse fuit.

Itaque si rectè rem iudicemus, tot beneficia Deo debemus, quot ipse nobis erat collaturus, si aggerem (vt ita dicam) diuinæ beneficentiæ fonti

minimè

minimè posuissemus. Quòd multis non donemur beneficijs, nos causa sumus, non Deus, qui erat paratissimus exhibere. Quòd non tribuat plura, quàm tribuat actu, negligentię nostrę tribuendum, nostræ ingratitudini.

16 Debes igitur Deo illa quoque beneficia, quæ non accepisti; quia scilicet à te fuit, quòd auctus illis non fuisti. Promptus erat Deus dare, &, quantum in illo erat, dedit; licet non dederit, quia eius dona reiecimus nostra culpa.

Inter beneficia & hoc nos, Deus, bea, vt tuis vtamur beneficijs, non abutamur, ne beneficentiæ tuæ cursui aggerem opponamus. Istuc etiam inter beneficia occulta numerabimus, si per te tanta plenitudine tuis beneficijs cumulemur, quanta illa offers. O possem, Amor, omnia impedimenta auferre, quibus ego, quibus alij fecimus, ne dona tua ad nos decurrerent!

Sed præstat adhuc rem magis excutere, vt meliùs Dei in nos beneficentia appareat. Non tantùm in pœnitùs negato beneficio Dei beneficium latitat, vt probauimus; sed in quocumq; etiam, quod pleniùs non exhibeatur, quam exhiberetur, si impedimenta non admouerentur. Rem in veritatis luce si pensemus, vix aut ne vix quidem, donum vllum nobis concessum reperiemus, quòd incuriâ nostrâ aliquâ non sit ex parte diminutum. Ecquando, suis nos donans Deus beneficijs, obicem aliquem beneficiorum in nobis non reperit, vt bonitatis suæ fontes quodammodò non cogatur coarctare?

17 Gratia sua nos cumulat? Sed cumulatiùs id præstaret, si aditum, quantùm in nobis est, non obstrueremus. Virtutibus nos exornat? Sed perfectiùs id efficeret, si nos minùs eius operationi obsisteremus.

Multa tua beneficia hîc, Amor, video, quæ inter incuriæ meæ tenebras eò magis lucent, quo ista maior. Vellem, si possem, impedimenta omnia impedire, auferre omnia, quibus beneficentiæ tuæ impetus sisti potest ac retardari; sed hoc quoque tuum est; nimirùm, qui beneficia confers, auferre beneficiorum obices potes. Aufer, vt plenè dona tua dones nobis; & (quod maius est) plenè dones te.

CAPVT VII.

In Dei donis occultum Dei donum est: quòd ea amore ductus conferat.

18 SÆpè homines res suas alijs tribuunt, alijs donant: non tamen semper amore ducuntur: possunt alio affectu allici. Dant plerumque quia aliter nequeunt: casus quandòque hoc tulit & necessitas. Non eligunt, quibus tribuant; eliguntur ipsi, vt dent. Quandòque dant, vt accipiant; sicq; non alterius amore offerunt alteri sua, sed amore sui; turpem vt auaritiam largitio ista sapiat, non veram beneficentiam.

Hæc à Dei beneficijs, Dei beneficentia longissimè exulant: dat sua Deus amore tantùm ductus. Immensum pondus donis suis Deus addit, dum amorem; pretium diuinorum beneficiorum diuinus amor est. Verus in hac quoque re pius ille author, qui Deum suum alloquens aiebat: *Semper munera tua, Domine,* COMITATVR ARDENS AMOR TVVS, *sicut lucem calor: hoc est immensum pretium donorum tuorum, quòd sint obsides & pignora amoris tui: licet lateat visum, patet tamen in effectu beneficij.* Dei expende beneficia, & Dei amore grauida reperies.

Sint aliqua Dei beneficia, quæ prima facie videantur exigua, amorē quo illa Deus confert, cogita, & grandia statim fient. Rectè Ioannes Eusebius: *Si consideremus minima Dei beneficia, non sunt ita exigua, quin infinitam gratitudinem mereantur.* NAM EX AMORE INFINITO ERVMPVNT, *& donorum mensura non quantitas est, sed animus quo donantur, & amor qui per illa demonstratur. Amor autem diuinus immensus est; quare in quibusque minimis Dei donis infinitam eius beneficentiam adorare debemus.*

19 Dimidiatè Dei beneficia expendit, qui amoris pondus à Dei recepit beneficijs. Oculos mentis in Dei dona fige, sed in illis præcipuè cogita, quod est præcipuum, amorem scilicet: hic grandius reddit beneficium, reddit perfectius. Probi Doctoris mentem vt exprimam, hîc eius verba implanto: *O Pater,* inquiebat, *luminum quantas tibi gratias agere debeo pro vniuersis vniuersorum beneficijs,* TESTIBVS AMORIS TVI, *quem præcipuè exosculor, & adoro in operibus tuis?*

Itaque amandus est Deus, non solùm ob beneficia, quæ confert, sed præcipuè ob amorem, quo illa confert. Hoc item ab eadem mente, ab eodem calamo est: *O Domine, amo te ob tua beneficia, quæ in eis video, exosculor,* ET AMPLECTOR AMOREM TVVM; *& ob amorem tuum te amo: quia in illo intueor, adoro & diligo bonitatem tuam.* Hæc eadem, aut similia verba affectu ex cordis sinu producto anima, vt Dei donis aliqua ex parte respondeas. Ama donum, sed potiùs donatorem, donatorisque amorem, à quo istuc quoque est, vt amari possit: amor quippè omnis ab illius amore est, & ob illius amorem elici debet.

CAPVT VIII.

In occultorum beneficiorum censu ponendum, quod aliquando Deus beneficia conferre differat.

SOlet apud homines cunctatio in conferendis beneficijs beneficia ipsa inficere, ac deturpare, quin & perdere aliquando: celeritas verò, moratùmque amolitio, illa exornare, perficere, animare. In Deo aliter se res habet: beneficiorum dilatio beneficia adeò non perdit, vt nouum sit beneficium. Huius discriminis hæc ratio est: quia non ideo differt, quia ægrè ad conferenda beneficia se conferat, & velut trahatur, quod homines solent; sed vt opportunius exhibeat, quod exhibet, gratiùsque sit accipienti ac vtilius. 20

Nequit Deus offerre dona, quin offerat eā opportunitate, quæ diuinæ prouidentiæ sapientiæque suæ regulis nō respondeat. Itaq; in Dei donis elucet & opportunitatis beneficium, quod eò maius est, quò maiora commoda affert, maiores fructus producit. Tota ferè medicinæ virtus in temporis est opportunitate sita: extra tempus exhibita non est medicina, est venenum. Deus quoque tanquam medicus, dona sua confert: nouit, quo temporis momento exhibenda, vt sint salubriora, maioremque conferant vtilitatem, quando conferuntur.

Ex alio capite in beneficij dilatione latet aliud beneficium: quia nimirùm dum Deus tardat, non 21

vult

vult negare beneficium, sed præmio nostra vota, nostrasque preces afficere, ac patientiam nostram coronare.

Tardat prætereà Deus daturus sua dona, vt magis idonei illis excipiendis reddamur, maioribúsque donemur donis, cùm donis ditamur.

Denique hac cunctatione occurrit ingratitudini, quæ nos solet inuadere: quia nimirùm facilè sperni solet, quod facilè obtinetur: cùm è contrà plurimi fiant, ad quæ aliquâ difficultate itur. Ne igitur Dei dona spernetemus, differt sæpè Deus ea confeste, vt vel hac ratione nos ad grati animi significationem alliciat, ac trahat. Sua munera singulari donat dulcedine, dum tardat exhibere. Cadunt hîc oppottunè verba S. Augustini. *Cùm aliquando*, inquit, *tardiùs dat, commendat dona, non negat.* DIV DESIDERATA DVLCIVS OBTINENTVR: *citò autem data vilescunt.* Vix à nobis obtinent, vt magni fiant, quæ à nobis minimo labore obtinentur. Pergit Sanctus Pater: *Pete, quære, insta, petendo, & quærendo, crescis, vt capias. Seruat tibi Deus, quod non vult citò dare,* VT ETTV DISCAS MAGNA MAGIS DESIDERARE. Sicque doni exhibitionem contemptus non sequetur.

22 Fateor, in expendendis beneficijs tuis, Domine, aberraui: non addidi illis pondus, quod opportunitas ipsa secum ferebat. Aliâ deinceps mente tua beneficia spectabo, aliâ excipiam. Cunctatis licèt in donis conferendis, cunctatio extra occulti beneficij numerum apud me non erit; quia nec est apud tribunal veritatis.

Gratias tibi pro tuis beneficijs pauci, Deus, fors agunt: pro illorum opportunitate paucissimi. Plurimi pro gratiarum actione querelas ingeminant: quod non esset, si moras omnes, quas nectis, singulare esse beneficium cogitatent.

O possem querelas omnes, quæ ex impatientiæ sinu prodiere, aut prodibunt in laudum voces conuertere! Cupio istuc, quia istuc tu mereris; quòd si impedite querelas nequeo, saltem emissas doleo.

CAPVT IX.

Inter occulta beneficia ponẽdum, quòd Deus vnum beneficium conferens, se quodammodo alterius debitorem constituat.

23 ILlorum oculi, qui acutè Dei beneficia vident, & seriò expendunt, in Dei beneficijs occultum beneficium inueniunt: quod eò pluris fieri debet, quò solet minoris, imò, quò nihili; quia nimirùm aciem mentis nostræ aliò se vertentis effugit. Beneficium porrò in Dei beneficijs latens istuc est, quòd aliquod donum Deus conferens, alterius se faciat debitorem, vt aliud aliud trahat, ad aliud ducat, adducat aliud.

Proh! quàm mirum istuc, quàm insolens est! Quis vnquam audiuit, vt incipiat tunc aliquis alicui debere, cùm exhibet, quod non debet? Hoc in Deo Dei bonitas facit: donis suis dum nos onerat, noua incipit debere. Diceres semina referre beneficia, quæ Deus confert: statim ac in animæ humo feruntur, ita incipiunt pullulare, vt multis sit donandus, qui vno, qui paucis est donatus.

Quid exempla quæramus? illis obruimur. Res præcipuè elucet in dono, quod est præcipuum. Dat Deus alicui sine vllo merito suam gratiam: quid inde sequitur? statim gloriam, æternamque beatitudinem eidem incipit debere; adeò vt plus sit accepturus, qui plus accepit.

Scilicèt dat Deus beneficia, vt beneficiis exhibitis viam exhibendis sternat. Dat dona, vt vnum alterius sit pignus, & (quod est maius) maioris. Posterius beneficium prioris proles ac partus esse videtur, quod innuit S. Prosper, dùm ait: *Multò crebrior multòq; numerosior pars illa hominum est, cui particulatim quicquid superna largitas donat,* ACCRESCIT; *vt conferendorum munerum causa de ijs, quæ sunt collata, pariantur:* Nescit Diuina bonitas sistere, & hætere: confert beneficia, vt à collatis pergat ad conferenda.

Priora beneficia, semina quedã, vt supetius dicebã, censeri possunt; vix humani pectoris solo cõmittuntur, quùm alia ex se gignunt. Pulchrè ille: *Primò* COLLATVM BENEFICIVM ALTERIVS SAMEN, ET CAVSA ESSE SOLET, *ab eoq; Deus ad aliud denuò conferendum ansam sumit, & incitatur.* alio omninò ab hominum more: hi quippe, post vnius gratiæ doniq; collationem, segniores difficilioresq; seddunmr ad alia conferenda. Deus contrà: ab vno beneficio ad aliud se accingit. Humanæ largitatis vena statim non solùm sistitur, sed & siccatur, dùm incipit effluere: Diuina, maior (si rem spectes) maiorique impetu currit.

Hinc fit, vt, quùm quotidiè Dei dona accipimus, semper ad noua speranda ex acceptis excitemur: &, quæ in manibus habemus, maiora nobis expectanda tacitè monent. Pulchrè S. Augustinus: *Fidelis quisq; cùm iam tanta perceperit, per ea, quæ cognoscit præstita, discat sperare promissa; ac Dei sui præteritam præsentemq; bonitatem,* QVASI FVTVRORVM TANEAT CAVTIONEM; ac si dona priora syngrapha quædam sint, quâ vti homo possit, vt accipiat noua. 24

Quàm diuersâ incedunt viâ homines & Deus! illi, cùm soluunt alicui, quod debent, soluunt se à debiti vinculo: Deus magis se obstringit, & eò plura debet, quò soluit plura; sicque iustus donorum titulus est contulisse dona.

Cæcus, fateor, hucusque fui: hoc in tuis beneficijs, Domine, beneficium non cognoui, nec pro illo gratitudinis tibi tributum vllum solui. Nunc tandem menti meæ elucet, quod mentem meam latebat. Vtinam pari gratiarum actione notitiam istam possem comitari. Hoc quoque beneficentiæ tuæ debebo, si à te habeam, quod soluam tibi; si à te accipiam, quod tu accipere à me tot titulis debes. 25

Quod in tuis, Domine, accidit beneficijs, hoc & in meis erga te obsequijs vellem accidere. Tu beneficia cumulas beneficijs, & statim ad alia præstanda cogitas, dum aliqua præstitisti beneficia: istuc idem & ego cupio in meis obsequijs euenire; adeò vt vnius finis, gradus ad aliud fit, & labor vnus ad alium ducat; incipiamque velle in tui gloriam plura, quò plura sunt ea, quæ in tui gratiam præstiti, adiutus tuâ gratiâ.

Nescit per angustias incedere, qui te, verus Amor, verè amat. Opere semper latiùs porrigitur desiderium; & plura, quàm efficiat, amat efficere, qui tui, Deus, verus est seruus. Per te si hunc numerum augeam, non ero nodus numerus, licèt ad tui obsequium non alio titulo duci velim, quàm tui.

CAPVT

CAPVT X.

Occultum Dei beneficium eſt, aliquem in alium beneficia conferre manifeſta.

26 INuentio vnius occulti beneficij, index alterius eſt. Vix aliquod beneficium, quod latebat, eruimus, cùm aliud ſtatim erumpit, & incipit prodire. Huc mentem anteà non flexeram: flexi, cùm verſare Dei dona incępi, & meditanda alijs offerre. Beneficium igitur accipit, qui confert. Exhibere alijs beneficium aliquod aliquis videtur: beneficio afficitur, dum afficit. Quid grandius cogitari poteſt, quàm in benefaciendo vices agere Dei? Opportunè hîc cadunt Ioannis Euſebij verba huc reſpicientis. *Nulli* inquit, *obijcias beneficia tua; ſed quemadmodum putas Dei munus eſſe quicquid boni tibi fit ab alijs, & Deo totam gratiam refers;* ITA BENEFICIVM DEI ÆSTIMA, NON TVVM, QVICQVID ALIIS EXHIBVERIS. *Imò reputa maius beneficium tibi factum à Deo, quòd te elegerit vt inſtrumentum, & vicarium ſuum ad benefaciendum.*

27 Beneficium eſt, quòd poſſis beneficia conferre, & quòd velis: dat vtrumque Deus, vt ſine illo, qui dedit te tibi, dedit quæ habes, dare alicui nihil poſſes, nihil velles; & præſertim, ſi Dei amore ductus exhibes, quod exhibes.

Gratias tibi igitur, Amor, nunc tandem agos nunc tandem beneficij ſingularis loco puto, beneficia alijs contuliſſe. Doleo, hac tanto tempore notitiâ caruiſſe, quæ à me gratitudinis actum exculperet, humilioremque in faciendis beneficijs faceret.

Quicquid vnquam alteri exhibui, quicquid deinceps exhibiturus ſum, amoris tui notâ nolim carere: & omnia beneficia nunc puto mihi facta, quæ alijs feci, quæ alijs faciam.

CAPVT XI.

Occultum Dei beneficium, ita vnicuique Deum beneficia conferre, ac ſi ſoli.

28 IN Dei beneficijs qui ſpiritalem (vt ita dicam) exercet anatomiam, nouum inuenit beneficium, aut quandam rationem, quâ communia beneficia ſingularia reddantur: quia ſcilicet ita aliqua beneficia Deus pluribus communicat, ac ſi vni conferret, & ſoli; & ſoli ac vni, ac ſi omnibus. Tetigit iſtuc Dei amore tactus ſanctus Auguſtinus, cuius hæc ſunt verba, hæc mens: *O tu bone omnipotens, qui ſic curas vnumquemque noſtrûm,* TANQVAM SOLVM CVRES; ET SIC OMNES, TANQVAM SINGVLOS. Vnde nec communitas ſingularitati officit, nec ſingularitas contrahit communitatem.

Huc euaſerat Apoſtulus, cùm diceret: *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Itàne te vnum tantùm dilexit Chriſtus? pro te vno, Paule, tradidit ſe? Et non vitam dedit etiam pro alijs, qui pro omnibus eſt mortuus? Dedit, ſed beneficij communio beneficium non contraxit, ampliauit. Pro omnibus Chriſtus ſe tradidit, ac ſi pro vno Paulo ac pro ſolo: quod extendi ad vnumquemque poteſt. Audienda Apoſtoli mentem exprimentia verba Sancti Chryſoſtomi ſic aientis: *Declarat Paulus, hoc quoque par eſſe, vt quiſque noſtrûm non minùs* AGAT GRATIAS CHRISTO, QVAM SI OB IPSVM SOLVM AUVENISSET. Amor communia facit ſibi propria; & omnibus exbibita, exhibita vni putat; vt gratiarum actio magis ſit ſingularis, & maior euadat, quò magis beneficia in hunc ſenſum coarctat.

Pluris Dei beneficia fierent, ſi, quod pluribus 29
collatum, ad ſe quiſque coarctaret; vt crederet ſibi vni conceſſum, quod & alijs communicatum, cùm communicatio iſta beneficij ſingularitati nil officiat. Non fit minor beneficij portio, quæ nobis exhibetur, ſi alijs exhibeatur. Lucem Dei beneficia referunt, Paterque luminum Deus dicitur, dum beneficijs ſuis nos beat. *Omne datum optimum* (inquit S. Iacobus) *& omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Luminis rationem referunt: lumen abſque vllâ iacturâ ita pluribus ſeruit ac ſi vni; nec minori aliquis luce afficitur, quòd eadem luce alius fruatur. Idem in Dei donis accidit: non minuuntur, quòd pluribus offerantur: augentur potiùs, cùm in alium reſilire multiplici ratione poſſit, quod confertur alijs. Vt aliæ deſiut alterius donum, ſuum quodammodò facit, qui gaudio afficitur, quia alius affectus illo beneficio fuerit.

CAPVT XII.

Occultum beneficium eſt, Deum ſua conferre beneficia etiam ijs, quos præuidet ingratos futuros.

HOmines hominibus beneficia confe-
runt, quos gratos putant ſe habituros; 30
negaturi ſua beneficia, ſi ingratos eos futuros præuiderent. Alieni defectus ignorantia eos reddit liberaliores.

Per has non incedit anguſtias beneficentia Dei, ac liberalitas diuina: ijs quoque ſua beneficia tribuit, quos nouit ingratiſſimos futuros; vt hac ratione commendet nobis bonitatem ſuam, probetq; ſe nullius commodi, nullius vtilitatis causâ dona ſua in homines deriuare. Quod humiliter quidam Deo ſuo dixit, dicere veriùs fors alij poſſunt: *Me totum debeo, Domine, quia dediſti* PRAEVIDENDO, ME FORE INGRATISSIMVM.

Quis adeò ab hac notâ immunis, qui aliquâ ex 31
parte diuinis beneficijs non ſit ingratus? Præuidit iſtuc Deus, ſed beneficia ſua non inuidit: dedit, nec ingratitudinis præuiſæ obiectu potuit eius beneficentia cohiberi.

Igitur ob id etiam quiſque gratias agat, quòd diuina beneficia à Deo acceperit, etiam ſi ingratum illum futurum Deus præuiderit, ſicque gratitudinis actu abradere ingratitudinis notam ſtudeat.

O Deus meus, vt meliùs beneficia tua loces, hoc me beneficio bea: tolle à me ingratitudinem omnem, & ablationem iſtam inter beneficia ipſa locabo.

Oneratur Dei beneficijs homo, & beneficiorum obliuiſcitur, & Dei benefacientis. Quis hîc non ſtupeat, cùm ſæpè videat homini magis gratum eſſe hominem, quàm Deo? Iure bonus ille author exclamabat (ò eius clamor ad omnium aures perueniret!) ponam hîc eius verba. *Quàm*

infe-

infeliciter, inquis, nostrum cor solicitant beneficia tua, ô Felicitas Beatorum, vt commoueat nos ad beneuolentiam paruula beneficentia etiam pessimorum hominum, imò ferarum, & non stupeamus, & deficiamus! amantes immensam beneficentiam natura tua benefica! Quomodo hoc fit, quòd si homo fecisset, putaremus ingens beneficium; & eo ipso quòd Deus fecerit incomparabiliter plus multò, non æstimamus benefecisse, nec gratos esse curamus? Hominis nomen meretur nomen, qui gratus homini est, ob beneficia ab homine accepta, & non est Deo. Pergit idem author, & adhuc rem grauiùs vrgẽs, pungit ingratos: *Cur igitur munera amittent priuilegium, & reuerentiam suam, quòd fiant à Deo? quæ si facta essent ab vili quolibet homine multò minora, nisi grati essemus, non auderemus securâ fronte esse coram hominibus; sed erubesceremus confusi, vt adhuc nostrimet nos puderet, nobisque videremur esse sine honore infames: & tamen, quia sunt facta à Deo, impunè sumus ingrati, atque coram Deo, & Angelis audemus sine pudore comparere. Cur dona, quia à Deo veniant infeliciora sint, & deterioris conditionis, cùm ea solùm seruent omnes conditiones benefaciendi, & felicissimè nobis subueniant?* Est ne ista beneficij infelicitas, factum fuisse à felicitate summâ? Aliam, si sapis, mentem bibe, aliâ mente Dei accipe beneficia; &, vt doneris semper nouis, noua semper gratiarum liba offer.

CAPVT XIII.

Occultum Dei beneficium est, minora beneficia conferri à Deo, vt conferat maiora.

33 SCilicet vnum Dei beneficium, gradus ad aliud est; & (quod maius) ad maius. Minora dat Deus beneficia, vt conferre maiora possit; ac si illorum exhibitione viam sibi sternat ad ista: ex quo fit, vt vniuersè dona inter naturæ ordinem posita ad gratiæ dona ordinem dicant, ista verò ad gloriæ dona.

Si igitur iustè Dei beneficia pensemus, in beneficijs Dei alia latere beneficia deprehendemus, & (quod est grandius) grandiora: illa nimirùm, ad quæ minora ordinem dicunt; dat enim ista Deus, vt exhibere & illa possit: offert minima, vt det maxima; vt in minimis latere maxima videantur, aut certè maximis alligari, quæ minima.

Qui hucusque hac mente non expendit, non accepit Dei beneficia, expendere incipiat, & accipere. Dono gratitudo respondeat: habeantur Deo gratiæ, non ob habita duntaxat beneficia, sed etiam ob habenda, quæ scilicet tanquam maiora à minoribus respiciuntur.

34 Proh! quàm magnum euadit quodlibet Dei beneficium, quod alioquin exiguum primâ fronte putabatur! Specta beneficium minus, vt maius spectat, & grande putabis vtrunque. Multum magnitudinis ac excellentiæ excellens, & magnum munus minori affricat, dùm à minori respicitur, & terminus illius est.

Accipis à Deo sanitatem, vires accipis, pulchritudinem, opes & huius generis similia, quæ supra naturæ limites se non efferunt: vilia sunt, si hîc sistas: pondus illis statim adijcies, si cogites hæc ad dona gratiæ gloriæque à Deo dirigi; adeò vt quantum ad illum spectat, det hæc minima, quò & illa maxima dare queat.

Fateor, Domine, in expendendis tuis donis aberraui: hucusque leuiora mihi illa visa, quia hoc pondere carentia excepi. Minora, quàm sint, illa putaui; quia non respexi illa, vt maiora respiciunt, ad maiora referuntur, ferunt suum possessorem, nisi ille obicem ponat. Alio deinceps sensu tua beneficia excipiam, alio expendam: vt verò ignorantiæ præteritæ aliquod remedium afferam, nunc tibi pro omnibus tuis beneficijs gratias ago, non sicuti à me dimidiatè cognita fuere, sed prout erant ex vero. Idem cupio, & ab alijs præstari, quò, dum maiora videmus tua munera, maioribus muneribus donemur, maiori in te amore feramur.

A Dei donis, qualis in Dei obsequio esse quisque
debeat, discat quilibet. Dat Deus minima, vt 35
grandia dare queat: nos etiam minima quæque
obsequia dirigere semper in maiora debemus: sic
omnes operationes, quæ alioquin inter naturæ limites sistunt, eleuandæ sunt ad eas, quæ supra naturam. Quicquid hîc agimus, dum viuimus, dirigatur ad illud, quod à nobis fiet, cùm viuemus in Cœlo, vt id omne sapiat, ad quod tanquam ad nobilius perfectiùsque dirigi potest.

Hac tibi lege, Deus meus, obsequi volo, vt minora obsequia ad maiora ordinem dicant: hinc quæcunque hîc in tui gloriam, & honorem præsto, cupio cùm ijs nexum habere, quæ æternum me facturum spero, cùm in cœlo tecum tandiu ero, quandiu eris.

CAPVT XIV.

Occultum Dei beneficium, beneficia Deum promisisse prius quàm exhibeat.

ITa est; beneficia beneficijs cumulat, qui de illis exhibendis recepturum monet. Sic enim 36
beneficentiæ porrigit limites. *Deus*, inquit scitus ille auctor, *producit incũditatem beneficij sui, illud ante promittens, & recolendum proponens, ne solum cum in re est, sed cum adhuc est futurum recipientem beare festinet. Nouit beneficentia diuina vel ante donum dono munerare suos, dum quod* PRAESTAVRA EST MVLTO ANTE PROMITTIT. Nam quoties quis promissa sibi bona recolit, toties suauitate fruitur beneficij, & spe incipit habere, quod est habiturus. Cæleste nobis regnum Deus promisit post hanc vitam, bonis illud exhibebit, sed interim suos tanti boni spe pascit, & incipiunt beari beandi.

De Theodosio Pacatus dixerit: *Homo iam nemo beneficia quæ dederis, ab eo credit tempore computanda, quo dederis; quia tam sunt certa,* QVAE SPONDES, VT TVNC VIDEANTVR ACCEPTA CVM SPONDES. *Felicitas longior est sperare securũ. Cum promittendo præstanda, inuenisti tempus, quod nobis natura subtraxerat, vt quos adepta sola iuuabant etiam adipiscenda delectarent.* Aptius hæc Deo conueniunt, cuius promissio certior, & dona maiora, quę non exhibita solum hominem lætificant, sed & promissa; *Merito*, inquit pius ille auctor, *beneficus Deus* LAETIFICANTIA BONA DATVRVS ILLA ANTE PROMITTIT, *vt accipiẽtis sensum dupliciter afficiat, & impleat, dum in promissione accipit donum, quo lætetur, de quo etiam in receptione postea sit læsaturus.*

Præterea promittit Deus, quod est daturus, vt 37
rogandi aperiat aditum, ansam det deprecandi, sicq; orationis fusu mereamur, quod alioquin

gratis eramus accepturi. Opportunè Ricardus Victorinus: *Pulsat qui affectat, & qui orat, & pulsanti aperitur. Non enim ambigendum est, quin libenter pulsanti aperiat, qui nondum pulsantes hortatur vt pulset. Sic Deus prius vult à se requiri etiam quod promittit, & ideo quod dare disposuit,* PRIVS PROMITTIT, VT ROGANDI ANSAM PRÆBEAT, *& quod daturus gratis erat, deuota promereatur oratio; in hoc a nobis merita extorquet, dum nos praueniet tribuendo quod retribuat, gratis agit ne gratis tribuat.*

Deniq; cogita quæ bona bonorum promissorum spes soleat parturire, & quàm ingens in promissis beneficijs beneficium lateat, te non latebit.

CAPVT XV.

Pretium, quod Christus soluit, vt nobis beneficia mereretur, occultum in Dei beneficijs beneficium est.

38 MAgnum pondus singulis Dei beneficijs adijci reperiemus, si pretium cogitemus, quod Christus pro illis soluit vt scilicet illa nobis mereretur, illa, (ita loquar) lucraretur nobis. Quid, inquies, soluit pro pretio? Suum sanguinem fudit, vitam suam dedit; adeò vt si iustè rem libremus, infiniti ponderis esse singula beneficia Dei deprehendamus. Dedit se Christus, vt nos habere possemus sua: suo igitur pretio nobis sua acquisiuit dona: & non singulare hoc beneficium est? Est; & quia non facilè hominum notitiæ obijci solet, idcirco inter occulta Dei beneficia recensuimus.

Leue alioquin Dei beneficium sit: huiusmodi esse desinit, & infiniti quodammodò fit ponderis, si pretium cogites, quod pro eo solutum. Tibi vt sua Deus acquireret dona, maius donis ipsis donum dedit: dedit se, suum effudit sanguinem. Aptè rem vrget Ioannes Eusebius, cuius hæc sunt verba: *non sunt reputanda* MINIMA BENEFICIA EA QVÆ NOBIS CONSERVNTVR AD SALVTEM ANIMAE; *siquidem oportuit vt nobis donaretur quodlibet minimum auxilium gratiæ, quo bene operamur, incarnare Filium Dei, fundere pretiosum sanguinem, pati, & mori. Quæ igitur infinito pretio comparata sunt a Deo, non minimo nobis æstimanda sunt, sed affectu gratificanda maximo per eximia virtutum opera demonstrando.*

39 Leuis omninò est, qui leuia hac ratione aliqua Dei censet beneficia. Omnia grauia sunt: pondus illis adijcit Christus, dum locrat ea nobis voluit sui sanguinis fusu. Quid leuius probâ aliquâ cogitatione, si in eâ sistas? sed, si cogites, tibi illam emisse, qui te redemit, non minori pretio quàm suo cruore, statim pondus adeò crescit, vt nequeas plenè ponderare.

Quid, quòd hæc ipsa huius beneficij notitia, atque cogitatio hoc eodem pondere est ponderanda & (vt acutius aliquid adijciã) ipsa cogitationis cogitatio, notitiæque notitia?

Ignosce, Domine, non cognoui hactenus tuorum beneficiorum pondus: non illis ego mente adieci, quod tu re adiecisti: non expendi illorum pretium; quia non cogitaui à te tanti empta, re scilicet, tuòque sanguine.

Hoc deinceps præstare conabo. Vt verò donorum ponderi aliquâ ex parte gratiarum actio respondeat, isti adiungam, quod tu adiunxisti illis; ac ità gratias agam, vt in gratiarum actione tu quoque clandaris. Te offero tibi, dono tibi te ipsum ob tua dona.

CAPVT XVI.

Occultum Dei beneficium est, beneficia non tota simul exhibere, sed per partes.

DIducit sua beneficia Deus, vt frequentiùs nos deducat ad se; summæ illius 40
beneficentiæ non officit, quòd dona sua non tota simul semper tribuat, sed per partes. Multiplicat quodammodò sua munera, dum pluribus vicibus offert, quod posset vnâ: nouum videtur beneficium beneficij pars, quæ nouè exhibetur.

Diuisio ista beneficiorum tacitè clamat, ne mentem à benefactore diuidamus. Eo nos ingenium nostrum ferret, vt, si semel totum acciperemus, quod daturus est Deus, facilè postea nos & beneficij & offerentis inuaderet obliuio. Consultum ex parte ingratitudini nostræ est, dum per partes beneficia accipimus.

Hoc quoque præsens tepiditatis nostræ remedium, quòd in futurum semper aliquid remanet accipiendum. Facilè sisteremus in bono, si diuinæ beneficentiæ largitas post plenam beneficij exhibitionem sisteret: vt igitur ad noua munera per noua semper desideria suspiraremus, diuidere sua solet Deus beneficia.

Præterea hoc quoque boni ex hac diuisione colligit, vt vota nostra multiplicet, multiplicet & 41
desideria, quibus capaciores reddimur excipiendis beneficijs, & exceptis conseruandis, vbi excepimus. Aqua paulatim cadens vtilior est terræ, quàm si tota simul terram obrueret: idem accidit in beneficijs: vtiliùs homines irrigantur: vberiores fructus in hominibus gignunt, dum per partes se illis insinuant, non integra eos premunt.

Denique Dei dona pluris fiunt, quæ accipiuntur vt plura; vt vnius beneficij gradus gradum ad id, quod est reliquum, sternat. Non benè mens beneficia diuina expenderet, si tota acciperet expendenda.

Diuide, Amor, beneficia, dummodo à te nunquam diuidar. Abiunge partes beneficiorum; hoc ego in beneficijs numerare volo, totam, integramque mentem tibi posse sistere, non in varia diductam, ac diuisam.

In beneficijs, ò summa Bonitas, loco, non beneficia tantùm, & sed ipsum modum benefaciendi. Quicquid à te quacumque ratione est, beneficium sapit, redolet beneficentiam tuam.

CAPVT XVII.

Occultum Dei beneficium est, quod Deus nec vni nec omnibus omnia sit largitus.

POterat leui brachio Deus, ita quem libet
hominem donis suis cumulare vt alter 42
alterius ope, & auxilio non indigeret, noluit tamen, vt ad mutuæ charitatis officia hac ratione alliceremur; quod singulare esse be-

se beneficium docuit Christus Ipse, cum Beatam Catharinam Senensem alloquens ait: *Quamplurima dona, & virtutum gratiæ spiritualiter, atq; corporaliter sunt à bonitate mea distributa differenter; omnia non exhibens vno, vt ex necessitate causam habeatis virtutem, &* ACTVM CHARITATIS IN ALTERVTRVM EXERCERE. *Mihi namq; facillimum erat homines quoscumque benè dotare secundum corpus, & secundum animam omnibus opportunis. Ego verò potius volui, quòd vnum alterius indigeret, vt essent mei boni dispensatores ad contribuendum gratias, & dona, qua receperunt à bonitate mea. Quia velit nolit homo homo compellitur vti eum proximo suo charitatis actu si tamen actus huiusmodi non fit intuitu mei quantum ad gratiam nihil ei prodest.* Quæ igitur à Deo distribnenda accepimus, distribuere propter Deum debemus.

CAPVT XVIII.

Inter occulta beneficia numerandum; promptiùs ea beneficia Deum conferre, quæ animæ salutem spectant, quàm quæ corporis.

43 Confert promptiùs ea beneficia Deus, quę nostra magis refert accepisse: hinc fit, vt faciliùs ea dona concedat, quæ animæ salutem tangunt, quàm quæ corporis solius; velitque, vt spiritalia beneficia absolutè petantur; corporalia autem non absolutè, sed hac lege, & conditione, si animæ non officiant.

Non sua nobis inuidet Deus dona; sed dona ipsa donat hoc dono, hoc munere sua munera ditat, vt animæ salutem præcipuè spectent, veriùs beneficiorum titulum efferentia, quò salubriora sunt menti.

Quàm larga Dei liberalitas est, quàm pronus ad benefaciendum est! Certiùs nimirùm dona exhibet, quæ postulamus, si certiùs animæ profectum spectent. Homines ægriùs hominibus offerunt, quod pluris æstimatur ab ipsis. Non per hasce angustias incedit Deus: eò faciliùs ea offert, quæ & maiora sunt, & ad animæ salutem magis conducunt.

44 Debemus igitur Deo sua beneficia, debemus, & modum, quo beneficia confert; vt plenè Dei dona non agnoscat, qui hoc quoque in Dei donis non numerat, quòd faciliorem certioremque aditum habeat quisque ad ea consequenda, quæ animæ saluti sunt proximiora.

Respondeat gratitudo beneficijs: agantur Deo gratiæ, non ob accepta nudè beneficia tantùm, sed etiam ob beneficiorum ordinem, quo Deus pronior ad munera sua est, quò munera ipsa in animæ salutē propendent potiùs, quàm in corporis.

Ac, vt magis diuinæ largitati simus grati, quod Deus in beneficijs præstat, præstemus nos in obsequijs; adeò vt & promptiùs faciliusque exhibeamus, quæ, cùm magis spiritum tangant, pleniùs in Dei gloriam resiliunt; & quò maiora sunt opera in Dei gloriam præstanda, eò maiori diligentiâ, maiori curâ illis manum admoueamus.

45 Hoc statuo: da, vt id queam perficere. Interim gratiarum actionem, quam ob beneficium istuc non occultum tantùm, sed, & ignotum, non solueram, modò cupio soluere. Nesciebam, ô dulcis Veritas, hoc etiam beneficio me à te fuisse cumulatum. Agnosco nunc; & gratias, quia, vt debeo, habere non possum, ago, vti possum. In gratiarum quoque actionem resiliat, imparem me agendæ gratiæ fateri.

Ego pariter in petendis tuis donis, diuinæ bonitatis ingenium sequi volo; adeò vt ea præcipuè quæram, quæ sunt præcipua. Ordinem si inuertero, euerte, Deus, mentis meæ sensum, vt saniùs sapiat. Volo non postulata, quæ postulo, dum animæ saluti non conducant.

CAPVT XIX.

Quòd Dei beneficia maiora reipsa sint, quàm primà fronte appareant, occultum Dei beneficium est.

Beneficia ab hominibus collata, ferè minora reipsa sunt, quàm primo adspectu videantur: quin sæpè suum commodum homines quærunt, dum extimè beneficium conferre cæteris iudicantur. Aliter Deus cum hominibus agit, ac cum hominibus homines. Dei quippe beneficia maiora in veritatis lance sunt, quàm esse in hominum mente queant: semper Dei dona maioris existunt ponderis, quàm plenè expendere illi possint, qui accipiunt illa. 46

Dei beneficia non essent, si fuste ea pondera re homines possent. Impar Dei beneficijs expendendis imbecillitas nostra est, quam magis imparem reddit negligentia ac torpor. Non rite pendimus Dei dona, & quia non valemus, & quia non volumus: & à natura oritur ista imparitas, & (quod grauius) à malitia.

Ablato torpore, submota negligentia, gaudeamus nos Dei beneficijs vinci; gaudeamus, ea esse maiora, quàm vt iusta trutina expendi à nobis possint: ita tamen, vt in beneficija ipsis hoc ipsum numeremus; maiora nimirum esse Dei dona, quàm prima facie esse videantur. 47

Hominum dona, quò sæpiùs, quò seriùs cogitantur, leuiora esse deprehenduntur, & plerumque non dona. In Dei beneficijs aliter accidit: quo frequentiùs voluuntur, & altiùs examinantur, eò & maiora iudicantur, & excellentiora, sunt.

In hoc illi sunt paria, à quo sunt: Deus, quò attentiùs cogitatur, maior menti fit: idem aliqua ratione in eius accidit beneficijs: quæ leuia, quæ minima credebantur, si seriò voluas, magna magnique ponderis apparent, illum aliquo pacto referentia, à quo originem referunt.

Mortales beneficia leuia, & minima verbis conantur augere: ex quo fit, vt ferè dona in donantium ore grandiora sint, quàm sint in se ipsis. Deus beneficia dum confert, non effert beneficia, non verbis ea commendat; sed ipsa beneficia pro se loquuntur, & eò altiùs clamant, quò altiùs tacent. 48

Inter beneficia vellem & hoc numerare, Deus mens: vt scilicet tù quoque numerare mea obsequia posses, & plura, & maiora, quam extimè appareant; adeò vt semper plus in tui gloriam re ipsa præstarem, quàm quæ à me præstari videre homines possint.

CAPVT XX.

Inter occulta Dei beneficia putandum, plura esse Dei beneficia, quàm prima faciè videantur esse.

49 NEmo adeò oculatus est, qui distinctè Dei queat beneficia videre. Vis non falli? crede Dei beneficia semper esse plura, quàm angustæ accipientium menti appareant.

Vix, ac ne vix quidem, vnum Dei beneficium dabis, quod vnum sit: multa secum habet colligata, animatur multis, multa sunt. Singula seriò cogita, nec aliter censebis. Itaque tot occulta in singulis habes beneficijs beneficia, quot singulis adhærent, sequuntur singula.

Si rem æqua lance pensemus, beneficiaq; ipsa (vt ita loquar) enucleemus, nullum reperiemus beneficium, quod alia plura secum non vehat, alijs multis non sit onustum. Ex quo fit, vt diductione ista multa beneficia deducamus, quæ antè esse non putabantur, aut certè mentis nostræ aciem, vel (ut aptiùs loquar) torporis nostri tarditatem fugiebant.

Sed rei explicandæ firmandæq; aliqua adducamus in medium. Mensæ assides: fami debes consulere, ne pereas. Panis tibi offertur: vnum hoc dices duces q; beneficium, si hic sistas, nec ulteriùs eas. Falleris, in uno pane innumera beneficia latent. Aliqua tibi ostendo: reliqua ostendas tibi ipsi. Beneficium fuit, semina terræ commissa pullulasse, & in germen erupisse. Beneficium fuit aquam depluuisse, ne aresceret; solem radios suos misisse, vt ad maturitatem perueniret. Fuit fuisse, qui terram colerent, qui semen colligerent, qui grana in farinam verterent, qui panem conficerent; adfuisse ignem, qui coqueret. Omnia hæc beneficia fuere ac tua; nouerat enim Deus in manus tuas venturum panem, cui conficiendo tot laborarunt. Idem de ferculis alijs cense; de fructibus, quos comedendos tibi terra porrigit.

50 Sanitate à Deo donaris? mente sanus non es, si nudum venisse hoc beneficium credis. Non venit: multa secum duxit, quæ ferè mentis aciem fugiunt, præsertim ea meditari fugientis. Rem seriò pensa, & grauida beneficijs beneficia deprehendes, & donis dona. Sanitas (vt in adducto stemus exemplo) multis adminiculis fulcitur, multis seruatur rebus, multis bonis constat, ad multa ordinatur bona; & (quod maximum) ad maxima & spiritualia. Tot igitur in hoc vno beneficia habes, quot veluti partibus constat; veluti finibus terminatur; quot rebus indiget, ne pereat.

Quòd si vltra pergamus, gradumque faciamus ad illa, quæ ad animam animæq; salutem spectant (bone Deus!) quot in quolibet beneficio beneficia inueniemus? Accipis Eucharisticam buccellam: summum hoc donum est, sed non est vnicum. Christi carnem accipis: grande beneficium! Hic non sistit summa Dei bonitas: sanguinem accipis, Deumq; ipsum sub adeò paupere tegmine latentem. Beneficium est, quod facilè se hic Deus exhibeat, tàm promptè; quòd secum tanta bona deferat, tot bonis dignè accipientem cumulet.

51 Nec à rebus tantùm hæc multiplicatio est, sed etiam à duratione. Singula momenta numera, & singula beneficia iam numerasti: in quolibet momento plenum integrumque beneficium habes: quod in alijs durat, beneficium porrigitur, quin multiplicatur. Maximi res momenti per hæc momenta decurrere, & per illa Dei beneficia numerare.

Minuit Dei dona quicunque eorum partes ita considerat, vt in singulis partibus singula non videat dona. Et licèt aliquis hic valdè sit oculatus; adhuc tamen eius notitiam multa fugiunt beneficia, quæ te ipsa possidet. Maior Dei beneficentia est, quàm humanæ mentis sit acies: plura semper Deus nobis præstat, quàm nobis præstare à nobis cognoscatur.

O idem in meis erga te obsequijs accideret, Amor meus, vt plura in vno tu reperires, licèt extimè vnum iudicaretur! Vellem in quocunque actu, quo tibi quacunque ratione aliquid lito, claudi quicquid in tui gloriam fieri potest ac cogitari.

CAPVT XXI.

Diuinorum donorum beneficiorumque continuitas, occultum Dei beneficium est.

ALiud in diuinis beneficijs est, quod seriò expendatur; scilicet continuitas. Ni- 52
mirùm nullum in cuiuslibet vita reperire momentum est, in quo quilibet non aliquo à Deo donetur beneficio. Quod vt diuinã erga nos bonitatem ostendit, sic fræni cuiusdam vice nobis potest deseruire, ne Diuinam Maiestatem offendamus. Malum est benefactorem suum iniuria afficere, sed illud peius, si iniuria afficias, dum actu in te exercet beneficentiam. Hoc postremum in Deum præstat, qui Deum lædit. Non adeò faciles in Dei offensam homines ruerent si istuc cogitarent. Vt non defuerit, qui frænum homini laxauit, vt coerceret. *Reperi*, inquit ille, MOMENTVM, IN QVO ALIQVO BENEFICIO A DEO NON DONERIS, *& te permitto in eum peccare, si velis, possis.* A peccato auocat permissio ipsa peccati, negat quippè quod concedere videtur, quia scilicet singula nostræ vitæ momenta, instantia singula, aliquo semper sunt referata beneficio; vt desint alia, ipsa vitæ conseruatio singulare beneficium est, quod alia multa secum necessario trahit. Quis itaque tàm impiùs, vt in benefactorem suum sæuire audeat, dum actu beneficia, & beneficijs respõdere non obsequijs, sed offensis velit?

Præterea continuatio ista beneficiorum est continua quædam monitio, vt assiduè in Dei obsequium perpetuo, vt ita loquar, bonorum operum circulo voluamur. Molæ quæ aquis voluuntur si desinat aquæ impetu decurrere, sistunt ipsæ. Idem homines præstant; aquariæ rotæ sunt, voluuntur si beneficiorum aquis semper ad ima currẽtibus moueantur. Nisi quod in hoc à molis abimus, quia sæpè licet grandi impetu decurrant diuinarum donorum aquæ, nos tamen stamus, nec sinimus volui, vt aliquid boni à nobis in Dei obsequium exeat. Nequeo hîc supprimere, quę in hanc rem probæ notę author offerebat: MOLA AQVARIA *gyrat dum aqua fluit, at statim, vt aqua fluere cessat, illa similiter sistit. Et quoniam Deus nouit lucere nos auidos esse, & quod non molimus, nec vertimur, nisi dum beneficiorum eius aqua decurrunt, quibus sistentibus solent etiam homines sistere, curat, vt quantum in se est huiusmodi beneficiorum eius aqua currere nunquã cessent.*

At

At in hoc nostra ingratitudo manifestatur, qui cum beneficiorum fluxum Deus nunquam detineat, quando assiduo currant, nos miseri passim sistimus, TANQVAM MOLAE AQVARIAE INGRATITVDINIS CLAVIS FIXAE, ET IMMOBILES REDDITAE NEC, MOLIMVS, *quamuis aquæ copia sit*. Præstaret mola asinaria ad collum alligata in mare demergi, quàm perpetuo fluente diuinæ beneficentiæ fonte, inque nos velut in molam incurrente, & tamen sistere, nec in Dei gloriam operari.

O possem, Deus meus, tuæ beneficentiæ respondere ut assiduè Tu in me beneficus es, ita semper ego aliquid præstare cupio, quod in tui gloriam fit. Tu semper me dono aliquo cumulas, & ego semper aliquo obsequio Maiestatem tuam vellem demerere. O possem singula meæ vitæ momenta bono aliquo opere onerare, imò non vno, non multis, sed omnibus, id nunc votis præsto, quod re non præstiti! Tu, Amor, factum puta, quod qui te vellet amare factum vellet.

CAPVT XXII.

Deum propter vnum multis benefacere, occultum Dei beneficium est.

53 CVm de diuinis beneficijs agimus, angustiæ omnes submouendæ sunt; sic enim ea, quæ latebant beneficia in apertum educentur, & gratiarum agendarum campus latior fiet. Fecimus istuc passim in toto hoc opere, idem nobis faciendum in hoc quod hîc præfiximus; fiet si probamus Deum propter vnum multis sua dona communia facere, quæ alioquin non fecisset.

Morem hunc Dei significauit Paulus, cum ob beneficium ab vno Onesiphoro acceptum ad Timotheum scribens, dixit. *Det misericordiam Dominus Onesiphori domui*; Cur non *Onesiphoro* dumtaxat? *Quia*, inquit hîc Estius, *solet Deus propter vnum* MVLTIS BENEFACERE, & in plures misericordiam suam extendere, vnum donis suis cumulans.

O possem! Amor meus, idem in tui obsequium, gloriamq; præstare, adeo vt cum aliquid alicui præsto, id in omnium commodum, vtilitatemque resiliret. Sine me id optare. Opto, votaq; ad omnia quæ præstiti extendo. Quotiescunq; aliquid feci, vnius causa, vellem illo vno opere omnium hominum gratiam in tui gloriam demeruisse.

A te, Deus meus, dico quid præstare in Te debeam. Sine vt tecum in hac re contendam, contentio ista à pace, & concordia est, est ad pacis, & concordiæ augmentum.

Par est omnia opera porrigi saltem fine, intentione, & affectu, cum illius intuitu fiunt, qui tantæ est magnitudinis, vt porrigi vltra nequeat, cum sit infinita.

CAPVT XXIII.

Aliorum beneficia, occulta nostra beneficia sunt.

PRoh mirum! etiam illa beneficia nostra
sunt, quæ nostra non sunt; aut esse non 54
putantur, quia alijs collata, aliorum tantùm esse iudicamus. Fallimur: nimis angustè de Dei sentimus beneficijs; nimis coarctamus Dei dona. Nostra sunt, quæ alijs conceduntur; cùm nullum ferè beneficium alijs cōferatur, quod in nostrum commodum resilire aliqua ratione non possit.

In primis, si quis sibi complaceat, alios accepisse beneficium aliquod, ipsa complacentia in se transfert facitque suum, quod alteri erat collatum. Gaude alios donatos, & donaris: lætitia afficiaris, beneficio alterum affectum esse, & statim afficeris illius beneficij beneficio; sentis illius commoda, si gaudes alium sentire.

Quot habuimus beneficia, quæ putamus non habuisse? quot caruimus, quia isto adfectu, complacentia ista caruimus? Perdidimus beneficia, dum inuidia potiùs nos corripit, quàm complacentia.

Qui vera seruorum Dei nota sunt insigniti, extra liuoris angustias positi, sua putant aliena beneficia, atque adeò de illis, quæ alijs sunt collata, non minùs gratias Deo agunt, quàm si collata fuissent sibi. A recta est mente alienus, qui aliena non facit sua, dum potest; præsertim cùm possit si velit.

Aliena beneficia non complacentia dumtaxat possum mea facere, sed illa iam mea fecit Deus, cùm alijs fecit. In omnes resilit, quicquid vni confert, & in vnum confluit, quod omnibus exhibet. Scitè plus ille author, & ad hanc mentem opportunè: *O summa bonitas! nihil potes agere, quod non sit beneficium, quod vni confers, non solùm illi,* SED OMNIBVS CONFERRE EST NECESSE. Eiusdem sunt & illa in eundem sensum: *Quicquid a Deo fit illud est beneficium meum factum mihi*. Vni non coarctat beneficia sua Deus; quod vni tribuit, distribui cæteris vult.

Ex alio prætereà capite aliena beneficia nostra
sunt; quia vtilitati nostræ seruiunt, nostro pro- 55
fectui; nam nos ad Dei cognitionem vocant, ad Dei amorem vrgent, ad diuinæ prouidentiæ admirationem trahunt. Beneficia concessa nobis, à nobis sæpè non videntur, aut certè non benè: meliùs distinctiùsque videmus, quæ videmus in alijs: ex quo fit vt ad donatorem nos vehementiùs plerumque alliciant, quæ in alios videmus deriuata, quàm illa, quæ in nobis posita, ferè nostræ mentis aciem fugiunt.

Non hîc figit radices, hoc beneficium: latiùs porrigitur. Dona alijs concessa hoc quoq; bonum afferunt non accipientibus, vt spectatores ad bonum vrgeant, ad meliorem vitam inuitent, quo ijs donati donis possint, quæ in alijs vident, non inuident alijs. Quis eorum numerum numeret, qui solo bonorum exemplo, eorumque bonorum visu, quibus à Dei largitate ditati, statim aduolarunt ad paria merita, vt paribus donarentur? Quis plenè eos recenseat, qui bonorum adspectu, quibus boni donantur, damnata impietate, euaserunt boni? Hoc igitur est aliorum beneficia sua facere, alienis proficere beneficijs.

Magnam hîc diuinæ prouidentiæ abyssum vi-
deo: vellem & ab alijs videri, cogitari ab alijs. 56

Contingit non ſemel, vt Dei beneficia fructuoſiora illis ſint, qui illa vident in alijs, quàm qui poſſident; idque non beneficiorum cauſa, ſed habentium abuſu. Scientia non ſemel tumoris occaſio & ruinæ eam poſſidentibus eſt; quia ſcilicet dum eam habent, haberi ſe à iactantia ſinunt: contra alij ſcientiæ percipiunt fructum, ſcientia illa vidui: quod & in cæteris donis ſæpè accidit.

Quàm diues Dei donis erit, ſi quis aliena beneficia, ſua cenſeat! Ad hanc mentem hæc efferebat pius ille author: *Id ipſum quoque, Domine, quod alijs dediſti beneficium meum iudico.* Suus incipit eſſe, qui ſua & ea iudicat, quæ ſua non videntur.

Denique aliorum beneficia noſtra vel ab hac
57 parte ſunt; quia qui illa habent, magis idonei redduntur, vt nobis opem ferant. Sanctior aliquis eſt, humilior, innocentior, & charior Deo? mihi etiam prodeſſe hæc dona poſſunt; quia non ſolùm aptior, ad dandam alijs opem redditur, qui illa habet; ſed etiam procliuior, faciliorque. Dei dona Dei ſeruus non eſt contentus habere, niſi ſtudeat vt quoque alij habeant. Minùs ſibi videtur bonus, ſi ſolus eſſe velit.

Gaudeo, diuina bonitas, alios tuæ bonitatis gaudere diuitijs: tributum mihi puto, quod alijs tribuis. Gratias tibi pro aliorum beneficijs ago, non ſecus ac ſi ego accepiſſem. Abſit, vt vnquam inuidia corripiar vlla, dum tuis à te ditantur tui.

CAPVT XXIV.

Beneficia, quibus homines ab hominibus afficiuntur, occulta Dei beneficia ſunt.

HAc cæcitate laboramus, vt in hominibus
58 qui dona ſua in homines ſpargunt, beneficam Dei latentem manum minimè videamus, nec agamus Deo gratias, ob munera ab hominibus accepta. Abſtergendus hic error eſt, ne mentem noſtram deinceps occupet.

Hoc diuinæ bonitatis ingenium eſt, vt bona etiã per homines velit hominibus dare; vt nimis anguſtè de illa ſentiat, qui in hominum beneficentia Dei non videt beneficentiam quodammodò occultari. Videatur quis ab homine accipere beneficium aliquod: veriùs accipit à Deo, cuius beneficium eſt ille, qui exhibet, & illud, quod exhibetur. Benè bonus ille author: *Benedic, anima mea, Patri luminum, & noli obliuiſci omnes retributiones eius; nam* OMNES SVNT ILLIVS MVNERA, ETIAM ILLA BENEFICIA, QVÆ AB HOMINIBVS TIBI VIDENTVR VENIRE, ET ACCIPIS AB ILLIS. Pergit, & rem hac ratione firmat: *Nam, ſi mala & dura, quæ tibi infligunt homines, debes putare venire à Deo; cur bona non putabis ab illo venire, cuius natura bonitatis eſt, & ad faciendum prona?* Exemplo ſic idem auctor idem illuſtrat: *Omne lumen cæli (licet iaculetur illud ſtella paruula, & Luna, cùm noctu illuminat) quamuis Sol non videatur, lumen Solis eſt: ſic quodlibet bonum & beneficium, etiam factum ab homine, etiam illud à Deo eſt, & beneficium illud fulgur bonitatis eius.* Nimis Dei beneficentiam coarctat, qui in beneficijs, quæ ab hominibus accipit, benefacien-
59 tem Deum non ſentit, non fatetur.

Quid? beneficia ipſa minora facit, & (quod conſequens eſt) minoris facit, qui ità ab hominibus illa accipit, vt in hominibus ſiſtat, mentem ad Deum non flectat, qui in cuiuſque beneficij largitione præcipuus eſt largitor.

Cùm igitur homo beneficio aliquo donatur ab homine, ſe à Deo illud accepiſſe fateatur: nam & qui tribuit, Dei eſt, & quod tribuitur, quin & tribuendi voluntas; vt, ſi rectè rem penſemus, totum referri in Deum debeat, quod ſolius hominis beneficium credebatur.

Donare homini homo videatur, verè Deus eſt, qui per hominem homini donat; voluit iſtuc etiã Sanctus Auguſtinus, nam loquens de pecunia, quæ data erat Eccleſiæ, ait: *Baſilicam ad oſſa martyres ædificauit, de his,* QVÆ PER VOS DEVS DONAVIT. Quid igitur in homine ſiſtis, cùm ab homine beneficium accipis? mentem ad Deum erige, qui hominibus vtitur, vt hominibus donet ſua dona.

Nimis mens mea, Domine, caligauit, quæ tuam beneficentiam in humana non cognouit, non ſenſit, non cogitauit. Gratias tibi nunc refero, quòd huius me beneficij notitia beas: vtque aliqua ex parte præteritum errorem eluam, de præteritis quoque beneficijs, quæ ab hominibus accepi, nunc tibi, tanquam authori præcipuo, gratias ago, & idem ab alijs fieri deſidero.

CAPVT XXV.

Occultum Dei beneficium: beneficiorum conſeruatorem & cuſtodem Deum eſſe.

NOn erraui; cùm occultum dixi hoc bene- 60
ficium: nos nobis illud occultamus, dum expendere verſareque Dei beneficia negligimus: cenſeri hoc inter dona non ſolet, cùm debeat.

Homines, dum hominibus beneficia conferunt, nihil curant præter ea: ſatis illis eſt, contuliſſe, & non ſunt amplius exhibiti doni cuſtodes, & conſeruatores; vt in hac parte beneficentiæ influxus (liceat ita loqui) abrumpatur, cùm exhibitum eſt beneficium.

Aliter diuina bonitas incedit: beneficentiam ſuam vt producat, beneficia exhibita ſeruat: nam ſtatim perirent, niſi ab illo, qui exhibuit, conſeruarentur.

Debemus igitur Deo, & beneficium ipſum, & ipſius beneficij durationem; quæ continuatio quædam eſt beneficij. Nimis anguſta gratitudo eſt, quæ beneficia nuda ſpectat, non ipſorum beneficiorum conſeruationem. Toties dat Deus beneficia, quot ſunt temporis momenta, in quibus beneficia ſeruat. Vides, quàm innumera in vno beneficio beneficia ſint;

Sed vlteriùs pergo, quia vlterius pergit, & be- 61
neficentia Dei, eius veſtigia premenda, quantum poſſumus, ne nos premat ingratitudo. Non ſolùm multiplicat ſua beneficia Deus, quot ea momenta, ſũt in quibus dona cuſtodit; ſed etiã quot momentis cuſtodiuiſſet, ſi nos noſtra malitia, noſtro torpore, eius dona non corrumperemus: itaque inter beneficia Dei debemus numerare eam beneficiorũ durationem, quæ erat futura, niſi nos diuinæ gratiæ obſtitiſſemus. Per Deum non ſtetit, quin diu Dei dona poſſideremus: à nobis fuit, qui tanta laboramus inſania, vt toto aliquando conatu euertamus, quod ille ſtruit.

Hoc maximè in dono illo elucet, quod omnium eſt maximum: in gratia ſcilicet, quam non ſolum diu, ſed etiam æternùm Deus ſeruaret in nobis,

vbi

vbi semel nos ea ditauit, nisi illius contemptores, illius hostes facti, volentes é gratiæ gradu nos deijceremus, peccatis dediti, quæ gratiæ diuinæ consortium non admittunt.

CAPVT XXVI.

Beneficia rebus ratione, aut sensu carentibus concessa, occulta hominum beneficia sunt.

62 VT creaturæ omnes homine inferiores hominis causâ sunt conditæ, hominisq; seruituti sunt addictæ: sic & beneficia illis concessa, hominis beneficia sunt; adeò vt homo ipse recipiat, quicquid in hominis obsequium cæteræ accipiunt res creatæ.

Quàm magnus hic beneficiorum latet numerus? quæ, quia mentis nostræ aciem solent fugere, idcirco occulta beneficia dici possunt; satis illis manifesta, qui figere hîc mentem volunt.

Vita itaque brutis tributa, nostrũ (si rectè rem expendamus) beneficium est; quia ipsa bruta nostro sunt obsequio mancipata, seruitijs nostris addicta.

63 Idem sentire debemus & de ijs, quæ non sentiunt: quicquid illis Deus confert, vt sint, nostrum est; quia in nostrum commodum resilit, in nostram vergit vtilitatem.

Non possunt rationis expertia, neque vita fusque carentia, cognoscere beneficia, quæ in hominis obsequium accipiunt, nec pro illis gratias agere Deo: præstare vtrumque homo debet, & sui causa, & causa creaturarum. Incipit rebus ratione carentibus patiari homo ratione prędirus, si ea beneficia non cognoscit, & pro illis gratias Deo non agit, quæ animantibus, ratione viduis conceduntur.

Quoties aliquem ex terræ fructibus comedimus multa menti beneficia repræsentarentur, si rem ipsam ipsa perruaderet. Momenta, quibus fructus maturuère numera, si potes, & vix beneficia in illo tibi concessa numerabis. Quanta Deus præstitit in arborem, vt tu arboris fructu fruereris! Quàm opportunè assiduè cœlum in terræ obsequium culturamque (liceat ita loqui) se occupauit, vt terræ fructibus te ditaret!

64 Pruh! quàm suauia, quàm sapida essent, si, quæ à terra accipimus, huiusmodi consideratione condiremus! Quos fructus ederent fructus, quos terra edidit, si mente his cogitationibus parata exciperentur!

Alio quoque nos beneficiu per insensibilia Deus cumulat, dum scilicet suo exemplo tacitè ad Dei cultum ac obsequium inuitant. Loquentia sic pius quidam author ea facit: *Non malum exemplum, aut scandalum dedimus tibi. Disce perire, vt viuat gloria Dei; nam, vt tu viuas, interimus nos. Disce humilitatem nostram; nam non erubescimus in rebus humilibus seruire tibi, vt tu regnes cum sponso tuo, & illum ames. Vt tu viuas in æternum cum illo, conuertimur nos in sordes & saniem: non dedignamur omnia vilia obsequia* CVM PERICVLO ET INTERITV NOSTRO. Hæc aliaquè in cogitantium mentem instillant ipsæ res insensibiles, vt ad Dei seruitium nos vocent, dum nobis seruiunt.

Circumspice singula, quæ in mundo sese tuis offerunt oculis, & vix aliquid adeò vile reperies, quod non vtile aliquod monitum tuis auribus insusurret, quo inuiteris ad bonum, quin informeris & instruaris.

Erraui, insensibilium rerum tacitam non audiens vocem, nec illius me magisterio subijciens. Errorem præteritum saniori quæram consilio tollere: vt ab illis quoque creaturis informer, quæ mei causa à summo conditore formata sunt.

Interim, Amor meus, dona mea puto, quæ tu illis concessisti: gratiasque diuinæ tuæ ago bonitati ob singula beneficia, quibus res omnes ratione præditas cumulasti.

CAPVT XXVII.

Creaturarum ratione expertium labores, occulta hominis beneficia sunt.

65 OMnis creatura (quod Apostolus tetigit) gemens parturit, & parturiens gemit. Quot labores, hominis causâ creaturæ subeunt, quæ homini subijciuntur! Volue per singula oculos, & inuenies omnia in tui seruitium occupata: cœlum semper voluitur, terra proscinditur, aqua in varias formas transformatur, varijs agitur motibus aer, & huc illuc cietur, ignis ab opere nunquam feriatur: arbores parturiunt fructus, animantia laborát, cuncta in vnius hominis seruitium exercentur.

Si ritè rem pensemus, harum creaturarum labores singuli, singularia hominis beneficia sunt, cùm in illius obsequium omnia laborent, omnia hominis commodum, imò & gustum ac voluptatem spectare videantur. Er adeò cæci homines sunt, vt ista non videant: adeò stupidi, vt hæc non cogitét: adeò ingrati, vt gratias Deo pro istis beneficijs non exhibeant?

66 Ex alio capite, cæterarum creaturarum labores occulta Dei beneficia sunt; quia occulta quadam ratione homines ad Dei cognitionem, & (quod inde sequi debet) ad amorem prouocant. Quis miranda illa spectans, quæ tanta solertia res ratione viduæ efficiunt, non tacitè se sentit ad Deum rapi, qui illas condidit, vt talia possent hominis causa perficere? Ideò plerumq; Dei serui vnius flosculi, aut minimi alicuius animantis visu feruntur ad Deum.

Præterea animalia rationis expertia hoc quoque commodum homini afferunt, quod hominem ad virtutum prouocent exercitium. quarum quædam vmbræ in brutis ipsis videntur elucere. Hinc fit, vt Deus ipse non semel ad animantia, quæ ratione carent, homines vocet ad apem, ad formicam, ad serpentem, ad columbam, ad alia; vt brutorum exemplo ea homo præstet, quibus brutis ipsis præstat. Benè pius ille author non loquentes creaturas, loquentes facit in hunc modum: *Vt tu dares te Deo dedit nos tibi Deus: vt tu seruias illi, nos tibi seruimus: vt tu subsistas, nos corrumpimur. Nec cupimus amari à te; sed quòd des Creatori id, quod melius habes,* AMOREM TVVM; *illum ama & lauda, quemadmodum nos facimus.* Vix homo rationis particeps audire meretur, qui res rationis expertes, hæc alto silentio loquentes non exaudit.

67 Denique ad laborem prouocant, dum laborant animantia; vt pudor corripere hominem debeat, si aliarum creaturarum exemplo in Dei obsequium non occupetur, cùm in suum occupata videat, etiã quæ non sua. Nun per se solùm, suisque verbia

eru-

erudire hominem voluit, ſed etiam brutorum moribus, & exemplis. Perite id habet Sanctus Petrus Damianus; *Rerum*, inquit, *Conditor omnipotens Deus, ſicut terrena quaque ad vſum hominum condidit, ſic etiam per ipſas naturarum vires, & neceſſarios motus, quos brutis animalibus indidit, hominem ſalubriter informare curauit;* VT IN IPSIS PECORIBVS HOMO POSSIT ADDISCERE, QVID IMITARI DEBEAT, QVID CAVERE; *quid ab eis mutuari ſalubriter valeat, quid ritè contemnat: quatenus dum à rebus quoque ratione carentibus homo rationalis inſtruitur, ad Auctorem ſuum per viam ſapientiæ cautè ſemper, & inoffenſo tramite gradiatur.* Pergit deinde, & variarum animalium naturas offert, quæ ad hominum mores informandos ſint aptæ.

O Amor meus, & Deus meus, poſſem, tua gratia, in tuam gloriam mi fructus ſpiritus prodnecere, quot terra producit in hominum commodum corporeos! O poſſem in tot me formas aptare ad tui obſequium, in quot ſe aqua conuertit in meum, in aliorum: Aër tam facilia ad motum, torporem meum accuſat, & damnat, quo correptus ad bonum tam difficilè moueor, aut penitùs nō moueor. Ignis elementis cæteris actiuior homines ad opus extimulat, & præcipuè ad præcipuum, ad amorem ſcilicet, quem calore ſuo repræſentat. Cœlum, iuxta tuas leges in hominis obſequium occupatum, me ad tui obſequium tacitè vocat. Denique vniuersè nihil eſt in vniuerſo, quod ratione aliqua (ſiquidem attentè omnia cogitem, ſeriò verſem) ad te non me vrgeat, non vnde aliquod monitum inſinuet, quo placere tibi plus poſſim, plura in tui gloriam tua gratia præſtare.

CAPVT XXVIII.

Aliorum mala, & communes calamitates, bona noſtra ſunt, & occulta Dei beneficia.

68 POEnæ, calamitates, ærumnæ, & alia omnia mala, quæ accidunt alijs, quibus alij premuntur, bona noſtra ſunt, dum ab illis nos eximit Deus. Et ratio in primis eſt: quia aliorum flagellis nos Deus erudit & inſtruit: aliorum pœnia à culpia auocat, aliorum malis prouocat ad bonum, nos bonos facit. Quot à peccatis fuere immunes; aut illis infecti, ab illis ſe Dei ope ſubduxerunt, malorum pœnarumque adſpectu perterriti, quibus alios Deus perculſit, alios onerauit!

Quàm ingens bonum aliena afferunt flagella, dum à peccato nos ſubducunt, quod ſolùm mali nomen iuſtè meretur, ſolùm malum eſt!

Aliud in alienis calamitatibus latet commodū; præſertim ſi ſint maiores, quàm illæ, quæ nos premunt: quia nimirùm earum cogitatione æquiùs libentiùſque noſtras toleramus; ac ſi aliorum flagella menti noſtræ quandam affricent fortitudinem, qua leuiora noſtra videantur; ita tamen vt quo leuiora putantur, eò maioris ſit ponderis meritum, quod comitatur; præmium, quod ſequitur toleratiam noſtram.

69 Præterea hoc quoque boni ex alienis malis colligimus; quòd, dum patientea ipſa ferre illos videmus, ad patientiam inuitamur; ſi verò alij impatientes querulique in ferendis malis ſint; ipſius impatientiæ deformitas ab impatientia auocat, ad patientiam, fortemq; toleranuam facilè nos inuitat.

Da, Amor, vt ex alienis malis ea bona poſſim ego, poſſint alij colligere, quæ tu colligi poſſe probè noſcis. Interim tibi offero patientiam illam ac fortitudinem, qua ſetui tui, tua gratia muniti, mala quæcunque pertulere; vellemque querelas omnes, quas impatientia à patientia ore eliciuit, in tuæ laudis, & ſummæ ad te gratitudinis, amoriſque actus conuertere, & euertere quicquid tibi vel in me, vel in alijs diſplicuit.

Mitte nobis, Deus, mala, dummodò per mala boni reddamur. Mala deſinunt eſſe mala, ſi nos per mala eſſe mali deſinamus.

Sed de communibus calamitatibus aliqua dicamus: nobis aptè mea, quod in illis eſt noſtrum; imò nos aptemus illis, vt noſtri ſimus. Ærumnæ & 70
calamitates, quæ omnes promiſcuè inuadunt, non ſolùm illorum beneficia ſunt, qui illis premuntur, ſed etiam eorum, qui vident illa in alijs. Proh! quàm magna Dei prouidentia eſt, quàm ſingularis eſt illi cura ſingulorum! Plerumque integras vrbes, regna integra affligit vnius iuſti cauſa, vt boni aliquid ab illo cæterorum miſeria exculpat & eliciat. Rem acutè expendebat Ioannes Euſebius: illius hîc verba nequeo ſupprimere licet, & alibi dederim aliò ſpectans: *Quicquid*, inquit, *à Deo fit, illud eſt beneficium meum factum mihi. Dolores corporis, & miſeria vitæ (cum patior ego, aut alius) fames communis, morbi, peſtes, omnia ſunt mea beneficia: O Domine, qui propter bonum meum affligis alios. O Deus quantum tibi debeo! qui, vt ego pauperculus acciperem ſanctam aliquam inſpirationem, non dubitas ipſos & mundi Monarchas occidere: nec attendis tot regnorum lacrymas & calamitates, vt ego inde aliquid addiſcam. Pluris æſtimas, quod ſanctum quid ruſticus contritus cogitet & ſapiat, quam vitam & capita regum aliquorum coronata, ac populos interdum integros. Tanti tantillum ſuorum bonum à Deo fit, vt ex multorum calamitatibus exprimere illud velit: & benè expenſam plurimorum vitam putet, ſi vel vnus ex ſuis aliquid inde fructus eliciat.* Pergit, & claudit: *Da, Domine, vt pro omnibus tibi gratus ſim, & amè pro me pro alijs, vt in omnibus beneficijs tuis me amas.* Par eſt, vt eandem mentem circumferat, qui paria accepit à Deo beneficia.

CAPVT XXIX.

Aliorum lapſus, occultum Dei beneficium eſt.

SI magis propriè loquamur de malis, ſola peccata hoc nomine donanda. Mala omnia, etſi alioquin magna, non ſolùm leuia, 71
ſed nulla ſunt; ſunt bona, ſi peccatis conferantur & culpis. Cùm igitur occultum beneficium in malis alienis, quæ ex vero mala non ſunt, latere & dixerimus, & probauerimus, iuſtitia id ſtatuendum de ijs, quæ ità verè mala ſunt, vt ſola ſint mala; ſcilicet de lapſibus, quos videmus in alijs.

Vides aliquem in peccatum aliquod lapſum? mentem tuam ſubiad te tedis tributum tibi cenſe, tanquam beneficium ſingulare, quod pariter non ceciditi. Nullus adeò grauis eſt lapſus, quo polluti innocentia tua non poſſit, ſi auxiliarem ſuam Deus manum amoueret. Erige igitur mentem in caſu alieno, & Dei beneficium cenſe, caſu nocentium numerum te minimè auxiſſe.

Demus, in aliquod crimen te à tua malitia tractum, adhuc occultum Dei beneficium eſt, te in illud

Ind non tractum, in quod alius cecidit. Si igitur seriò rem pensemus, singula aliorum peccata, singula nostra beneficia sunt; quia singulari Dei munere factum, ne illis infecta nostra mens sit.

72 Sed viterius vrgeamus. Alienæ culpæ nostra ex alio capite beneficia sunt; quia nimirùm peccati fœditas in alijs visa maior est: in nobis sæpè nostræ mentis aciem fugit; dumque culpæ deformitas in alijs videtur, ægrè videri in nobis culpam ipsam sinimus. Faciliùs vitamus peccata, quæ damnamus in alijs.

Denique qui vident alios labi, cautiores fiunt, ne labantur: sicque plerique non peccarent, quia aliorum in peccando amentiam viderunt; quàm in se non viderant, dùm in eadem aut etiam in maiora peccata incidissent.

Iusti quoque & sancti quòd cadere permittantur, in aliorum vtilitatem & cautionem cedere id potest; fiet si de se quisque sentiat humilius, nullusq; viribus suis fidat. Præclarè Angelicus Doctor: *Permittit*, inquit, ALIQVEM SANCTVM LABI IN PECCATVM PROPTER INSTRVCTIONEM. *Sic Dauid adulter fuit, & homicida, vt ex hoc instructi cautiores simus, & humiliores, & qui se existimat stare videat ne cadat, & qui cecidit adijciat vt resurgat;* Sequuntur que eos pœnitentes, qui errantes est sequutus.

Nec boni tantùm hoc commodum ab aliorum lapsu eliciunt; sed & mali, qui sæpè non labuntur, nec peiores fiunt, quia peccantium in peccando considerant stultitiam. Scita aptaque similitudine istuc Christus ipse explicabat Sanctam Brigittã alloquens: *Dicitur*, inquit, *quòd aliquis percussus à scorpione, si perungitur oleo, in quo mortuus est alius scorpio, sanatur:* SIC QVANDOQVE MALVS, VIDENS ALTERIVS CASVM, COMPVNGITVR; *& consideratâ alterius vanitate & iniquitate, sanatur.* Quanta Cœlestis medici peritia est, vt aliorum vulneribus aliorum sanet vulnera, & languentium morbos faciat ægrotantium medicinam!

73 Quid? plerumque fit, vt boni eò meliores fiãt, quò foris fiunt alij peiores. Putei, dùm frigus vehemẽs extra omnia corripit, intus incalescũt; minùsq; frigidi sunt, quò frigidior ambiens est aër. Idem hic accidit: iusti puteos referunt, dùm impietatis frigus peccatorum corda obsidet: ipsi ab hoc frigore incalescunt maiori in Deum suum amore affectuque feruntur, quia vident non ferri alios: & dolent maximè, quia peccatores dolore minimè afficiuntur: ac denique eò grandiori animo Dei sui tuentur partes, quò maiori malitia in eum se mali homines armant.

Doleo, Deus meus, & Amor meus, quòd homines plerique adeò Te non amant, vt in Te sæuiant. Doleo, quòd non doleant: sed, quia illi volunt insanire, ego ab eorum insania prudentior fiam; ab illorum impietate pietatem ebibam, ab illorum peccatis discam non peccare. Te deinceps perfectiùs colam, quia video à tuo cultu multos abire. Te ardentiùs amabo, quia paucos Tui video amatores.

74 O summa puritas, da, vt, dum video alios cecidisse, ipse non cadam; sed alienus lapsus à lapsu me arceat, cautiorem que reddat incauta aliorum præsumptio.

Doleo, alios cecidisse: nollem nocentium augere numerum. Labar priùs in Infernum, quàm (quod omni Inferno maius est, & magis horreo) in crimen.

Concede, summa Bonitas, vt aliena peccata non me ita alienent, vt delinquentium premam vestigia: sint mihi aliorum lapsus in cautionem, non in ruinam.

CAPVT XXX.

Præsentis vitæ pericula, & discrimina, occulta Dei beneficia sunt.

Verus ille fuit, qui hanc vitam *Periculis seminatam* dixit. Est, vbique pullulant, nullum tam sterile, infelixque, alioquin solum est, in quo vberi prouentu hæc semina non germinent. Hoc verò occultũ Dei beneficium esse, non est quod reuocet quis in dubium; satis res probata remanebit, cum constet à Dei prouidentia omnia in nostrum bonum, nostramque vtilitatem dirigente, hoc esse: *Deus*, inquit Ioannes Eusebius, *permittit hæc pericula* AD VTILITATEM NOSTRAM, *quia cum pretiosissima sit hæc vita, vult esse humillimam. Vt semper ab eo pendeamus, permittit tot modis impugnari, vt si nunquam securos nos putemus tutissimi simus, neque si nunquam præsumamus, incolumes permaneamus sperando in eo. Sic ipsa pericula reddunt ipsam tutam*, & minus, ita loquar, periculis est exposita, quò pluribus est exposita periculis. 75

Discrimina, à quibus suos Deus eximit, adeò multa sunt, vt numerum fugiant. Multa sunt & ignota: ille solus illa nouit, qui suos liberat ab ipsis. Nullum vitæ momentum est, in quo homo alicui non sit discrimini expositus: nullum igitur erit momentum, in quo aliquod beneficium liberatori suo non debeat homo. 76

Et quodnam grauius periculum, quàm posse Dei gratiam aliqua culpa amittere? Huic autem discrimini in quolibet instanti sumus obnoxij, vt diuinæ bonitatis sit, illi non subijci, illo non perire.

In hoc etiam Dei benignitas elucet: non rarò Deus nos leuioribus obsideri discriminibus permittit, vt à maioribus defendat: corpus periclitari nõ semel facit, ne anima periclitetur. Quis sanus hoc in beneficiorum numerum non reponat?

Præterea hoc quoque boni afferunt discrimina, quibus sumus obnoxij: quia nimirùm nos ad Deũ vrgent, vt calcaria esse videantur. Plerique hoc ipso Deo proximiores sunt facti, quò viciniores eos discriminibus Deus fecit. 77

Tandem periculis, quibus sepitur homo, debet imbecillitatis suæ notitiam, quam extra discrimina perdiderat. Propriam infirmitatem tunc verè cognoscit, cùm inter discrimina est; eòque fortior euadit, quò minùs se agnoscit fortem; pergit enim ad Deum, spéque se diuina contra omnia armat pericula: atque adeò si rectè rem expendamus, magis plerumque tuti inter pericula sumus, cùm sumus extra pericula, quàm cùm in illis quando nimirùm inter illa nos esse cognoscimus, vt nos nostrã que imbecillitatem cognoscamus. Incipit esse fortis, qui fortitudine cognoscit se carere.

Prouidentia tua, Deus, in omnibus elucet; sed præcipuè in discriminibus, quibus homines exerces; eosque ita liberas ab illis, vt Tibi magis sint deuincti.

Credo, Amor meus, me a pluribus, quà corporis, quà animæ periculis à te fuisse subductũ, quàm reipsa nouerim. Gratias nunc habeo, non dimidiatè, sed plenè. Nollem, animi gratitudinem imperfectæ notitiæ respondere: latior sit illius actus, quàm limites istius.

CAPVT

CAPVT XXXI.

Rerum terrenarum instabilitas, occultum Dei beneficium est.

78 TErrena omnia in hoc solùm stabilia sunt, quòd semper sunt instabilia; & in hoc semper sistunt, quod nunquam sistunt. Id quoq; diuinæ prouidentiæ debemus, quę rerum instabilitate nos firmos in Dei amore, in Dei obsequio reddere studuit.

Vt deessent aliæ rationes, quibus à terrenarum rerũ amore aoocaremur, hęc sufficeret, scilicet illarum instabilitas. Qui mentem habet ea deperire non debet quæ semper pereunt.

Et quî menti quietem astricare poterunt, quiete destitura? Qui stabilem reddent possidentium mentem, si stabilitatem ipsa non possideant? Explicari vix potest, quàm nobis instabilitas ista vtilis sit, quàmque altè nos ad Deum, Deique amorem, qui semper stat, semper est vnos & idem, inuitet, ac alliciat. Quot instabilitas creaturarum ad Creatorem traxit! Vix aliquem reperias, qui terrenis firmiùs non adhæreret, si firmiora illa reperiret: nullus non firmiùs mentem figeret io terrenis, si terrena firmiorem figerent radicem.

79 Terrenas diuitias, & vniuersè terrena omnia stabilia, minimèque firma esset Deus voluit, vt ab illorum desiderio nos eorom caducitas auocaret, & instabilitas. Peritè author ab aureo ore, cuius hæc sunt verba: *Propterea ipsarum* POSSESSIONEM INCERTAM ET NON STABILEM FECIT, VT PER HOC INSANIÆ CIRCA IPSAS INTENTIONEM DISSOLVERET. *Si enim nunc possidentes, qui de ipsis confidere non valent, quinimmò multas ex hac re nascentes insidias cernunt. Sic circa illarum desiderium succeduntur; Si & hoc additum esset, vt stabiles & minimè caduca forent, cui pepercissent? à quo abstinuissent? à qua vidua? à quibus pupillis? à quibus pauperibus?* Minui par est earum rerum desiderium, quæ minuuntur, nec stare ęrga illa amor debet, quæ nunquam stant.

Quilibet igitur, aut quòd terrena non amet, aut amet minùs, huic debet instabilitati. Istuc beneficium eò grandius est, quò magis noxius terrenorum est amor, & quò maior apparet instabilitas ista rerum creatarum.

80 Rerum terrenarum æstus, & instabilitas, ad cælestium firmitatem velut ad portum nos vocat. Peritè rem versat Sanctus Gregorius Naziãzenus, cuius ipsissima verba hîc implanto: *Mihi hæc causa esse videtur, cur nullum huiusce vitæ bonum hominibus certum sit vt diuturnum, atque hoc, vt si quid aliud, rectè artifice verbo & sapientia illa mentem omnem superante factum esse, vt nos in his quæ in aspectum cadunt, atque alias aliter mutantur & mutant, ac sursum deorsumque feruntur & inuertuntur, ac priusquam manu teneantur, fuga se proripiunt, eludamur, nimirum,* VT PERSPECTA INSTABILITATE AC VARIETATE AD FVTVRAE VITAE PORTVM CONTENDAMVS. *Quid enim fecissemus si prosperitas nobis firma & perpetua esset? cum enim fluxa & fragilis sit; vsque eo tamen ipsi tanquam vinculis quibusdam astricti simus, eiusque voluptate atque impostura in hanc seruitutem redacti, vt nihil præsentibus rebus melius atque excellentius cogitare possimus.* Fluxa hîc omnia, omnia fragilia sunt, nihil est stabile nihil firmum, sicq; omnia clamant, cælum, & quæ sunt firma firmiter quærenda.

O veritas amabilis, inuerte cor meum, vt saniùs, quàm hucusque sapuerit, sapiat. Da, hæream tibi & rerum omnium, quæ infra te, oblitus, totus in te ferar, totus in te transformer. Hoc tacitè inclamat terrenarum rerom instabilitas.

Fateor, Amor meus: ad te vocant, quæ extra te sunt, licèt auocare à te videantur. Expertè hoc dicunt: amentis esse deperire, quæ pereunt, & amore in ea ferri, quæ semper ad interitum & ferunt, & feruntur.

Proh! quàm cæci mortales sunt, qui adeò stabiles in rerum instabilium amore sunt: tàm verò instabiles in Dei sui cultu ab omni instabilitate alieni! Aliam circumferet mentem, qui meotem habet.

Alio beneficio, Domine, beneficium cumulas: res extra te instabiles fecisti, ne à nobis amarentur: nos stabiles in tui obsequio effice, qui semper tibi seruire, semper tibi obsequi debemus.

CAPVT XXXII.

Parum fideles homines hominibus esse, occultum Dei beneficium est.

81 PArum fideles homines hominibus esse, adeò est certum, exemplisque firmatum, vt facilè fidem vel nudę sit assertioni quisque daturus. Nihil magis obuium, quàm homines homines fallere. Fallunt non verbis tantùm, sed (quod grauius) etiam re: verbis, quia non stant promissis, & aliud faciunt, ac sint polliciti: re, quia quos in prosperitate amicos quis habet, in duris duros experitur; & adeò tanquam amicos non se exhibent, vt nec se exhibeant vel vt noti, vel vt noscentes.

Beneficij notâ carere hoc primâ fronte videatur: si penitùs rem consideremus, non caret. In primis inconstans hæc hominum fides hoc boni præstat, ne hominibus, humanisque auxilijs nimiùm fidamus; ne noxio affectu hæreamus creaturis, quæ plus nocent, quò plus amantur. Deinde hæc eadem hominum infidelitas nos ad Deum transfert, qui fidelissimus est; nec suos deserit in aduersis.

Infidelitas ista hominum altè hominibus inclamat, spem in homine non locandam, sed in Deo: itaque pleniùs tunc homines iuuant, cùm non iuuant; & minùs deserunt, quò deserunt magis. Vix vnquam tam probè doctores hominum homines fiunt, quàm cùm se infideles hominibus exhibent, & alij in homines sunt, ac esse ex fidelitate deberent.

Da mihi, Deus meus, vt ab hominibus, quos parum fideles experior, discam tibi fideliter seruire, qui seruis tuis es fidelissimus.

O vtinam quod io homines homines præstant, in Te, summa Bonitas, non præstarent! Quoties proposuimus, aut etiam promisimus in tui obsequium aliquid nos facturos, & promissis non stetimus, vt in ventum verba nostra ierint.

Possem, Amor meus, in tui gloriam facere, vt fieret, vt factum esset, quicquid ab hominibus tibi promissum fuit, quicquid homines proposuerunt in tui gloriam facere. Liceat eò votis adspirare, quò re nequeo.

CAPVT

CAPVT XXXIII.

Quòd plenam quietem in terrenis rebus nullus reperiat, inter occulta Dei beneficia recenseri debet.

82 SVmma cordis humani capacitas, summa rerum terrenarum angustia facit, vt æquare mortalium vota nequeant, quæcunq; sunt extra Deum, etiamsi omnia vnius tantùm essent, & in vnius cordis sinum cuncta confluerēt: vnde fieri non potest, vt plenam quietem, veramq; lætitiam, gaudium plenum in rebus terrenis homo reperiat.

Quietē in nulla re creata humanus animus inuenit, inquies in qualibet est, & eò magis, quò magis rem aliquam amat, & firmius rei alicui hæret. Ab hoc & hoc boni elicere homo potest, vt nimirùm discat, quam eximiam, quàm magnam Deus rationalem creaturam fecerit, cui quietem creare nulla valeat creatura: *In ipsa inquietatione*, sic Deū alloquitur Sanctus Augustinus, *satis ostendis, quàm magnam creaturam rationalem feceris*; CVI NVLLO MODO SVFFICIT AD BEATAM REQVIEM QVICQVID TE MINVS EST, *ac per hoc ne ipsa sibi*. Nec ad beatam tamen requiem insufficiens quodlibet est, quod infra Deum, sed etiam ad non beatam.

Ad diuinitatis formam regulamque factus homo est: quicquid infra Deum, implere eius mentis nequit sinum, nec eius desideria satiare. Sitim excitare res terrenæ possunt, non possunt extinguere: solius hoc proprium est Dei. Tantum distant ab hac facultate terrena, quantum & à Deo.

Magnum in hoc rerum terrenarum defectu latet beneficium, & eò maius, quò magis ad Deum homines vrgentur, vt in eo reperiant, quod in terrenis licet desiderent, desiderari tamen in terrenis solet. Inæqualitas ista creaturarum & humanæ capacitatis, ad Deum mentem extimulat, qui solus explere eius inanitatem potest. Quicquid infra Deum, infra hanc virtutem est, vt satiare nostra desideria nequeat.

83 Si quietem possessoribus suis res temporales afferrent, rariùs ad supernam quietem mentem attollerent, tepidè in cœlestium rerum desiderium ferrentur. *Mens vestra*, verba sunt Sancti Petri Damiani, *eo tenus à Deo frigesceret quo in æstu rerum temporalium requiem inueniret. Ideò igitur diuina dispensatio in huius vitæ salo procellosis hinc inde turbinibus, & quodammodo violentis ventorum furentium flatibus vos fluctuare permittit*; VT MENS VESTRA AVIDIVS AD SVPERNA DESIDERIA TRANSEAT, *dum inter ima nō inuenit, vbi delectabiliter requiescat.*

Itaque imperfectio ista creaturarum nos ad perfectionem vrget vrget ad Deum; & defectus rerum creatarum taciiè monet, eundum ad Deum, quærendaque esse diuina.

Mundanis homines adhærent rebus, licèt nullam veram quietem afferant, nec pleni gaudij succo eorum animos expleant. Quid præstarent, si eorum votis pleniùs optata responderent, & minùs impaia hominum desiderijs essent?

Propheiarum voces audire negligis, Dei verba contemnis, te ad se inuitantis? saltem earum rerū clamorem ingredi tuas aures sine, quem res terrenæ quas iàm perditè amas, emittunt. Clamant, dum non exhibent, quod promittunt, dum nimis contra cupiditati tuæ sunt, aliò flectendum esse, vt vera requies inueniatur. Rerum omnium, quæ infra Deum hæc vox vna: In Deo solo quietis veræ solium esse, & centrum.

Ago tibi Deo meo gratias ob beneficium istuc, quod eò grandius est, quò nocentior est nimius amor creaturarum. Debet quilibet diuinæ tuæ prouidentiæ, quòd tanto impetu in terrena non feratur, hac illarum angustiâ veluti quodam fræno coërcitus. Quanto alioquin ferretur, si mentis humanæ sinum magis implerent, & hominum cupiditati magis satisfacerent! 84

Periturarum rerum angustia, cordis humani capacitati omnino impar, exertè clamat, vt te, Amor quæram, qui solus satiare nostra vota potes, solus voluntati nostræ es par. Te volo, te quæro, teque solum cordis mei solium & agnosco & eligo, vt extra affectus mei limites sit, quicquid infra te est.

CAPVT XXXIV.

Pecunias terrenasque opes Deum non fecisse omnibus communes: fecisse verò ea, quæ sunt maiora, & magis necessaria, occultum Dei beneficium est.

HOmines, qui Mundum istum incolunt, specta; alios reperies ijs, quæ diuitias vocāt, onustos, alios maximè pauperes. 85 Tolle hoc diuitiarum genus, quod non adeò necessarium, ijs diuitijs omnes sunt diuites, quæ omnibus necessariæ sunt, & iustiùs diuitiarum nomen sustinent. Omnibus illas Deus largitur: scilicet elementorum vsum, Solis & Lunæ lumina, Cœli ipsius influxum, & similia. *Omnia cum largitate dat Deus*, inquit Sanctus Chrysostomus, *quæ sunt multò magis*, QVAM PECVNIAE, NECESSARIA: *vt aërem, aquam, ignem, & Solem, omnia talia. Non licet dicere, quòd magis radijs diues, minus verò pauper fruatur. Non licet dicere, quòd copiosiorem aërem, quam pauper reperiet diues: sed omnia paria & communia proposita sunt.* Non est in his pauperem reperire, diuites omnes sunt, quicunq; sunt. Nullum in hac rerū vsu pauperis, diuitisq; discrimen; licet in auro, licet in argento, opibusque sit, quæ minus necessaria sunt, aut etiam prorsùs non necessaria.

Hoc autem singulare Dei beneficium esse, non est, quòd vertatur in dubium, cùm à Dei prouidētiâ sit in vtilitatem nostram omnia dirigente. Audiendus idem author ab aureo ore. *Quare*, inquit, MAIORA QVIDEM, ET MAGIS NECESSARIA, ET VITAM NOSTRAM CONTINENTIA, COMMVNIA DEVS FECIT: MINORA VERÒ ET VILIORA NON SVNT COMMVNIA, PECVNIAE NIMIRVM? *Quâ de causâ? Vt vita nostra cōseruetur, & virtutis stadia habeamus. Si enim non essent necessaria hæc, communia, fortè diuites, solitâ vsi auaritiâ, pauperes suffocassent: si enim in diuitijs faciunt hoc, multò magis in illis fecissent. Rursum, si & pecuniæ communes essent, & similiter omnibus propositæ, eleemosynæ occasio sublata esset, & charitatis opportunitas. Vt igitur securè viuamus, communes facta sunt nobis vitæ causa; rursum, vt habeamus coronarum & laudum occasionem, non communes facta sunt pecuniæ; vt auaritiam exosi, & iustitiam sectantes, nostra indigentibus erogantes, aliquod peccatorum nostrorum remedium per viam hanc capiamus.* Vides Diuinæ prouidentiæ arcana? Spectas Diuina beneficia etiam indè prodeuntia, vbi non putabantur latere? Agantur igitur gratiæ Deo, quòd in donis suis eum ordinem seruat, quo maiora ac magis necessaria omnibus communia facit: ea, quæ minùs necessaria, minùs communia esse decernit; quod maximè locum habet in ijs, quæ animæ salutem tangunt.

CAPVT

CAPVT XXXV.

Tot laboribus hanc vitam adspersam esse occultum Dei beneficium est.

86 FLecte in varios hominum status oculos, & nullum videbis à labore immunem, plerumque plus laborat, qui plus laborem timet, & vitat. Adspersit hanc vitam laboribus Deus, nec sine labore aliquem cœlestem gloriam sibi voluit acquirere. Latere hîc ingens beneficium, nefas est in dubium reuocare. Non potest labor nobili hac nota carere, cum à Dei prouidentia fuerit institutum, vt hîc laboraremus, perque laborem vitæ huius ad æternam vitam pergeremus. Rem egregiè vt solet expendit Ioannes Eusebius, cuius hæc sunt verba: *Poterat Deus sine labore suo, & nostro, nos in cœlo locare ex primo instanti, vt inquiunt sine ambagibus huius miseræ vitæ: poterat eadem facilitate producere panem, qua producit spicã & triticum: sed vt laboraret & pateretur aliquid homo voluit necessarium esse ex frumento fieri panem*: VOLVIT AD GLORIAM PRAECEDERE LABORES, VT NOS PLVS HONORARET, ET CVMVLARET SVA LIBERALITATE, CVM VELIT DEBERE ILLAM: Sicq; illi nos plus deberemus.

Præterea labores, quibus præsens hæc vita aspersa est, nos ad vitam illam & inuitant, & vrgent, quæ sine labore est, auocantque ab huius vitæ amore; si enim hanc vitam tot laboribus plenam tam ardéter amamus, vt ab ea discedere ægrè feramus, quid faceremus si iucunda vita ista esset, & à laborum molestia prorsus immunis?

87 Tàm bonus, tàm desiderabilis labor est, vt ab eo eximere Filium suũ humana carne vestitum Deus noluerit, noluerit eius matrem, ne tanto bono illum, istamque priuaret, idemque præstitit in eos, qui verè Dei cultores, verique amici extitere. Quod expendens superius productus auctor aiebat: *Deus non est ignorans, aut amens (absit hac blasphemia) sed summa sapientia est, dilectissimo tamen Filio suo vnigenito*, ELEGIT LABORES, *elegit matri ipsius, elegit socijs filij sui Apostolis, & amicis suis.*

Quod optimis tribuitur bonum est. In laborantium numero quisque esse quærat, vt tandem sit & in eorum censu, qui laboris fructu gaudebunt. Quid? non bonis tantum labores dantur, sed bonos faciunt aut ex bonis meliores, dum ea quâ par est ratione excipiuntur, & diriguntur in Deum.

Agatur igitur Deo gratiæ, quod tot laboribus vitam istam adsperserit, quibus nos elaboraret, & æternę aptaret glorię. Felices labores, qui ita nos hîc exercent, ne otio torpeamus, vt nobis ad æternam requiem, ac iucunditatem sternant viam.

CAPVT XXXVI.

Mundi fallacia, amarities, rerumque mundanarum, occultum Dei beneficium est.

88 AMarus est mundus & amaritie adspersa quęcunque dispersa in illo. Fallor: non adspersę tantùm amaritudine sunt res terrenę, sed plenę. Extimum rerum corticem amoue; quę dulces, quę suaues videntur, intùs solâ madent amaritudine. Hoc diuinę prouidentię inuentum fuit. Amarus est mundus, vt hominibus amaresceret, vt vilesceret hominibus.

Amaritudinem terrenis rebus, terrenę felicitati Deus affricuit, imò & immiscuit, vt ab eis nos auocaret, aduocaret ad suas delicias, aduocaret ad se. *Ideò Deus*, verba sunt Sancti Augustini, *felicitatibus terrenis amaritudines miscet, vt alia quæratur felicitas, cuius dulcedo non est fallax: & de ipsis amaritudinibus, conatur mundus auertere ab eo, quod intendis in anteriora, & retrò conuertere.*

Et adeò insaniunt homines, vt mundum sequãtur, quem sequitur, imò comitatur amaritudo? quid efficerent, si amaritudine non esset mundus affectus? Eiusdem Sancti Augustini hæc sunt verba, hęc mens: *Amarus est mundus, & diligitur: putas, si dulcis esset, qualiter amaretur?* Amarities mundo iniuncta, à mundo nos non abiungit: abiungeret dulcedo dulcedinis sectatores?

Rerum mundanarum amaritudo hoc secum cō- 89
modi affert: ad verę dulcedinis fontem transfert, efficitque, vt spirituales delicię suauius sentiantur. Explicari non potest, quot mundo repudium dederint ob amaritiem, quam in rebus mundanis senserunt.

Aliud quoque commodum terrenarum rerum amaritudines afferunt: quia nimiùm meriti occasionem prębent, dum prębent se. Dei serui sęruiunt, omnia patienter dum ferunt, mundana sua amaritudine adspersa; sicquę in diuina feruntur, in perennatura.

Denique amaritudo mundanis rebus admixta, Stentorea quædam est vox, quâ mundus clamat, ne diligatur. Qui audire Deum negligis, mundum saltem audi, eiùsque voces bibulis excipe auribus, & ad cor transmitte, ne transmittas amorem; vel vt transmissum iam euomas, inscriptùmq; oblitteres. Mundum audi, mundi discipulus ac sectator, vt hostis mundi euadas, si verus auditor fueris. *Ipse mundus*, inquit Beatus Laurentius Iustinianus, *dum eos amaritudinibus cruciat, dum calamitates ingeminat*, QVID ALIVD, NISI VT NON AMETVR CLAMAT? Nemo ad hunc clamorem sit surdus. Non amabit te mundus, cùm tu mundum non amabis, si mundi voces exceperis. Nimirùm salutarem ductorem habere incipies, quem hucusque noxium seductorem habuisti.

CAPVT XXXVII.

Occultum Dei beneficium est, seculi bona pœnam, & supplicium Mundi amatoribus afferre.

EA, quæ in Mundo vocantur bona, hoc ha- 90
bent boni, quòd eos torquent, & supplicio afficiunt, à quibus quæruntur, & amantur; eóq, maiorem pœnam amatoribus suis afferunt, quò maiori cupiditate illi feruntur in illa. Pulchrè S. Augustinus: *Omnis terrena possessio* SVPPLICIVM EST CVPIDITATIS; *vt in ipsis crucietur animus, cui voluit, qui tanta largitur.* Nimis se animus in ista effunderet, nisi in istis sentiret supplicia.

Blandæ videantur deliciæ corporis, pœnas secum ferunt, animæ supplicium sunt. Benè S. Cyprianus: *Non cibus securus somnusne contingit. Suspirat ille in conuiuio, bibat licèt in gemmã: &, cum epulis marcidum corpus thorus mollior alto sinu condi-*

condiderit, vigilat in plumâ; nec intelligit miser SPACIOSA SIB: ESSE SVPPLICIA, *auro se ligatum teneri*. Nimirùm, terrenarum rerum pretium pœna est; & vindictam statim minantur terrena bona, dùm possessores suos mordent, & cruciant, vt iurè ea, *mordacia*, dixerit Possidonius.

Hoc, cùm à Dei prouidentiâ fit, nefas est à beneficiorum occultorum numero excludere. Nec desunt rei probandæ etiam peculiares rationes. In primis pœna ista, iste cruciatus à terrenarum rerum amore homines coercet; præstatq; ne tanto impetu in illas ferantur, qui eas quærunt, & amant. Præterea pleriq; dùm se à mundanis rebus pungi sentiunt & mordeti, animum ad Deum flectunt; adeò vt multorum hominum salus originem ab hisce morsibus ducat. Plerique icti rerum mundanarum aculeis ad Deum cucurrerunt, qui alioquin totos se terrenis bonis tradidissent, & bonis perituris perituri hæsissent.

Gratię igitur Deo habeantur, qui Mundi huius bona, amantium ea voluit esse supplicia, vt aut omninò respuerentur aut amarentur minùs; & statim nobis essent ad medicinam dùm essent ad pœnam.

CAPVT XXXVII.

Mundana, quæ putantur magna, consequi non posse occultum Dei beneficium est.

91 MVndani mundana quærunt, & assequi inania student; quorum studium eò magis est noxium, quò ardentius amantur; & eò grauiora ab hoc amore nascuntur damna, quò sunt leuiora quæ diliguntur. Consuluit itaq; nobis Deus, dùm facit, vt ea, quæ sequimur non assequamur, nec possideamus bona, quæ auidè à nobis quæruntur. Singulare hic latère beneficium latère deinceps neminem debet. Rem ita conficit, expenditq; Sanctus Gregorius Magnus, dum ait: *Sunt nonnulli qui bona vita præsentis diligunt, sed tamen hæc nullatenus assequuntur: qui rebus temporalibus totis desiderijs inhiant: mundi gloriam quærunt, sed adipisci nequaquam possunt. Hos ita dixerim*, COR AD MVNDVM PERTRAHIT, MVNDVS AD COR REPELLIT. *Nam sæpe contingit, vt ipsis suis aduersitatibus fracti ad mentem redeant, & in semetipsis reuersi considerent, quam sint inania, quæ quærebant.* Quod non facilè essent consequuti, si confecuti fuissent, quæ amabant, & quærebant.

Quot fuæ salui consuluère, quia adipisci nequiuère mundana, & terrena, quibus auidissimè inhiabant! Quot saniorem mentem possederunt, quia possidere, ea quæ cupiebant non potuère! Qui igitur sapit Deo gratias agat, cum accidit vt votis frustretur suis, quibus in terrena, in peritura ferebatur. Nos ad nos vocare voluit Deus, dum à mundanarum rerum consequutione auocauit.

CAPVT XXXVIII.

Inter malos viuere, occultum Dei beneficium est.

NOn est malum inter malos viuere: est malum viuere malè. Boni etiam inter improbos proficiunt, & eò meliores fiunt, quò peiores sunt illi, inter quos sunt: 92 nam in primis bonus malorum consortio ad virtutum exercitium quodammodò adigitur. Mali dum bonos exercent, meliores eos reddunt. Improborum malitia bonos extimulat ad profectum; cùmque vident Deum suum à malis iniuriâ affici, ipsi magis ad Dei obsequia animantur.

Multi, inter malos dum vixerunt, meliores euaserunt, qui viuentes inter bonos tepidi remissique fuissent. Puteales aquæ eò calidiores fiunt, quò ambiens aer frigidior est: idem hic fit: incalescunt in bono plerique, quia malitiæ frigore, quod alios possidet, obsidentur.

Præterea in bono bonus proficit, dum viuit inter malos; quia malitiæ fœditatem in alijs videns, passionum monstra in alijs spectans, magis ad istarum, ad illius fugam vrgetur.

Adeòque non inficitur boni virtus, malorum improbitate, vt potiùs ipse in illa proficiat. Demittit se, non intumescit; cogitat enim, se eiusdem esse naturæ cum malis, & posse, si Dei auxilio destituatur, quocunque malo euadere peiorem.

Quin hic non sistit iusti profectus: putat, e malorum, quæ in alijs sunt, causam esse; sicque eò melior fit, quo se minùs putat bonum. Virtutes quoque inter vitiorum ostres obdurescunt, quæ alioquin inter bonos erant vitreæ.

Inter malos viuis? benè viue, & qui sibi mali, boni erunt tibi. Pisces imitare, qui dulces sunt inter aquas maris amaras. Audiendus hic ille ex nostris.

> *Insontes etiam sunt inter crimina: piscis*
> SVAVIOR *est*, SALSAS *qui natat inter* AQVAS.

Mali sibi mali sunt, sed bonis boni, dum eorum 93 malitia boni proficiunt; vt vel ab hoc solo capite rectè Deus aliquos creauerit, quos casuros esse, & in malitia permansuros præuidit: *Cum per iniustos*, inquit Hugo Victorinus, *iusti, per impios pij proficiant: frustra dicitur, vt non crearet Deus, quos præsciebat malos futuros.* CVR ENIM NON CREARET BONIS PROFVTVROS! *Quia sicut præuidit, quòd mali essent futuri: sic etiam præuidit de malefactis eorum quid boni esset ipse facturus.* Mali erunt tibi boni, si per malos efficiaris bonus, aut ex bono optimus euadas.

CAPVT XXXIX.

Aliquos habere, qui nos reprehendant & corrigant, occultum Dei beneficium est.

QVò difficilius est, vt homo errata sua 94 cognoscat, &, vbi cognouerit, emendet se, hoc grandius, beneficium est, habere, qui nobis nostros lapsus aperiant, nos corrigant, & reprehendant, nos obijciant nobis, vt ex nostri notitia aliam ebibamus mentem, alij fiamus.

Plerique in malo radices fixissent, si hac correctionis caruissent falce; & magis digni reprehensione fuissent, nisi fuissent reprehensi; corripientium nimirum vox, culparum fuit medicina. Quò pauciora igitur peccata committi ab hominibus solent hoc freno cohibiti, hoc plura in vno beneficio beneficia latent; & quò diutiùs dilata pœnitentia fuisset, nisi correcti ad illam fuissent prouocati, hoc ipso maius est huiusmodi donum correctionis.

Quis adeò perfrictæ est frontis, quis adeò vere-
95 cundiam omnem deuorauit, quis ab aliquo pecca-
to non abstineat, ne reprehensione dignum se effi-
ciat, ne reprehendatur? sicque reprehensionis ti-
mor minùs reprehensibiles homines facit.

Ferè aliorum oculi acriùs culparum nostrarum magnitudinem vident, distinctiusque discernunt: sæpè nos fugiunt, quæ non fugiunt spectatores, & eos, qui correctionis culterũ adigere in ipsa vulnera ad salutem debent.

Volue Ecclesiæ fastus, & multos inuenies in Sanctorum censu positos: quia correctionis bonum experti fuere, vt boni perfectique fierent post ipsum, qui antea non fuerant. Dauidem ipsum ad sanctitatem hoc medio transtulit Deus, transtulit ab eo peccatum, in quod incurrerat.

Denique correctio non tantùm ei vtilis, cui fit; sed etiam à quo fieri debet; est enim veluti frænum, quod ab illis culpis illum cohibet, ob quas reprehendere alios debet ex munere, alios solet ex charitate. Caueт, ne reprehendi possit ab alijs, qui aliorum futurus est reprehensor.

CAPVT XL.

Hominum persecutiones pati, occultum Dei beneficium est.

96 SÆuiunt sæpe in homines homines; quâ re, quò magis hominum appareat malitia, eò magis Dei prouidentia elucet, qui ad maxima bona dirigit hoc, quod inter mala censeri solet.

In primis, dum persequutores homines aliquis habet, ad Deum vrgetur, ad Dei opem postulandam extimulatur; vt incipiat magis adhærere Deo qui aduersos homines patitur. Plerumque minor quàm homo fit, qui adulatores homines habet: & è conuersò maior quodammodò, quàm homo, homo fit, si hominum sæuitiem sentiat; vel (vt veriùs dicam) hominum in feras degenerantium.

Martyrum numerum gloriamque cogita: nonne, post Deum, tales hominum sæuities fecit, hominum crudelitas cudit? tantum boni mundo peperit hominum in homines persecutio, tantum hominibus profecit eorum crudelitas, qui nullis prodesse volebant, sed omnibus nocere.

In sæuientium crudelitate beneficium latere non latuit Sanctum Stephanum, vt ob id preces pro illis funderet, qui eum lapidabant. *Non ignorabat Athleta*, inquit Sanctus Gregorius Nyssenus, *se per crudelitatem cædem nefariam perpetrantium beneficium accipere; quare etiam benigna precatione sanguinarios compensat*. illisque ignosci petit, à quibus lapidibus petebatur.

Præterea ij, qui in nos sæuiunt, nos in nos ipsos (ita dicam) cogunt, nos ad nos ipsos vrgent. Tunc incipimus imbecillitatem nostram cognoscere, cùm persecutores homines habemus; & dum cognoscimus, reddimur fortiores.

Ex verò, qui nobis blandiuntur, nostri sunt per-
secutores; qui persecutores sunt, sunt vtiliter blã- 97
di: hostilem personam præferentes magis sunt
amici. Plerumque sub amici larua in nos hosti-
liter sæuiunt adulatores homines: persecutores
nostra nobis obijciunt crimina, &, dum obijciunt,
vel nolentes prouocant ad medicinam. Aliquan-
do aliquos reperias, qui plus de se ab hostili per-
secutoris animo didicerunt, quàm ab amici pe-
ctore.

Ex alio quoque capite beneficium persecutio est; quia magnam meriti materiam præbet, eòque maiorem, quo maior est ipsa, & virtutibus ipsis virtutem adijcit ac splendorem.

Hæc cùm ita sint, æquo animo, imò & læto sustinere quisque debet persecutores, nec eadem paratura eos repercutere. Nihil mali tibi inferent, si eos feras. Agendæ pro illis gratiæ, fundendæ pro illis preces. Vis iustè, vis vtiliter in persequutores sæuire? in te sæui. Tu tibi verus persequutor, tu solus; cùm nisi tu noceas tibi, nullus alius tibi queat nocere.

CAPVT XLI.

Occultum Dei beneficium est, quod alios alijs sapientiores, prudentioresque esse Deus voluerit.

POterat Deus æquali omnes sapientia ornare, poterat æquali cunctos prudentia insignire, sed noluit. Alios alijs sapientiores esse decreuit, alios alijs prudẽtiores, vt scilicet doctioribus charitatis exercendæ occasionem præberet, & indoctioribus humilitatis, dum illi communicant quod sciunt, isti quærunt quod nesciunt, sicque homines hominibus illigauit. Lunæ exemplo, quæ lucem à Sole mutuatur, sic nobilis quidam auctor rem explicabat. *Certum est, ideò Lunam splendidam, ac decoram esse, quia Sol ei lucem, pulchritudinemque communicat. Optimè posset Deus lucem suam Lunæ impartiri; non autem illam Lunæ impartitus est ob triplicem causam, videlicet propter pulchritudinem ordinis, propter mutuam subministrationem lucis, & propter humilem subiectionem. Sic etiam vnos alijs sapientiores esse voluit, & quemadmodum planetæ à Sole lucem mutuantur,* SIC OPORTET NOS HVMILIARI ILLVMQVE CONSVLERE, *cui plus sapientiæ Deus communicare voluit.* 98

In hoc incipit insipientior sapere, si adeat sapientiorem, & imprudentior prudentiam exercere, dum prudentioris se opera indigere cognoscit, & prudentiorem consulit, vt consulat sibi.

Et verò prudentior ac sapientior se intra se continere debet, & ab imprudentiori, ac ignoranti discere se quoque potuisse esse, quod ille est, vt Deo, non suæ industriæ tribuat, quod in hac parte super multos est; alioquin imprudens prudentia omnis esse incipit, & omnis sapientia insipientia est, si illã, si istam superbia inficiat, si vtramque humilitas non animet;

CAPVT XLIII.

Occultum Dei beneficium est, hominem ab homine regi ac gubernari.

99 NEmo suî bonus rector est. Stultum magistrum habet, ac cæcum ducem, qui doctor suî est, est suî ductor. Facilè labitur, qui seipsum sibi ipsi credit. Exempla eorum, qui hic aberrarunt, ne quære: ijs in omni æuo obruimur. Cogita multorum fœdos lapsus, & noxiæ huius in se fiduciæ damna recensebis. Vt maledictus dicitur, qui in homine confidit, sic erit & ille, qui cõfidit in se: nam & ipse homo est & plerumque nocentior sibi, quò sibi proximior.

Huic incommodo prouidit Deus, dum per homines regi homines voluit; vt, qui, sequentes se, periclitabantur, aliorum consilijs adhærentes, tutò in Deum dirigerentur. Isaac benedicens Esau, fratris seruum illum constituit: *Ostendens* (inquit Sanctus Ambrosius) *quia* SERVITVS EI REMEDIO AIT; *quia stultus regere se non potest, & nisi moderatorem habeat, præcipitatur proprijs voluntatibus. Diligens ergo pater & consulens, seruum eum fratris sui fecit, vt eius regeretur consilio.* Perfectiùs id fecit Deus: homines hominibus præficit, qui Dei locum teneant, quibusque dicit: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit*; vt in Deum resiliat, quod Dei vicarijs fit.

Hinc præterea est, vt, si accidat nos in aliqua re dubios hærere, habeamus Diuinæ voluntatis interpretes, quorum voces oracula quædam sint, quibus Dei voluntas nobis nota fiat; pondusq; ab hac præcipuè parte operi adijciatur, quòd totos nos hominibus in Dei obsequium commisimus, nostrâque voluntati alienæ substrahimus. Quod Deo gratissimum sacrificium (vt ita loquar) est.

Sequitur hinc sine solicitudine summa vitæ tranquillitas, quùm quis se illi totum committit, quem Dei loco habet. Curarum expers est, qui aliorum nutui paret. Salutis negotium in tuto iam locauit, & feliciter ad gloriæ portum nauigat, qui se aliorũ imperijs sinit regi. Felices, qui, sua voluntate abdicata, alienæ se totos tradunt informandos. Verè sui sunt, qui sui esse non videntur, & alterius se imperio subdiderunt. Perire non possunt, qui tanquam Deo didicerunt homini parere.

Denique obedientiæ vtilitates commodaque recense, & huius beneficij magnitudinem metieris. Inobedientiæ mala numera, & numerabis bona, quæ in hoc dono delitescunt, quo Deus homines per homines informari voluit ac gubernari. Tàm magnum obedientiæ bonũ est, vt cæcitas, quæ alibi tàm noxia, hic sit maximè vtilis, ac cõmendabilis.

Agantur igitur Deo gratiæ, quod nobis per obe-
100 dientiam, qua nos hominibus subdimus contulit, vt sine errore, non secus ac si diuinam prudentiam, sapientiamque haberemus, possumus incedere. Sistenda hic sunt, quæ in hanc rem habet Ioannes Eusebius: *O sapientia*, inquit, *inscrutabilis! Quas gratias tibi referam, quod communices mihi ignorantissimo per sanctum, & humile obsequium:* QVOD EST SVMMA HOMINVM PROVIDENTIA, ET SCIENTIA. DIVINÆ SAPIENTIÆ EST IN NVLLIS POSSE ERRARE; OBEDIENS ETIAM IN NVLLIS ERRAT, SI PAREAT HVMILITER IVBENTI SVPERIORI. Pergit & beneficij huius magnitudinem expendens, ait: *Quantum beneficium inter caligines, quas offundunt passiones, & errores, quos efficiunt cupiditates, & ignorantias, in quas hominum deprauata conuersatio, & Mundi leges, ac mores impellunt, erit sapere, & gubernari prudentissimè absque vllo errore, perinde ac si sapientiam, & diuinam prudentiam haberemus?* Quod alibi damnaretur, vt stultum, intra obedientiæ limites stultitiam exuit, & maximam induit prudentiam. Pergit auctor productus: *Hoc facit inuentum sancta obedientia,* QVÆ VICARIA EST SAPIENTIAE DIVINAE, *& vtilissimum compendium prudentiæ. Quid sapientius quam non posse errare, quæcumq; fiant?* Superior iubendo errare possit, non errat ille qui paret.

CAPVT XLIV.

A malis Superioribus regi, inter occulta Dei beneficia numerandum.

INter Dei beneficia non locare debemus, 101
quòd, quia excludi solet, idcirco occulti beneficij titulum sortitur. Hoc autem est, à malis Superioribus regi, eosque rectores habere, qui se regere nesciunt; vt ineptè munus, quod exercent, exercere videantur.

Solùm huic rei firmandæ hæc ratio sufficeret: quia nimirùm etiam Superiores mali à Deo in superiori sede locantur, Deique obeunt vices. Non potest non esse bonum, quod bonitatis omnis fons decernit.

Plerumque accidit, vt qui sceptrum tenent vitijs pareant, & qui hominibus imperant seruiant sceleribus; facit istuc Deus vt multorum scelera sic puniat; benè Eusebius: *Scelera omnium merentur non raro maiestatem vnius scelesti, itaque puniturus Deus regni peccata, idoneum qui puniet regnantem quærit.* Vt desinant mala regnare in hominibus, quia regnat super homines malus Rex.

Ab alio capite singulare hoc est beneficium; vt regni culmen incipiamus contemnere, dum contemnendum in eo videmus. Idem Eusebius ait hoc factum: *Vt* DESPICIAMVS FORTVNAM, QVAM PESSIMI POSSVNT HABERE: *nec inter magna bona computetur, quæ datur malis, mores potius æstimemus quam felicitatem*; & virtutis potius culmen quam honoris.

Malus superior est? ei te subde, ac te ipso superior fies. Patentiæ virtus elucet magis & maior est, cùm malo Superiori paretur, quàm cùm bono, si sint cætera paria: in illo ostenditur à solo & puro Dei amore obedientiam esse: in isto Superioris bonitas non raro parentiam inficit. Quò perfectior sæpè Superior est, eò minùs perfecta obedientia esse solet, quâ quis eius iussa exequitur: humani aliquid habet, hoc est, aliquid imperfecti præ se fert: solum Deum sapit, tota (vt ita dicam) diuina est, si in Superiore malo Deus spectatur, qui est optimus. Imperantis merita obedientiæ meritum minuit, quod crescit, si decrescant illa.

Sic sæpè contingit, vt minùs nobis sit bonus Superior, quia sibi bonus est: malus verò efficit, vt bona, quæ agimus, meliora fiant. Quantæ virtutis, quantæ fortitudinis est, illam violentiam superare, quam ferè in suos Superioris exemplum exercet! Quis non iudicet maioris esse meriti (cùm sit maioris difficultatis) sub malo Superiore benè viuere, quàm sub bono?

Denique hoc boni à malo Superiore in subditos deriuat, vt hac ratione subditi suorum peccatorũ pœnas luant, ac talis Superioris patientiâ ea eluant quæ sub bono contraxerant. Malus non est tibi Superior, quo fieri te ipso superior potes, & (quod hinc sequitur) bonus.

P 2 CAPVT

CAPVT XXXXV.

In occultis Dei beneficijs numerandum, Superiores malis imperare.

102 QVod de malis Superiorbius diximus erga ſubditos, de malis quoque ſubditis reſpectu Superiorum dicendum eſt, nimirùm occulti beneficij loco habendum Superiori, malos ſi habeat ſubditos & refractarios. Scio, difficile eſſe, ferre difficiles; ſed difficultas extra beneficij limites rem non extrahit.

Satis rei firmandæ eſſet, diuinæ prouidentiæ fuiſſe, eos malis ſubditis datos Superiores. Non poteſt non eſſe bonum, quod ab ipſo boni omnis eſt authore. Sed non deeſunt etiam rationes peculiares.

Nam à malis ſubditis diſcere Superior debet non eſſe malus ſubditus ſuis Superioribus, & (quod præcipuum) præcipuè Deo. In malis ſubditis videre poteſt, quid cauendum illi, ne ſummo Numini diſpliceat. Speculi vico ſeruiunt ipſi, quos ipſe regit.

103 Præterea imperfecti dum tolerantur à Superioribus, perfectiores hi poſſunt euadere perfectiùſq; virtutes exercere, & præcipuè patientiam, manſuetudinem, humilitatem.

Sed, vt vlteriùs vrgeamus, aliam vtilitatem ex malis ſubditis ij, qui in culmine ſunt, hauriunt: quia nimirùm à culminum amore affectùque ſe magis ſoluunt, cùm amaritie infecta culmina vident. Ambitionem ſoperbiàmque à Superioribus, ex aut toto, aut parte abſecat ſubditorum durities, ac intractabilitias. Quanto impeto ad non habitas dignitates homines ferrentur, quanto affectu habitis adhærerent, ſi peruicaces ſubditos non experirentur! Nimis ſubditi ambitioni homines eſſent, niſi ſubditos duros haberent; facileſque manus ſuperbiæ præberent, niſi difficiles eos, quibus imperant, ſentirent.

Poſtremò ex malis ſubditis diſcunt Superiores, ſuperioribus compati, cùm, poſitâ dignitate, illis obtemperant. Boni ſubditi fiunt, cùm fiunt ſubditi, quia malos ſubditos habuerunt, dum habuerunt ſubditos, Superioréſque fuerunt.

CAPVT XLVI.

Inter occulta Dei beneficia cenſeri debet, quòd proſperè ſæpè malorum res hìc ſe habeant, & temporalibus bonis cumulentur non boni.

104 OCculta Dei beneficia quùm expendam, & in lucem producam; cur iſtuc prætercam, quod inter beneficia occulta iuſtiùs cenſeatur, quò plura in ſe commoda continet, & quò pluribus eſt donis ditius?

In primis dans Deus peccatoribus temporalia bona, indicat huc ipſo non magni facienda, quòd hoſtibus etiam dantur; & maximè contemnenda, quòd Dei contemptoribus offeruntur. Pluris haberentur terrena, niſi plures eas haberent, & (quod plus eſt) etiam plerumq; ceteris peiores. Quid amentur bona, quæ bonos non faciunt ſuos poſſeſſores; & mali ſæpè ſunt, quia non viuotur benè. *Quis non deſpiciat diuitias temporales*, inquit S. Bernardinus, *cùm plerumq; cernantur, quòd eas ſectantes ex eis* NVLLVM REPORTANT FRVCTVM? non dantis defectu, ſed vtentis.

Aliundè porrò beneficij huius magnitudo probatur; quia bona non bonis Deus tribuit, vt à malitiâ auocet, vocet ad bonitatem. Proſperis Deus impios excipit, vt deſinant eſſe, quod ſunt; & eò pergant, à quo abſunt longiſſimè, ad probitatem.

Hoc quoq; vtilitatis excolpere hinc boni poſſunt, dùm in terris impiorum res proſperè vident ſuccedere: quid nimirùm ſperare in aliâ vitâ ipſi debeant; ſi enim adeò beneficus eſt Deus, vt quædam malorum bona hîc remoneret, quia in beatitudinis regno id non eſt præſtaturus; quid facturum putas iuſtis in Cœlis, quùm ſuâ mercede eorum verè bona donabit? Explicet, qui poteſt.

Deniq; inſigne nobis mititatis exemplum exhibet: vt inferentibus mala offeramus bona, bona faciamus; cùm ipſe Conditor hoſtes ſuos ijs bonis oneret, quibus apti ſunt onerari. Clamat igitur exemplo ſuo Deus, vt inimicos diligamus, & benè ijs faciamus, qui nobis faciunt mala.

CAPVT XLVII.

Tribulatio, aduerſitas, huius vitæ ærumnæ & dura quæque Dei beneficium occultum vt ſint.

COntractior, quàm debueram, fui, cùm tribulationem, occultum Dei benefi- 105
cium dixi: multa beneficia continet, multiplex beneficium eſt. Tot ſunt beneficia occulta, quot bona afferunt tribulationes ijs, qui æquo animo eas ferunt. Pauca quædam libabo: omnia nequeo; nec, ſi poſſem, vellem recenſere.

Tribulatio nos à mundo mundaniſque rebus abducit, nos nobis reddit. Secundæ res nos extra nos ferunt: aduerſæ nos reſtituunt nobis; adeò vt, ſi ritè rem penſemus, ſecondæ res aduerſæ ſiot, aduerſæ verò ſecundæ.

Immittit Deus tribulationes, vt deſiderio ſui nos accendat. Segnitiei frigore pleique corriperentur, niſi eos tribulatio aliqua corriperet. Verus Sanctus Auguſtinus, qui, Deum ſuum alloquens, aiebat. *Facis tribulationes ad inflammandos eorum animos deſiderio tui.* Quòd ſi aliquis tribulationum flatibus Dei deſiderio non inflammetur, id non tribulationibus triboat, ſed ſibi. 106

Non affligit nos Deus, vt affligat; ſed vt purget; vtq; expoliet nos vitijs, quæ nos ambiunt, expoliàtque virtutibus. Probare nos vult, quin & probos reddere, dum tribulationibus exercet. Pulchrè Bloſius: *Purgat*, inquit, *expolit, probat te Deus, non deſerit: neſcis tu modò fortaſſis quare ita te caſtiget, & proterat; ſed vbi ad eum perueneris*, TVM AGNOSCES FLAGELLA ISTA, QVIBVS IAM TE EXERCET, EX VERO TVI AMORE FVISSE PROFECTA. *Nullam vnquam afflictionem, quantumuis exiguam, accidere permittit ſine eximio commodo eius, qui illam ſuſtinet, ſi patiens fuerit.* Adeò vt tribulatio, tribulationis exuat amaritiem, dum nos multis malis exuit, multis induit bonis.

Præſentis vitæ ærumnæ, labores, tribulationeſq; nos aſſiduè monent, vt ad cæleſtis patriæ iucunditatem, felicitatemq; aſpiremus, æternæ inhiemus vitæ, quæ ab omni eſt calamitate, ab omni-

bus

bus est augustijs immunis. Benè rem explicat Ioannes Eusebius: *Quæ causa est cùm copiosissima sit redemptio Christi, quòd abstulerit peccatum, & noluerit tollere molestia, quæ ex peccato nascuntur in hac vitâ, nisi quòd salutares sint ærumnæ?* QVOMODO ASPIRAREMVS AD VITAM ÆTERNAM, SI HAEC VITA IVCVNDA ESSET, ET SINE VLLO LABORE, *cùm modo amemus illam, licet sit tam plena miserijs, & non dignè desideramus beatitudinem æternius? Rectè dicebat eleuatus, & benedictus Pater Baltazar Aluarez, tribulationes esse* PEGASOS, *vt properemus in Cælum.*

Pergit, & ex alia mente rem aliter explicat, aliter probat dum ait: *Dicebat feruidus, & deuotissimus Pater Christophorus Rodericus, in suis ærumnis, & doloribus nolle compatiendum, sed gratulandum sibi fore, & simul secum gratificandum Deo: Nam velut amici amicorum stringunt, & premunt dextras, vsquequo doleant in amicitiæ indicium; sic Deus manu sua amicos suos premit, & vrget, quod est amoris signum. Maius sæpè argumentum beneuolentiæ sunt;* SVPPLICIA QVAM BENEFICIA, *sine dona, quoniam ipsa supplicia iam sint maiora beneficia.* Nemo ergo adeo desipiat, vt extra beneficiorum censum ærumnas locet, extra donorum numerum supplicia ponat.

A mundo auocant tribulationes, & ad mundi
107 reuocant Conditorem. Manifestis sæpè beneficijs homines ad se vocat Deus; sed illorum vocibus surdi, ire ad vocantem negligunt: quid præstat? ad occulta pergit, vt pergamus ad ipsum; & inter alia aduersitatum ictibus vtitur, quibus ad Deum vrgemur à Deo. Harum voces validiùs mentis aures feriunt, altiùsque clamant, & obsequentiores homines ferè habent, quàm habeant res secundæ. Iure Dei eloquentia, & cathedra Spiritûs sancti dicta est tribulatio; adeò vt Deo per tribulationes loquenti promptiùs aliqui pareant, quem inter secunda contempserunt.

Ad Dei nos amorem vrgent, quę nos hîc premunt, vt non defuerit, qui aduersa *Charitatis calcaria* dixerit. Festiuè Richardus Victorinus: *Vide*, inquit, *quæ videntes plerique non vident, & aduerte, si quæ contra nos sæuiunt in aduersis quadam non sine* CHARITATIS CALCARIA *vrgentia quodammodo ad cursum amoris.* Quam lenis sæuities ista est! quàm prospera aduersitas est, quæ ad amorem vrget, quos corripit!

Fige in omnia sęcula oculos, & multos in singu-
108 lis reperies ad Deum tribulationis stimulis actos cucurrisse, qui nullà aliâ machinâ dimoueri non poterant. Rectè Philo pressuram, *iter ad Deum*, vocat. Verè inuentum Deo dignum tribulatio est, cuius auxilio Deum inuenire possumus, quem sæpè in vitæ huius iucunditatibus amiseramus.

Quàm noxia prosperitas est, tàm est vtilis aduersitas, quæ est illius aut frenum, aut falx. De prosperitate sic sentiebat Sanctus Augustinus: *Quicquid,* PROSPERVM *venit, fratres, magis metuendum est: quæ putatis prospera,* MAGIS TENTATIONES SVNT. *Venit hæreditas, venit Copia rerum, abundat circumfluentia nescio cuius fęlicitatis, tentationes sunt ista, cauete ne vos ista corrumpant.* Excipiendæ igitur aduersitates quæ incommoda illa auferunt, quæ afferunt aduersitates. Pulchrè de hac re Guigo: *Prosperitas* LOQVEVS *est,* CVLTER INCIDENS HVNC LAQVEVM ADVERSITAS. *Carcer amoris Dei prosperitas, confringens hunc aries aduersitas.* Itaq; si rectè ratio subducatur prosperitas aduersa est, aduersitas est prospera.

109 Et (vt multa paucis claudam) tribulatio gloriæ semen quoddam est, humilitatis mater, superbiæ medicina. Est Lydius virtutum lapis, qui veras à non veris discriminat; meriti ferax humus, & vniuersè peccati frænum. Hinc illud apud Cassianum: FACILIVS QVIS ELIDI POTEST PROSPERIS, QVAM ADVERSIS: *hæc enim interdum etiam inuitos retinent, atque humiliant compunctione saluberrimâ, vel minus peccare faciunt, vel emendant: illa verò mollibus mentem ac perniciosis excellentiæ blandimentis securos felicitatis suæ prouentu ruinâ maiore prosternunt.*

Quid? mortem ipsam dulciorem suauioremq; nobis tribulatio facit. Libentiùs quisque hinc abit, quò frequentiùs illum aduersitas adierit.

Dura aduersa, amara, & vniuersè quæ mala putantur licet aliunde essent quod esse putantur, desinerent esse, cum illa Dei Filius, vt ita loquar, deificauit; *Christus*, inquit probę notę auctor, *generalitatem passionum suscepit,* VT VNIVERSVM QVOAD MALA PAENAS DEIFICARET: *ita quòd sicut Verbum diuinum suscipiendo humanam naturam, assumpsit quodammodo totum vniuersum quod bona; ita suscipiendo mala hominum in generalitate suarum passionum,* DEIFICAVIT TOTVM VNIVERSVM QVOAD MALA.

Ex hoc fit, vt dona quęq; & forti, & libenti ani-
mo sint excipienda, & mala quæq; auidissimè 110
desideranda. Pergit idem auctor. *Naturaliter exosa, fugibilia, tristiaque sunt mala; & propterea arcta, duràque dicitur via vitæ; sed vbi assumpta à Verbo in propria personâ mala sunt,* DEIFICATA PROCVL DVBIO SVNT, *& inde reddita sunt desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum, cùm non habentur; & dulciora super mel, & fauum, cùm habentur.*

Iure dixeris Christum tormenta, cruciatusque sanctificasse, ac beasse dum sustinuit, & pœnas summo insigniaisse honore, dum tulit. Pulchrè Sedulius:

——————*Pœnam vestiuit honore,*
Ipsaq; SANCTIFICANS *in se* TORMENTA BEAVIT.

Quis deinceps miserum se putet, aut vocet dum duris excipitur, dona excipit. *Quin insuper*, verba sunt Tertulliani, *gratulari, & gaudere nos decet* DIGNATIONE DIVINAE CASTIGATIONIS. Quàm abeunt ab hac mente, qui mœrent, qui querulas emittunt voces, dum tribulationibus exercentur?

Hæc cùm ita se habeant, quis deinceps conqueratur, dum tribulationibus vrgetur dùm duris exercetur? Querelæ in gratiarum actionem verti debent. Nihil mali tribulatio habet, imò (vt ille ait) *nihil acerbi, vbi Deus est,* QVI CONDIET ILLAM. Tu quoque condies, si à Deo cogites venire. Libenter ergo aduersitatem sustine: te siquidem efferet, si libenter feras.

CAPVT XLVII.

Tristia hic lætis Deum miscere & prosperis aduersa, occultum Dei beneficium est.

His passibus Dei prouidentia hic incedit;
vt nec semper tristibus nos exerceat, 111
nec semper lætis efferat; non semper aduersis nos afficiat, nec semper prosperis nos finat obsideri. Lætis tristia miscet, miscet aduersa prosperis.

Quis hîc occultum Dei beneficium non videat, si rem expendat, ac seriò cogitet? Dura mixturâ istâ mitiora fiunt; prospera, gratiora; vtiliora, vtraq; *Si tristia semper accidérent* (verba sunt S. Bernardi nostræ sementi subscribentis) *quis sustineret? Si semper prospera, quis non contemneret? sed rerum tanta gubernatrix sapientia*, HORVM PERNECESSARIA VICISSITVDINE ET MODERAMINE ELECTIS SVIS CVRSVM VITAE TEMPORALIS ALTERNAT, VT NEC ADVERSA FRANGANT, NEC LAETA DISSOLVANT; *cùm potius, & ista ex illis* GRATIORA, *& illa ex his* TOLERABILIORA *reddantur. Benedictus per omnia Deus.* Et cur non benedicatur, cùm omnia in bonum nostrum dirigat, omnia ad vtilitatem nostram ordinet?

Quot strauisset aduersitas, si continua? quot deiecisset prosperitas, si eam non temperasset aduersitas? Temperat vtrasq; vtrisq; Deus, & (quod beneficij pondus maximè auget) opportunè.

Duris onerat iustos Dei prouidentia, & leuibus eleuat; hacq; varietate illorum vitam insignit, & exornat. *Misericors Deus*, inquit S. Chrysostomus, MOESTIS REBVS QVAEDAM ETIAM IVCVNDA PERMISCET: *quod certè in Sanctis omnibus facit, quos neq; tribulationes neq; iucunditates sinit habere continuas; sed tum de aduersis tum ex prosperis istorum vitam quasi admirabili varietate contexit.* Et vtrisq; ferendis aptiores reddit hac mixtione. Exempla si quis quærat, Sanctorum gesta euoluat, & huic rei firmandæ testium nubem habebit: & ferè quilibet sibi ipsi testis esse poterit, atq; adeò pleniores Deo gratias agere debebit, quò pleniorem fidem suo quoq; exemplo sibi facit, & alijs.

CAPVT XLIX.

Post diuturnas lites à causa cadere, occultum Dei beneficium est.

112 LIs cum lite hîc nobis ineunda est, transferre inter occulta Dei beneficia ipsam volumus, quod ipsa tenuit, aut (vt verius loquar) hominum plerique, qui de lite sic malè sentiunt, vt inter extrema mala eam locent. Litem componemus, si litem inter Dei beneficia non ponamus duntaxat, sed & adductis rationibus comprobemus.

Lites secum incommoda multa afferant, multa afferant damna: non tamen desinunt esse beneficium. Satis rei probandæ illa ratio communis esset, quòd à Deo sunt. Sed non desunt rationes etiam peculiares. In primis litigia ista à rerum terrenarum amore, qui illa producit, nos auocant.

Causam quis litigando perdidit? meliùs est, causam perdere, quàm se. A causâ cecidisti, ne tu caderes; satiùs est possidere se, quàm res terrenas: has amisisti, ne amitteres te. Fors, nisi aliquis perdidisset quod habebat, perditurus erat quod erat.

Litem amisisti, quam tractabas in hominum tribunali? hoc ipso aptior euasisti tractandæ illi causæ, quæ in Dei iudicio agitur: litem illam faciliùs vinces, quàm cum tuis hostibus habes, cum mundo, cum dæmone & (quod non minùs noxium) cum te ipso.

Patiar, dulcis Veritas, rerum omnium iacturam: Tu mihi sufficis. Satis ero diues, si te possideam, Melius est, me superflua non habere, ne superflua habeant me; minùsque aptior reddar, qui te cordis mei sinu excipiam. Lubens causâ cadam, dummodò, quæ amisi, non sint occasio vt ego cadam à te, tuæ gratiæ amissione.

CAPVT L.

Obuios habere pauperes, occultum Dei beneficium est.

QVàm aliam à mundanorum mente mentem circumferimus, quàm seorsùm à 113
seculi hominibus sentimus! Grauem pœnam, & tędij materiam Mundus putat in pauperes incurrere; & se credit crebris eorum petitionibus veluti quibusdam telis peti. Vt in alijs multis, etiam in hoc maximè fallitur; & melius sentiunt, qui etiam meliores. Si rem seriò pensemus, in beneficiorum numero referemus pauperes habere obuios, & querulas pauperum voces audire.

In primis vel solo visu conditionis nostræ nos monent, à superbiæ fastu nos auocant. Eiusdem naturę cum illis sunt, qui, eò quòd sint diuites, efferunt se super pauperes. Epulo ille diues eò magis in Inferno luit nunc pœnas, quò inutilior ipsi mendici Lazari visio fuit; quem ob hoc stare ad eius ianuam Deus voluit, vt pauperis visu fenestrâ illi humilitati aperiret, & fores beneficentiæ pietatisq; diduceret. Verè pauper, licèt alioquin diues censeatur, qui pauperis adspectu non se demittit, & ad se reddit; cogitans se eiusdem esse naturæ, quamuis ad mundi mentem fortunæ felicioris. Infelix felicitas ista est, & vel hoc solo capite timenda, quòd non timetur; nam magnis discriminibus cultores suos exponit, cùm eos ità ponat supra se, vt extra sint.

Sed pergo. Ingens ex alio etiam capite à pau- 114
peribus beneficium est; quia nimirùm, dùm videndos se offerunt, ad eleemosynæ largitionem inuitant; extimulantq; dùm instanter postulant. Rariùs diuites pauperibus subuenirent, si in diuitum aspectum non venirent pauperes, suaque paupertate ad beneficentiam illos non flecterent. Itaq; quot bona solêt ab eleemosynæ sinu prodire, tot sunt argumenta, quæ euincunt, pauperum præsentiam ingens beneficium esse; licèt, quia esse non creditur, occultum sit. Cogita pauperes animæ tuæ medicos esse; & non solùm eos non reijcies, sed accerses, & eleemosynæ cuiusdam loco duces, si ille eleemosynam, quam porrigis, accipiat. Implantanda hic S. Chrysostomi verba. Sic ille de hac re scribit: GRATIAS MAGIS PAVPERI DEBES, QVIA DIGNATVR ACCIPERE: NISI ENIM ESSENT PAVPERES, PECCATORVM DIFFICILE SARCINAM PONES. MEDICI ILLI SVNT VVLNERVM TVORVM: *manus eorum tibi medicamenta præstant. Non ità medicus, vt medicamenta imponat, extendens manum, curationem exhibet, vt pauper abs te vt accipiat porrigens manum.* Vides te beneficium à paupere accipere, dùm putabas te pauperi dare?

Deniq; cùm potiùs diuites egeant pauperibus, quàm pauperes diuitibus; quis non videat è re diuitum esse habere obuios pauperes, quibus res suas in suâ vtilitatê cõmunicare possint? scitè Salmeron MVLTÒ, inquit, MAGIS CHRISTI PAVPERIBVS INDIGENT DIVITES, QVAM DIVITIBVS PAVPERES.

Quòd

Quòd si pauperes non essent nisi apud Indos, illuc esset nobis nauigandū, vt eos victu & vestitu prosequeremur: nam pauperes possunt quidem saluì fieri sine operâ diuitum, at salus diuitum non constat nisi per misericordiam in pauperes, iuxta illud Danielis ad regem Nabuchdonosor; Peccata tua eleemosynis redime: & iniquitates tuas misericordijs pauperum. Quis deinceps adeò mente pauper erit, vt pauperes contemnat? Quis non potiùs in beneficiorum numero scribat ingenti pauperum numero circumscribi, & egentium vocibus ad beneficentiam prouocari?

CAPVT LI.

Paupertas, occultum Dei beneficium est.

116 IN paupertate quoque diues diuina Dei prouidentia est; diuitias quippe terrenas nobis negat, aut concessas aufert, vt veris nos donet, nos spiritualibus beet. Igitur singulare Dei beneficium paupertas est, & eò occultius, quò à pluribus summi boni loco haberi terrenæ diuitiæ solent.

In primis hoc Christi exemplo probatur, qui natus pauper, pauper vixit, mortuus pauper est, ne in nobis paupertatis amor moreretur. Ingens bonum paupertas est, quam diuitijs ille prætulit, qui falli non potuit, non potuit fallere.

Quot à diuitijs timenda damna, quot periculis diuites obnoxij, tot beneficijs diues paupertas est, quæ eò melior, quò plùs amatur.

Multi nunc in cœlo regnant, suntque verè diuites; quia in terris neglexerunt diuitias, amarunt paupertatem. Non est malum paupertas: malum est paupertatem abhorrere.

117 Paupertas hoc etiam habet vtilitatis, quòd suauiorem mortem facit, cùm est moriendum: nam homini mors amara est, qui diuitias amat, diuitijs hæret.

Hoc etiam debemus paupertati, quòd per ipsam veros à non veris amicis discriminamus. Plures diues amicos habet, qui diuitiarum potiùs sunt, quàm ipsius: paupertas verò ostendit, quinam veri amici sint, & à falsis laruam eximit.

Quòd si pecunias, opesque terrenas à nobis Deus aufert, gratias agamus & damnum omne vel nuda gratiarum actione anteuertimus; Peritè Sanctus Chrysostomus: *Quando priuatus fueris pecunijs, & gratias egeris,* NON TANTVM TE MORDERE POTEST DAMNVM, QVANTVM LÆTITIA AFFICIT GRATIARVM ACTIO. *Hoc diabolo lethale vulnus infligit: hoc reddit animam studio sapientiæ præditam; hoc de rebus præsentibus verum comparat iudicium.* Alioquin maiori se iactura afficit, qui dolore afficitur, cum priuatur terrenis opibus, & maximo se obnoxium damno facit, quem mordet mundanarum diuitiarum amissio.

118 Opes plerumque aufert à nobis Deus; sed ampliores confert, quàm auferat, veriùs tea possidemus, cùm amittimus. Huc ille euaserat, hùcque nos ducebat, qui dicebat: TERRENA TVNC PLVS MEA, QVANDO NON HABEO; *quia tunc minùs me habent, & meliùs in Deo habeo, quàm si in se haberem.* Frustra igitur est, qui pro terrenarum rerum iacturâ dolet, & pauperem se putat factum, cùm est factus ditior.

Facilè ad Deum iter esse Deus voluit, vt faciliùs ad eum iremus. Exonerati ad ipsum incedimus, atque adeò expeditiores. Pulchrè Guigo: *Facile est iter ad Deum, quoniam* EXONERANDO ITVR. *Esset autem graue si onerando iretur. In tantum ergo te exonera, vt dimissis omnibus, teipsum abneges.*

Exonera me, Amor meus, omni mole terrena, & me ipso primùm, qui mihi grauior sarcina sum quàm alia, quæ extra me. Nolo me, Deus, possidere, te vt possideam: nolo me amare, te vt amem. Diues ero, si te habeam sine me. Magna paupertas, diuitiæ magnæ sunt.

CAPVT LII.

Honores, diuitiasque malis quoque dari, occultum Dei beneficium est.

SPecta, quæ Dei prouidentiâ in hoc sæculo fiunt, & videbis diuitias non bonis tantùm dari, sed & malis; honores non in dignos tantùm conferri, sed & in indignos. Quis hic ingens latere beneficium neget? Nullus, nisi ille, qui temerè id casu accidere affirmaret; non, Deo vidente, immò decernente. 119

Occultum ergo beneficium est, quia à Dei prouidentia est, quæ tota ad nostra commoda spectat; nec aliquid exhibere potest, quod beneficium non sit, cùm tota sit benefica, tota sit bonitas. Sed rem pressiùs verso, ac vicinior (vt ita loquar) illi factus, ità probo; Quid boni confertur bonis, quòd diuitiæ, honores & similia etiam non bonis conferantur? Hoc præcipuè: vt scilicet statim quæ maxima putabantur, vilescere incipiant. Vilia sunt, quæ vilibus quoque dantur, idest malis, qui nec extra suam vilitatem illas trahunt. Quis non terrena & peritura plùs deperiret, pluris æstimaret, si ea dari bonis tantùm conspiceret, non malis? Benè ergo est, quòd & malis & bonis conferuntur vt hoc boni & malis & bonis conferant, quod minimi fiant & contemnantur, quia exhibentur & contemnendis. Pulchrè nobis succinit Sanctus Augustinus, cuius hæc sunt verba: *Videamus quid nobis promisit. Non diuitias terrenas & temporales, non honores & potestates in sæculo isto; videtis enim omnia hæc dari & hominibus malis,* NE MAGNI PENDANTVR A BONIS. Scilicet, cùm dentur etiam malis, vera bona esse non possunt; atque adeò neque vt magna magni putanda, nec vt magna quærenda, nec amanda vt magna.

Non amo non quæro, Amor meus, quæ & malis dantur: quæro & amo, quæ dantur tantùm bonis, & quorum dono boni, meliores fiunt. Habeant mali honores, habeant opes; ego illa præcipuè postulo, quæ boni tantùm habent; quibus si careant, aut boni prorsùs esse desinunt, aut non sunt adeò boni, licet à bonitatis fuggestu penitùs non ceciderint. Bona illa volo, quæ possessorem suum adeò à Te non abiungunt, vt maximè Tecum vniant; eiusque mentem ad tuam non tantùm ducant, sed faciant in eam (vt ita dicam) immigrare.

CAPVT LIII.

Bona spiritualia contra ac corporalia non minui, sed crescere cum alijs communicantur, occultum Dei beneficium est.

120 TErrenas opes, qui distribuit alijs, illas minuit, & qui alios diuites facit, pauper fit. Aliter in spiritualibus opibus accidit, hæ quippe possidenti crescunt, cum communes illas cæteris facit. Aurea hæc ab aureo ore sunt: *In pecunijs quidem nequit fieri, vt quisque euadat diues, nisi alius prius factus sit pauper.* IN SPIRITVALIBVS AVTEM NON ITA, *sed omninò contrarium, fieri non potest, vt quispiam fiat diues, nisi alterum fecerit opulentum, nam si nemini profueris non poteris effici opulentus.* Tàm magnas in spiritualibus diuitijs diuitias Deus ostendit, vt in illis ditescere quisque posset, & eò promptius eas quilibet alijs communicaret, quò earum communicatione ditior poterat fieri!

Quod igitur aliorum fruamur diuitijs ab harum diuitiarum natura est, sicut & hæc natura à Deo ipso, Deique bonitate, qui in veris opibus opulentiam suam ostendit, vt contemneremus non veras.

Gratias ago diuinæ bonitati tuæ, Deus meus, qui in verarum diuitiarum communicatione tàm es effusus, quique, vt facilè dentur alijs; vis sine dantium præiudicio dari posse. Da mihi has diuitias, nec fero tantum ire ad alios, sed cupio; da alijs & sine me quoque illarum participem fieri, tolle à me quicquid impedire illarum diuitiarum in me fluxum potest, aut etiam minuere.

CAPVT LIV.

Terrenis honoribus carere, carere dignitatibus, occultum Dei beneficium est.

121 ITa est: plerosque non effert Deus, vt sublimiùs efferat; nec ad terrenas dignitates euehit, vt eueheat altiùs. Curæ, incommoda, discrimina, quibus obnoxiæ terrenæ dignitates sunt, abundè firmant, singularis beneficij loco habendum esse, ad eas non efferri. Quot à salutis suæ suggestu excidissent, si ad honorum culmina fuissent euecti! Quot in crimina fuissent lapsi, in quæ non ceciderunt; quia à dignitatibus subducti sunt!

Omnes illi, qui in culminibus eò minores euasere meritis, quò maiores fuerunt dignitate, altè clamant, licèt altè sileant, ingens esse beneficium ad culmina non euehi.

Præstereà cœli via difficilior illis fit, qui honorū premunt semitas, quàm ijs, qui extra culmina in imis degunt. Quis non in Dei beneficijs numerabit, non fuisse inter euectos ad dignitates numeratum? Dominationis damnationisq; nomina agnationem aliquam inter se habent: vt damnationem timere debeat, qui dominationem exercet. Benè Blesensis: MVLTORVM DOMINATIO EST EORVM DAMNATIO: *quot enim paupertas ad cælum promouet, tot cum dignitatibus suis Infernus absorbet.* Hoc qui seriò cogitat, dignitatem desiderio absorberi se non patietur, ne ab Inferno cum suis infulis & purpuris absorbeatur.

Beneficium istuc non cognouit, qui à dignitatibus exclusus, Deo gratias non egit; & ab honorum discriminibus liber, non se magis obstrictum Deo censet. 122

Plures nunc honoramus in cœlo, quos à terrenis honoribus Deus subduxit, vt duceret ad cœlestes: & digni Cœlorum regno sunt effecti, quia ad volaticas dignitates non aduolarunt.

Ab honoribus excidam, Amor meus: libenter feram, modò ne excidam à te, tuæque gratiæ culmine: sine te honor omnis mihi vertitur in ignominiam: tecum verò ignominia omnis in honorem commutatur. Tandem inhonorus est honor, quo, superâ tui gratiâ qui est viduus, insignitur.

Quæram, Amor meus, honorem tuum: immò tu sis honor meus. Satis honoratus ero, si te videam honoratum. Placet alienis verbis, sed meæ menti aptatis, te alloqui: VIDEAM TE, DOMINE, HONORATVM, ET ERO HONORATVS: *quæram semper gloriam tuam, & ero gloriosus. In honore tuo, Domine, concatenata est non solùm vtilitas mea, sed & honor meus. Da, Domine, vt qui in operibus tuis quæsisti honorem meum simul & vtilitatem meam solùm; vt ego & omnes creaturæ tuæ quæramus solùm honorem tuum. Inde solùm redundabit in nos vtilitas & honor noster.* Insero hisce verbis meam mentem, vt inferar tibi: solùmque gloriæ duco, gloriam tuam quærere, honorique honorem.

CAPVT LV.

In Mundo nesciri, à mundanis ignorari, inter occulta Dei beneficia numerari debet.

HOc ipso quisque securior, quo se ab hominum oculis subducit, qui sæpissimè fascinant, dum vident. Incipit maior quàm homo esse, qui ab hominibus amat nesciri & ignorari. 123

Verè ita est: inæstimabile beneficium censendū, ab hominibus nihil æstimari, qui viliores eos reddere solent, quos plurimi faciunt, cùm fermè arrogantia, tumor, vanitas, superbia eorum mentes subeat, qui ab hominibus magni æstimantur; & in lapsus incurrant, qui in mundanorum oculos incurrunt.

Quis eorum numerum recenseat, qui maximi fieri ab hominibus dum quæsiere, eò peruenere, vt nec ab hominibus fierent, & (quod magis est) nec à Deo? & minus, quàm homines, euasere, quia inter homines amarunt esse, & ægrè tanquam homines cognosci potuerunt, qui ab hominibus cognosci voluere.

Vt tutius incedas contemne contemni, quin & opta nesciri. Huc nos ducit Sanctus Isidorus Pelusiota, cuius hæc mens, hæc verba: *Ignotum esse omninò dolendum non est, imò ignarum esse optandum maximè:* TVTIVS EST ENIM IGNORARI, QVAM FAMA CELEBRARI. Solet in præceps ferre fama, qui se sinunt ab ea efferri. Securius itur si ignoremur.

Ferè ità accidit, vt, quò pluris quis ab hominibus fit, eò minoris à Deo fiat. Deus videt quod latet: homo extima tantùm hominis spectat, non

in

in vlterius: quæ autem in homine externa sunt, vix hominis sunt, vt ex illis non plenè iudicari queat.

Inter antiquos sapientes celebre dictum illud, tanquam totius Philosophiæ summa, circumfertur: *Nosce te ipsum*. Parum refert, si quis cognoscatur ab alijs; refert, si quis à se ipso. Et verò tunc maximè incipit se homo nescire, cùm nesciri non vult ab hominibus, quærit cognosci ab illis, ab illis amat celebrari.

Reuelle me, Amor, à me, vt inserar tibi: me à me ipso abiunge, vt iungar tibi. Absconde me ab hominibus: non curo ab illis cognosci, qui cognitione sua non meliores reddere cognitos solent, verùm sæpè deteriores. Extra se, imò & supra, statim fertur, qui hoc ipsum cognoscit; nihilique pendit, quòd tanquam nihil, nihili pendatur.

CAPVT LVI.

Multis corporis incommodis, & necessitatibus hominem obsideri occultum Dei beneficium est.

125 NOn morbis tantum corporis homo subiacet, sed corpus circumfert multis incommodis, ac necessitatibus obnoxium, à quibus eximere illud Deus potuisset, sed vt nouo beneficio afficeret, noluit. Hæc incommoda, hæ necessitates homines monent, vt superbiam ponat, se demittat, induat humilitatem, & à se ipso discat, se mortalem esse, se moriturum. Significauit istud auctor ab aureo ore, dum ait: DEVS MVLTIS OBSTRINXIT NECESSITATIBVS, *non perosus, atq; auersatus, sed consulens, & nascentem ab initio superbiam prohibens, nec vlterius procedere permittens, sed per ipsam rerum experientiam monens eum, quòd mortalis, & corruptibilis esset*. Ex quo fit vt necessitates nobis maximè sint necessariæ, ne supra nos efferremur, raperemur extra nos, sicq; minus quàm homines essemus, obliti nos esse homines, & mortales.

Præterea incommoda, quibus obnoxium corpus nostrum est, vberem meriti materiam exhibent, vt incipiant commoda esse, dum eò plus meremur, quò maiora incommoda patimur.

Quot per corporis necessitates afflictionesq; ad æternam gloriam sibi pararunt viam, à quâ alioquin abijssent, & aberrassent?

Agantur igitur Deo gratiæ, quòd corpus nostrum tot incommodis, lassitudinibus, necessitatibusq; subdidit, vt posset animam grandioribus donis, maioribus cumulare beneficijs.

CAPVT LVII.

Corporalis defectus, membrorum aliquorum debilitas, occultum Dei beneficium.

126 MEnte debilis est putandus, qui corporis debilitatem non putat occultum beneficium. Est, eòque maius, quò plura, quò maiora inde bona Deus elicit. Membri alicuius priuatio hoc titulo priuari non debet, cùm ab eo ipso sit, qui corporis totius formator est.

In primis debilitas ista, & defectus, superbiæ frænum videtur, stimulus humilitatis. Vix explicari potest, quot humilitatis actus ab homine expresserit membrorum debilitas. Plerumque mente est integer, qui integro non est corpore.

Solent præterea corporis maculæ maculas abstergere mentis; adeò vt corporis imperfectio ad animæ perfectionem ducat, conducat spirituali profectui. In Ecclesiasticis fastis legimus, non semel aliquos corporis deformitatem studiosè quæsiuisse, quò animæ pulchritudini consulerent, quæ cum corporis integritate periclitabatur. Ille, qui oculum amiserat, lætabatur; dicebàtque, ex duobus hostem vnum, à quo timere nil ampliùs poterat, defecisse.

Membro aliquo viduus sannis, & irrisionibus
aliorum est expositus. Demus: sed hoc auget be- 127
neficium, non minuit: mereri sic pleniùs potest eas perfectiones, quibus integrior perfectiòrque sit anima. Qui mentem integram habet, ridere debet, cùm irridetur, quòd integrum non habeat corpus; & lætitia affici, cùm spernitur, quòd defectu aliquo corporis afficiatur.

Vnius membri debilitas vnicuique manifestat, quantum Deo debeat, dum integra alia habet: docètque quid debuerit, dum habuit; aut debiturus sit, si quod semel amisit, recuperauerit.

CAPVT LVIII.

Corporis infirmitas & ægritudo, occultum Dei beneficium est.

VIx mente sanum dixerim, qui corporis 128
sanitatem perdidisse, occultum Dei non reputat beneficium. Reputat, qui veritatis tuetur partes, nec errantis vulgi erroribus abripi se sinit.

A nobis nostrâque sententia est morbos & ægritudines à Deo esse. Non potest non esse beneficium, quod omnis boni authorem, authorem habet, est à cœlesti medico, qui medicum non minùs agit, cùm sanat, quàm cùm aufert sanitatem.

Numera morbos omnes, & tot Dei dona numerabis si mente sanus sis. Opportunè Sanctus Augustinus: *Tussi laboras, pulmone deficis, cibum stomachus respuit, phythisi decoqueris, dysenteria sauciaris, multi modo morborum genere afficeris? sed hæc, si oculum habes*, SI CORDATVS ES, DEI DONA SVNT. Adeo vt gratias Deo tunc maximè debeamus agere, cum maximis vrgemur morbis.

Rem pressiùs vrgeamus. Corporis ægritudo hoc boni affert: homini hominem obijcit, humanamque imbecillitatem, à cuius notitia vera oritur fortitudo, homini manifestat; vt sæpè maior se ipso incipiat esse, qui incipit esse sibi hac notitia minor.

Ægritudo virtutes etiam probat perficitque. Plerùnque virtute aliqua præditus aliquis videbatur, sed videbatur duntaxat; infirmitate corripitur, & statim qualis sit ostenditur; nimirùm ea virtute viduus, quam extimè sanus præferebat.

Nec probat tantùm virtutes, sed etiam perficit
infirmitas; patientiam illustriorem reddit, humi- 129
litatem splendidiorem, obedientiam pulchriorem. Diceres in infirmitatis fornace & probari virtutes, & expoliri; vt virtutes omnes, si verè, in

ægri-

ęgritudine virtutem quandam acquirant, fiantque magis admirabiles.

Oratio gratior Deo redditur, si eam in lecto iacens fundat: gratiarum actio plenior, & opportunior est, cùm eo tempore offertur, quo quis decumbit. Prętereà omne augetur, quod in Dei obsequium ille prętat, qui erigi non potest: maioris sunt meriti actiones, quę à decumbente fiunt; maioris ponderis virtutisq; omniū virtutis actus.

Denique nos mortis, nos alterius vitę infirmitas monet: inuitat ad cœlum, à terra, à terrenis abducit; vt diuinę prouidentię inuentum fuerit hoc nos bono munire, cùm sumus alteri vitę viciniores: infirmitates nimirùm tunc homines pręcipuè vallant, cùm supero Dei auxilio pręcipuè indigent: tunc ęgritudines à Deo immittuntur, cùm eò res deducta est, vt in momento de felici infelicique ęternitate agatur: in maiori scilicet discrimine nos maiori munimine Dei bonitas armat.

CAPVT LIX.

Aegrotantium morbi, sanorum beneficium vt sint.

130 PArum est, infirmitatem infirmitate correptis beneficium esse: est & spectantibus. Non infirmis duntaxat vtilis sua infirmitas est, suus morbus salutaris: est & sanis, cùm eos ad saniorem mentem reuocent, doceantq; nihil hic firmum aut stabile, nec corporis robori fidendum. Loquuntur ægrotantium plagæ ac dolores, sanitatem ità excipiendam, vt obnoxiam paribus, ac etiam grauioribus morbis cognoscamus.

Proh quàm sana consilia ex infirmorum vulneribus bibere, ex iacentium doloribus elicere sani possunt! Sanctus Gregorius Nazianzenus quærens, cur Deus ægrotos quosdam esse velit, eosq; se in aliorum conspectum dare, ait id *non temerè nec sine ratione fieri: nimirùm,* VT NOS INFIRMITATIS NOSTRÆ SVBMONEANT, *illudq; nobis persuadeant, vt nulli rerum præsentium atq; in oculorum sensum cadentium, velut firmæ ac stabili, animum adijciamus.* Ægrotantium quis cubicula adeat, adeat nosocomia: fallor, si non sublimis cuiusdam Philosophiæ scholas esse sentiat, vt doctior ab illis abeat; quin, & melior, si modò legere in iacentium corpore velùt in libro velit, quàm infirma hominum (vt ità loquar) firmitas sit, quàm instabile robur, cui homines innituntur.

Ab aliò etiam capite proficua sanis miserorum infirmitas est: quia nimirùm commiserationis materiam præbet, opisq; ferendæ. Exercendæ ab hac parte charitatis occasio nobis deesset, si non essent ægroti, quorum obsequijs nos impenderemus, nostra expenderemus. Plurimarum virtutum actus à nobis minimè exercerentur, si non aliquos Deus infirmitatibus exerceret.

CAPVT LX.

Corpus periculis, morbisq; etiam nobis nolentibus expositum, animam, spiritumq; inuitum eum periclitari, occultum Dei beneficium est.

HOc quoq; inter occulta beneficia numerandum, quòd singulari Dei prouidentia, ac lege caro, exteriorq; homo 131
periculis, morbisq; sit obnoxius, quibus etiam homine ipso volente corripiatur, anima verò non labatur inuita nec inuita pereat, vt præcipuè parti præcipuè consuleretur, eiusq; salus, & integritas magis muniretur, cuius esset lapsus nocentior. Sistenda hîc sunt, quæ ad hanc mentem B. Eucherius habet, dum ait: *Benè à Domino, & conditore nostro circa statum, & conditionem hominis ordinatum est, vt cùm caro, id est,* EXTERIOR NOSTER ETIAMSI NOLLET, PERICVLIS ESSET EXPOSITVS, INTERIOR, ID EST, SPIRITVS PERICLITARI NON POSSIT INVITVS: *sic cum corpus ingruentibus hinc inde casibus lædi possit, animus noster, si traditas sibi leges non deseruerit, impenetrabilis perseueret, vt etiam si aliquoties visibilis, hic huius carnis nostræ, humiliationis incurrerit seruitutem; nemo tamen mentis possit attingere libertatem. Hinc intelligamus quanta sit animi dignitas, in quo si proditione non operetur voluntas, locum inuenire nequeat impietas.* Morbis corripitur corpus nostrum etiam cum nollemus, anima contra voluntatem non labitur, adeo vt lapsus ipse non sit lapsus, cum non est voluntarius. Non potest, cum de anima agitur, homo perire nisi velit; non potest, nisi velit cadere, caro nobis quoq; inuitis ægritudine corripitur, tenetur infirmitatibus; nimirum quia corporis debilitas animæ firmitati, sanitatiq; seruit si vti scimus.

Beneficium, Deus, meus, beneficium dijce; dum dedisti, vt anima labi nisi volens possim, da vt nunquam velim. Periclitetur caro, corpus infirmitatibus obsideatur, stet anima, & eò magis erigatur quò illud imbecillius iacet.

CAPVT LXI.

Ignorantia, & obliuio occultum Dei beneficium est.

NE hoc quoq; debemus ignorare, nec istuc obliuione sepelire, ignorantiam obliuionemq; inter occulta Dei beneficia 132
ponenda. Nam in primis vtraq; animam continet intra se ipsam, inhibetq; ne intumescat, seq; super se superbè efferat, à propria dignitate iactantiam ebibens. Nobis in hac re præiuit auctor ab aureo ore dum ait: *Animam* OBLIVIONI, ET IGNORANTIÆ OBNOXIAM REDDIDIT, *ne ad propriam generositatem respiciens, maiorem propria dignitate conciperet.* Sicq; minor se fieret, quia se ipsa maiorem existimauit.

Deinde hoc quoq; boni ignorantia inuehit, vt homines hominibus nectat charitatem nutriat, ac foueat, dum enim ignorantia multos corripit, fit vt doctiorum cura, ac labore indigos eos reddat atq; ab hac parte dum scientia, & doctrina à doctis in indoctos influit, charitatis exercendę ad

adi-

aditus datur; Præclarè Sanctus Augustinus rem expendit his verbis. *Ipsa*, inquit, *charitas, quæ sibi inuicem homines modo vnitatis astringit, non haberet aditum* REFVNDENDORVM, ET QVASI MISCENDORVM SIBI ANIMORVM SI HOMINES PER HOMINES NIHIL DISCERENT; quod accideret si ignorantia nullum obsideret, docti pariter omnes essent.

Deniq; ignorantia, & obliuio facit, vt docti plu-
133 ris fiant, doctrina, & scientia, & maiori acquiratur merito, quod maiori labore, & charior fit, cum est, acquisita.

Tantum qui scholas adeunt hoc cogitent quod Christus ipse minatur dum Sanctā Brigittam alloquens dixit: *Homines volunt esse scientes vt obtineant honores, & dignitates. Propterea cum adeunt scholas suas, & ingrediuntur,* EGO EXEO AB EIS, *quia ipsi addiscunt propter superbiam, & ego eos docui humilitatem.* Nolo, amor meus, sapientiam illam, quæ iactantiæ fomes potest esse, malo ignorantiam, quæ aliena ab hoc malo est. Abeat sciētia omnia, dummodo tu, qui vera es sapientia, animam meam subeas; desipit omnis sapiens, qui te non sapit.

CAPVT LXII.

Bella, bellici tumultus, & rixa, occulta Dei beneficia sunt.

134 NOn bellè de bellis sentiunt, qui ea extra beneficiorum censum locant. Bellis bellum inferunt, qui bella ab hoc numero auferunt. Vt à Deo bella sunt, & multa bona continent, ad plura diriguntur; ita inter occulta Dei beneficia numeranda.

Quis illorum numerum recenseat, qui per fusum in bello sanguinem strauerunt sibi ad cœlum viam, quam alioquin malis actibus temerauerāt? Pro fide plurimi pugnauerunt, inque Martyrum numero sunt positi, quia belli contra infideles occasione, inter milites fuere adscripti.

Hoc etiam boni bella afferunt, quod malos auferunt, ne cæteros contaminent: bonos verò, in cœlo coronandos, transmittunt in cœlum, qui iustiùs cœlestem vitam meruerunt, quò fortiùs contempserunt præsentem.

Incommoda porrò, & calamitates, quæ secum bella ferunt, non iniuriâ multorum bonorum semina dixeris: illis quippe à terrenorum affectu auellimur: illis peccata puniuntur, quæ in alterā essent vita grauiùs plectenda, & patientiæ, aliarùmque virtutum exercendarum occasio præbetur. Præterea bellorum tumultus facit, vt plus ametur pax ac quæratur, & illa præcipuè, quæ solium suum in Cœlo habet.

Bellum adeo singulare Dei beneficium est; vt
135 non desinat esse, etiam si parum prosperè, feliciterq; si res extimè iudicetur, succedat. Nouimus Sanctum Bernardum expeditionem in Orientem prædicasse, successu tali, vt exercitus dissiparetur, & lamentabilis contra Dei virum intra Gallias rumor intonaret. Defendit seruum suum Deus, defendit Dei causam Dei seruus, nam in confirmationem suæ prędicationis visum cęco restituit, *Imponens sanctus*, inquit Godefridus, qui eius vitam scripsit, *puero manum, orabat ad Dominum, quatenus si ab eo verbum prædicationis illius exierat, si prædicanti spiritus eius affuerat, in illius illuminatione ostendere dignaretur. Dum verò post orationem, orationis præstolaretur effectum Quid facturus sum? ait puer; video enim. Attollitur illico clamor astantium: plures enim non modò è fratribus, verum etiam è secularibus aderant, qui vt puerum videre videntem, multipliciter consolati, Deo gratias referebant.*

Milites ceciderint, sed gloriosius in cœlo coronabantur, fors si redirent ad propria condemnandi. Præstat eundem Godefridum audire: *Nec tamen*, inquit, *ex illa profectione Orientalis Ecclesia liberari, sed Cœlestis meruit impleri, ac lętari. Quod si placuit Deo tali occasione plurimorum eripere, si non Orientalium corpora à paganis, Occidentalium animas à peccatis: quis audeat dicere illi, quid fecisti sic? Aut quis rectè sapiens, illorum sortem magis non doleat, qui ad propria vel peiora fortè prioribus scelera redierunt, quàm eorum mortem, qui in fructibus pœnitentiæ purgatas varijs tribulationibus Christo animas reddiderunt.*

In Dei, Ecclesijsq; eius gloriam resilijsse, maxi-
mumq; fructum expeditionem illam licet homi- 136
num oculis aliter videretur, firmat venerabilis Abbas Casimarij scribens ad Sāctum Bernardum, quippe ait: *Dictum est mihi Pater charissime, quod de hac re, quæ non ita prosperè, vt forsitan volebatis, contigit (de via Hierosolymæ loquor) multum tristamini, eò quòd Ecclesia Dei, vel gloria, non sicut desiderabatis, accrescit. Quapropter, quod mihi pro hoc diu cogitanti, Deus (vt credo) in corde misit, vobis humiliter suggero; nimirum perpendens, quod sępè magno, & multis bonis repleto, videre nequaquam concedit; sicut Moysi Sancto facie ad faciem cum Deo loquenti, Iethro alienigena consilium dedit. Videtur itaque mihi; quod omnipotens Deus de hac via multum fructum fecit, non tamen eo ordine, quo ipsi viatores arbitrabantur. Siquidem si hoc, quod cœperant, sicut decet Christianos, iustè, ac religiosè prosequi vellent, Dominus cum eis esset, ac magnum fructum per eos profecisset. Sed quoniam ipsi ad mala sunt deuoluti; & hoc nequaquam Dominum, qui auctor viæ fuerat, à principio latere potuit; vt sua prouidentia in sui dispositione non falleretur, malitiam eorum in suam conuertit Clementiam, & immisit eis persequutiones, & afflictiones, quibus purgati ad regnum peruenire possent. Denique confessi sunt nobis, qui redibant, quod vidissent, multos ibi morientes, qui libenter se mori dicebant, neque velle reuerti, ne amplius in peccata reciderent. Sed ne in dubium venias, quod dico, quasi Patri meo Spirituali in Confessione aperio, quod patroni loci nostri Beatus Ioannes, & Paulus sæpius nos visitare dignati sunt, quos ego super hac re interrogare feci, & huiuscemodi sententiam responderunt. Dicebantque multitudinem Angelorum, qui ciderant, de illis, qui mortui sunt esse restauratam. Hoc autem scitote, quod magnam vestri memoriam habuerunt, finemque vestrum, citò venturum prædixerunt.* Hactenus ille, quæ licet pluscula, nihil tamen elidendum censui, vt integrius res, quam probandam premisi probata remaneret.

Denique in bellis ostendit Deus, quanti seruos suos faciat; nam bella in hunc finem sinit esse, vt iusti probam aliquam cogitationem eliciant, & ex multorum morte vitale aliquod opus ab vno aliquo colligat: quod alioquin ille non erat facturus. Perbellè de bello sensit, qui dixit. *Bella, communesque calamitates, omnia sunt mea beneficia, ò Domine, qui* PROPTER BONVM MEVM AFFIGIS ALIOS. Vtque bellum quisque sibi inferat inferat vitijs, bella inter homines esse finit, & mala, quæ bella comitantur, & sequuntur.

CAPVT LXIII.

Pestilentia occultum Dei beneficium est.

137 EO certiùs inter occulta Dei beneficia pestilentia ponenda, quò manifestius est esse à Deo. Sint ab ipso omnes pœnę, omnea calamitates; hoc tamen, quod est præcipuū, est præcipuè; vt apertè Deus ipse fateatur, se esse qui in suum populum mittit pestilentiam. Sed alia rei firmandæ adducamus in medium argumenta.

Hoc maximo flagello timorem suum hominum mentibus inserit, vt Dei iustitiam timeant, & (quod est consequens) à culpis abstineant, dum pęnam timent. Plerumque hominum impudentia ac temeritas alias pęnas ridet: pestilentia magnum timorem omnibus ingenerat, etiam magnis.

Omnes à peccato auocat: ad pęnitentiam non solùm inuitat, sed etiam vrget. Explicari non potest, quot ad Deum conuertit pestilentia, quos aliæ pœnæ flectere minimè potuerunt. Quot pia desideria, quot vtiles cogitationes à plerisque pestis exculpsit, quas exculpere alia Dei flagella nequiuêre.

Innumerabiles prætereà Martyres pestilentia
138 cudit ac elaborauit, qui, vt infectis peste opem ferrent, vitam suam mortis periculo exposuerunt, Martyrij titulo nobilitandi, vt nobiles authores testati sunt. Quot mactatas victimas habuimus, quas ad Deum transmisit pestilentia!

Insignia verò charitatis opera, quas à fidelibus pestilentia exculpit, quis dignè expleet, quis plenè numeret? Horrea, scrinia euacuat, vt corda donis cœlestibus repleat.

Postremò timores, calamitates, angustiæ, quas ferre secum hæc lues solet, eas pœnas minuit, aut penitùs tollit, quæ peccatis nostris debētur; vt plures purgatrices flammas vitauerint omninò, aut breuiori spatio temporis subierint, quàm essent subituri, si pestis, eiùsque timor eos minimè exercuisset.

CAPVT LXIV

Ventorum excitatio, aeris motus, tonitrua, fulmina, occultum Dei beneficium sunt.

139 NEc ista à beneficiorum censu ableganda sunt. Scio non videri talia, nec talia putari; sed idcirco inter occulta beneficia debent numerari. Cogita, quid aeris tempestas turboque loquatur, quid excitati venti edicant, quid fulgura quid fulmina clamitent, & à nobis eris; nec difficilè credes, quod nunc vix tibi veritas ipsa persuaserit. Clamant omnia, timendum Deum; & ad futuri iudicij memoriam mortales vocant. In Actis S. Ceaddæ Episcopi apud Molanum hæc de illo leguntur: *Hic, aere commoto, in Ecclesiâ solicitus orabat, donec serenitas aeris rediret. Monet enim, aiebat, aera Dominus, ventos excitat, fulgura iaculatur, de cœlo intonat,* VT TERRIGENAS AD TIMENDVM SE SVSCITET, *& corda eorum in memoriam futuri iudicij excitet.* Diceres concionatoris munus exercere, & peccatores futuri iudicij comminatione terrere, & altè clamare, vt à malis operibus homines abstineant, quę supernum iudicem exasperant, & ad iram prouocant.

Quàm vtiliter ventus spirabit, si hanc mentem inspiret & afflet! Quàm opportunæ erunt aëris tempestates, quàm salutaria fulgura, tonitrua, fulmina, si hùc nos vocent, vt illum timeamus, qui horum omnium est causa. Cùm igitur hæc aut videmus, aut audimus, statim ad supremum iudicij diem mentem transferamus; desinamusque in iudicem sæuire, cuius imperijs elementa omnia parent; quem Deum sentire videntur etiam ea, quæ non sentiunt.

CAPVT LXV.

Fames, & necessariarum rerum penuria, occultum Dei beneficium est.

HVmanam peruicaciam hac quoque pœnâ Deus ferit, vt fame ac rerum necessariarum caritate homines conficiat. 140
Nimirùm, quia copiâ rerum & abundantia extra modestiæ limites homines trahuntur, earum necessitate necesse est eos coërceri.

Vtilis hæc pœna est, & inter Dei beneficia eò iustiùs locanda, quò maiora commoda parturit, à pluribus maioribusque nos malis abducit. Illud in primis bonum hinc elicitur: quòd ad Deum, à quo rerum copiâ pleriq; deflectunt, se flectere fame pressi solent; adeò vt esurire diuina incipiant, quia terrenum cibum esuriunt; & Deum sitire, quia corporeum potum sitiunt.

Diceres, rerum caritatem charitatis inuehere virtutem, ac diuinarum rerum memoriam excitare, quam rerum terrenarum copia penè sepelierat.

Hæc prætereà rerum penuria docet, in Deum rerum copiam referendam; & prouidentiæ potiùs diuinæ esse, quàm humanæ diligentiæ, quòd suppetant necessaria, cùm suppetunt.

Fames quoque & penuria nos ad abstinentiam vocat, quæ, licet non libera esse videatur, paulatim tamen talis fit: & abstinentiæ commoda sentiunt, qui copiæ & abundantiæ mala senserant, quia fecerant malam. Denique, dum rerum necessariarum penuriâ laboramus, pœnas pro illis culpis possumus soluere, quas in rerum copiâ copiosè contraxeramus.

Rem ad amussim pende, & inuenies victûs pe-
nuriam cibum virtuti præbuisse. *Docuit fames,* 141
inquit Sanctus Augustinus, *parciùs viuere, docuit productiùs ieiunare.* A fame plerique temperantiam didicere, quod non fecerant à diuite ferculorum apparatu.

Oppones multos fame necatos. Sed quid hoc mali? & quid non ad bonum? Non est malum mori: est malum malè. *Multi Christiani* (inquit aduocatus author) FAME INTERFECTI SVNT. Fatemur: sed audi, quod sequitur: *Hoc si agrè ferendum est, omnibus, qui in hac vitâ procreati sunt, vtique commune est. Quid interest, quo mortis genere vita ista finiatur; quandò ille, cui finitur, iterum mori non cogitur?* Vix mortem voco, quâ itur ad veram vitam. Quàm vtilis est fames, quæ, dum necat, ad Cœli delicias verasque voluptates transmittit necatos!

Plerumque non adeò grauis est fames, vt homines necet: sed exercet duntaxat, & ieiunijs præparat:

rat; intetim tamen eos ſpiritualiter Deus paſcit. Paulus cum pleraque recenſeret, in quibus Dei prædicator commendabilem ſe exhiberet & ieiunia recenſuit non voluntaria tantùm, ſed etiam quæ Dei miniſter neceſſitate penuriæ perfert. *In omnibus*, inquit, *exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros in multa patientia*; & multis enumeratis adijcit: *In vigilijs in, ieiunijs*: vbi S. Ambroſius: *Aliquandò voluntaria, aliquandò* NECESSITATIS IEIVNIA PERTVLIT CAVSA PENVRIÆ; *& Deo gratias egit ſpiritualiter ſe paſcens, quia ideò contentus erat, ne ventris causâ inclinaretur*. I, & tu fac ſimiliter, quùm ſimilis neceſſitas vrget. Cibis omnibus hanc famem præfer, qua, quis in Deum fertur, à Deo paſcitur, & (quod eſt grandius) Deo.

CAPVT LXVI.

Communibus calamitatibus ſigno aliquo Deum præludere, occultum Dei beneficium eſt.

142 SOlet diuina bonitas vrbes, regna, mundum vniuerſum aliqua calamitate punitutus ſigna aliqua præmittere vt omnibus, aut nonnullis hiſce ſignis moneantur, vt ad excipiendas calamitates ſe homines parent, ſicque & pænitentiæ actibus Deum placent, & fortius ferant, dùm præuidete, quæ ferenda, aut etiam quibus poſſunt modis leuiora illa reddant. Sacrarum hiſtoriarum ſeriem volue, & hunc diuinæ elementiæ morē apertè deprebendes. Ægyptum fame cruciaturus, famis futuræ notitiam habere Pharaonem voluit, quod doctus auctor expendens aiebat. *Aduertè patris pietatem, qui cum vellet Aegyptum diſcruciari fame,* PRIVS HOC OSTENDIT, *vt ſic ſuccurrere poſſent*. Iſtud in Aegyptios præſtitiſſe cum tot plagis vellet erudire, notabat Sanctus Macharius, cuius hæc ſunt verba. NON SINE PRÆMONITIONE, ET PRÆDICTIONE IRAM SVAM INFERT: *quippè cui propoſitum eſſet eos partim aliorum periculo ad meliorem mentem traducere*; partim vt vitæ mutatione ſe ab Ijs ſubmouerent, quæ Deus minabatur.

Niniuen ſubuerſurus Ionam Prophetam miſit qui ruinam prædiceret, ſicque pœnitentiæ armis diuinæ irę obuiam iretur, quod feliciter factum. Flectè in poſteriora quoque ſecula mentem, & idem ab eodem ex more factum videbis. Peſtem immiſſurus, qua homines tollit, ſolet Deus ſigna quædam præmittere, & in bruta prius ſæuire quā in homines, vt à punitione brutorum homines diſcant brutalem vitam ponere, ac probæ vitę actibus Deum placare.

O Amor meus, feciſſem quicquid me docuiſti, quicquid à me voluiſti fieri; dum antequam calamitates immitteres, ſigno aliquo te immiſſurum indicaſti! O feciſſem, vt in tui gloriam id quoque alij facerent! Felix calamitas, & multorum bonorum ferax fuiſſet, ſi nos tales fuiſſemus, quales nos volebas, Deus, dum calamitati ſigno aliquo præluſiſti, & præluxiſti.

CAPVT LXVII.

Publicas calamitates paulatim Deum immittere, occultum Dei beneficium eſt.

143 HOminum exigentibus culpis cogitur ſæpè Deus, homines punire: ſed hoc præſtans nudam punitionem non exercet, latet ſub illa ſemper Dei miſericordia, quod præſertim facit cum ita publicas, communeſque calamitates immittit, vt paulatim id faciat, & guttatim, liceat ſic loqui, effundat pœnas. Orbem olim totum aquis deleturus, non id vno momento, non vno die fecit, quod poterat, ſed plurium dierum ſpatio, vt homines ad pœnitentiā alliceret, & reſipiſcendi tempus haberent, ſi conuerti ad Deum vellent. Peſtilentia non ſemel vrbes, & regna Deus puniuit, ſed ſic iram ſuam temperauit, vt cum poſſet vno die, aut etiam hora, & inſtanti omnes tollere, paulatim id faciat, vt abeūtium morte cæteros erudiat, & omnes ſe morti parare poſſint, & diuinam iram flectere.

Magna felicitas ex aliorum punitione diſcere, quàm ſint fugienda, quæ puniantur in nobis, niſi à nobis caueantur. Pulchrè Sanctus Zeno: *Gaudete*, inquit, *fratres*, QVOD ALIENIS PLAGIS DEI DISCITIS DISCIPLINAM.

Agatur igitur Deo gratiæ, non ſolùm quod ob noſtram vtilitatem immittat tot calamitates, ſed etiam quia ea ratione immittit, qua quiſq; ſe vitijs exuere ſi velit, poſſit, & virtutum producere actus, & præſertim pœnitentiam inire, qua culparum maculæ deleantur.

O Amor meus, quot ſunt momenta, quibus dediſti nobis, vt in communibus calamitatibus, tuā Maieſtatem ad miſericordiam datum nobis fuit flectere, tot ſint gratiarum actiones, quibus tanto beneficio reſpondere cupimus.

CAPVT LXVIII.

Diuina poſſe adimplere præcepta, licet quis ea implere non intendat, occultum Dei beneficium eſt.

144 PLures diuinæ legis eſſent temeratores, plures tanquam rei diuinæ iuſtitiæ pœnis eſſent obnoxij, niſi hoc nos leuaſſet Deus onere: vt ſcilicet diuina præcepta poſſemus implere, etiamſi de illis adimplendis nulla noſtram mentem cogitatio ſubiret, nulla intentio in noſtra mente legeretur.

Quàm ingens hoc beneficium! quod, quia ignorari ſolet, occultum eſt. Quot criminum eſſemus rei, quotque bonorum eſſemus expertes, niſi Deus ſocordiæ noſtræ hoc modo conſuluiſſet!

Plerique ſunt, qui diuina præcepta obſeruant quidem, ſed tamen hoc explicitè non intendunt: non præmio viduos eos eſſe voluit Deus, nec inter legis ſuæ violatores recenſeri; quod efficere potuiſſet. Noluit tamen, vt diuinæ bonitatis diuitias manifeſtiùs oſtenderet: quin pleniùs exhiberet.

Et verò, licèt intentionem hanc Deus à nobis non exigat, illam tamen à ſe quiſque deberet elicere, vt maius bonum à bono, quod præſtat, colligeret; vtque ſuæ voluntatis placitum in exequendis Dei præceptis hac intentionis expreſſione exprimeret ac manifeſtaret.

CAPVT LXIX.

Occultum Dei beneficium, plerisque diuinæ voluntatis beneplacitum minimè innotescere.

145 DIuinæ voluntatis beneplacitum bonis & perficere paratis notum fieri bonum est, & in Dei beneficijs numerandum: malis verò, & abusuris non innotescere, singulare est beneficium; &, quia vt tale non solet æstimari, occultum. A probo calamo res est; *Nec voluntatis suæ Deus beneplacitum* INNOTESCERE QVIBVSVIS VVLT, NE FORTE ABVTANTVR, *atque adeò maiores sibi damnationem adsciscant.* Sciens enim Dei sui voluntatem & non faciens, maiori culpæ se alligat, maiori pœna est dignus, quàm si penitùs nesciret. Itaque singulari homines donat beneficio Deus, cùm suæ voluntatis beneplacitum contempturis minimè notum facit, ne maior eorum impudentia fiat, maior culpa reddatur contemnentium.

Da mihi, Amor meus, vt tuæ voluntatis beneplacitum in omnibus agnoscam, sed per omnia etiam expleam. Manifesta mihi quicquid tibi placet: sed da etiam, vt exequi illud possim, vt placeam tibi.

CAPVT LXX.

Singulare, & occultum beneficium est, quòd multa nobis ignota esse Deus voluerit.

146 MVlta non solùm in ijs, quæ naturæ excedunt limites ignota nobis esse Deus voluit; sed etiam ex ijs quæ cadunt sub aspectum, & naturæ ordinem non excedunt. Non inuidit nobis Deus hanc notitiam: sed hac occultatione occultum beneficium clausit; hac quippè ratione (FASTVM NOSTRVM, ET ARROGANTIAM) vt notabat Sanctus Gregorius Nazianzenus, *coercere voluit; vt intelligamus, nos nihil esse, si cum vera illa & prima sapientia conferamur; eamque ob rem ad ipsum vnum tendamus, nec quicquam aliud quæramus, quàm vt promanantibus illinc radijs collustremur.* Tumor nos inuadit & fastus, tanta rerum ignorãtia laborantes: quid fieret, si plura sciremus, ignoraremus pauciora?

Ab hoc capite in beneficiorum occultorum censu locari etiam debet, quòd multa nobis Deus in Diuinis Litteris occultauerit: *Dum nimirùm* FASTVS NOSTER, verba sunt Sancti Isidori Pelusiotæ hanc rem tangentis, *hac ratione* COMPRIMITVR; & ad ea inuestiganda tacitè inuitamur, quæ nescimus. Cessaret inquisitio, si non esset occultatio; & torpor ac desidia nos inuaderet, multaque hinc nascerentur incommoda, nisi multa à nostra notitia in Diuinâ scripturâ Deus subduceret ac eximeret.

147 Christus ipse, tanquam de singulari beneficio, de hac Diuinarum rerum occultatione, quâ, notitiâ ipsâ abusuri, iustè non solùm, sed etiã cum summa illorum vtilitate plectuntur, ità loquebatur apud Sanctum Matthæum: *Confiteor Tibi, Pater, Domine Cœli & Terræ: quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Bonum nimirùm est Mundi huius sapientibus Diuina mysteria occultari; nam grauiores essent pœnas daturi, si ea, quæ illis manifestarentur, negligerent ac contemnerent. Præstat ea ignorare, quæ exposita, grauius onus temeratoribus imponerent, & maiori pœna dignos indignos tractatores redderent. Christus igitur non solùm Patri gratias agit, quia paruulis simplicibusq; Diuina mysteria aperiat, sed etiam quia terrenæ sapientiæ fastu correptis eadem occultat. Vtrumque enim in beneficiorum censu locari debet, nam expedit, Diuina nescire, quùm in contemptum itura notitia est, aut maioris superbiæ futura occasio.

Vis videre, rerum variarum cognitionem noxiam sæpè malis esse? Exemplo suo rem probat Iudas, de quo scriptum est; *Sciebat & Iudas, qui tradebat eum, locũ quia frequenter Iesus venerat illuc.* Orationis locum sciuit, & tàm immani sceleri locum dedit, vt Iesum ibi comprehenderet, vbi arctiùs cum illo ligari amoris vinculis debuerat. *Considera*, inquit Costerus, *quòd* HOMINEM IMPROBVM COGNITIO VARIARVM RERVM ETIAM COELESTIVM NON IVVABIT: *quin potiùs damnabit, sicut Iudam non iuuit nouisse Christum, & locum ac tempus orationis Christi.* Boni cognitio inter bona non debet referri, quæ meliorem non facit cognoscentem: & mala incipit esse, qua quis malus euadit, cùm esse deberet melior.

CAPVT LXXI.

Diuinæ inspirationes, occulta Dei beneficia sunt.

BEneficium diuinarum inspirationum eò est maius, quò maiora illa bona, ad quę vocant & excitant. Quàm bonus, quàm prouidus Deus est, qui tot ad se monitus mittit torpentes, ac negligentes! 148

Occultum hoc est beneficium, quia natura sua inspirationes occultæ sunt; sunt & negligentia nostra, nostro torpore. Sæpè eas Deus immittit: nos eas non sentimus, segnitiei indormientes ac desidiæ.

Et verò quis explicare posset diuinarum inspirationum numerum, & earum opportunitatem ac vim? Quàm multi, virtutis via relicta, vitijs se totos sacrassent, inspirationum virtute destituti! Quot terræ terrenisque hæsissent, nisi eos inspirationibus velut quibusdam alis ad cœlum, ad cœlestia Deus extulisset?

Quis ea bona referat, quæ à nobis diuina prouidentia diuinarum inspirationum vi exculpsit? Quis virtutum actus insignes recenseat, quos diuinarum inspirationum auxilio Dei serui eliciuerunt? Quis numeret opera admiranda, ad quæ manum homines admouerunt, diuinarum vocum efficaciam per occultas inspirationes excipientes?

Pretium aliunde sumunt inspirationes & pondus; quia nimirum aliquando Deus, vt bona aliqua inspiratione nos ditet, quædam, quæ putantur mala, decernit, quibus tanquam medijs vtitur vni inspirationi (ita loquar) efformandæ. Rem exemplo vno explico: quilibet multis poterit. 149
Plerumque ingenti aliqua calamitate integras vrbes, atque etiam regna Deus exercet: bellica arma furere iubet, pestem in omnes debacchari, & cum ea eius sociam mortem: & quò tendunt hæc? Huc præcipuè, vt suis aliquam bonam inspirationẽ

tot

tot aliorum malis veluti lucretur. Hinc bonus ille author dicebat. *O Deus, quantum debeo tibi, qui vt ego pauperculus* ACCIPEREM SANCTAM ALIQVAM INSPIRATIONEM, *non dubitas Reges ipsos, & mundi Monarchas occidere; nec attendis tot regnorum lacrimas, & calamitates, vt ego inde aliquid addiscam!* Huc ferri quisque debet, & istuc idem efferre.

Tandem, qui respondere huic beneficio cupit, inspirationibus ipsis respondeat: ea præstare curet, quæ illæ mouent præstanda, & ad præstandum mouent.

O Bonitas infinita, in tui gloriam ea omnia præstitissem, & per me omnes alij, quæ à me, quæ ab alijs volebas, dum tot inspirationes immitteres! O possem efficere, vt nulla tua inspiratio vacua vnquam hominum negligentia torpore, ac duritiâ fuisset! Vellem, quin istuc opto, & quoties spiro, cupit impedimenta omnia tollere, quibus omnes nos tuarum inspirationum vim abtudimus.

CAPVT LXXII.

Occultum Dei beneficium, posse solis votis ac desiderio à Deo Deum obtinere, obtinere diuina.

150 QVi desiderio in res terrenas fertur, non idcircò incipit possidere, sæpè inania desideria sunt, & vota sunt vacua: quin eò minùs terrena possidentur, quò amantur ardentiùs. Aliter se res habet in Deo, in diuinis: Deus desiderijs incipit possideri, & votis emi. Succinit bonus ille author: *Quæ impendimus vota temporalibus, vana sunt: nequeunt illa obtineri optando.* DEVM DESIDERIO CONSEQVIMVR, VOTIS DEVS EMITVR. Amat dare se, dare diuina Deus, dum tam facili pretio, & quod facilè quisque domi suę reperit, emi voluit.

Hinc nō mirum si singulari hoc titulo Dei seruos voluit insigniri, vt viri desideriorum dicantur: huiusmodi donatus est Daniel, qui vir desideriorū est dictus. Non poterte in illo, quæ magna & insignia, desiderari, dum vir desideriorum est appellatus: apud Deum quippè per magna desideria itur ad magna, magna possidentur.

151 Quid? desideria & vota tantùm apud Deum obtinent, vt obtineant Deum; vtque omnia dicamus, etiam desideriorum desiderium; vt non mirum, si vsus hac industria Dauid fuerit, clamās: *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas.* Concupiuit desiderare, vt in eo desiderium, desiderijque vtilitas & fructus desiderarentur.

Igitur, qui internæ deuotionis mel nec habet, nec eius tenetur desiderio, orationis dulcedinem non sentit, nec in eam fertur desiderio; non amat, nec amoris tenetur amore; incipiat desiderare desiderium, & voto in vota hæc ferri, & incipit iam possidere & desiderium, & ad quod desiderium terminatur.

Quàm facilè Deus se suaque exhibet, cùm non solùm se & sua desiderio, sed etiam desideriorum desiderio, & votorum voto concedat?

CAPVT LXXIII.

Occultum Dei beneficium est, Deum orantibus nobis dona sua tribuere, quæ posset non orantibus dare.

NOn minuit Dei liberalitatem, quòd 152
oratus det, det orantibus, quæ posset spontè & vltrò exhibere. E re nostra est, quòd orationum nostrarum suffragio Dei dona impetremus à Deo. In primis valet hoc ad orantis dignitatem; dùm, quòd petit, iure quodam obtinet: quod ius dat oratio, dùm ritè funditur.

Deinde orationem sterni donis suis obtinendis ità Deus vult, vt orationem ipsam suo merito cumulet, sua donet mercede.

Neque hic orationis præmittendæ vtilitas sistit: vlterius it. Quod petitione obtinetur, pluris solet fieri; gaudio solet maiori afficere possessorem, & diligentiorem custodem reddere. Propriæ indigentiæ notitia fit clarior; modestior, humiliorque petentis animus euadit, magis in Deum accēditur amor, & familiaritas in Deum magis augetur. Orationis etiam susu aptiores reddimur Dei beneficijs recipiendis; &, post accepta dona, via nobis sternitur ad maiora. Expende omnia orationis bona, & huius beneficij magnitudinem colliges, quo nos Deus ditat, dùm à nobis quærit, vt eius dona precibus & orationibus quæramus.

Adde etiam ab hoc capite magnum hîc Dei beneficium delitescere; quia nonnisi Dei beneficio orationem fundere possumus. Eius beneficijs excipiendis, superæ gratiæ auxilio indigemus, quod illis Deus facilè concedit, quos ad orationem prouocat & inhortatur.

CAPVT LXXIV.

Occultum Dei beneficium, Deum in conferendis beneficijs sæpè præuenire preces, vota præoccupare.

MAgnum esset, si Deus postulantibus 153
tantùm sua exhiberet beneficia, desiderantibus daret: hos tamen limites diuina bonitas excedit. Dat sæpè antequam postuletur: effundit beneficia priùs quàm fundantur & preces, & vota concipiantur. Benè hîc cadunt Ioannis Eusebij verba aientis: *Magnum beneficium creditur, quod præuenit preces, cùm absque illarum pretio indulgeatur. Maximum,* SI PRÆOCCVPET VOTA; *nihil enim gratius & magis vltrò quàm quòd sine impendio desiderij datur.* Dat aliquod pretium pro beneficio, qui preces offert, qui præmittit desiderium; vnde maior dantis liberalitas elucet, si petentis non expectet orationes, nec postulet preces postulantis; quin & vota præueniat, sæpè etiam opinionem.

Hoc frequenter in nos Deus præstat: ante fusas preces effundit sua dona; ne à precibus credatur moueri, & non potiùs ab insitâ bonitate sua. Qui preces expectet, vt beneficia conferat, cùm

preces ipsæ, si aliquid sunt aut possunt aliquid, beneficia Dei sint?

O Amor meus, tu celer es in benefaciendo, & pluries non expectas postulari: & nos tam sumus in tui obsequio tardi, vt non nisi multis tuæ bonitatis artibus ad te tuique cultum alliciamur? Possem torporem omnem, qui me tenet, à me eliminare, possem ab alijs omnibus, adeò vt, cùm de aliquo agitur, quod tui gloriam tangit, idem apud omnes esset & moueret, & moueri?

CAPVT LXXV.

Facilitas Deum adeundi, orationis fusu, occultum Dei beneficium est.

154 GRande beneficium est, quod quis possit se Deo sistere, & orationis fusu ab eo auxilium opemque postulare. Quò maiora hac via dona obtinemus, hoc maius hoc est beneficium. In quo illud occultum, quia non solet expendi, nimirùm facilitas ipsa Deū adeundi, siue tempus siue locum spectes, aut alias circumstantias, quæ occurrere solent, quùm quis adire magnos viros quærit.

Et in primis non singulare est, quòd quilibet qualibet hora accedere ad Deum possit? Præclarè Sanctus Chrysostomus: *Non assistit miles, qui expellat; non satelles, qui tempus interrumpat. Non est qui dicat: Non est nunc tempus accedendi: veni posteà. Sed, quandò veneris, stat audiens, etiamsi tempora prandij, etiamsi tempore cœna, etiamsi nocte intempesta; etiamsi in foro, etiamsi in via, etiamsi intùs in cubili, etiamsi intùs in iudicio apud Magistratum fueris, & eum vocaueris.* NIHIL VETAT, QVÒ MINVS TVAM PETITIONEM AVDIAT, *si ritè vocaueris.* Tempestiua hic omnis intempestiuitas est & importunitas opportuna. Pergit: *Non potes dicere: Vereor accedere & orare: adest meus inimicus. At hoc etiam impedimentum ablatum est: neque enim inimicum tuum attendit, nec tuam interrumpit petitionem:* SED SEMPER ET ASSIDVE EVM POTES INTERPELLARE, *& nulla adest difficultas.* Quin inimicus ipse Deo te magis amicum reddet, reddet magis amicam orationem tuam, si pro eo quòque eam fuderis.

155 Aliundè quoque facilitas ista Deum adeundi probatur. Ab aureo ore hoc etiam est; NEC OPVS EST IANITORIBVS, *qui te introducant: non dispensatoribus, procuratoribus, custodibus, aut amicis: sed, quandò ipse per teipsum accesseris, tunc maximè te audit; tunc, quandò neminem rogaueris.* Contrario more ac apud Regas fiat, & magnos viros, quorum præsentia & alloquutio tot laboribus ac obsequijs emenda est, frequenter & muneribus.

Beneficij huius pondus etiam ab alio capite desumi potest: quia scilicet promiscuè, & pauper & indoctus & pannosus admittitur, nec vllus excluditur. Eiusdem Sancti Doctoris verba sunt: *Apud ipsum thronum regium sistitur, etiamsi sit pauper, si famulus, si priuatus, si indoctus. Non quærit enim Deus linguæ elegantiam, nec verborum compositionem; sed animæ pulchritudinem.* VIDES, QVANTA FACILITAS. Tanta est, vt quemlibet in admirationem, in stuporem iustè rapiat. Nimirùm quò difficiliùs adiri viri principes, terreni Reges solent, hoc faciliùs aditur Rex Regum, Deus. Qui facilis liberalitatis suæ dona petentibus exhibet, difficilis esse non debebat in eos, qui erant à Deo Dei beneficia postulaturi.

CAPVT LXXVI.

In oratione non ad votum exaudiri, sed ad indigentiam, Occultum Dei beneficium est.

SÆpè, quod oratione petimus, non obtinemus; quia nouit Deus, illud nobis non expedire. Vtilitatem nostram spectat, non nuda vota: itaque dum negat quod quærimus, maiori nos dono cumulat, quàm si concederet. 156

Non negat, vt neget beneficium; sed meliori permutat: meliora nouit ipse dare dona, quàm quærantur. Preces ille nostras non admittit quādo nouit eum nostro profectu non cohærere: quis igitur audeat à beneficiorum censu excludere sic excludi? *Mirabile est profectò hoc beneficium* (boni autoris hæc sunt verba, nobisq; sufficientis) *vt eadem oratio petens sæpè, quæ vtilia non sunt,* IMPETRET EA, QVÆ CONVENIVNT; *quia oratio hæc Spiritus-Sancti in nobis, & per nos postulantis est.* Sæpè non inutilia tantùm petimus, sed, & noxia. Negat ista Deus, sed salutaria dat; vt noueris non esse auaritiæ, quod non exhibet; sed bonitatis, dùm offert, quod magis nobis nouit expedire.

Numera, si potes, mala, quæ ab inutilium rerum, atq; adeò noxiarum consequutione nata fuissent; & numerabis bona, quæ consequutus es, dùm illa non es consequutus, licèt oratione petieris. Recense bona à bonis allata, quæ inutilium loco Deus exhibuit; & in occulto beneficio multa recensebis beneficia.

Si igitur seriò rem pensemus, tunc quoq; Dei 157 misericordia, & liberalitas nobis maximè elucebit, cum illa subtracta videtur, ita contracta. Scilicet etiam non dando dat Deus, & largus est cum non largitur, quia licet non det, quod postulas, dat vtilius, dat quod salubrius nouit. Nequeo hic supprimere, quę de hac re affert S. Augustinus *Deus inquit bonus, si det quod vis si male vis,* NONNE ERIT TIBI MAGIS NON DANDO MISERICORS? *Porro si non dederit iam tibi nihil Deus est: & dicis, quantum rogaui, quam sæpe rogaui & non sum exauditus. Quid enim petebas, forte mortem inimici tui, quid si & ille petebat tuam? qui te creauit, ipse, & illum: homo es, homo est & ille. Deus autem iudex est; audit ambos, sed non exaudiuit ambos. tristis es, quia non es exauditus contra illum, gaude, quia non est exauditus contra te. ego, inquis, non hoc petebam: non inimici mei petebam mortem, sed vitam petebam filij mei. Quid mali petebam? nihil mali petebas, sicut tu sentiebas. Nam quid si ille raptus est, ne malitia mutaret intellectum illius? Sed peccator, inquis, erat: & ideo volebam eum viuere, vt melior esset. Quid si Deus nouerat si viueret peiorem futurum? vnde ergo nosti quid illi prodesset, mori an viuere? Si ergo non nosti, redi ad cor tuum, dimitte Deo consilium suum.* Poterat res aptius explicari! Pluscula licet fuerint non potuit aliquid elidi, ne aliquid elegantię, aut deperiret, aut roboris abraderetur.

Vt nunquàm fallar, Deus meus, non petita volo, quæcunq; petiero, si inutilia mihi aut noxia futura sunt; ea verò omnia petita, quæ ad tuam gloriam, meamq; vtilitatem faciunt, licèt ea expressè in oratione non postulauerim.

Plerique salutem certiùs sunt consecuti, quia consequi illud non potuerunt, quod in oratione postularunt. Non fuit hoc indicium negantis benefi-

beneficium, sed maius concedere volentis: sic nimirùm ignorantiæ nostræ defectum Deus supplet: quia nescimus quid quęramus, concedit non quod postulamus, sed quod potiùs erat postulandum.

158 Prætereà hîc quoque summa Dei largitas elucet: licèt enim non concedat quod petimus, vt ab hoc capite frustrà fundantur preces; preces tamen ipsas tanquam ritè fusas remunerat, nec sine pręmio abire permittit. Non obtinet quod quærit postulatio, sed quærendi merito non est vidua, si comitem voluntatem habeat, quæ Dei voluntati se conformet, & velit potiùs quod Deus vult, quàm quod ipsa.

Agantur igitur Deo gratiæ, etiam cùm postulata non concedit. Latet in beneficij negatione beneficium. Opportunè beneficium Deus negat, vt det opportunius: vtiliter excludit nostras preces; sed, ne nos ab vtiliori beneficio excludat, scit ille exhibere, quod nos postulare nescimus.

CAPVT LXXVII.

Occultum Dei beneficium est, quod non statim sæpè Deus preces nostras exaudiat.

159 A Diuinæ bonitatis ingenio hoc quoque, vt ita loquar, est, quòd sæpè suorum vota non statim explet, nec fusas pro illa preces statim exaudit. Plerumq; differt, & cunctatur. Ingens hîc latere beneficium, & dixi, & probaui, cum à diuina bonitate hoc esse asserui. Sed non desunt rei firmandæ alia aliunde sumpta argumenta. Nam in primis non facilè, non statim obtinemus, quod petimus, ne facilè impetratis abuteremur, aut ea contemneremus, nam vt ille ait, *quæ leui brachio, nulloq; labore acquiruntur*, CITO VILESCVNT, CONTRA VERO PLVRIMI FIVNT, QVÆ NON FACILE OBTINEMVS. *Sic Anna dum studio suscipiendę prolis angitur, ante Filium Deo consecrauit quàm illum susciperet.*

Prætereà hoc quoq; boni ab hac mora prouenit, vt beneficium aliquo labore obtentum non facilè à memoria elabatur, nec obliuione sepeliatur benefactor. Fit etiam ne Cœlestia dona naturę tribuantur, nec nostris lacertis; fit vt dum expectatione pendemus, à diuina offensa abstineamus. Et cur non ingens beneficium hęc beneficij dilatio sit, cum expectatio ipsa ingentis sit mater meriti, nec sit vnquam sua vidua successe?

In nostram vtilitatem resilire, quod in oratione voti non statim fiamus compotes opportuno exéplo explicabat B. Laurentius Iustinianus in hęc verba: *Hoc nequaquam silentio prætereundum est, quod sæpe mens statim non potitur eo, quod ardenti desiderio à Domino postulat, & importunè pulsare per orationes cogitur*, QVOD MAGIS AD PROFECTVM EFFICITVR ORANTIS, QVAM AD CONTEMPTVM, *quia quum superficietenus petitio negligitur, vota exorantis altius in cogitationum radice solidantur, sicut & semina messium gelu pressa solidantur, & quo ad superficiem tardius exeunt, eo ad frugem cumulatiora consurgunt. Sancta enim desideria dilatione crescunt, & vnde ad tempus detrimentum tolerare videntur, inde maiora lucra in retributione reportant.* Audis quàm magna afferat beneficia, ipsa beneficiorum, quæ petimus, expectatio!

CAPVT LXXVIII.

Occultum Dei beneficium est, plura, quàm petantur, Deum exhibere.

NOn fallor: plura Deus tribuit, quàm postulentur. Sint multa, sint magna, quæ quis exigit, maioribus donatur, donatur pluribus: beneficia quælibet quilibet expendat; & id verissimum esse deprehendet. Calculum suum adiecit Sanctus Irenæus, cuius hæc sunt verba: *Quæ in Deo est charitas, diues cùm sit, minimèque inuida*, PLVRA DONAT, QVAM QVIS AB EA POSTVLAT. Non æquat tantùm postulantium vota, sed & superat. 160

Legimus, plures in Euangelio ad Christum accessisse, vt nimirùm corporis sanitati, quâ erant vidui, restituerentur; plura Christus exhibuit & maiora; solebat enim cum corporis salute iungere etiam animæ, & peccata dimittere, à corporis languore eum adeuntes liberaturus, vt obseruatum à probæ notæ authoribus est.

Postulationibus nostris nescit Dei benificentia vinci. Plura nimirùm petentibus dare solet, quàm postulent. Benè latronis exemplo id euincit Beatus Ambrosius. Memoriam à Christo, cùm esset in suo regno, poscebat latro, & regnum obtinuit. *Vberior*, inquit productus Sanctus Doctor, *est gratia, quàm precatio:* SEMPER ENIM PLVS DOMINVS TRIBVIT, QVAM ROGATVR. Parum illi nostris precibus respondere, nisi eas & superet.

Vix, aut ne vix quidem, aliquis aliquod à Deo beneficium postulauit, quòd plura non obtinuerit: coarctari nostris votis diuina bonitas nescit; & licèt plerumq; ignoremus nos pluribus donatos, quàm petieramus, verè tamen donati sumus. Ignorantia nostra diuinæ beneficentiæ adeò in hoc nil officit, vt eam grandiorem indicet. Summæ ac innatæ largitatis est argumentum, & ea dare, quæ ab accipientibus minimè cognoscuntur. Latiùs se beneficentia Diuina extendit, quam oratio, quæ semper aliquid de humana angustia trahit. 161

Et vt omittam alia omnia, suâ mercede oratio ipsa rectè fusa non destituitur. Suo merito gaudet, quò eam fundens minimè spectabat; atque adeò ab hoc capite oratione plura obtinemus, quàm oratio ipsa quæsierit, postulauerit.

Deniq; occulta Dei dona, quæ orationem sequuntur, quis dignè explicet? E re igitur nostrâ erit, erit & nostri officij gratias Deo prò omnibus illis donis agere, quæ à Dei manu, & orationis auxilio nobis obueniunt.

O vtinam, Amor meus, possem ego quoque tibi plura exhibere obsequia, quàm à me postulaueris! sed omnia debeo tibi, licèt id expressè non requiras, cùm pro minimo tuo beneficio obsequia quæque maxima sint minima; plura & omnia sint, pauca sunt, sunt nulla. Quid pro beneficijs digna sequia offeramus, cùm obsequia ipsa, si digna, beneficia tua sint?

CAPVT LXXIX.

Posse aliorum meritis à Deo dona obtinere, occultum Dei beneficium est.

162 PLures sunt, qui hoc beneficio fruantur, quàm qui illud cognoscant vt beneficium. Non esse tamen desinit, licèt vt tale non putetur; sed ab hac parte inter occulta admittit se admitti.

Non semel accidit, vt quis aliquo dono sit indignus, aut non sit tanti meriti, vt illud à Deo obtinere præsumat: quid egit diuina prouidentia? Fecit vt alienis meritis ad obtinendum quod quis cupit, vti possit: sicque sæpè Deus concedit alicui sua dona aliorum meritis, & precibus, quod accipienti non fecisset. Quis igitur hoc ab occulti beneficij numero excludat?

Veritatis huius exemplum singulare in ipso habemus Euangelio. Notat Sanctus Marcus aliorum fide paralyticum sanitati restitutum & saluti: ait enim de Christo: *Cùm autem vidisset Iesus fidem illorum, ait paralytico: Fili, dimittuntur tibi peccata tua.* Corporis sanitatem concessit, animæque salutem, illorum fide, qui paralyticum offerebant: quod expendens hîc Caietanus inquit: *Magna Dei gratia*, ETIAM ALIENIS MERITIS, HOMINIS MISERERI, *& quò ad animam & quò ad corpus.* Vt valdè alienum sit, alienas preces alienis meritis fultas negligere. Explicari non potest, quot hoc medio animæ salutem, & frequenter etiam corporis sanitatem sint adepti, qui in vtràque periclitabantur, aliorum ope vidui.

Multorum peccatorum conuersiones, aliorum meritis precibusque deberi Deus voluit, vt quanti referat ad aliorum opem confugere ostenderet. Saulus euasit in Paulum, Stephani orationibus; adeò vt Ecclesia Paulum Apostolum habuerit, quia Saulus habuit Stephanum intercessorem. Augustinum in Ecclesiæ gremium transtulit illius piæ fœminæ oratio, quæ illum in hanc lucem fudit. Alios quoque aliorum meritis Deus ad vitam ad salutem reuocauit, vt ad alienam opem quisque confugeret, cùm opus haberet.

CAPVT LXXX.

Occultum Dei beneficium est, Dei gratiam non auferre tantùm peccatum; sed vim, virtutèmque præbere, ne quis facilè in illud denuò labatur.

163 NOn est difficile in Dei beneficijs noua beneficia reperire, noua numerare; id præcipuè verum in eo, quod est præcipuum, scilicet in gratiæ dono, quo peccatorem ditat, vt iustus fiat. In hoc autem situm hoc beneficium: Statum ac Deus peccatorem suâ gratiâ exornat, hic definit esse peccator, iustus euadit. Hoc manifestum est beneficium: istuc occultius, non auferre tantùm peccatum; sed Dei gratiam vim afferre, ne quis denuò tam facilè in peccatum labatur.

Diminutè de Dei gratia sentiret, qui hanc vim Diuinæ gratiæ denegaret; Deique beneficium minueret, qui hanc virtutem à Dei gratia tolleret. Quod vetuit Concilium Africanum in hæc verba: *Placuit, vt quicunque dixerit, gratiam Dei, quâ iustificatur homo per Iesum Christum Dominum nostrum ad solam remissionem peccatorum valere, quæ iam commissa sunt*, ET NON ETIAM AD ADIVTORIVM, *vt non committantur, anathema sit.* Pauci hoc apertè dixerunt; pauci huic errori subscripserunt: multi tamen fuere, qui hoc auxilium non cogitauerunt, aut cognouerunt, nec grauas pro eo exhibuere Deo.

Quàm citò post remissum peccatum in peccatum homo relaberetur, si hac vi destituta Dei gratia esset; si hæc tolleret tantùm peccatum, & non etiam nos contra illud fortiores redderet!

Omnia illa peccata, quæ homo hac vi adiutus non commisit, exertè clamant, singulare hoc diuinæ gratiæ beneficium, & maximum in maximo Dei dono donum esse.

CAPVT LXXXI.

Ministrorum prauitatem, Sacramentorum virtuti nil officere, occultum Dei beneficium est.

SAcramenta Deus instituit, vt per illa suam nobis gratiam communicaret. Notum cuique beneficium hoc est: illud occultum, quia nimirùm, dū vtitur Deus in sacramentorum exhibitione hominum ministerio, noluit diuinæ gratiæ communicationem à ministri bonitate dependere; sic enim plerumque Sacramenti fructu priuaremur, si ministri conferentis bonitas & innocentia esset necessaria. 164

Singulare huiusmodi beneficium est, quod tot secum bona defert, quot sunt ea, quæ diuinam gratiam comitantur. Sæpè Dei gratia viduus aliquis esset, sæpè damnatus fuisset quis æternis flammis addictus, si illius salus, ministri, qui Sacramenta ad salutem confert, sanctitatem requireret.

Voluit Deus homine in hominis auxilium vti, non ita tamen, vt hominis malitia & prauitas, hominis saluti officeret; adeò vt posset per malos homines Sacramenta accipere, cœlestem vitam inhalantia, & per ministros exules à salute saluti restitui.

Apparet hîc summus in homines amor Dei, qui etiam indignis se commisit ministris, ne nostra salus discrimini committeremur: & licèt indignâ administratione tam graui Deus afficiatur iniuriâ, maluit tamen nostræ saluti consulere, quàm indignos penitus ministros ablegare. 165

Adeò verò nobis ministrorum prauitas non nocet, vt, si vti sciamus, etiam prosit: nam hinc nobis maior (vt ita dicam) meriti præbetur materia, & opportuna fidei exercendæ occasio, summumq; Numen sanctè colendi. Valdè viuida est fides, quam improba ministri vita non minuit; ardentiusque in Deum fertur, quò minus Dei amore ardet Dei minister.

Malos præterea Dei causâ honorare, grandius est, quàm bonos: nam honor totus in Deum fertur, nihil habet humani: nihil sibi vsurpat hominis virtus, nihil hominis bonitas.

Veneror ministros tuos, Amor meus, sed propter te colo etiam malos, quia tu bonus es, qui illis vteris, licèt ipsâ dignitate, qua sunt præditi, abutantur.

CAPVT

CAPVT LXXXII.

Inter occulta Dei beneficia numerandum, Dei dona nostra merita fieri.

166 Seriò nostra expendamus merita, & inueniemus ea Dei esse dona, qui singulari prouidentia fecit, vt in nobis sua posset dona coronare, & præmio afficere beneficia, quæ ipse fecit. Quàm ingens hoc Dei beneficium, qui tam miro inuento nostra merita esse fecit, quæ suæ gratiæ sunt beneficia!

Quàm malè diuinæ liberalitati respondemus! ille studet nostrum facere, quod est illius: nos contra fas, nostrum facere volumus, quod Dei est; nobisque tribuimus, quod illi soli est tribuendum.

Gloriam, quæ Deo soli debetur, vsurpamus nobis; magis nimirùm inglorij futuri, quò magis auidè rapimus illam gloriam, quæ extra suum solium est, dum extra Deum.

Alia incedamus mente, vt in Dei incedamus via: nihil nostra putemus merita, vt plus mereamur, quò minoris nos & nostra facimus. Hic quoque diuitias suas Deus manifestat, dum pluris nos facit, quò nos ipsos minoris æstimamus; effertque nos sublimiùs, dum nos magis in ima nosipsos demittimus.

CAPVT LXXXIII.

Occultum Dei beneficium est, quod nobis Christus merita sua dederit, quibus Deum Patrem placaremus.

167 Quis explicet, quantum in singulis operibus Christus meruerit? nullum opus adeo exiguum, si exstimè consideretur, in Christo fuit, fuit à Christo, quod ingentis meriti non fuerit, cum eam dignitatem habuerint, quam illi persona diuina, vt ita loquar, affricauit.

Sed non sibi soli retinuit hæc merita Christus, dedit illa nobis, illis nos Deus ditauit, vt illis vti tanquam proprijs quilibet posset. Benè Ioannes Eusebius, Dedit, inquit, Nobis Christvs meritа sva, vt illis tanqvam proprijs vteramvr ad placandvm Devm. *Quemadmodum ipsa peccata nostra vt propria accepit ad satisfaciendum, eaque, velut propria luxit, doluit, & satisfecit pro illis.* Addit rei firmandæ: *Si vis scire*, Qvam sint tva merita Christi, *vt possis per illa impetrare gratiam, & offerre Deo, vt misericordia tecum vtatur, inde collige quòd sua reputauerit Christus peccata tua; Verba delictorum meorum, in persona innocentissimi Iesu dicitur.* Nostra peccata fecit sua, vt suos nos faceret, & quod erat consequens, vt nos nobis redderet, qui perieramus in nobis. Pergit: *Imitemur Christum, quomodo accepit culpas nostras, & vt proprias habuit, vt sciamus* Vti meritis eivs, *& vt propria habere. Aestima peccator tua Christi merita & sic confidentissimè pete: hoc erit petere in nomine Christi.* Igitur quemadmodum Christus satisfecit pro peccatis nostris non secus ac si ipse patrasset, sic nos non aliter debemus Christi merita offerre Deo, quàm si merita nostra essent, & à nobis essent facta, quæ ille fecit pro nobis.

Huius porrò beneficij pondus aliunde colligit auctor productus dum ait: Mvlto magis ao hoc prosvnt merita Christi data pro nobis, qvam si nos ea opera fecissemvs, *& Crucifixi essemus pro gloria Dei, nam tunc non essent opera Dei, sed hominis peccatoris.* Vide quantum Christo debeas, qui peccata tua suscepit, & sua donauit merita, tanta mala à te abstulit, tot, & tanta bona largitus est. 168

Et verò non putemus ita esse nostra merita Christi, vt non habeamus opus mereri amplius, sed desides, & ignauos saluandos esse, nec enim mortuus est Iesus vt negligentes essemus, sed vt in nobis negligentia moreretur, & tempore bona opera facienda sunt, licet hoc quoque à Christo habeamus, & per Christum.

O Maiestas summa, gratias tibi pro hoc beneficio ago, & vt gratior tibi gratiarum actio fit, infero illi Christi opera, merita Christi, quod in singulis meis operibus intendo præstare.

CAPVT LXXXIV.

Occultum Dei beneficium est, posse in quacunque actione mereri.

Magnum adhuc Dei fuisset beneficium, si meritum statis tantùm actionibus inligasset; peculiariaque opera elegisset, quibus mereri possemus, cæteris exclusis. Verùm extra has angustias ferri voluit, vt bonitatem magis suam Deus efferret, efferret & nos, respondente meritis gloriâ. Statuit igitur Deus, vt operatio qualibet meriti ferax esset, vt eò pleniùs cœlestes diuitias consequeremur, quò faciliùs singulas actiones meritum sequi posset. 169

Hinc fit, vt, nisi nobis tantum bonum inuideamus, nisi negligentia obstet nostra, in operationibus quoque mereri possimus, quæ necessariæ sunt, nec licitè solent prætermitti: sic edere, bibere, dormire, corpus vestire & his similia (sine quibus viuere non valemus) absque merito non erunt, si ea, qua debent ratione, à nobis fiant; in Deum Deique gloriam dirigantur.

Quid magis obuium, & quid magis in hac vita necessarium, quàm huius vitæ malis premi, affligi, pati? Et nihilominùs hæc omnia meritorum sunt maximè feracia, si tanquam à Dei manu excipiantur; eaque feramus, vt diuinæ voluntati conformemur.

Magis, quàm cæteræ res, mors est necessaria: quam nullus, etsi maximè fugiat, vitare potest: attamen merito non est vidua, si eam libenti animo subeamus; cupiamus mori, vt Deo obtemperemus.

Denique apud Deum non solùm magnum meritum consequuntur opera, quæ magna; sed etiam quæ alioquin exigua; nobis enim donat, vt intentionis puritate euehere quoque vilia possimus, & minima grandia reddere, amoris, cuius incude huiusmodi fiant, magnitudine.

O, nulla ego opera præstitissem, nulla præstitissent alij merito vidua! Vtinam, Amor meus, hoc merear in omnibus, vt nihil à me exeat, quod tui amoris legibus abeat.

CA-

CAPVT LXXXV.

Quouis tempore redire ad Deum posse, & mereri, occultum Dei beneficium est.

170 NVllas Dei bonitas tēporis angustias nouit. Poterat Deus absque vlla duritiei nota tempus, quo peccatoribus ignosceret, coarctare, & certos statuere limites, extra quos nocentibus esset misericordiæ ianua clausa: vt qui abusi temporis opportunitate fuerant, hæc pœna premeretur; vt scilicet redire ad Deum vellent, & non possent. Sed noluit istuc Deus saluti nostræ consulens, & saluationis nostræ summo desiderio tactus.

Quis inter Dei beneficia hoc non numeret, cùm ab ipso solo æterna possit felicitas pendere? Quot æternis essent supplicijs adiudicati, si certas veniæ metas Deus statuisset! Quot à Dei regno essent æternùm exclusi, si per omne tempus, & omnia temporis momenta, quibus hominum vita durat, ad Deum se conuertēdi opportunitas non duraret! Omne tempus acquirendæ diuinæ gratiæ est opportunum: nullum non aptum ad peccata eluenda, ad abstergendas notas peccatorum.

171 Meriti quoque tempus Deus porrexit, adeò vt quodlibet sit opportunum: mereri omni tempore possumus, dūmodò arbitrij libertate gaudeamus. Cùm de augendis terrenis agitur opibus, non omne tempus est opportunum; opportunitas expectanda est: in cœlestium diuitiarum augmentis res aliter accidit; quodlibet vitæ momentum aptum illis augendis est; vt videas quàm liberalior sit Deus in ijs thesauris erogandis, qui veri sunt, quā in illis, qui verè tale nomen non merentur.

Gratias tibi, Deus meus, pro hoc beneficio ita ago, vt nunc magno desiderio cupiam, omni temporis instanti, quo me posse mereri voluisti, mereri, & aliquid præstare, quod in tui gloriam sit, seruiatque spiritualibus diuitijs augendis.

O possem non in me solùm, sed in omnibus, qui aut fuerunt, aut sunt, aut etiam erunt omnia vitæ momenta ijs bonis onerare, quorum Tu, Deus æternus, scis esse capacia, adeò vt nullum instans in vllo inane, nullum in alicuius vita momētum vacuum esset reperire! O otij torporisque damna omnia possem impedire, ab otio, ac torpore omnes submonens!

CAPVT LXXXVI.

Occultum Dei beneficium est, posse sola recta intentione mereri, & ea actiones indifferentes in bonas conuertere.

172 PLures actiones sine bonitatis essent charactere, & (quod sequitur) supernaturali merito viduæ, nisi Dei prouidentia fecisset, vt sola intentione reddi moraliter bonæ possent, quæ sunt sua natura indifferentes. Huius porrò beneficij magnitudinem ille probè nouerit, qui bonarum actionum pondus poterit expendere.

Hinc verò elucet, quàm cupiat Deus, vt diuinarum diuitiarum simus participes, dum tam obuium nobis illatum consequendarum medium offert.

Pleraque operum nostrorum, cùm libera non sint, sed necessitate quadam fiant, meriti sua natura sunt expertia; adeò vt sine vllo fructu tota ferè vita nostra abitura esset, nisi tam nobili aptoque inaurandis actionibus inuento nos Deus non ditauisset.

Si chimicæ artis studiosus sola posset mentis directione plumbum in aurum conuertere; quàm magnam auri copiam quisque sibi acquireret! 173 Hoc in rebus spiritualibus consequi possumus. Nulla est actio naturâ suâ tàm vilis ac terrea, quàm puritatis intentione nobilitare non possimus; vt non solùm aurea fiat, sed cœlestis, sed diuina.

In hoc prætereà Dei bonitas & beneficentia apparet, qui hoc beneficium adeò porrexit, vt non solùm actuali boni intentione mereri valeamus; sed virtuali quoque, vt loquuntur Theologi: in qua extensione eo plura cluduntur commoda, quò numerosiora sunt ea bona, quæ illius auxilio bona redduntur, aliàs non futura, si actualis intentio semper esset necessaria.

O bonitas infinita, singulis mei operibus omnes illas intentiones addidissem, quas addi posse tu noueras. Quod non feci, nunc factum cupio, & fouere deinceps intendo, & tem ad alios quoque porriget, & extendo. Millies in quolibet momento cupio singulas actiones, quæ aut fuerunt, aut erunt siue à me, siue ab alijs, ijs omnibus intentionibus insignire, & onerare, quibus insigniri, & onerari posse tu scis.

CAPVT LXXXVII

Occultum Dei beneficium est, in bonis operibus posse nouam gratiam mereri absque eo, quod quis hoc intendat, & cogitet; ac pro pœnis debitis satisfacere sine intentione satisfaciendi.

174 NEgligentiæ nostræ, nostro torpori Deus consuluit: illius istiusque damna & incommoda anteuertit, dum instituit, vt diuina in nobis gratia adolesceret, absq; eo, quòd hoc intenderemus; possemus pro culpis satisfacere bonis operibus, licet hoc in bonis operibus ne cogitaremus quidem.

Ingens hoc beneficium est, quod multa in se claudit beneficia: &, quia notitiam nostram ferè fugit, inter occulta recensuimus. Quot actus Dei gratia essent nudi, si intentio ista esset necessaria! Noluit Deus, tam magnum thesaurum à nostrâ intentione dependere, ne incuriâ nostrâ tam singulari nos bono priuaret.

In bonis quisque operibus meretur, licet nec de merito cogitet; & gratiam in bonis operibus Deus auget, etiamsi non intendamus augeri, & gratiæ memoria omnis in nobis sit obliterata.

175 Prætereà pro debitis pœnis soluere, quòd diuinæ debemus institiæ possumus, bona opera dum præstamus; etsi de hac solutione nulla mentem nostram cogitatio subeat.

Quot virtutum, quot pœnitentiæ actus hoc satisfactionis carerent bono, si ad illud actualis intentio & cogitatio esset necessaria?

Quam

Quàm grauiores diuturnioresquè pœnæ exiſterent, quæ inter purgatrices flammas eſſent nobis luendæ eluendis peccatorum maculis, ſi operis bonitati adijcienda quoque eſſet operantis intentio? Noluit inter has anguſtias ſuę beneficentię magnitudinem Deus claudere, nec noſtra lucra nudæ noſtræ menti committere, ne in lucris magnas nobis iacturas pararemus.

Et verò licet, Deus meus, intentio iſta non ſit neceſſaria, intendo tamen ſemper illam ſemper habere, volo etiam cum id non exprimo ſingulis operibus additam, cum iſtuc tibi eſſe gratius ſciam, & augendis meritis ſeruiat. Doleoque hac intentione, quæ in tui obſequium opera præſtiti priuaſſe.

CAPVT LXXXVIII.

Solo poſſe mereri deſiderio, & imbecillitatis noſtræ defectum deſiderij actu supplere, occultum Dei beneficium eſt.

176 NEquit explicari, quot vnum hoc beneficium beneficia contineat, quot dona hoc dono claudantur; ſcilicet poſſe bonorum operum meritum, mercedemq; conſequi ſolo operum deſiderio. Non poteſt quis ieiunium ſeruare? Iſtuc deſideret, & apud Deum idem eſt, ac ſi ieiunaret. Non poteſt aliquis alia pœnitentiæ ac mortificationis opera præſtare? In ea votis feratur, & in Dei rationarijs, operis deſiderium ſcribetur, ac ſi opus ipſum extitiſſet.

Quot nunc deſideria mercedem ſuam in cœlo habent, habebuntque æternum, quæ hic extra deſiderij limites extendere ſe nequiuerunt! Quot in Cœlo maiori gloria, quàm alij donantur, non quia plura maiora vé præſtiterint, ſed quia ſolùm deſiderauerint! Quot labores præmio afficientur, qui extra deſiderij ſinum in opus adoleſcere non potuerunt!

Quot igitur non præſtitiſti bona, ſed ſolùm quia voluiſti præſtare, Deus præſtita reputauit, nec ſecus præmio affecit, ac ſi feciſſes, tot ſunt Dei beneficia, pro quibus agendæ ſunt ipſi gratiæ.

Multum Deo debemus, quod inſtrumentum
177 ſpiritualium diuitiarum acquirendarum Deus fecerit voluntatem deſiderantem. A probo calamo prolum hoc monitum eſt; Ioannes Euſebius hæc in hanc rem habebat: *Seruus Dei otioſum non ſinat* INSTRVMENTVM LVCRI VOLVNTATEM DESIDERANTEM, *cupiat facere quod exequi nequit. Votis locupletiſſimus fiat. Cum videt, audit, legit opus eximiiæ virtutis optet illud feciſſe, inuidens ſanctè, & ardenter; ſimilē gratiam fortaſſe conſequetur. Qui approbat peccatum perinde eſt ac ſi patraſſet, ſic qui deſiderat verè opus virtutis non erit ſine præmio. Facilior Deus munerat, quàm punit.* Et in bonis cenſendis, & mercede donādis eſt Dei bonitas liberalior, quàm ſit in malis puniendis diuina iuſtitia.

Quid? non deſiderium tantùm meriti eſt ferax apud Deum, ſed ipſius deſiderij deſiderium: & fors huc ſpectabat Dauid, cùm diceret: *Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas.* Valdè amantis, & ſummè deſiderantis eſt, non in rem deſideratam dumtaxat ferri, ſed in ipſius deſiderij deſiderium, & concupiſcentiæ concupiſcentiam. Qui huiuſmodi eſt, eo titulo gaudere poteſt, quo nobilitatus eſt Daniel: *vt vir deſideriorum dicatur.*

Quò maior eſt noſtra imbecillitas, eò maius 178
eſt beneficium, quod nobis Deus contulit, vt ſcilicet deſideriorum affectu poſſimus illius defectus magna ex parte ſupplere. Hic eos limites Dei ſerui tranſiliunt, quos à propria exiguitate poſitos vident; plura optant facere, quàm faciant re ipſa, imò quàm poſſint reipſa facere; Quin eò plerumque feruntur, vt cum Dei infinitate votis certent. Quid quod Deus ipſe iſtuc ipſum docuit? Ad Sanctam Catharinam Senenſem hæc Deus dixit: DESIDERIVM VESTRVM EXTENDITVR IN INFINITVM, *& ego qui ſum infinitus, à vobis volo mihi ſeruiri cum infinita re,* VOS VERÒ NIHIL HABETIS INFINITVM NISI DESIDERIVM, *& affectum animarum veſtrarum.* Solo deſiderio reſpondere Dei infinitati poſſumus. Non patiamur igitur hanc extenſionem deſiderij in nobis deſiderari, dum obſequiam Deo præſtamus.

Explicari non poteſt, quàm ad perfectionem promoueat & continuam, & deſiderium vehemēs illorum bonorum, illarumque virtutum, quibus perfectio coaleſcit: *Appetitus naturalis,* ait Ioannes Euſebius, *eſt diſpoſitio ad perfectionem naturalem, ſic cupiditas magna, & ſupernaturalis præparat ad perfectionem ſupernaturalem, & ad ſuſcipienda plura dona Dei, & maiorem gratiam.* Addit ſtatim: *Chriſtus beatos prædicauit, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, duos ardentiſſimos appetitus vni rei copulans.* NVLLVS EST MODVS IN DESIDERIO PLACENDI DEO. Quò quis plus proficit, eò ardentiùs cupit proficere; latiores ſemper deſiderij ſunt termini quàm operis, niſi quod deſiderium in opus vertitur, ſe operis loco habetur à Deo.

Porrigantur itaque deſideria, vt merita augean- 179
tur: Deus infinitus eſt, quis igitur in Dei cultu deſideria limitet? hæc temporaria, & peritura bona plus deſiderantur, ac pluries, quàm mereantur, cum tamen magis noceant, quò auidiùs ambiuntur; & in Deum, qui immenſus, qui infinitus eſt, languidè noſtra vota nos ferent?

O poſſem, amor meus, omnia deſideria, quæ circa res creatas homines habuere, ad te transferre! Poſſem te omnium creaturarum loco ſubſtituere, vt te ſolum reſpiceret omnium mortalium vota! Opto Deus meus illud, quod optandum vnus ex ſeruis tuis ſeruos tuos docebat dum diceret; *Opta dare, ſi poſſes, tu ſolus gloriam, quam omnes ſancti per æternitatem dabunt.* QVOD DESIDERIVM *paſſim interdiu ſine fictione gemina, & geme in illo, nec ſolum mane; ſed ſæpius, quaſi nuper incipiens, & deuotus, incipe ſeruire Deo recentibus ſemper viribus.* Quod ab alio dictum à me dictum puta, & quod ab alterius mente fuit, à mea quoque eſſe cupio, & intendo.

†

CAPVT

CAPVT LXXXIX.

In vno bono opere posse multa bona opera præstare sola finis multiplicatione, occultum Dei beneficium est.

180 Certet in naturæ ludibrium ars, obiectas res vitro multiplicare; vincitur à gratia: multa ex vno opere opera hæc educit & format sola finis variatione. Nimirum hoc inuento admirabili negligentiæ nostræ Deus consuluit: quia pauca bona opera facimus, fecit, vt in vno plura faceremus, si plures vni operi adderentur à nobis fines.

Ieiunet quis, vt ieiunet, ieiunium nudum habet. Ieiunet, vt Deo obsequatur, Superiorisque voci; iam ieiunio obedientiam adijcit. Præter hoc idem in Dei gloriam, Virginis, ac Sanctorum religionis actum iam ex ieiunio exculpit. Agat id castitatis amore; & ieiunium castitatem sapit. Quot fines vni actioni addit, tot opera in vno opere præstat, inque vna virtute tot virtutum actus. Quod de ieiunio diximus, idem de actionibus alijs dicendum est.

181 Quis verò hoc singulare Dei beneficium non censeat? Est, & eò maius, quò plura huius beneficij beneficio præstare in Deo obsequium possumus, plus mereri, & commodiùs segnitiei nostræ damnis succurrere.

Nullus esse deberet, qui vnum opus exercens, vno esset opere contentus: plures vnicuique adijciendi fines, opus operibus cumulandum, & actibus actus.

O possem, Amor meus, in vnoquoque opere, quod in tui obsequium facturus sum, in vnoquoq; verbo, quod dicturus, ea omnia bona præstare, quæ tu præstari posse vides à multis, quin ab infinitis hominibus, si essent! O possem singulis momentis in tui gloriam efficere, quæ infinitis fierent, si fierent! Cupio istuc: vt nolim vnquam vnum opus ad te solum venire, nisi is omnibus actibus multiplicetur, quibus multiplicari posse tu cognoscis.

CAPVT XC.

Bona voluntate bonorum operum defectum posse supplere, occultum Dei beneficium est.

182 Qvàm magna, quàm multa hîc beneficia delitescunt! Lingua exprimi nequeunt nec calamo explicari. Cùm pleraque bona opera à nostra tenuitate nequeant prodire, quid diuina prouidentia fecit, vt illorum merito non careremus, quæ non operamur? Diuitem nobis thesaurum dedit, bonam voluntatem, qua suppleremus, id, in quo facultas alia deficit. Non potes ieiunare, velis, & ieiunij habes meritum, idem in operibus alijs fit, in quibus defectum facultatis animus supplet. *Quicquid vis*, inquit S. Augustinus, *& non potes* FACTVM DEVS COMPVTAT.

Miserationis, pietatisque mensuram ab affectu, ac voluntate potius desumendam, quàm ab exhibitis opibus notabat Sanctus Leo, cuius hæc sunt verba; *Nulli paruus est censꝰ, cui magnus est animus: nec de rei familiaris modo mensura miserationis pendet aut pietatis*, NVNQVAM MERITO CARET ETIAM IN TENVI FACVLTATE, BONÆ VOLVNTATIS OPVLENTIA. *Maiora quidem impendia sunt diuitum, & minora mediocrium: sed non discrepat fructus operum vbi idem est affectus operantium.*

Mente in Cœlum euolemus, & gloriâ coronatâ bonam voluntatem inueniemus, quæ in multis in opus exire nequiuit. Agantur igitur diuinæ bonitati gratiæ, qui tàm facilem nos modum non docuit tantum, sed & nobis dedit, quo nostræ imbecillitatis incommodis possemus occurrere.

Vellem, Amor meus, illud omne velle, quod in tui gloriam, in tui honorem effici à me nisi sola voluntate non potest. Cupio eò ferri meâ voluntatem, quò ferri facultas alia nequit, quo nequent se vires aliæ extendere. Tu tanquam factum accipe, quod voluntas vellet effectum.

CAPVT XCI.

Occultum Dei beneficium est, posse bonum, quod semel præstitimus sola approbatione multiplicare.

Magnus hîc thesaurus latet: pauper esse non poterit, qui illo erit diues. Opera præstamus, dùm quia sunt pauca, industria quadam singulari datum est nobis, illa multiplicare: multiplicinimirùm assensu ac approbatione. Hoc autem ingens beneficium à multorum notitia esse ferè subductum, vt inter occulta numeretur, dolendum potiùs, quàm studiosè probandum. 183

Si quis semel in aliquod peccatum lapsus, non semel lapsum approbaret, confirmaretque solo voluntatis assensu, quod fecit, toties peccatum illud multiplicaret, quoties multiplicaretur assensus de nouo elicitus. Idem in bono accidit, cùm non minus diues Dei bonitas in boni probatione sit, quàm in malo damnando diuina iustitia. Manè quis semel Sacrum audiuit, aliudq; bonū opus exercuit? Sæpè id toto die approbet, nouum circa illud eliciat assensum; & incipit opus multiplex fieri, quod erat vnum; id & in operibus alijs currit.

Approbatio ista operum extendi deberet etiam ad aliena, vt assentiamur ijs, quæ ab alijs facta, complacentiæque promamus actus, prodijsse, quę prodiere ab alijs; ita vt ad beatos etiā res porrigatur. 184

Hic approbationis actus non semel, sed centies, sed millies in die potest fieri; vt desideremus istuc idem ab alijs elici.

Sed amplius flectamus retrò mentem, vt plus in anteriora profectu feramur: non acta tantùm præsentis diei præsente illo die probare possumus, & ijs assentiri denuò, quæ in Dei obsequium præstitimus illo die; sed assensus & comprobatio ferri in omnia potest, quæ in toto vitæ nostræ decursu actitauimus.

Et verò, quod de operibus bonis diximus, idem dicendum de cogitationibus bonis est, de bonis verbis. Inquā te quàm grandis bonorum copia, quàm ingens meriti lateat pondus, non esset leue explicare. Bonum hîc nobis, quòd vincimur in boni illius numeratione & explicatione, quod elici ex bonorum operum approbatione tàm facilè potest. Verùm nihil refert numerum referre meritorum: refert multi, multum ferre.

Nunc, Deus meus, vt magis tibi placeam, intēdo per singula momenta approbare quicquid in tui obsequium feci, facient alij; & id omnibus vicibus à me etiam in te ipsa factis operibus factum, quibus fieri posse tu scis.

CAPVT

CAPVT XCII.

Occultum Dei beneficium est, posse vnicam rem pluries Deo offerre; & nouam sola noua oblatione inire à Deo gratiam, nouum meritum indipisci.

185 QVàm diuersò incedunt gradu homines & Deus! Deo vnica res pluries offerri potest, ac si noua oblatio, noui esset muneris munus; vt noua ineatur ab eo gratia, nouum meritum acquiratur. Hominibus contra geminata eiusdem rei oblatio adeò non placet, vt secunda, primam deuenustet, illius gratiam tollat. Obtulerit quis alicui viro principi munus aliquod: si denuò se sistat illi, & illud idem offerat munus, viri principis incurret offensam; nec gratiam nouam inibit, sed iam initam deperdet; arbitrabitur enim nouâ se oblatione irrideri. Cum Deo res aliter accidit: noua eiusdem rei oblatio auget gratiam primæ, & ita est grata, ac si nulla alia præcessisset: imò, quia præcessit alia, gratior secunda est; siquidem gratiam habet primæ, primæ meritum.

Si aliquis Deo obtulerit, obtulerit cor suum, obedientiam vouerit, castitatem, paupertatem, & similia, istuc idem, quod semel obtulit, semel promisit, denuò offerat, denuò promittat, gratiam ille hâc secundam oblationem habet, quæ in infinitum potest geminari, nouâ nouæ gratiæ pullulatione, nouo noui meriti augmento.

186 Nemo tam cæcus, qui ingens hoc esse beneficium non videat, modò id consideret; sed, quia id considerare, & expendere non solent homines, ideò inter occulta beneficia illud reiecimus.

Superest, vt nullus se hoc bono priuet; &, cùm pauca sint, quæ Deo offerimus, saltem sæpiùs geminata oblatione reddantur multa: vnde nunquā vna res offeratur Deo semel, sed quàm fieri potest frequentissimè; adeò vt infinities accipere Deum, quæ illi offerimus, ingenio aliquo studeamus. Placet hîc probi authoris verba subijcere in exēplum; tu mentem adijce, & vtrisque Deo te offeras, & tua: *O Domine, cui toties debeo ob vnicum beneficium, præsta, vt cor meum tibi offeram. Cumq; non semel hoc beneficium vnicum & multiplex feceris, sed continues semper, & augeas quotidie conseruando:* TOTVM ME QVOTIDIE DEBEO INFINITIES: INFINITIES COR MEVM ACCIPE.

Vt infinities accipias cor meum totumque me, infinities cor meum, me tibi offero, & cor meum hac lege amoris notis scripta: vt oblatum infinities intelligatur, quicquid semel tibi, Amor, obtuli, aut offeram.

CAPVT XCIII.

Tot sanctitatis, tot perfectionis media cumulasse, occultum Dei beneficium est.

187 PAuciores ad perfectionem peruenirent, si pauciora perfectionis essent media, quàm sint: multa voluit esse illa Deus, vt multi perfecti fierent. Nihil adeò à perfectione prima fronte alienum est, quod ad perfectioné non ducat, si eo vti quis sciat, vt potest; velit, vt debet. Non paupertas, non diuitiæ, non hominum contemptus, non honor, non culmina ac dignitates, nō status imus, non corporis infirmitas, non sanitas, non ignorantia, non eruditio, non nobilitas, non ignobilitas, non forma, non deformitas, pœnè aliud auocare nos potest à perfectione: omnia queunt ad illam ducere, dummodò vtamur illis, non abutamur. Quid? ipsamet imperfectio ad perfectionem via esse potest, qua parte nos ad humilitatem ducit, quæ perfectionis fundamentum est, & cum perfectionis desiderio est coniuncta.

Voluamus Sanctorum vitam, & inueniemus, eos etiam per defectus ipsos ad perfectionis culmen peruenisse, & euasisse perfectos, quia omnes imperfectiones non euaserant.

Hinc est, vt vnusquisque in suo statu perfectus 188
possit fieri: in cuius rei testationem voluit Dei prouidentia, vt in singulis statibus viua sanctitatis haberemus exempla. Conijce in Ecclesiæ fastos oculos, & reperies nullum hominum statum extitisse, qui aliquos insigni sanctitate conspicuos non extulerit.

Et non hoc singulare beneficium est? Est, eòque maius, quò maius donum est sanctitas, ad quam paucissimi, qui ad eam peruenerunt, peruenissent, si pauciora essent media perfectionis.

Veneror & exosculor summam prouidentiam tuam, Deus, qui, vt faciliorem redderes perfectionis viam, omnesque promptiùs ad perfectionem tenderent, omnia ferè aptasti perfectioni, & perfectionis media effecisti.

CAPVT XCIV.

Perfectionem ad nullum certum locum coarctasse occultum Dei beneficium est.

PAuciores inter perfectos numeraremus, si 189
perfectionem Deus vni certo loco, vt ita loquar, alligasset. Non alligauit, OMNEM LOCVM, inquit ille, HOMINVM SALVTI CENSVIT ACCOMMODATVM. Volue Ecclesiasticas historias, & reperies nullum locum fuisse, in quo adolescere sancta Dei gratia non potuerint; vt iure dixerit Sanctus Hieronymus, se minimè audere, *diuinam potentiam* AD SOLITVDINIS ANGVSTIAS COARCTARE. Quid? In sterquilinio erat Iob, & tamen ibi litabat Sanctitati. Verbo rem dicam; nullus in mundo locus est, in quo locum perfectioni dare non possimus.

Quantum tibi, auctor Sanctitatis debemus, quod sanctitatem, ac perfectionem & in solitudine, & in vrbibus, & in carceribus, & in religiosorum Claustris, & quod est magis mirum, in militum quoq; castris germinare posse, nisi homines impedimentum obijciant, voluisti.

Volue loca omnia, nec vllum deprehendes, quod perfectos, sanctosque viros aliquando non continuerit, & licet aliud alio fœcundius esse soleat, nullum tamen adeo est infelix, vt viuis perfectionis germinibus, animatis Sanctitatis simulachris non potuerit nobilitari.

Vt in omnibus locis adolescere Sanctitas potest, sic vellem ad maiorem tuam gloriam, Deus meus, omnibus in quibus fui locis, aliquod sanctitatis vestigium reliquisse, cupio relinquere in quibus ero, imò in quibus potui esse, idest omnibus.

CAPVT

CAPVT XCV.

Aliquos sub vita Spiritualis titulo aut decipi, aut decipere alios occultum Dei beneficium est.

190 PLeriq; in virtutum studio, stadioq; virtutum idola coluere non virtutes. Verte in omnia secula oculos, & multos in Dei via deceptos reperies, multos etiam qui alios falsa Sanctitatis imagine deceperunt; exempla non produco, sunt cuiq; obuia, latere sub hac re singulare Dei beneficium latere te nolo, & vt tibi persuadeam probo.

In primis hæc res intra humilitatis limitem tenere nos debet: cum tàm facile sit nos, & decipi, & decipere, quàm certum fuisse plures deceptos, & qui deceperint alios. Homines illi fuerunt sicut & nos sumus, non minoribus discriminibus, dæmonumq; fraudib. minus obnoxij, quàm fuerit quilibet nos sumus. Eadem timere potest, qui eandem humanitatem circumfert, eandem carnem induit, eosdem habet hostes, eadem imbecillitate circundatus est.

Præterea his illusionibus plerumq; Deus iustè punit illusos; ferè quippe decipiuntur superbi, quiq; nimium de se præsumunt, & sibi tribuunt, suisq; lacertis illud, quod est Dei; hinc Deus sinit vt labantur, quò illorum occultam superbiam curet.

In hoc autem lapsu magna Dei elucet misericordia, nam mentis oculos aperit, quos clausos tenebat tumor, & præsumptio. Summi Medici peritiam hîc aliqui agnoscunt; qui corpori medetur, sæpè humores malos, quos penitus non potest eijcere, ad extimas partes vocat, vt æger curetur. Idem hîc fit. Latet in præcordijs noxius humor, superbiæ, præsumptionis; permittit Deus ijs morbis correptum labi, vt extimè morbum suum videat, & incipiat sanari, dum se longe à sanitate à Sanctitate abesse cognoscit.

191 In hoc etiam humanæ naturæ imbecillitatem indicat Deus, si q; clamat ne nostris fidamus viribus, sed totam in eum spem iaciamus. Clamat solidis internisq; virtutibus vacandum, nec magni facienda, quæ videri ab hominibus possunt, inanem Sanctitatis opinionem ab illis elicere, ac timendum, ne quicquid non verum ac solidum, cadat, & gloria omnis arte quadam quæsita in ignominiam vertatur.

Deniq; aliquorum deceptorum, ac decipientium casus infelices, à casu alios omnes auocant, clamantq; vt quisq; sibi timeat, timeat se. Quis explicet censeatque illorum numerum, qui vnius lapsu, & illusione, cautiores euasere, prudentiores, humilioresque?

CAPVT XCVI.

Bonorum exemplum, occultum Dei beneficium est.

192 QVò maiores ad bonum vires bonorum exemplum habet, quò vehementiùs ad bonum cæteros vrget bonum, quod boni præstant, hoc maius istuc beneficiũ est. Exprimi non potest, quàm altè in malorum auribus sonet bona bonorum vita, quàm acriter boni malos increpent, etiamsi taceant.

Quàm magnus malorum numerus esset, nisi bonorum exemplo coercerentur! Quàm essent peiores, quàm sunt, mali, nisi bonorum vita cohiberentur! Singulari itaque prouidentia factum est, vt nullum esset seculum hoc beneficio destitutum, nulla esset ætas, quæ aliquos insignes pietate viros in ceterorum exemplum non haberet. Secula omnia à mundi primordio vide, & nullum reperies hoc bono caruisse.

Poterat Deus secula diuidere, ita scilicet, vt alia secula boni illustrarent, alia inficerent mali; aut certè bonorum & malorũ loca abiungere: sed noluit, vt nempe bonorum exemplo ad bonum vocarentur mali, & minùs malè viuerent, quia viuerent inter bonos.

Grande hoc beneficium est, & dignum quod cordi altiùs inscribatur, quàm soleat; frequentiùsq; 193
illud mente homines versent, quàm faciunt, vt minùs occultum esse desinat, sed grandius beneficium conferat.

Tot porrò beneficia continet hoc beneficium, quot sunt virtutes, ad quas boni bono exemplo malos excitant & alliciunt: quot sunt mala, in quæ mali non labuntur bonorum exemplo cohibiti.

Et licèt antiqui ad nos quoque sui exempli vim transmittant, fecit tamen Deus, ne aliquod tempus viris in omni virtute insignibus careret, vt viua & proximiora exempla efficaciùs viuentes ad bonum vrgerent.

Vellem, summe Deus, ego solus ea omnia præstare bona, quæ bonorum exemplo tu noscis posse præstari. Cupio ea omnia mala impedire, in quæ malitia sua acti labuntur, qui malorum exemplo ad malum sinunt se moueri.

Interim beneficentiæ tuæ gratias ago, qua tot nobis bonorum exempla dedisti ad bonum, quæ vim suam in omnes exerunt, & virtute sua ad virtutem omnes inuitant, & alliciunt. Doleo, non id omne præstitisse, ad quod me, Domine, tot tuorum exemplis tam frequenter vocasti, nec vocare desinis.

CAPVT XCVII.

Bonis quoque priuari, bonum est, occultumque Dei beneficium.

CVm tot bona boni afferant, quis crederet, inter beneficia numerandum esse, si illorum consortio destituamur, illorum 194
priuemur consilijs monitisque? Numerandum tamen est, vt à vero abeat, qui rem aliter putat se habere.

Quod Apostolis accidit, à quibus ad vtilitatem abijt Christus: ita & nobis, respectu bonorum virorum, si contingat nos illis carere, in nostram hoc cedit vtilitatem, facit ad coronam; ad Deum quippe vehementiùs vrgemur, dum eos amittimus, quibus adhærebamus.

Aptiores propterea reddimur, qui maiores reddamus fructus. Vt vinea amputatis ramusculis, ita homines amissione consiliariorum aptiores fiunt, quò vberiores fructus producant, & toto corde Deum quærant, inque solum Deum ferantur; hominibus destituti, in quos spem suam instaurant.

Viri

195 Viri prudentes innocentésque à nobis plerumque auferuntur, ne crescat peccatum, crescat & damnatio hominum, qui illorum exemplo consilijsque abutuntur. Leuius ab hac parte peccatū est, quod sine bonorum exemplo bono fit, qui à culpa dum retrahere peccantes solent, sic grauiùs isti peccant, cùm à lapsu reuocari stantium virtute se non sinunt.

Tandem qui priuantur bonis, de se humiliùs sentiunt; seque infra alios ponunt: quia nimiùm abierunt illi, qui sanctitate supra alios esse videbantur.

Non est ergo quòd quis queratur, bonos abijsse: non abierunt toti, cùm exempli boni vim etiam mortui in superstites transmittant. Tantùm qui bonorum consortio destituitur, non destituatur bonitatis. Libenter fer abijsse bonos, & ad bonorum mores incipis accedere. Hæc bonorum carentia non carebit mercede, licèt bonis ipsis careas, si æquo animo feras à te ablatos.

Vix indicem tibi bonum consiliarium, qui nunquam à te sit abiturus, nisi reijcias illum? is Deus ipse est: perdere hunc non potes, nisi priùs perdas te. A te Deus non abit, nisi à te tu ipse abeas, abeat abs te amor, qui Dei hominisque vinculum est: abit, nisi tū illum elimines à te.

CAPVT XCVIII.

Vita & præsentia Iesu occultum Dei beneficium est.

196 NOn est natura sua occultum hoc beneficium: est sola negligentia nostra. Occultum ipsum facimus, dum mentem ad illud non flectimus, nec reddimus pro illo Deo gratias. Et quàm pauci sunt, qui Deo gratias agant, quòd Iesu Christi vita ac præsentia mundum beauerit!

Quò sanctior, quò nobilior hæc vita, hoc maius est hoc beneficium. Vnius Iesu Christi vitæ momentum, pluris, quàm cætera omnia bona, faciendum est, etiamsi per integram durarent æternitatem.

Bona verò, quæ hæc vita mundo attulit quis explicet dignè, aut cogitet? Quantam Deo gloriam dedit, quàm magnis diuinis homines & Angelos cumulauit, quanto honore singulas affecit creaturas, & præcipuè, quæ præcipua, Virginem, quam suam Matrem fecit, factus in ea propter homines homo!

O summa, & diuina bonitas, illumina me, vt beneficij istius magnitudinem, quantum potest fieri, cognoscam; talisque notitia in tui amorem trahat, totus in te migrem.

Singula meę vitę momenta vitæ tuæ, Domine, lito: singula offero, vitam quocunque momento pro te paratissimus dare; qui te hominem fecisti, vt hominem faceres Deum.

CAPVT XCIX.

Beata Virgine mundum à Deo illustratum, occultum Dei beneficium est.

197 OCcultum hoc quoque dixi beneficium, non quia non sit manifestum; sed quia occultum incogitantia nostra reddidit, occultum fecit hominum incuria.

Magnum istuc beneficium est, & proportione cum Virgine ipsa certat: quò maior Virgo, eò Virginis est donum maius. Tot in se continet hoc beneficium beneficia, quot dona nos obtinemus à Virgine, per Virginem obtinemus: imò adhuc grandius, quia omni ferè alio dono grandior est Virgo.

Numera dona, si potes, quæ per Virginem ad homines transeunt, & transire per singula beneficia poteris, quæ per Virginem obtinemus. In vna Virgine virtutum omnium exemplar habemus, gratiarum omnium thesaurum. Ipsa nobis data est in ærumnarum solamen, in tribulationum refrigerium, in miseriarum refugium, in vitiorum medelam, in passionum frænum. Ipsa est exilij huius paradisus, in cælo aduocata, in terra munimen, vbique Maria, scilicet ad omnes iuuandos nata, & omnibus omnia facta.

Nullus est, qui aliquod donum per Virginem non acceperit à Deo: sed licèt aliquis nullum accepisset, adhuc tamen Deo gratias deberet agere, quia Virginem ipsam accepit, quæ inter magna Dei dona maximum donum est.

Quas tibi, Domine, gratias pro isto beneficio referemus? Offeremus tibi ipsissimam Virginem, & cuncta dona à te illi concessa, quin & ea omnia, quæ per illius manus ad alios voluisti peruenire.

CAPVT C.

In occultis Dei beneficijs censeri debet, quòd Deus à nobis nolit amari, nisi cum illo & noster proximus ametur.

198 NIhil adeò Deo placet, quàm amari. Extra amorem nihil Deo gratum: cum amore quicquid feceris gratum est. Obsequiorum omnium nitor, ornatus, quin pretium ac anima, est amor. Vilis quilibet cultus grande munus euadit, si amore animetur, & maximè si maximo. Quærit à te Deus amorem, amorem nostrum postulat, amat amari. Et verò, cùm tanto amoris amore teneatur, amari tamen non vult solus, nisi & cum illo amentur qui ab illo: ingratus ipsi talis amor, qui & verâ & plenâ amoris caret notâ.

Quàm magna in hoc vno beneficio clauduntur beneficia! quod idcirco occultum diximus, quia hominum notitiam solet fugere, & considerationem. In primis huiusmodi amandi nexu indicat Deus quanti hominem faciat, cùm sine illius amore nihili amorem pendat, quem alioquin solet tanti facere. Pares in hoc sibi homines Deus constituit, cùm ab hominibus amari noluit, nisi & amentur homines, quos creauit. Pulchrè Blesensis: DEVS PROXIMVM IN PARTICIPIVM AC SOCIETATEM DILECTIONIS ADMITTIT; vt nec eum

sine se, nec se sine illo diligi velit. Non potest proximus amore Deo fieri, qui in proximum amore non fertur. Si hæc amoris obiecta discriminas, discrimini amorem exponis, imò perdis omninò. Non est verus amor, qui Deum cum proximo non respicit, hominem cùm Deo non iungit.

199 Ab hac amandorum copulâ in amore quot bona nascuntur! Quicquid boni homo homini facit, quicquid non facit mali, ab hac pendet radice, prodit ab hoc fonte.

Et quis adeò amens erit, vt amare nolit alios homines, probè sciens se Deum amare non posse, nisi amet & eum, qui ad Dei imaginem est factus? Quis deinceps audebit eum contemnere, quem tanti fieri videt ab eo, qui eum fecit; vt nolit ipse à nobis amari, si proximi à nobis amor exulet?

O possem, Amor, præstare, vt quicquid homini ab homine præstitum est, tui amoris causâ esset factum! Et obsequio omnia tui amoris, charactere essent insignita; nihil in illis humanum esset, tota essent diuina; quia vnum respicerent Deum, solum Deum spectarent!

Hoc in tui gloriam, Deus, mecum statuo, vt quicquid mihi obsequij ab alijs fiet, nihil sim deinceps excepturus tanquam mei causa factum, sed tantùm tui: quicquid verò ego alijs impendero, tui præcipuè amore sit factum, nec sistat vnquam in tuis.

CAPVT CI.

In occultis Dei beneficijs numerandum, Deum reputare factum sibi, quod homini fit.

200 NOn aberrabit à vero, qui deuotæ meditationis statera hoc expendens, quod diximus, in occultorum beneficiorum reponet censu; nimirùm sibi factum Deum reputare, quod quisque suo proximo facit. Hinc illæ Redemptoris voces: *Quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Occultum istuc est beneficium, quia beneficium æstimari non solet.

Multa hoc beneficium beneficia continet. Inprimis hac re quicquid homini impenditur, maius & excellentius fit, & maioris redditur meriti, dum Deus æstimat in sui obsequium facta, quæ fiunt proximo. Tribuit hoc magnum operibus pondus, quòd Deus tribuat illa sibi, velitque in se resilire nudo homini præstitum.

Præterea, dum in proximo se veluti Deus abscondit, adeò vt in illo obsequia accipiat nostra, ostendit quanti hominem faciat, allicitque homines ad obsequium hominis.

Explicari non potest, quàm promptos alacresque
201 ad aliorum obsequium hoc homines efficiat. Quis non libens ad labores pro suo proximo subeundos eat, cùm sciat omne in Deum ipsum ire, qui sibi præstitum fatetur, quicquid proximo præstiterimus? Quot obsequia hominibus ab hominibus fiunt, quæ alioquin non fierent, nisi Deus sibi facta diceret, & duceret, quæ proximo fiunt!

Nunc firmè apud me statuo, Amor meus, nolle quempiam amare, nisi propter te, nec vlli beneficia conferre, nisi amore tui. Vt occultes te in proximo, cui beneficia confero propter te; attamen tibi ego non tam proximus esse volo, quàm vnius spiritûs cum tuo, vnius mentis cum tua.

Vt beneficia alijs alio pacto exhibere nolim, nisi propter te; sic nec mihi exhiberi ab alijs volo. Amabo te in tuis, & tuos in te; & (quod magni refert) ea putabo tibi facta, quæ facta mihi. Amet aliquis me; sed nullus me amet propter me. Pij authoris mentem sequar, & verba producam. *Concede, ô Amor amorum, vt omnes amem, sicut tu amasti me, & amasti illos. Concede,* VT OMNES AMEM PROPTER TE, ET NVLLVS ME AMET PROPTER ME. Hominum obsequia ita excipiam, tanquam in te resilirent, te spectarent; & aliorum amorem feram, quà in te feratur, non in me.

CAPVT CII.

Occultum Dei beneficium, posse bonorum, quæ alij possident, participem fieri, nuda boni complacentia.

SI quis alterius malum approbaret, sibique 202
in illo complaceret, suum faceret, & malus inciperet fieri, quia malum ab alijs factum ratum haberet. Idem fit & in bono: suum aliorum bonum facit, qui illud probat, complacet sibi in illo.

Occultum, & magnum hoc est beneficium, quo negligentiæ nostræ, nostræ imbecillitati Deus consuluit: cùm pauca præstemus bona, modum valdè facilem Deus inuenit, quo plura à nobis bona fierent, si nimirùm aliena probaremus. Nihil ab aliquo fit, quod tuum facere non possis, si complaceas factum ab illo. Dauid hac mente dicebat: *Particeps ego sum omnium timentium te.* Quia videlicet, dum probabat ab alijs facta, faciebat sua.

Nemo adeò sit hostis sui, nemo sibi adeò inuideat aliena bona, vt cùm possit, sua non faciat approbando, quæ ex ipsa fiunt ab alijs: sic alienis diuitijs ditabit paupertatem suam; & leui brachio innumera præstabit bona, licet paucis admoueat manum.

Ego, Amor meus, approbo quicquid à tuis amore tui factum est, quicquid fiet; imo quicquid fieri poterat, posset fieri, si innumeri, & infiniti forent in tui obsequium essent occupati.

CAPVT CIII.

A prauis quoque propensionibus bonum Dei auxilio haurire posse, occultum Dei beneficium est.

HVc etiam Dei prouidentia porrigitur, 203
hicque miri illius apparent effectus, dum hominibus tribuit, vt ex malis etiam naturæ propensionibus, bonum colligere possint, illisque, velut quibusdam gradibus, vti ad culmen perfectionis; adeò vt fiant virtutis matres, quæ nouercæ videbantur.

Hoc diuina prouidentia instituit, vt in primi peccati pœnam homines malæ alicui propensioni obnoxij sint, habitetque inter nos Iebusæus. Licèt originalis peccati maculam per Baptismales aquas eluerit, noluit tamen penitùs tolli ad vitium propensionem; ne scilicet homini pugnæ occasio deesset, sicque nobilior virtus esset, maior fieret ac illustrior.

Præ-

Præterea hæc ad malum propensio, in hoc bona est, quòd ad mortificationis exercitium hominem vrget, cogitque in illius se palestra exercere, quæ eò vtilior, quò erat futura nocentior propensio illa mortificatione destituta.

204 Ad malum itaque sit propensio; non est tamen ipsa mala: non enim ad malum cogit, sed inclinat tantùm; vt nullum vincat, nisi vinci volentem. Si quis ei resistat, bona incipit esse, & meriti ferax.

Hæc ad malum inclinatio nos reddit solicitos, vt ipsum caueamus malum; adeò vt, quò magis cadendi timor crescit, cadamus rariùs. Cautos nos reddit, monètque assiduè, ne vllus sibi fidat, nullibi securum se putet, cùm ipse sui sit sæuior hostis, quò sibi blandior.

Insuper, ad malum propensio hoc quoque partu nt nobis boni, vt hominem teneat, ne tam faciles efferatur. In superbiæ vitium faciliùs caderemus ac fœdiùs, nisi nos hæc propensio vrgeret; multòque in præcipitium ruere videremus, nisi se præcipitio vicinos viderent.

Propensiones malas habemus? verum est: sed eas solius materiæ & finis mutatione mutare in bonas possumus. Ad tumorem, ad fastum quis est propensus? statuat his Deo seruire, & propensio illa ad magna opera vrgebit, sed bona: sanctè superbus euadet, nihil exiguum cogitabit, grandia omnia volet.

205 Idem de ira statui potest, si ea sciamus vti, euadet medicina, quæ aliàs est venenum. Peritè Sanctus Isidorus Pelusiota: *Ob eam*, inquit, *causam* NOBIS IRA INSITA EST, *non vt nos quoque peccemus, verum* VT PECCANTES PROHIBEAMVS, *nec vt ea turbidus motus ac morbus sit, verùm vt vitiosarum affectionum, medicina: nos autem medicamentum in venenum commutamus, dum eo ad ea, quæ minimè decet, abutimur.*

Ad iram quis inclinatur? tollat excessum, & quod est vitium, melioríque hunc affectum applicet parti; quanto ardore in bona opera feretur? Quàm facilè torporem omnem excutiet? Paria ferè de alijs affectibus quis potest pronunciare; adeò vt iniurius quodammodò diuinæ prouidentiæ sit, qui non dignè de eius legibus sentit, conjicitque statim inter mala propensiones ad malum, sed malè; cùm & ex parte, quà sunt à Deo, non possint non esse bonæ, & ex ea, quà flecti ab bonum possunt, extra malorum censum sint locandæ.

Da nobis, summa Bonitas, propensiones ad malum, vt meliores, perfectioresq; reddamur; & cùm à te sint, ad te quoque nos ducant; sicque per eas, quæ ad malum videntur tendere, tendamus ad bonum, & (quod magis est) ad te omnis boni fontem atque radicem.

CAPVT CIV.

Insitus homini timor, occultum Dei beneficium est.

206 NOn est cur timeam, timorem inter Dei beneficia locare: satis ei probandæ hoc solùm esset, insitum illum homini, sed à Deo, à quo nihil esse potest, quod bonitatis careat nota. Sed commoda & vtilitates timoris cogitemus, & huic sententiæ faciliùs subsignabimus.

In primis nos timor à peccatis arcet, nullusque tàm effrons est, qui non lentius ad peccatum curcat timore coercitus, vt iure Auctor ab aureo ore, timorem *frenum* dixerit, quo inhibentur effrenes concupiscentiæ affectus. Ægrè emendationem speres, vbi timor abest. Tertulliani dictum est: VBI METVS NVLLVS EMENDATIO PROINDE NVLLA. Nimirum multum de illo timendum est, qui nihil timet.

Præterea si rem seriò expendamus reperiemus, neminem ferè esse, qui non liberior ad peccatum iuisset, non plures admisisset culpas si more non fuisset coercitus. Itaque quod pauciora sint peccata quam fuissent, & quod effræni licentia perpetrata non sint maiora timori tribuendum est; quem *intemperantiæ, & Christianæ disciplinæ* NERVVM, Sanctus Basilius Seleuciensis vocat, tanquam enervis sit virtus, quam timor velut neruus non firmat & roborat.

Efferas passiones metu mansuefieri dixit Clemens Alexandrinus, cuius hæc sunt verba: 207 *Quos non expugnat ratio eos* MANSVEFACIT METVS. Et plerique plerumque mitiores redditi fuere metu, quàm fuerint cœlestium donorum promissione. Sanctus Gregorius de Sancto Cæsario dixit: TIMORE *ad maiorem salutem* MAGISTRO VTEBATVR. Non potest non esse bonus magister, qui tanto magistro magistri vice potuit deseruire.

Denique insitò à Deo suique timore hoc quisque debet, quod securibr viuit, nam si nullus timor adesset, timendi omnes essent, nullibi esset securitas, quilibet in quoslibet posset grassari, & quisque timere omnes deberet, si hominibus nullus inesset metus, nullus audaciam, temeritatemque firmaret timor.

CAPVT CV.

Mœror homini insitus, occultum Dei beneficium est.

MOerorem, tristitiamque hominibus Deus inseuit: beneficium esse dixi, cùm hoc dixi; non potest non esse beneficium, quod est à Deo. Apiè tristitia vtere, & magnum inde commodum senties; si vti nescias noxiam experieris. Vagnentum vt ille aiebat, tristitia est, sed non cuilibet morbo est salutare. Si amissis diuitijs mœrore afficeris nihil efficis; si tristitia post acceptam iniuriam te corripit, & de vindicta cogitas, tuo morbo adeo non mederis, vt maiorem reddas. In peccatum eslapsus, tristitiam, mœroremque in remedium adhibe, & opportunam medicinam inuenisti. Rem peritè, vt solet versat Sanctus Chrysostomus, cuius hæc ipsissima sunt verba: *Mœrorem quoque Deus inseruit naturæ mortalium, non vt ab re & intempestiuè illo in rebus contrarijs vtamur, neque vt nosipsos perimamus*, VERVM VT EX EO MAXIMA EMOLVMENTA CONSEQVAMVR. *Quonam verò modo illa consequemur? Si illum tempestiuè assumamus: Porrò mœroris tempus non tam est, cùm aliquid patimur aduersi, sed cùm malè operamur. At verò nos ordinem peruertimus, temporaque immutamus, qui cùm innumera mala perpetramus, ne breuiter quidem dolore contrahimur: sin verò quippiam à quoquam patiamur mali, protinus concidimus, hæremus, turbamus, liberarique & cedere ex vita festinamus.* II. *Grauis igitur & onerosa ea res videtur, non secus quã*

iracundia, & concupiscentia: nam & hac, nisi quis ea ritè ac tempestiuè vtatur, deijcit ac maculam inducit. Contingitque idem quod in medicamentis, quæ à medicis traduntur. Quippè & illa si non suo ordine & tempore, ac pro quibus morbis parata sunt, sed pro alijs imponantur alia, non solùm infirmos languore non liberant, sed infirmitatem potius aggrauant: ita prorsus & mærore facit, ac merito sanè. Hactenus ille, quæ pluscula licet sint, nihil tamen elidendum erat, ne sententiæ robur, ac venustas minueretur. Igitur mœrore, & tristitiâ vtamur, non abutamur; peccatis tanquam remedium efficax adbibeamus, non inutiliter damnis admoueamus, quibus inepta medicina est.

209 Vtinam, Deus meus, tristitiam omnem, omnem mœrorem, quem, quamque ab hominibus aliud ac culpa, exculpsit, peccatis euertendis aptassem! Vellem, si possem omnem tristitiæ abusum, in rectũ vsum vertere, vt euiterem culpam, quæ adeò tibi, summa puritas, displicet. Tu tanquam factum accipe, quod factum in tui gloriam, & honorem velim.

Denique tristitia corripi animam Deus sinit, sicut & curis alijs mordeti, ne se super se efferat, & intumescat, id quod his verbis notabat Sanctus Chrysostomus: *Quam tristitia & curis obnoxiam reddidit, ne ad propriam generositatem respiciens, maiorem propria dignitate conciperet.* Iam incipit minor seipsâ anima esse, cùm censet se maiorem; tuncque maximè euadit inanis, cum sinit se inanibus inflari.

CAPVT CVI.

Malorum exemplum malum inter occulta Dei beneficia numerandum.

210 QVò faciliùs probauimus bonorum exemplum occultum Dei beneficium esse; eò ægriùs euincere poterimus, malum quoque malorum exemplum hoc eodem titulo gaudere. Et verò probationis difficultas rem extra veritatis limites non trahit: vtrumque verum est, & qui sapit, vtrique subsignabit.

Malorum exemplum malũm, occultum Dei beneficium est, dum in mali cautionem esse potest, & vrgere ad bonum. Malum exemplum, bonum nobis incipit esse, si benè vti illo scimus. Diuinæ Scripturæ authoritate probare id possumus. Apud Sanctum Lucam hæc verba legimus: *Memores estote Vxoris Loth.* Itane mulieris Dei iussa temerantis exemplum in medium adduxit? Et cur vult illius mulieris nos recordari, quæ præceptorum diuinorũ est oblita? An quia etiam malorum exemplum bonum esse potest, si illo vtamur in cautionẽ? Vt malum sit, non est nobis malum, si per illud vitamus quod est malum. Peritè rem versat Sanctus Augustinus. *Quid enim statua Salis effecta, si non homines condis, vt sapiant?* ERGO EXEMPLVM ILLIVS MALVM TIBI FIT BONVM, SI CAVERIS. Aliorum lapsus à lapsu nos auocat: aliorum culpa tacitè monet, vt vitemus culpas. Quot in bono firmi extiterunt, quia in malum lapsos alios viderunt! Boni, dum alios à bonitate vident excidisse, timent ne & ipsi excidant; &, dum timent cadere, non cadunt.

211 Hic bonum non sistit, quod boni eliciunt ab ijs, qui non sistunt in bono: ab illorum enim lapsu ad humilitatem informantur; sciunt quippè eiusdem se esse naturæ cum lapsis, vt putent, se facilè posse cadere, dum cadentes vident. Scimus fuisse, qui lacrymas fuderit, cùm alios in crimen aliquod lapsos videret, occinens sibi: Hodie ille cecidit, cras ego. Licèt eò firmior steterit, quò se, aliorum casu, casui propinquiorem putaret.

Prætereà boni in malo malorum exemplo acutiùs peccati fœditatem vident, ampliùsque ab illo abhorrent: compassionis affectu feruntur in lapsos, in bonis operibus sunt magis assidui, feruentiùs fundunt Deo preces, multaque alia bona præstant, vt & sibi consulant, & alios iuuent, quantùm possunt; maiorique amore feruntur in Deum, quò plures considerant in diuinitatis offensam ferri.

Denique boni quicquid mali vident in alijs, bonum suum putant, cùm nullum crimen esse sciant in quod non facilè essent lapsuri, si Deus illis opem non ferret. Nimirùm facilè quis manus ad malum admouet, nisi Deus auxiliatem suam manum ipsi admoueat, nisi eundem moueat ad bonum.

CAPVT CVII.

Videre bonos quoque mala pati, occultum Dei beneficium est.

212 MAla bonos pati non solùm bonis vtile & bonum est, sed etiam malis. Non mali tantum patiuntur in hac vita, patiuntur & boni & in sui profectum & in malorum; vt iustè occultum Dei beneficium hoc censeri debeat.

Et in primis dum mali vident etiam bonos pati mala, incipiunt sibi persuadere, aduersitates & ærumnas magnum aliquod esse bonum, cùm Deus illis ditat amicos suos, illis beat bonos.

Rursùs æquiori animo aduersitates ferunt mali, dum vident eis etiam bonos premi. Explicari vix potest, quàm impatientes malis ferẽdis essent mali, si ab illis immunes bonos viderent.

Bonorum in malis ferendis patientia, fortitudo quantum animis malorum animum inhalat, ne concidant, dum patiuntur! Ægrè bonum putarent mali mala pati, nisi & bonos malis affici conspicerent.

Tandem quod mali minùs mala ferunt, quòd rariùs in querelas erumpunt, & (quòd grauius) in blasphema verba, dum premuntur, etiam à malorum perpessione est, quàm in bonis mali spectant. Nimirùm, tuetur se mali quodammodò, cùm in malis bonos intuentur.

CAPVT CVIII.

Malorum punitio, aliorum occultum beneficium est.

213 TErreni principes, cùm vnum puniunt, in cæteros vtilitatem aliquam deriuant: vnius pœnâ multos emendant, aut plures à criminibus auocant; quia in aliorum quoque exemplum de vno exemplum sumũt, vnum supplicio afficiunt; sicque reum morte puniunt, ne punienda alij præstent. Cur idem Deus non efficiat, cùm aliquem castigat? Hinc malos

non

non solùm in altera punit vita, sed & in præsenti, vt illorum pœna præsens, præsens remedium cæteris sit, ne similibus se supplicijs obnoxios faciant.

Nimiùm peccata, nimiùm peccatores multiplicarentur, si in alteram vitam omnem scelerum pœnam Deus reieciſſet. Non reiecit: hic etiam punit Deus peccatores, vt minùs ipſi peccent, nec alij illos imitentur, dum pœnas timent.

Explicari non poteſt, quot à peccatis abſtinuerint; quot, damnatâ improbâ vitâ, meliorem mentem exhibuerint, probantes ſemitas prætulerint ſolo pœnę viſu, qua peccatores & in hoc ſeculo puniri à Deo ſolent.

214 Inſuper ſupplicia, quibus hîc peccatores cotriplantur, diuinum nobis iuſtitiæ rigorem prædicāt; & tacitè inclamant quid timendum in alia vita ſit, niſi à peccatis abſtineamus. A Dei offenſa homines auocant, dum Dei timorem in hominum mentibus producunt.

Nec à peccati tantùm lapſu nos abducunt peccantium ſupplicia ac flagella; ſed ſi quis in peccatum ceciderit, ad pœnitentiam inhortantur: excutiendum peccatum docent, dum pœnarum timorem peccantibus incutiunt.

Et verò ſatiùs erit à peccato ſubmoueri, non peccati pœna, ſed culpæ horrore, ac ſummi Dei amore: alioquin timendum illi, qui ſolius timore pœnæ culpam vitat.

CAPVT CIX.

Aliorum mors occultum ſuperſtitibus beneficium.

215 MVltum aliorum morti debent, qui viuunt. Quot bona viſa in alijs mors in ſuperſtitum mentibus ingenerat, tot ſunt argumenta, quę euincunt, occultum in illis aliorum mortem beneficium eſſe.

Nullus ferè eſt, qui non minùs huic vitæ hæreat, qui melior, aut certè minùs malus non moriatur, cùm moritur; quia plurica vidit homines mortem obiſſe.

Aliorum mors noſtræ fragilitatis nos admonet: clamatque nos quoque morituros. Nihil in morte iuuare ea, quæ relinquimus, docet; vt paulatim à terrenorum amore auocemur, dum videmus alios ad aliam vitam vocari.

Quàm prouida Dei prouidentia fuit, dum voluit, vt ab aliorum quiſque morte diſceret benè mori! Cùm ſemel mors obeatur, à ſua nemo poteſt morte hoc diſcere: poteſt ab aliena.

216 Niſi alienam mortem ſpectarent mali, peiores eſſent, quàm ſint; & plura ſcelera committerent, quàm committant. Quot ſenſus vita dignos à morituris elicit morientium mors! Quàm Stentorea vox exit à cadaueris, loqui non valentis, ore! vt ſcilicet, dum moriendum omnibus edicit, nullus peritura depereat, abitu tis immoriatur nullus.

Poterat Deus morituros ab alijs auocare, alioque transferre, ne viderentur, cùm abirent: ſed noluit ne ſcilicet tam inſigni nos bono priuaret, quod ab aliorum morte viuis innaſci ſolet.

Quis eorum numerum numeret, qui meliores abierunt, quia viderunt aliquos obijſſe! Nimirū ex aliena corporis morte, animæ ſuæ mortē vitauere.

Vtere, qui ſapis hoc, beneficio, vt nouo ſemper ſęnoua parturias; & ab aliena morte non ſolùm diſce te moriturum, ſed benè diſce mori.

CAPVT CX.

Occultum Dei beneficium eſt, poſſe ſemper in bono proficere, & perfectionem augere.

POterat Deus cum anima præſtare, quod in corpore præſtitit, cui augmenti tempus ſtabiliuit; ſed aliter ſtatuit. Corpus augeſcere, non tanti eſt; maximi verò refert augeri animæ perfectionem, & idcircò latiores terminos præfixit, quibus poſſet anima illius magnitudinem dilatare, quàm corpus ſuæ molis: quin nullos animæ terminos perfectionis præfiniuit: tamdiu poteſt in bono adoleſcere, quamdiu corpus informat. In hoc etiam anima corpori præſertur: hæc, quò diuiùs corpus animat, meliùs aptiuſque poteſt proficere, cùm ætas grandior profectui ſit magis idonea; contrà ac in corporis mole accidat: tunc enim minùs aptè corpus poteſt augeri, cùm plures vitæ annos numerat. 217

Diuturna ſit alicuius vita, annorum numerus profectui non præiudicat: vt vita adoleſcit, adoleſcere & profectus poteſt: hinc eſt, vt Saluator noſter, cùm nos ad perfectionem inuitaret, Patris ſui nobis exemplar propoſuerit. *Eſtote*, inquit, *vos perfecti, ſicut & Pater veſter Cœleſtis*. Non quia poſſemus Patris perfectionem vnquam æquare; alioquin Deus non eſſet, ſi pares in perfectione poſſet homines habere: ſed vt nunquam in bono ſiſteremus, cùm nunquam deſit ei, quod imitetur, qui infinitæ perfectionis habet exemplar.

Quis ergo audeat inficiari, in hac re ſummum latere beneficium? In bono ſemper poſſe creſcere tantùm bonum continet, quantùm bonum eſt, quod bono acquiſito adijcitur.

Continuus iſte profectus facit, vt patum ac nihil putemus, quod acquiſiuimus; infinitum verò illud, quod reſtat acquirendum. Hinc eſt, vt magnis Dei ſeruis diſpareat quod pręſtiterunt, licet ſit magnum: quia dum intendunt oculos in id quod faciendum ſupereſt, vix vident, quod fecerunt; & prorſus obliuioni tradunt quæ præſtiterunt, cùm præſtanda in memoriam reuocant. Vnde illæ D. Pauli voces. *Quæ quidem retro ſunt obliuiſcens, ad ea, quæ ſunt priora, extendens me ipſum.*

Explicari non poteſt, quàm magna bona, ab hoc bono naſcantur. Ab hoc originem tot in bono proficiendi deſideria trahunt; ab hoc humilitas ipſa pullulat, quæ eò firmiùs in hominibus radices figit, quò plura eſſe, quæ illis deſunt, perficienda conſiderant. 218

Denique quàm infelix hæc eſſet vita, ſi perpetuos etiam hos proficiendi gradus non haberet! Quàm ærumnoſi illi eſſent anni hoc bono, viduti, vt annis tantùm creſcere valeremus, non meritis, non profectibus! Vix vita vocari poſſet, quæ dies tantùm numeraret, nihil præterea dignum vita præſtaret.

Da, ſumma Bonitas, vt, quia proficere ſemper poſſum, proficiam ſemper. Non curo produci vitam, niſi & profectus producatur. Vt ſemper tibi magis placeam, in me ea creſcant, quæ tibi placent: decreſcant, quæ tibi diſpliceant.

CAPVT CXI.

Obsequia, quæ Deo præstamus ex affectu præstantis commendabilia potius reddi, quàm ex propria magnitudine, occultum Dei beneficium est.

219 Consulere hoc ingenio exiguitati nostræ, nostræ paupertati Deus voluit, dum in obsequijs, quæ ei præstamus, in oblationibus, quas diuinæ eius maiestati offerimus, præstantis, & offerentis potius animum ille spectat, quàm illorũ magnitudinem, istarum preciũ & excellentiam. Hinc in libro Exodi inter ea, quę offerri poterant etiam caprarum pili recensentur. Vt statim, *Constet*, inquit ille, *Deo non esse commendabiles primitias, quas facit ætas, aut pretium, sed* QVAS FACIT OFFERENTIS AFFECTVS. Etsi vilissimos offeras caprarum pilos deuotio tua, & affectus tuus potest facere, vt pili illi sint inter munera prima, Affectus est qui pondus oblationi adijcit, & pretium quod à se non habet donum à deuoto offerentis animo mutuatur.

Istuc egregiè probat, quod accidit Jacobo, qui cum mira illa visione à Deo esset donatus, qua scalam in somnis vidit, quæ, culmine cœlum pertingebat, Angelosque ascendentes, & descendentes per eam, Dominumque innixum scalæ, Domino, vt ob tãtam dignationẽ gratitudinis aliquod daret signum, lapidem tulit, fuditque super illum oleum. Papè quid hoc ad tàm singulare illud priuilegium, quid ad tantam maiestatem? Gratum tamen vile hoc obsequium Deo fuit, quia obsequij vilitatem præstantis animus, ac deuotio vtrumque in, re minima fuit maximum.

220 Nos quoque passim obsequiorum nostrorum exiguitatem animo, & affectu compensamus; alioquin si magna tantum sua natura essent Deo maximo offerenda, ex nostro penu nihil expromere possemus, dignum quod Deo sisteretur. Quàm vilia quàm exigua, & ferè nulla sunt obsequia quæ præstamus Deo, & dona quæ Deo offerimus, quæ tamen maiora statim fiunt, si ab animo magno, & affectu grandiora cupiente, quàm exhibeat, fiant!

O Amor meus, ò Bonitas infinita, possem infinitatem tuam æqualibus obsequijs demetere! Scio me extra vota nihil habere præterea; sed hæc quoque tua sunt, quia sunt à Te. Cupio igitur omnibus meis obsequijs eum affectum, animumque adijcere, quem adijci posse Tu noscis. Flecto etiam retro mentem, & illum, ac istum velim adiectum ijs, quæ hucusque feci, idem ad omnia omnium obsequia porrigo, vt aliqua ex parte angustiæ præiudicia, ad quam me natura coarctauit, tollam.

CAPVT CXII.

Inter occulta Dei beneficia numerandum, quòd quis in bono proficiens non cognoscat se profecisse.

221 Cognosci tanquam Dei beneficium debet, profectum suum non cognoscere & occultatio perfectionis, vt occultum donum. Tacitus incrementis ad perfectionem itio, auidiores homines reddit perfectionis; vlteriusque in Dei obsequio Dei serui solent progredi, quò minùs cognoscunt se progredi; adeò vt magis in perfectione crescant, quò minùs animaduertunt se profecisse.

Pleriq; torpore correpti sisterent, aut retrò irent, si profectum suum possent videre; talis hominibus notitia subducitur, vt à noxiæ minusque tutæ securitatis discrimine ipsi subducantur.

Acuta est ista cæcitas, & perspicax ignorantia, quę solicitiores nos reddit, reddit magis humiles; vt vix efferri aliquem supra se finat, quæ non finit illum ferri in profectus sui notitiam.

Sponte verò ac libenter homines hanc ignorantiam ferre, vt diuinæ voluntati conformentur, quanti est meriti ferax, quàm magnorum radix bonorum!

Feram, quia ita voluisti, Amor meus, gratiæ tuæ incrementa nescire, nescire an proficiam, dummodo & gratia crescat, & profectus, vt hoc quoque ad augendam illam, ad augendum istum seruiat, quod notitia ista carere, vt voluntati tuæ meam aptem, æquo, libentique animo fero.

CAPVT CXIII.

Inter occulta Dei beneficia debet poni, quòd frequenter Deus se ab anima, quam diligit, subducat.

Quò feruntur diuini amoris artificia! ab animæ, quam diligit, adspectu se subducit, 222
fingitque sæpè fugam, vt intimiùs scilicet animæ vniatur, intimiùs animæ hæreat, dum ardentiùs quæritur, tanquam verè abijsset.

Occultationem istam occultum Dei beneficium esse euincit amor, quo Deus fertur in animas, à quibus se occultat: euincunt bona, quæ occultationem ipsam sequuntur. Non semper dilecti sui præsentiâ animæ fruuntur: non semper illius delicijs beantur: negat sæpè istas, negat sæpè illam, vt se pleniùs det. Deserere dilectas animas sæpè Deus videtur; sed videtur tantùm, non deserit ex vero. Elicere ab illis hac arte vult ardentia, quibus quæratur, vota ac desideria; excutere ab illis noxiam quærit securitatem, dum quæritur: sic diligentiores eas reddere studet, & in bonis operibus solicitiores.

Abscondit se sponsæ dilectæ dilectus sponsus,
vt humiliorem eam reddat, à superbia eam auocans. 223
Ad suæ imbecillitatis cognitionem animam ducit, cùm se Deus ab illa subducit. Cauet ne sibi quidquam sponsa tribuat, à se sponsum videns abijsse.

Inter sponsi delicias quædam iactantiæ aura sponsam sæpè afflaret, nisi disparendo, ipsi appareret, nihil se esse, nihil se posse: sicque in sui notitia firmior stat sponsa, quia præsens semper non stat sponsus, aufert complacentiæ omnis occasionem, dum non se animæ semper offert.

Aliud ab hoc bono bonum nascitur: nimirùm post inuentum sponsum, qui se subduxerat maiori exilit gaudio anima, quæ illum inuenit, maiori perfunditur lætitia, firmiùsque illi hæret, quia priùs disparuerat.

Aliquandò ab animabus, quas diligit, se Deus abscondens, efficit, vt maiori diligentia, studio & obsequijs illum teneant, cùm tenent, ne ipsarum lapsi-

lapsibus offensus abeat. Viuidum exercitiumque hæc præsentiæ sponsi vicissitudo sponsę spiritum seruat; afficitque, ne sibi nimiùm blandiatur: quod facilè accideret, si sponsi sui blandicijs iugiter foueretur.

Frequens se sponsus occultat sponsę, vt in ea sui
224 desiderium augeat, & ad amoris exercitiũ excitet. Pulchrè Sanctus Bernardus ad illa sponsę sponsum suum quęrentis verba: *In lectulo meo quæsiui per noctes, quem diligit anima mea*: Ait enim: *Non est reuersus sponsus ad vocem, & votum reuocantis. Quare? Vt desiderium crescat*, VT PROBETVR AFFECTVS, VT EXERCEATVR AMORIS NEGOTIVM. *Sanè ergo dissimulatio est, non indignatio. Sed superest, vt quæratur si fortè reperiatur quæsitus, qui vocatus non venit, dicente Domino: Omnis qui quærit, inuenit.* Vult ergo ardentius quæri sponsus, & maiori amoris æstu, dum se subducit, & occultat.

Postremò hæc sponsi subductio præstat, ne alios animę sui sponsi pręsentia recreatæ spernant: aufert se sponsus, ne sponsa in aliorum contemptum feratur, se præferat alijs.

Videaris, Amor, ab animæ te conspectu subducere, & aliò ire: feram, si videaris tantùm, sed non abeas: quin apparens discessus ex bonitatis tuę ingenio ad maiorem amorem animam trahat, vt in te vehementiori impetu immigret, quò maiori industria ab illa migrare tu videris, licèt non migres ex vero.

CAPVT CXIV.

Occultum Dei beneficium est, possidere virtutes, absque eo quòd quis hoc agnoscat, in illisque crescere sine augmenti notitia.

225 IN Dei beneficijs pia quędam exercenda anatomia est; adeò vt in lucem quędam ex his educantur, quę erant occulta. Singulare ac maximum Dei donum virtutes sunt, quibus suorum animos exornat: sed hoc beneficium aliud beneficium operit quod retegendum. Istbuc in hoc situm est: quia nimirùm nullus, licèt hos thesauros possideat, cognoscere certò potest, se eos possidere, nec se virtutum actibus in virtutibus proficere.

In primis hoc idoneum efficàxque superbię amuletum est, stimulus & custodia quędam humilitatis. Si aliquis sciret se virtutes habere, hoc ipso minùs esset virtutibus exornatus; nam inani esset glorię expositus, & consequenter virtutibus amittendis proximior.

In nostram igitur resilit vtilitatem, quòd nos nostrę virtutes lateant, lateat earum profectus. Eò firmiores in nobis radices virtutes agunt, quò minùs nos firmi esse possumus in hoc ascensu, quòd virtutibus simus insigniti.

Pręterea si homines scire possent se virtutes veras tenere, earum acquirendarum non tanto tenerentur desiderio: otio se dederent, torperent desidia, & facilè thesaurum amitterent, quo ditantur.

O vtinam, Bonitas infinita, hęc circa virtutum possessionem ignorantia ad plenius, certius firmiusq; virtutes possidendas faciat. Da, Amor, vt habeam, quod me vis nescire an habeã: Fac in me iugiter virtutes crescere, & ego, vt tibi placeam, tuęq; voluntati me aptem ignorantiam istam non solum feram, sed etiam efferam, & amplector.

CAPVT CXV.

Sua quemlibet merita ignorare, occultum Dei beneficium est.

AVgeat aliquis sua merita, quantum potest; adeò suorum meritorum magnitudinem ignorat, vt ignoret quoque aliquid se meruisse: nam cùm ex ordinaria Dei lege nulli perspicuum sit, ac certum, se diuinę gratię esse participem, sequitur vt ignoret etiam se meritum aliquod habere, cùm meriti radix supera Dei gratia sit. 226

Hanc porrò meritorum occultationem occultũ esse Dei beneficium, nefas est ambigere, cùm à Deo sit, diuinęque prouidentię legibus innitatur. Sed rem etiam alijs argumentis firmemus. Hęc ignorantia, quâ cuilibet, ignota sua merita sunt, vnicuiq; humilitatis pręben alimenta, & à quolibet superbię fomitem tollit. Pulchrè hîc cadunt Beati Laurentij Iustiniani verba, qui ad hanc mentem hæc habet: *Nullus*, QVANTI APVD DEVM SIT MERITI, IVDICARE VALET, VT CVNCTVM SVI ANIMI TVMOREM COMPRIMAT HOMO, *sub humilitatis censurâ, quæ cæterarum est tutissima custodia virtutum.* Adeò tumorem comprimit, vt etiam timorem iniiciat.

Quot superbię actus, quot iactantię, quot noxię 227
complacentię abstulit hęc propriorum meritorum occultatio! Quot humilitatis actus expressit, quot elicuit aliarum virtutum! Quam nos securiores in bono reddit, nullam de adepti boni habere securitatem! Continuus ad meritum augendum stimulus est, nescire se alicuius apud Deum meriti esse.

Fręni quoque cuiusdam vice fungitur hęc ignorantia; ne scilicet in aliorum contemptum aliquis decurrat. Facilè sperneret cęteros, qui uideret se habere merita, quibus cęteris esset pręferendus, nec spernendus à cęteris.

Denique magni meriti materia est, ignorare sua merita, & patienter hanc ignorantiam ferre. Multum apud Deum potest mereri, qui in hoc Diuinę uoluntati conformat suam, ut mereatur, & nesciat se mereri, & multò minùs, quàm magna sint illa merita.

Patiar, summa Bonitas, ut tuam bonitatem magis demerear, nescire me aliquid apud te meruisse. Tuę potiùs prouidentię ordini seruire uolo, quàm proprij amoris legibus obtemperare.

CAPVT CXVI.

Quòd prædestinatio occultetur prædestinato, occultum Dei beneficium est.

HOc certum apud omnes: nullum de sua salute certum esse. Extra indicia, 228
quę coniecturę limites non excedunt, nemo scire solet, an ad æternam gloriam sit pędestinatus. Hoc porrò occultum Dei beneficium esse ille sibi facilè persuaserit, qui expenderet, hoc à diuinâ prouidentia prouenire; nec desunt alia argumenta.

In primis ignorantia ista noxiæ securitati, quæ negligentiam ac torporem nutrit, euertendæ aptissima est. Quot bona opera omitterentur à bonis, si no-

si nota illis illorum salus esset! Tam supinè aliqui viuunt de sua prædestinatione dubij: quid agerent, si nulla dubietate angerentur?

Insuper prædestinationis occultatio humilitatem nutrit. Quis adeò in sanctitate eminens, qui non paueat dubius, an coronam sit adepturus?

Ex aliu quoque capite valdè nobis salutaris hęc ignorantia est: nimirùm, quia ita cohibemur, ne in alterius eamus contemptum; neque tam facilè quis eò feratur tumore, vt cæteris se præferat, cùm nesciat, an donandus sit gloriâ, qua fòrs alius donabitur.

229 Non sistit hîc huius beneficij vtilitas: in opera etiam bona bonitatem suam deriuat; efficit enim vt opera nostra maioris meriti sint. Si quis certò sciret, se æternâ gloria coronandum, non adeò magnum esset, ab ipso magna præstare: præmij certitudo obsequiorum magnitudinem minueret; quia redderet ea faciliora: quod non accidit in salutis dubietate.

Opus quoque purius fit, cùm præmij certitudini non immiscetur; nec in illud tam præmium influit promissum, quàm gloria ipsa promittentis & gustus. Velum, quod prædestinato obijcitur, aliquam peccati grauitatem tollit, si contingat eum labi: nam, cæteris paribus, grauior esset illius culpa, qui certus de sua salute foret; quàm illius, qui de illa dubius est: siquidem ingratitudinis nota maior appareret.

Demum ignorantia ista prædestinationis cuilibet occasionem præbet multos spei actus eliciendi, & consequenter maioris meriti acquirendi.

Cùm igitur singulare hoc beneficium sit, pro illo debet quisque gratias Deo agere; sèque in hoc Diuinæ prouidentiæ conformare, vt libenter velit nescire, quod à nostra notitia subduci Deus statuit. Hæc ipsa quædam prædestinati nota est, æquo animo ferre, se nescire esse prædestinatum.

CAPVT CXVII.

Quòd reprobo æterna sua damnatio non reueletur, occultum Dei beneficium est.

230 SIcut æterna gloria donando prædestinatio ad gloriam occultatur, vt de illa non sit securus; ita occultatur & damnatio æterna reprobo. Illud occultum Dei beneficium est, sicuti probauimus; istuc etiam est, quod probandum.

Si aliquandò reprobus sciret se damnandum, in desperationem rueret, nec suam diuinæ voluntati facile conformaret. Addo, cùm salutis suæ spes non coerceretur à malo, in omnia vitiorum genera perditissimè laberetur; vixque aliquid præstaret boni, sciens nihil ei, quod agit, profuturum ad salutem: nollet carnem ieiunijs macerare, non terere vigilijs, non alijs afflictionibus exercere: delicijs se totum traderet, & in terra terrenum Paradisum sibi strueret, in Cœlo cœlesti cariturus.

231 Deberet quilibet in Dei amorem ferri, se Dei obsequijs totum tradere; licèt certò sciret, se gloria æterna non donandum: quin diuinæ iustitiæ deberet gratias agere, & maiori feruore Deo hic seruire, quò ipsi certiùs constaret, se id in alia vita non præstaturum. Hac mente, cùm quædam virgo à Dæmone tentaretur, quòd nihil referret in Dei obsequio illam laborare, quòd itritus eius esset labor; æternis quippe supplicijs erat afficienda: reposuit virgo: Qu:a in alia vita Deum diligere non potero, nec illi seruire, hîc diligentiùs feruentiùsque id conabor præstare. Qua responsione victus tentator aufugit. Sed paucorum huiusmodi sensus esset, & potiùs æternæ gloriæ abijciendorum, quàm reprobi: hic enim faciliùs in desperationis præcipitium raperetur, peiòrque euaderet, certò sciens, æternas Inferni pœnas minimè se euasurum.

Debet igitur ab omnibus diuinæ prouidentiæ ordo suspici, debet adorari. Decet diuinæ bonitati gratias agere, quæ, ne peiores homines fierent, noluit illis notum facere, eos pessimos esse futuros, debitasque in Inferno pœnas luituros. Noluit malis aperire illorum damnationem, ne secestram sibi aperirent ad grandiora & plura crimina committenda.

CAPVT CXVIII.

A certa cuiuslibet notitia subduci, an in gratia Dei sit, nec ne sit, occultum Dei beneficium est.

INter magna Dei beneficia hoc maximum: supera Dei gratia beari, quæ bonorum omnium radix ac semen est. Manifestum istuc; 232
sed occultum, huius gratiæ possessionem possidenti occultari.

Magnos hæc ignorantia parturit fructus: nos vrget ad grauam acquirendam augendámque, dum nescimus an simus participes illius: homines à noxio torpore auocat, à damnabili negligentia subducit. Dubietas istius possessionis securiores reddit possessores; cùm alioquin securitas quodammodò aduersaretur securitati. Minùs securus esset, qui esset securus: facilè enim amitteret quisque quod se sciret habere, si habendi securitate in socordiam laberetur.

Hic certa notitia diuinæ gratiæ à semet possessa in superbiam facilè erigeretur, de humilitatis suggestu leui brachio caderet; adeò vt gratię iam habitæ notitia, occasio esset gratię amittendę. O quàm præsens superbię amoliendę remedium est, nescire an diuina quis gratia sit insignitus, nec ne! Quàm aptum nutriendę humilitatis fomentum istuc est! Pulchrè B. Iustinian. rem his verbis expendebat: *Nullus diiudicare valet, vtrum odio an amore dignus habeatur:* OMNIA VERO INCERTA FVTVRO IVDICIO RESERVANTVR; VT CVNCTVM ANIMI SVI TVMOREM COMPRIMAT HOMO SVB HVMILITATIS CENSVRA. Dubium, an habueritquis Dei gratiam, & timor an perdiderit, tumorem omnem euertit, quo quis corripi posset, si gratia diuina se ornatum sciret.

Ab hoc dubio nascitur, vt nullus se præferre alteri possit, alteri debeat; nullus alium contemnat, nullus sibi de bono aliquo complaceat; cùm nesciat an boni omnis radicem habeat, scilicet supernam Dei gratiam.

Quot tàcitantię actus hęc ignorantia impediuit, quot propriç æstimationis in suo ortu sepeliuit! 233
Quot humilitatis actus elicuit, quot feruoris! Ignorantia ista aliud bonum producit: facit enim vt bona opera nostra sint meliora, maiorisque meriti grauida. Non esset magnum, magnum aliquid ab eo fieri in Dei obsequium, qui sciret se diuina gratia donatum: magnum est fieri ab illo,

qui

qui nescit, an gratię diuinę sit particeps.

Non hîc pedem figit huius beneficij beneficium: nostra quoque peccata reddit leuiora, & peccatores magis venia dignos; non ferendæ quippe ingratitudinis esset, scire se diuina gratia donatum, & in donantis contumeliam piaculum aliquod admittere, quo diuina gratia amittatur.

Denique maius ad maiorem gratiam iueacquirit, qui nesciens an gratia iam fuerit à Deo post magno ediuturnósque labores donatus, non desinit tamen laborare; vtque diuinę voluntati conformet suam, fert ęquo fortique animo huiusmodi gratię ignorantiam ac dubietatem.

Feram, summa Bonitas, hac notitia priuari, dum tua gratia minimè priuer. Non quętam certò scire an habeam, dummodò tua gratia tuam gratiam habeam, seruiàmque ad gratię cumulum, nescire me esse gratia cumulatum.

CAPVT CXIX.

Ipsamet peccati permissio, occultum Dei beneficium est.

234 QVò maiora sunt peccati damna, quò maior peccati est fœditas, eò difficilius probabitur, ipsius permissionem inter occulta Dei beneficia numerandum: verùm difficultas à sinu veritatis rem non tollit.

Permissio peccati beneficium est; quia est à Deo, qui totius bonitatis est fons, quin & solius. Ex peccatis; quę, nudè sunt mala, vt bona, eaq; ingentia Deus eliciat egregiè, vt solet explicat Ioannes Eusebius, dum ait: *Tam beneficus Deus est*, *V*T IPSA DAMNA VERTAT IN BENEFICIA; ET QVOD PLVS EST, EA IPSIS MALIS CVLPÆ, QVÆ SOLA MALA EST, EXTORQVEAT BONA, ET INTERDVM MAIORA BONA. *Tam potenter, o Domine, mihi facis beneficia, vt ex peccatis vbi non potes, nec facis, (nam non potes facere illa, nec iuuare vt fiant) maiora beneficia inde facis & potes. Ex peccatis calles Bona immensa elicere, & virtutes. Lumen in corpus obscurum, & densum impingens, in quod nequit agere, ibi reflexione augetur duplicatum, non deperditur lumen; nec vnquam deperditur, & vacat beneficentia tua.* Poterat aptius res exprimi, cohęrentius illustrari!

235 Licèt malum peccatum sit, permissio tamen peccati bona est, & multorum bonorum occasio, & (quod magis est) etiam causa. Vt alia omittam, humilitatem fouet, quę sępè in innocentia naufragium facit. Quot post lapsum didicerunt humiliter de se sentire, qui ante ipsum se nimis erexerant! licèt ex vero erectio ipsa, lapsus quidam sit. Plerique suam vtiliter post peccatum agnouere infirmitatem, quę ante ipsum incognita illis erat; vt essent se ipsis minores, quia maiores se esse videbantur, quàm verè essent.

In multis profundas radices tumida confidentia fixerat, quę illorum casu ab illis cecidit ad salutem; vt vtiliùs diffiderent sibi post lapsum, quantò nocentiùs fiderant ante ipsum.

Permittit Deus etiam in sublimi sanctitatis vertice positos cadere. *Et discas* (pij Doctoris sunt verba) OMNIA A DEO VENIRE, NEC IN NOSTRIS MERITIS, ET DILIGENTIA POSSE NOS SPERARE, AVT PRÆSVMERE, *sed in solo Deo.*

Aliud quoque bonum secum hæc peccati permissio fert: nam illum, qui cecidit, reddit in tribulationibus magis patientem, in aduersitatibus firmiorem; omnis quippe aduersitas leuis, lenisque ei fit, qui culparum suarum grauitatem ponit sibi ob oculos. Leuiter fert quæ dura, qui non leuiter est lapsus, cùm cogitat, se duriora peccando meruisse.

Permittit Deus peccatum, vt nos postea cautiores reddat; adeò vt iustus cadendi timor à no- 236
uo casu plerosque auocet, & vnus lapsus contra plures sit munimen. A peccato, maiori spiritu resumpto, maiorique tepiditatis odio, resurgere, sępè ex culpæ permissione originem trahit. Multi feruentiùs post culpam Deo seruierunt, quàm antea facerent, aut fuissent facturi, si minimè cecidissent. Innumeros nos Sanctos colimus, & reueremur, qui ad sanctitatis culmen, culpæ permissione tanquam scalâ quadam peruenerunt.

Quot fuere fusæ lacrymæ, quot contritionis a- 237
ctus producti post permissum peccatum! Quot pęnitentiæ opera præstita, quæ ex nudâ innocentiâ non pullulassent!

Tandem veritatis characterem habet hæc sententia, quæ censet in electis ad gloriam lapsum quoque ad illius consequutionem à Deo ordinari.

Quam diuersâ incedunt viâ homines, & Deus! Deus à malis tot bona elicit & à malorum maximo maxima bona: homines vel à bonis educunt mala, & in bonis non boni fiunt; sed plerumque peiores euadunt. Imitare diuinæ prouidentiæ exemplar, & ex malis etiam bona collige, vt melior fias.

CAPVT CXX.

Difficilem peccantium viam esse, occultum Dei beneficium est.

QVò maiora sunt damna, quæ secum pec- 238
catum affert, eò maius bonum est, quod ab ea difficultate nascitur, quæ ab illo sæpissimè homines auocat.

Vix dici potest quàm aspera, dura, difficilisq; peccantium via sit. Videatur primâ facie leuis ac plana, tandem fateri coguntur peccatores, se *vias difficiles* ambulasse. Labores, quos subeunt; pericula, quibus exponuntur; timores, quibus corripiuntur peccatores exertè clamant, spinis obsitam peccantium viam esse, quæ videbatur solis floribus adspersa.

Si quis peccantium conscientiam subiret, quot in ea amaritudines reperiret, quot tormenta, quot cruciatus! Adeò vt falsa peccati dulcedo felleâ amaritudine afficiatur, inficiatur.

Multos, quos alia à peccato non retraxerant, retraxit hæc amaritudo; aut saltem hæc præstitit, vt citiùs resipiscerent, & peccati viâ relictâ, innocentiæ semitas premerent, ne à culpæ spinis pungerentur.

Plures essent peccatores, quàm sunt; & plura committerent peccata, quàm committant, nisi Dei prouidentia peccatorum viam tot laboribus, tot difficultatibus adspersisset. Si lenior peccantium via esset, leuiores ad peccandum peccatores essent, pluresque peccatores numeraremus, quin & maiores.

Hæc peccatorum asperitas aliud bonum à pec-
cato- 239

catoribus exculpit; efficit quippe, ne tanto affectu, tanta cupiditate in scelera ferantur, dum ferre tot dura coguntur: difficilis nimirùm via peccati non adeò pronos in peccatum facit peccatores.

Cùm igitur hæc difficultas, & spinis referta peccatorum via à peccato nos auocet (quod omnium malorum maximum, imò, si res ritè pensetur, solum malum est) sequitur, vt in Dei beneficia sit numeranda: quod sola negligentia nostra occulti titulum fert.

Qui pro isto beneficio gratias Deo minimè egit, quia ignorauerat esse beneficium, incipiat nunc agere, dum esse, incipit iam cognoscere. Huc nos vocat Richardus Victorinus, cuius de hac re hæc sunt verba: *Agamus pietati eius gratias, quia laborare nos fecit in malo nostro: in auersione nostra; quia sepiuit spinis viam nostram,* VT REVERTAMVR ET CONVERTAMVR AD IPSVM VIRVM ET SPONSVM, ET AMICVM ANIMÆ NOSTRÆ: *quia bonum erat nobis tunc magis quam nunc. Hoc autem non intelleximus nos, & putauimus nobis bene esse cum male erat. Et ideò aspersit ipse amaritudinem & absinthium, & fel in poculum dedit super male dulcem & blandientem ad mortem auersionem nostram, & occupationem pessimam.* Qui hucusque errauit resipiscat, & aliam mentem ebibat, aliud fiat, fiat melior, eoque faciliùs pietatis ineat viam; quò difficiliorem est expertus viam iniquitatis.

CAPVT CXXI.

Occultum Dei beneficium, quod omnes peccatores non statim è Mundo Deus tollat.

240 POsset Deus, Mundo purgando, peccatores omnes è Mundo auferre; &, quod semel in diluuio fecit, sæpè vel aquâ, vel igne, vel rebus alijs nocentes innocentissimè delere: sed non deset, quà vt patientiam suam ostendat, dum tolerat; quà vt hi, qui à peccatis abstinent, & Deo famulantur, amore potiùs id præstent, quàm timore. Si enim statim è medio peccatores omnes tollerentur, reliquos adeò timor corriperet, vt Deo ex timore, aut seruire viderentur, aut certè seruirent. Præstat hic ipsius Christi verba audire apud Sanctam Brigittam, vbi de peccatoribus loquens ait: *Ego potens sum submergere eos, & propter Mundum, & propter peccata, si vellem; & tunc, si submergerem eos, illi, qui remanerent,* SERVIRENT MIHI EX TIMORE. *Sed hoc non esset iustitia, quia* EX CHARITATE DEBERENT MIHI HOMO SERVIRE. Benè Deo non seruit, qui timori seruit, seruiens Deo.

Hinc est, vt sub lege gratiæ in peccatores adeò non se armet Deus, vt antea faciebat. Non aquarum fluentis Mundum obruit, non flammis è Cœlo missis vrbes decinerat; vt scilicet amore potius ad eius obsequium homines alliciantur, quàm vrgeantur timore.

241 Amat coli Deus, ità tamen, vt seruilis timor hunc cultum non inficiat. Ab hoc timore sibi quisque timeat, sibi caueat, quisque plenè Deo non seruit, qui seruit huic timori, & perfectè non amat Deum; qui hunc timorem non odit, & (quod consequens esse debet) non repudiat.

Non obruit ampliùs Deus diluuio omnes homines, quin & se minimè deleturum dixit: facilicet timorem potius seruilem in hominibus delere vult, quàm ipsos homines.

O possem, Amor meus, in omnibus timorem omnem delere, qui amori officit! Amo amorem tuum: timeo timorem, qui nudus est timor, nec à nudo amore est. Nunc statuo, nunc decerno, seruili timore posito, tibi seruire; &, dum deletos omnes non video, qui te offendunt, timorem delere cupio; & quicquid ad amorem tuum non ducit, & ad Te.

CAPVT CXXII.

Occultum Dei beneficium est, quod Deus delens culpam, non penitùs tollat pœnam.

242 ITa ferè accidit, vt qui liberatur à culpa, à pœna non sit penitùs liber: præstanda sunt illi pœnitentiæ opera post culpæ deletionem. Hoc autem singulare Dei beneficium est: &, quia in beneficiorum numero non solet recenseri, inter occulta ponendum est.

Non desunt argumenta huic rei probandæ: illud commune esset, hoc esse à Dei iustitia statutum; sed adijciamus alia. Voluit hac ratione Deus, nos nostræ salutis, innocentiæ, sanctitatisque cooperatores efficere. Benè & ad hanc mentem opportunè peritus ille author. *Maior est,* inquit, *Dei gratia, sicut maior est nobis gloria,* QVOD CVLPA REMISSA, NON STATIM TOTA POENA CONDONETVR; *sed in hoc opere salutis nostra dignetur nos habere cooperarios.* Vides quàm altè homo euehatur, vbi eum putabas deprimi? Quid hoc munere sublimiùs, nimirùm in sanctitatis acquisitione Dei cooperatorem fieri?

243 Beneficij huius magnitudo hîc non sistit: voluit præterea Deus, post remissam culpam, soluendam pœnam esse, vt nostra merita augerentur, pœnitentiæ quippè opera maximè ad meritorum faciunt cumulum; hæc enim liberali bonitatis suæ ingenio agit in nos Deus, vt bona opera, quę præstamos post peccata, non solum ad peccatorum satisfactionem faciant, sed etiam augendis meritis deseruiant.

Aliud in hoc beneficio beneficium video: vtq; tu quoque mecum videas, illud tibi expendendum offero. Tale est: Pœnæ, quæ post dimissa peccata sunt subeundæ, hanc etiam vtilitatem afferunt; vt ægriùs in crimina quis relabatur, pœnarum grauitate quodammodò coërcitus. Quam faciliores ad culpam plerique currerent, si enim consequutori dura aliqua illos minimè sequerentur!

244 Postremò, dùm pœnas debitas culpis peccatores luunt, diutiùs in peccatorum suorum cogitatione retinentur, & aliquem humilitatis ebibunt sensum; peccataque magis incipiunt abhorrere, quorum causâ illa dura perferunt; & (quod magis est) à pœnis, quas patiuntur, vocantur, ad earum pœnarum cogitationem, quas æternum passuri erant, nisi resipuissent.

Diuinæ igitur prouidentiæ agantur gratiæ, quia etiam post deletam culpam alicui nos pœnę per ministros suos alliget; cùm non puniendi amore id faciat, sed vt in nos plura bona conuehat, plura nobis conferat beneficia; nec vt duris premat, sed altiùs euehat, dum duramus & libenter ferimus, quæ meruimus.

CAPVT

CAPVT CXXIII.

Occultum Dei beneficium est, quòd Deus peccata dimittat nondum peractis impletisq́ pœnitentiæ operibus.

245 NVlli Deus fecisset iniuriam, si tunc tantùm culpam deleret, cùm absoluta pœnitentiæ opera essent, quæ in scelerum pœnam iniunguntur. Sed noluit diuina bonitas tamdiù beneficentiam suam coërcere: ooluit nostræ negligentiæ socordięque committere peccatorum liberationem. Antequam quis operibus iniunctis admoueat manum, amouit à verè pœnitentibos sceleris notam Deus · quod inter occulta beneficia reponendum esse, tam certum est, quam frequens, hoc in beneficiorum censu non locati, adeò vt gratiæ à nullis pro illo Deo agantur.

Grande hoc beneficium ac singulare. Plures à salute sua exciderent, nisi negligentiam nostram Deus anteuerteret, & priùs peccata tolleret omninò, quàm pœnitentiæ nos opera præstaremus.

Prompta ad ignoscendom diuina bonitas est. Vbi quis peccatum retractauerit, & ob illud ingemuerit, citissimè gratiam offert, culpam aufert; vt in idem recidat, dolere aliquem faterique se peccatum commisisse; & dimissum esse peccatum. Non expectat Deus debitas culpæ pœnas à nobis, lui, vt eluat ipse culpas: non potest tamdiu diuina benignitas cunctari.

O tàm promptus, tàm celer ego essem in tuo
246 Deus obsequio, quàm tu promptus & celer es in meis sceleribus delendis. Amo istuc, vt interim de tua celeritate amem te, & gratias tibi agam pro illa.

Ista tua, Domine, promptitudo ad tollendum peccatum, hoc quoque me docet: ne celer ego sim ad illud admittendum, committendumque, quod tam promptè, tàm citò dimittis.

Denique & hoc singulare beneficium est: nunc scilicet maioris virtutis contritionem esse respectu sacramenti, quàm anteà sine illo fuerit. Olim, ante scilicet Christi aduentum, peccatorum contritio ex sola charitate conatuque vim habebat: nunc habet etiam ab ipso sacramento, ex voto suscipiendo: itaque perfectior & efficacior nostra contritio est; vim quippè & robur accipit à sacramento, quod Christus instituit.

CAPVT. CXXIV.

Inter occulta Dei beneficia locandum est, quòd Deus vni peccatori ignoscens, alios ad pœnitentiam prouocat.

247 VIx queunt se Dei dona intra singularitatis terminos continere; affectant multorum, imò & omnium communicationem. Cùm vni Deus impertitur beneficium paratus se tacitè clamat alijs exhibere: ADMONITORIA, inquit bonus ille auctor, DEI BENIGNITAS EST, *animos erigit vniuersorum, vt vberrimos tanta largitatis fructus percipiant.* Excitare in alijs desiderium suorum beneficiorum Deus studet, dum vni sua tribuit beneficia.

Cum vnius expiatur delictum, cum vnum quempiam ad pœnitentiam vides, audisuè vocari, censo illicium esse, quo multos à pœnitendis auocet, ad pœnitentiam vocet. Sic Latronem in Cruce conuertit, vt malos omnes hoc velut quodam pietatis, & clementię visco capiaret. *Si benè respicimus*, inquit Eusebus Emissenus, *non illi soli hoc præstitū deprehendimus. Nam dum tam insignem reum relaxat, dum tanto debitori fundit immanis debiti cautionem* HVMANO GENERI CONSCRIPSIT SECVRITATEM: VT CONSOLATIO, ET SPES FIERET TOTIVS POPVLI, ABSOLVTIO VNIVS DISPERATI; *& priuatum donum in publicum cresceret beneficium: quarè indubitanter credendum est, quod Latroni illi ad commendationem fidei suæ, etiam causa spei nostræ, & vtilitatis accesserit. Immensa enim Dei nostri bonitas libenter tribuit, quæ etiam generaliter futura prænoscit.* Quis ex licet quot à desperationis discrimine Latro iste reuocauerit, aut, rectius loquar, Deus per hunc Latronem; spes sanitatis ægroto affulget cum à Medici peritia sanatur desperatus. Idem in Saulo factum, dum Saulus factus est Paulus; Hinc illud Sancti Anselmi: *Si Saulus Sanctus est*, EGO QVARE DESPERO? Igitur vocant nos ad pœnitentiam, qui pœnitentiam inierunt, & ad sanctitatem inuitant, qui impietate repudiata sanctitatis iter arripuerunt.

Gratias tibi, Deus meus, ago, quòd per tot peccatorum cōuersionem probis salutis viam demonstrasti, imò per illos nos ad salutem inuitasti, inuitasti ad Te. Da mihi, vt qui errantes sequutus sum, sequar & resipiscentes, ne mihi ad pœnæ sit augmentum, quod poterat seruire ad pęnæ fugam, & ad culpæ.

CAPVT CXXV.

Peccata hic quoque Deum punire; occultum Dei beneficium est.

POterat Deus, vt seueriùs peccata puniret, 248
peccatorum pœnam in aliam vitam reijcere: sed non reiecit, vt occulto nos beneficio cumularet. Nam, nisi punirentur hîc peccata, magna ad peccandum fenestra aperiretur: in peccata faciliùs promptiusque nullo metu coërciti homines ruerent.

Præterea, dum in hoc mundo peccatores puniri homines vident, altiùs eorum mentibus insidet pœna, quæ post hanc vitam futura. Vix aliqui crederent punienda post mortem peccata, nisi & hîc aliquando plecti grauibus pœnis viderent peccatores.

Ipsis etiam, qui puniuntur, vtilis est pœna, quam in hoc seculo sustinent: nam in primis à peccatis aliqua ratione coërcentur: deindè metu inferendæ, aut illatæ pœnæ non tanto impetu feruntur in pœnitenda. Denique pœnæ, quas in hac vita pro peccatis soluunt, leuiores multò sunt, quàm eæ, quæ illis essent soluendæ, si nullas ab illis pœnas hîc Deus exegisset.

Gratias tibi, Domine, ago pro omnibus bonis, quæ ex pœnis illis exprimis, quibus in hoc mundo premis peccatores; vt tamen hoc quoque velim tibi debere: scilicet, à nullo peccato abstinere solo pœnæ metu; sed tantùm amore tui. Omni mihi pœnâ grauior culpa est, & spontè pœnam quamlibet subibo, dum meam mentem non subeat, quod est contra tuam, contra te.

CA-

CAPVT CXXVI.

Conſcientiæ morſus, & ſtimulus; occultum Dei beneficium eſt.

249 STatim ac homo in Dei offenſam incurrit, licèt ſummotis teſtibus peccauerit, conſcientiæ tamen ſuæ ſentit ſtimulos: ſtatim veluti carnifex conſcientia adeſt, quæ, dum illius mentem pungit; admiſſi eum ſceleris admonet; & quot morſus in geminat, tot edit clamores, quibus à peccatis peccantem auocet. Nullus adſit, qui delinquentem reprehendat: vt nemo ſe ipſum fugere poteſt, ſic à conſcientiæ ſuę morſibus ſe nequit ſubducere; &, quàmuis errorem ſuum verbis peccator excuſet, habet in ſe accuſantem ſe conſcientiam, quæ ſimul teſtem & iudicem, & carnificem agit. Abſint magiſtri ac doctores, qui culpam peccatori obijciant: non abeſt conſcientia, quæ corripientis doctoris fungitur munere.

Magna hic elucet diuinæ prouidentiæ culpas auerſantis cura: quis igitur hoc inter Dei beneficia non numeret? Ego numero inter occulta, nam tale illud fecit negligentia noſtra & oſcitantia ab harum rerum cogitatione mentem auertens.

250 Quot peccatores mordentis conſcientiæ ſtimulis acti, non rectos innocentiæ tramites, damnata priori, inierunt; rem cumulatiſſimè firmant!

Nullus ferè eſt, qui non pauciora commiſerit peccata, quàm aliàs commiſiſſet, ſi conſcientiæ ſpinis non eſſet punctus. Nullus eſt, qui diutiùs in peccatis non viueret, ſi lacerantis conſcientię ictibus non continuò moneretur, ut relictis peccatis, ad Deum rediret.

Conſcientię ſtimulus hoc quoque boni operatur, vt peccator tanto impetu, tanta cupiditate, & tanta malitia in ſcelera non ruat, vt rueret, ſi hos morſus non ſentiret, quibus veluti quodam fręno retardatur & coercetur.

Beneficium hoc dixi? beneficia ſunt. Quot peccata quiſque non committit his agitatus ſtimulis, tot ſunt Dei in hoc beneficio beneficia: quot peccator reſipiſcens momenta anteuertit conſcientiæ morſu laceratus, tot Dei ſunt dona. Demum peccati damna cogita, & mordentis conſcientiæ commoda, contra peccatum ſe armantis, in peccata ſeuientis, ſaltem aliqua ex parte cognoſces. Mordeat nos conſcientia, ne peccatum mordeat. Innocens ſæuitia iſta eſt, quæ ad innocentiam non ſolùm vocat, ſed etiam ducit.

CAPVT CXXVII.

Cordis ſecreta, & præſertim peccata homines latere, occultum Dei beneficium eſt.

251 QVæ in hominis corde latent, homines latere voluit Deus. Soli Deo ſunt aperta, quæ corde ſunt clauſa: ſic odia, ſimulationes, culpæque aliæ, quæ aut Deum, aut homines petunt, ab hominum notitia ſubducuntur. Hoc autem occultum Dei beneficium eſſe, diuina prouidentia, quæ ita rem diſpoſuit, non reliquit nos in dubium reuocare.

Si quicquid in corde hominis eſt, hominibus eſſet expoſitum, multi à probi nominis & famæ ſuggeſtu caderent, qui in illo ſedent, probique putantur, licèt ex vero non ſint: quod ipſis eſt vtile; nam à multis peccatis abſtinent, in quę ruerent, iam omni deuorata verecundia, ſi omnium notitiæ eſſent expoſita ſua ſcelera. Famæ illa nominiſque boni opinio, quam apud homines habent, aggeris vice fungitur, ne latiùs malitia ſua in fœdiſſima ſcelera excurrant: ſicque fit, vt plerique minùs ſint mali; quia habentur boni, peiores futuri, ſi tanquam mali cognoſcerentur.

252 Hoc quoque in aliorum commodum reſilit & vtilitatem: nam, vt malorum ſcelera aliorum notitiæ expoſita incentiuum quoddam ad malum eſt; ita plerique etiam mali ad innocentiæ culmen multos vocauere, quia innocentes putabantur: quod non accidiſſet, ſi omnium peccata omnibus eſſent expoſita.

Si ab homine videretur quod in hominis corde deliteſcit, quot odia naſcerentur, quot pullularent rixæ, quot cædes ſequerentur! nam; cùm quis in aliorum corde videret, aliorum dolos; conſpiceret ſe haberi contemptui, ſtatimque in illos ferretur, ac vindictam cogitaret.

Quid? ſi peccata occulta apparerent, peccatores in deſperationem irent; fierentque peiores, videntes ſe ab innocentiæ titulo apud omnes excidiſſe. Nunc verò latentes latenter ad innocentiam traducuntur. Vocat eos inſpirationibus Deus, bonorum exemplis prouocat; adeò vt mali, ſi extimè putentur boni, boni ſępè verè fiant.

253 Deus peccata noſtra videt, quia poteſt ea ferre, ſcit nobis ignoſcere: non ita homines compatiuntur hominibus; ſed peccantes contemnunt, arguunt, inſimulant. Vix aliquis aliquem reueretur, ſi occulta illius videret. Charitas & concordia ab hominibus exularet: homines ab hominibus fugerent; ſicque humanum conſortium penitùs tolleretur.

Hîc aliquis reponat: vtile eſſet, bona, quæ in Sanctis latent, alijs manifeſtari ad imitationem. Sed ſunt multa, quæ in Sanctis iam elucent, vt cæteri ad imitationem inuitentur: deinde viderentur plerumque & labeculæ, quibus bonorum actuum imago apud malos cenſores veluti inficeretur. Sanctis ipſis hoc humilitatis exercitium deeſſet, quo ſtudent, quæ laude digna præſtant, ab hominum notitia ſubducere.

Denique aliquando etiam aliqua in aliquibus peccata manifeſtari Deus ſinit, quæ erant occulta, in peccantium vtilitatem, in cæterorum cautionem, vt peccatis finem imponeret, vt ad pœnitentiam prouocaret: ſed rarò id fit, vt peccantium pudori conſulatur.

CAPVT CXXVIII.

Occultum Dei beneficium eſt quòd quis tam grauia peccata non admiſerit, quàm admiſiſſet, niſi ſingulari Dei gratia fuiſſet adiutus.

254 HOc etiam Deo debemus, quòd cùm in aliqua peccata ceciderimus, non adeò illa grauia fuerint, quàm fuiſſent, ſi noſtram malitiam Deus ſingulari prouiden-

uidentia veluti quodam fræno non coercui fet. Nullus adeò grauiter peccauit, quin grauior extitisset eius lapsus, si aliqua ex parte leuiorem Dei bonitas illum non reddidisset.

Magnum igitur hoc beneficium est: pro quo Deo agendæ gratię sunt. Huc eu asit & bonus ille author Blosius, cuius hæc sunt verba: *Resurgens gratias age ipsi Domino, quid te* GRAVIVS CORRVERE NON PERMISERIT. Pondus illud, quod cuique peccato à malitia nostra adijci poterat, beneficij diuini pondus indicat; cùm nulli peccato adiecta à nobis tanta grauitas sit, quam malitia nostra a lioqui adiecisset, si Deus, in cuius offensam cuncurrebamus, non concurrisset in adiutorium.

Voluit quoque Deus ignorantia nostra & infirmitate, ac propensione ipsa ad lapsum, lapsus nostros leniores reddi; grauiores aliàs futuros si nos ignorantia, imbecillitas, ac infirmitas non corriperet.

CAPVT CXXIX.

In tot peccata nullum labi, in quot, sua malitia commissus, laberetur, occultum Dei beneficium est.

255 VNiuscuiusq; malitia ad plura vnumquęque scelera traxisset, quàm re ipsa traxerit, nisi Dei bonitas obstitisset, quæ semper malitiam nostram coercet, ne in ea, in quæ alioquin laberetur, peccata labatur. Hinc est, vt hic tot lateant occulta beneficia, quot peccata à nobis non fuere commissa, quæ aliàs essent, nisi sua Deus virtute, malitiæ nostræ impetum sistere studuisset. Quis horum beneficiorum numerum potest cognoscere, nisi ipse solus Deus, qui peccatorum committendorum numerum probè nouit, si fragilitati nostræ ipse manum non porrexisset, ne peccata ipsa porrigerentur?

Quænam dies, quænam diei hora abijt, in qua nos Deo singulare aliquod beneficium non debeamus; quia ab aliquo nos peccato submouerit, in quod nostra infirmitas malitiæ copulata traxisset?

256 Igitur debemus Deo quicquid Dei gratia adiuti non committimus contra Deum. Hoc sensu dicebat Sanctus Augustinus: *Agnosce gratiam eius*: CVI DEBES, ET QVOD NON ADMISISTI; *nullum est enim peccatum, quod facit homo, quod non possit facere alter homo, si desit Rector, à quo factus est homo*.

Quot non fecisti mala, tot Deus tibi dona fecit. Debes superæ Dei gratiæ, quòd non ita frequenter cecideris, quàm cecidisses, tuæ imbecillitati innixus, tuæ prauitati. Si sapis, eandem mentem bibe, quam biberat idem Sanctus Augustinus: eadem verba profer. Sic ille Deum suum alloquebatur: *Gratia tua depute*, QVÆCVMQVE NON FECI MALA. Magnam hîc beneficiorum segetem habes, si terram scias vertere.

Huius porrò beneficij magnitudo ex damnis, quæ peccatum infert, colligenda est: quò magis nobis peccatum nocet, eò maiori nos beneficio Deus cumulat, dum peccatum aliquod eius auxilio vitamus.

CAPVT CXXX.

Occultum Dei beneficium est esse qui impedimenta peccatis obijciant, non alliciant ad peccandum.

FAcilesad lapsum sumus: faciliores essemus frequentioresque, nisi nobis impedimenta 257
obijcerentur, quæ à peccatis auocarent. Obijciuntur sæpè: sed, quæ ab hominibus credunt esse, à Deo sunt. Impediuit Deus, qui eum fecit, vt homines id facerent. Deum sic loquentem adducit Sanctus Augustinus: *Vt adulterium non committeres, suasor defuit*: VT SVASOR DEESSET, EGO FECI. *Locus & tempus defuit*: VT HÆC DEESSENT, EGO FECI. Idem ad alia peccata extendere eadem ratione possumus. Locum ad peccatum deesse plerumque curat Deus, ne nos peccato locum daremus; daturi, si habuissemus. Tempore sæpè ad malum destituimur, ne in malum labamur. Desunt, qui ad peccatum alliciant, ne in peccatum cadamus. Hæc omnia nec casu accidunt, nec in solos homines reijcienda sunt. A Dei prouidentia in nostram sunt vtilitatem ordinata, qui, vt à peccatis nos auocet (nec libertatem vult lædere) ponit ea impedimenta, quæ aut omninò nos eximant à peccatis, aut difficiliorem ad illa reddant viam; sicque vel non labamur, vel certè labamur tardiùs.

Quùm hæc igitur eueniunt, vide, ne in hominibus sistas: vide, ne casui imputes, quod tribuendum est Diuinæ erga nos bonitati, quæ tot tubus vtitur, vt nos à lapsibus auocet. Si rationem secū quilibet computet, inueniet semper se ab aliquibus peccatis immunem, quòd obicem suæ malitiæ Deus obiecerit; ità vt nullus sit adeò malus, quàm alioquin erat futurus, si impedimenta humanæ imbecillitati, & ad malum pronitati Deus non posuisset.

Quot impedimenta mihi obiecisti, Deus meus, obiecisti omnibus, ne ego, ne alij in Tui offensã ruerem us, tot tibi gratiarũ actiones per singula momēta sisto, & sisti ab alijs pro me velim. Auge, Amor meus, obices, qui me à peccato submouent, tolle eos, qui à te auocant, & amoris, quo in te ferri debeo, impediunt cursum.

CAPVT CXXXI.

Nullum peccati lethalis reum fieri nisi plenè aduertat, occultum Dei beneficium est.

VT in peccatorum tenebris diuinæ bonitatis, ac beneficentiæ lux splendeat, 258
vidimus, sed quia id non vna ratione fit, sunt alia quæ hîc expendantur, vt eò longiùs abeamus à culpa, quò clariùs inter culpas Dei dona perspicimus elucere.

Hoc igitur quod subijcio singulare Dei beneficium est; quòd scilicet nullus lęthalis peccati reus fiat, nisi plenè aduertat. Vix numerari peccata possunt, in quæ homines caderent, vix recenseri mala, quibus obruerentur, nisi hac ratione Deus auertisset illa, euertisset ista.

Innocentia ab hominibus ferè exularet, culpa

pænè omnes obrueret, Deique gratia essent vidui, plures à Cœlo exclusi æternis nunc flammis cruciarentur, nisi Dei misericordia hoc ingenio hisce malis obstitisset, vt nullus læthalis culpæ vinculis adstringatur, si aliqua incogitantia, aut inaduertentia corripiatur, cum illud opus fecit, cui alioquin grauis erat malitiæ fœditas adnexa.

Ab hoc beneficio vatum, vt pauciora peccata fuerint commissa, plura fuerint bona præstita, plures Cælum beatos numeret, pauciores damnatos Infernus habeat. Ab hoc eodem fonte est; vt vitia non adeò altas radices in anima agant, virtutes facilius germinent, & diutius in ea floreant, & plures virtutum actus pullulent. Hinc denique oritur, vt adeò acutis conscientiæ stimulis non pungamur, nec tam facilè in desperationis baratrum decidamus.

Quis ob donum istuc debitas tibi, Deus, gratias soluat! Ego me fateor non posse. Velim tamen in gratiarum actionem vertere quæcumque bona ab hoc bono nata, & quæcumque mala huius beneficij beneficio non sunt admissa.

Da, Amor meus, vt dum me grauis peccati reum esse noluisti, nisi plenè aduerterem, per te nihil committam, nec leue, in quod tu debeas animaduertere.

CAPVT CXXXII.

Neminem lethali culpa teneri nisi plenum consensum prabeat inter occulta Dei beneficia numerandum.

259 Sæpè vt pullulant à beneficijs beneficia! Diceres vnius notitiam facem esse, qua alia, quæ latebant, & ignorantiæ tenebris innolucbantur, clarè cognoscantur. Igitur inter occulta, sed iam manifestata beneficia hoc numero, quod præfixi, nullum scilicet lethali culpa tenari, nullum in peccatum, quod à supera nos Dei gratia excidat, incidere, nisi plenè consentiat.

Vix à peccato immunem esse aliquem reperire, nisi fragilitati nostræ sic Deus consuluisset, vt nullus graui peccato ligetur, nisi perfectum adhibeat consensum. Quot à Dei gratia excidissent, quot hominum opera merito caruissent; quot à Cœlestis regni possessione æternum fuissent exclusi, & æternis cruciatibus addicti, si infinita, Dei bonitas, nostræ infirmitatis miserta, non fecisset, vt ad lethalem culpam incurrendã perfectus in nobis consensus requireretur!

Igitur quòd rariùs peccemus, quòd à Satana, tentationes immittente, non tam frequenter vincamur, quod à Dei gratia non adeò facilè excidamus, quod firmiores in bono stemus, quod bonorum operum cursum non abrumpamus, quod maiori spe in æternam feramur gloriam, debemus huic, quod expendimus, beneficio.

Gratias tibi, Summa Bonitas, ago, & quæcumque bona ab hoc dona sunt nata, aut nascentur in gratiarum actionem diuinæ tuæ Maiestati per singula momenta millies, & infinities offero. Precorque omnes illos, qui per hoc beneficium sunt consequuti, vt tua nunc gloriâ fruantur, aliâ non fruituri, vt pro me tibi gratias agant.

Vis plenè, Amor meus, meis votis respondere, fac vt cum de peccato agitur nec plenè illi consentiam, nec semiplenè.

CAPVT CXXXIII.

Quod nullus tamdiù in peccato perseueret, quamdiù perseueraret, nisi inde singulari Dei gratia reuocaretur, occultum Dei beneficium est.

Hoc etiam diuinæ bonitati debemus, quòd nullus tamdiu in peccatt perseueraret baratro, quamdiu perseueraret, si suæ relinqueretur malitiæ, nec singulari Dei auxilio inde traheretur. Diu quis viueret in peccato, veræ vitæ mortuus: longiori tempore culpæ fuisset vinculo adstrictus, nisi manum suam Deus admouisset, amouendo à peccato peccatorem. 260

Occultum hoc Dei beneficium est, pro quo agendæ sunt Deo gratiæ. Hinc illud Blosij ad hanc mentem aientis: RESVRGENS GRATIAS AGE IPSI DOMINO, *quod in ruinâ* DIVTIVS PERMANERE *non permiserit*. Gratiæ fuit diuinæ, quòd culpæ terminos coarctauerit, moramque illas tulerit, quas nostet torpor, malitia nostia nexuisset.

Eò maius hoc beneficium est, quò maiora sunt ea damna, quæ peccatum affert peccatori, & quò periculosior status est iacentis in culpa, & à supera Dei gratia excisi. Quot bona opera, quibus meritum debetur, aliquis in eo statu præstiterit, in quo est à peccato liber Dei gratia factus; & quot sunt ea mala, quæ vitauit, tot extant in hoc beneficio beneficia.

CAPVT CXXXIV.

Occultum Dei beneficium, quod omnibus beneficijs non priuetur homo post peccatum.

Et beneficijs frui non meretur, qui Deum lædit; hinc igitur Dei bonitas apparet, qui peccatorem supera quidem gratia priuat, quæ cohærere cum lethali culpa non potest, sed plura alia confert illi beneficia, quæ cum sui status infelicitate non pugnant. Rem ita expendebat Porrecta: *Peccatum quantum est, de se, est carentia omnium beneficiorum Dei. Nam peccator etiam per vnum solum peccatum mortale meretur priuari ipso facto omnibus diuinis beneficijs; accepisti etiam pane, quem comedis, tantum ab est vt non mereatur priuari omnibus beneficijs recipiendis. Vides igitur ex peccato quanta sit erga te Bonitas Diuina, qua non tantum non priuauit te peccatorem* HABITIS, *excipio gratiam in anima cum suis comitibus*, SED POSTMODVM MVLTA TIBI SVPERADDIDIT BENEFICIA. Nemo tàm multa, tàm magna peccata committit, vt omnibus Dei beneficijs destituatur; malus licet sit semper aliquibus à Deo cumulatur bonis, vt vel sic ad bonum excitetur, desinat malus esse. 261

Gratias tibi, Summa Bonitas, ago ob beneficium istuc, quod multa in se continet beneficia. Doleo, hoc non expendisse, me pœnitet tuis post lapsum beneficijs admonitum pœnitentiam non statim inijsse, nec de vitæ emendatione statim cogitasse.

CAPVT

CAPVT CXXXV.

Vitam peccatori non fuisse præcisam, cùm à diuina gratia excisus erat, occultum Dei beneficium est.

262 Poterat Deus absque vlla iniustitiæ nota è medio tollere peccatorem, cùm diuinam iram suis peccatis contra se prouocabat: poterat eo tempore diuinę bonitatis reum ex hac vitâ educere, quùm à Dei gratiâ erat alienus, sicque iustè eum æternis flammis addicere.

Poterat, & aliquando in aliquibus præstitit. Quòd igitur in te id non fecerit, singularis beneficij loco haberi abs te debet; & eò maius est, quò maior ac diuturnior est pœna, quæ sequuta, talem puniendi ordinem fuisset.

Quàm magnus damnatorum esset numerus, si Deus eos è medio auferret, qui in eius offensam feruntur; & statim amitterent vitam, qui sponte animæ mortem eligunt! Totsunt hîc Dei beneficia, quot sunt temporis momenta, quibus Deus peccatores ad pœnitentiam non solùm expectat, sed etiam prouocat.

Quis eorum numerum explicet, qui hoc Dei beneficio, æternæ vitæ beneficium sunt indepti; & ad Regnum elati sunt, quia è vitâ non sublati, statim atque aliquid morte dignum prætiterunt?

Tu, Deus, numeras beneficia, quæ hîc delitescunt; etenim solus potes. Nos non possumus: plura sunt quàm vt à nobis possint recenseri. De omnibus tibi gratias agimus, licèt distinctè non omnia cognoscamus.

CAPVT CXXXVI.

Inter occulta Dei beneficia numerandum, quòd hîc quoque peccantes puniat, nec totam pœnam in aliam vitam reijciat.

263 Licèt prima fronte videatur maioris fuisse misericordiæ, si Deus hîc peccatores non puniret, totam pœnam in aliam vitam reijciens: non est tamen, si iustè res pensetur. Nam in primis leuiores hîc pœnæ sunt, & (quod auget beneficium) vtiliores; plagas quippe immittit, vt sanet: punit hîc, quia nollet grauioribus nos supplicijs in aliâ vitâ subijcere.

Præterea pœnæ in aliâ vita nudæ pęnæ sunt, nullum meritum pariunt: in istâ plùs mereri potest, qui plùs patitur, & punitur grauius, si plagas ea mente & animi fortitudine ferat, quâ, vt effesant, ferendæ. Iutè dixit S. Greg. Nazianzenus: SATIVS EST NVNC CASTIGARI, QVAM AD CRVCIATVM ILLVM TRANSMITTI, *quàm iam pœna tempus erit, non purgationis: neque enim est in Inferno confessio, nec morum correctio*. Est in hac vita, & quærit eam Deus, dùm punit. Plagæ ipsæ id exigunt, quæ infernuntur: hoc clamant cruciatus, quibus Deus nos afficit.

Neque hîc vtilitas sistit: ex eo, quòd in hac vita punimur, tacitè monemur, ne iterùm cõmittamus, quæ puniantur: à culpis auocamur, dùm vocamur ad pœnas. Quod igitur quis non in plura, non in grauiora peccata labitur, etiam illis pœnis & plagis est tribuendum, quibus præteritas culpas Deus (vt ita loquar) respicit.

Ex præsentibus etiam pœnis cogitatione ad futuras itur; & firmiùs illis credimus ac vtiliùs, quò certiùs præsentes experimur. A MINORIBVS INCIPIT, inquit subductus Sanctus Pater, *ne asperioribus vti necesse habeat*. Mitioribus monet, vt grauiora supplicia vitemus & æterna.

Agantur igitur Deo gratiæ, quùm nos punit, & culpas nostras iustis, sed leuibus pœnis damnat; vt à mitiori castigatione discamus fugere, quæ nos Dei furori post hanc vitam vindicandos offerunt. Monentem hîc Deum audiamus, ne feueriùs sæuientem in alia vita sentiamus.

CAPVT CXXXVII.

Occultum Dei beneficium, quòd statim malos non puniat.

Potest Deus, & quidem iustè, statim ac quis eius legem violauit, eum punire, & meritis pœnis adijcere. Quod tamen non solet; punitionem quippe differt, nec statim euertit peccatorem. Singulare hoc beneficiũ esse, non est, quòd vocetur in dubium; licèt hominum socordia & inconsideratio in occultorum numerum illud reiecerit. 264

Admissæ culpæ statim pœna debetur; at non solet eam Deus statim inferre, sed differre. Latet hîc quoque ingens diuinæ bonitatis beneficium, hoc enim hoc ingenio facit, vt locus pœnitentiæ detur. Id quòd his verbis notabat Sanctus Leo: DILATIO VINDICTÆ DAT LOCVM POENITENTIAE. Quot æternæ essent damnationi addicti, nisi delinquentium saluti hac industria Deus consuluisset! Punitionem distulit, vt tandem peccatores meliorem mentem haberent, initaque pœnitentia in salutis sinum ferrentur. Multos numerat cœlum ciues, qui Inferni fuissent inquilini, nisi vindictam Deus distulisset. Paulo, Petro, sappatibusque caretet Ecclesia, si statim post peccatum pœnam Deus inferret.

Præterea bonitatem suam, suam misericordiam Deus ostendit, dùm in pœnis inferendis adeò cunctatur. Homines ab hominibus iniurijs affecti, statim, si possent euertere afficientes, vellent. Deus potest, & non vult. Nimirum etiam in ferendis iniurijs talem patientiam indicat, quæ eius bonitati respondeat.

Pœnarum quoque dilatione peccantes ad pœnitentiam inuitat & allicit. *Hic diuini iudicij mos est* (inquit S. Gregorius Nazianzenus, rationem afferens, cur Deus peccatores non statim puniat) *vt vel per pœnitentiam salutem afferat*, VEL IVSTIVS PVNIAT. Excusationis omnis vmbram tollit, dùm, pœnitentiæ locum relinquens, impœnitentes offendit, qui eum offenderant.

Cur igitur non ingens beneficium sit hæc Dei longanimitas, cùm inter titulos, quibus maximè Deus gaudet, sit, longanimis dici? *Longanimis*, inquit Regius Propheta, *& multum misericors*. Et idem Sanctus Gregorius alibi Sanctissimam Trinitatem efferens inclamabat: *O Sancta & adoranda & longanimis Trinitas!* LONGANIMIS ENIM ES, QVAE EOS, A QVIBVS SCINDERIS, TAMDIV TOLERAS. Quòd ad Dei laudem facit, in hominum cedit vtilitatem. Efferri ergo Deus debet, quòd tamdiù peccatores ferat, nec statim ac peccanerint, tollat. 265

Et verò licet non statim Deus peccati reos damnet,

net, & puniat, salutari tamen vitione voluit vti, dum iussit conscientię supplicio torqueri, vt vel sic ad salutem vrgerentur, quod productus Auctor post producta verba notabat dum ait: *Nec tamen dici potest nulla ibi esse vitio, vbi nulla conuersio est, quia mens dura, & ingrata, iam sibi ipsa supplicium est, & in conscientia sua patitur, Qvicqvid boni- tatis dei differtvr. Non ita igitur delinquentes peccata delectent, vt illos in suis actibus vita huius finis inueniat.* Ne serò eos pœniteat, nimis serò pœnituisse. Vindictæ dilationem pœnitentiæ causa non affedatam clamat, qui negligit inire pœnitentiam dum potest.

CAPVT CXXXVIII.

Quòd, dùm peccator gratia restituitur, vita quoque ijs operibus restituatur, quæ mortua ob peccatum iam erant; occultum Dei beneficium est.

266 INter peccati tenebras aliud diuinæ bonitatis elucet beneficium. Peccator & hoc se malo afficit, malum faciens, vt bonis operibus ac meritis, quibus diues erat, cùm Dei esset gratiâ diues, gratiæ mortuus mortem quoque inferat: sicque nullius sint ponderis, nullius virtutis. Quando verò à culpâ resurgit, ac innocentiæ peccator restituitur; & operibus, quæ perierant, vita restituitur.

Poterat Deus iustè nos hoc bono, quo nos priuaueramus, priuatos relinquere: poterat operâ bona, operâ nostrâ, vitâ viduata vitæ minimè restituere. Sed hoc etiam nos beneficio beare voluit, vt scilicet, dum nos Dei gratiæ reuiuisceremus, reuiuiscerent & illa opera, quæ facta erant nostris culpis cadauerosa.

Pende hìc diuinæ beneficentiæ magnitudinem. Cùm quis ad Deum redit, redeunt ad illum merita, quæ peccando perdiderat; cùm verò quis relabitur, non reuiuiscunt demerita, quibus se illis peccatis subiecerat, quæ ante hæc postrema commiserat; vt à discrimine discas, quàm teneriùs (sic loquar) tangatur Deus ijs, quæ benignitatem tangunt, quàm quæ seueritatem redolent.

Nimirùm diuinæ misericordiæ thesauri etiam in peccatis ipsis apparent. Quot meritis pauperes essent homines, nisi tanta benignitate Deus nobiscum ageret, vt nobis innocentiæ redditis, vitæ redderentur & ea, quæ diuina gratia adiuti priùs præstiteramus!

Tot igitur sunt in hoc beneficio beneficia, quot sunt opera bona, quæ pœnitentia reuiuiscunt, & cum peccatore resurgente resurgunt: quis propterea non referat Deo gratias, hac gratia donatus?

CAPVT CXXXIX.

Animæ ariditas ac desolatio, occultum Dei beneficium est.

267 ETiam inter mentis nostræ ariditates siccitatésque diuinæ misericordiæ fontes excurrunt: adeò vt, quò maiori nos siccitate laboramus, eò studiosiùs animam Deus elaboret, vt diuinæ gratiæ gratia vberiùs reddatur capacior. Singulare porrò hoc Dei beneficium esse, illud abundè euincerent per has siccitates ab eo homines duci, quos ad magna vocat, quos habet charissimos, quos maximis donis bear, & est beaturus.

Sed expendamus bona, quæ ariditas ista inuehit in animas, quas corripit. In primis à superbiæ insultu mentem tuetur, humilitatis eam aggere munit, ad imbecillitatis propriæ notitiam nos vocat; vt vix sibi tribuere homo illud possit, quod in Dei obsequium agit, si ariditate prematur.

Istâ mentis siccitate, amotis proprij aliarumq; passionum viror siccatur, qui alia re non arceretur; virtutesque ipsæ in istis ariditatibus pullulant, & firmiùs adolescunt, quæ in deuotionis pinguedine nimis auidè quæsita aliquando flaccescunt.

Deinde hoc quoque immissæ à Deo ariditati bonum debemus, vt per illam veræ à non veris virtutibus discriminentur. Virtutum aliquis larua deceptus, decipiebat & cæteros: ariditate corripiatur, ac statim quis ex vero sit ostenditur, vt verarum virtutum viæ incipiat insiste e, dummodò verus sit earum cultor & amator. 268

Non hîc figit ariditas ista radices: vlteriùs porrigitur. Opera ipsa, quæ ariditate laborans præstat, maioris meriti succo plena sunt: videlicet aliter, ac in plantis & arboribus soleat contingere, contingit: illis siccitas est noxia, vt pullulare, ac fructus nequeant parturire, aut certè non adeò suaues & plenos succi. Contrà hîc fit: opera ab eo præstita, qui hac mentis siccitate corripitur, gratiora Deo sunt, sunt perfectiora.

Nemo igitur excrucietur, nemo in querulas erumpat voces, cùm spirituali pinguedine se videt expertem; damnet ac tollat causam, si aliquam in se habet; sed interim diuinæ prouidentiæ leges adoret ac veneretur; vt nihil velit, nisi quod Deus vult. Hæc vera spiritûs pinguedo est, quæ maximè inter spiritûs ariditates augetur, & firmatur. Se infra se demittat, qui siccitate laborat: dimittat quicquid Deo displicet, & plus, quàm mereatur, dulcedinis immitti sibi à Deo redat; tuncque incipiet verè possidere illud, quo se putat destitutum. Aridus dici non potest, qui fonti ipsi accedit; nec accedit solùm, sed immergitur in illo, vt non extra illum mergatur.

CAPVT CXXXX.

Alicui passioni, & imperfectioni obnoxium esse, inter occulta Dei beneficia numerandum.

NOn virtutes tantùm Dei beneficia sunt; sunt & passiones & imperfectiones, quibus aliquis est obnoxius. Ratio est, quia istæ quoque nobis seruire possunt tanquam medium, quo Deo meliùs seruiamus, maiori scilicet humilitate, maiori feruore, maiori solicitudine, & affectu, vt quia inter beneficia poni hoc non solet, inter occulta à nobis recenseatur. 269

Sed rem penitiùs excutiamus. Multi extitere, qui alicui passioni obnoxij humiliores vixere, securiúsque per spiritalis vitæ viam ambularunt; & maiori perfectione, perfectionis studio se totos dederunt; quia se alicui imperfectioni deditos viderunt.

Hinc fit, vt ferè etiam in magnis Dei seruis næuus alicuius passionis apparere soleat, quo velut

ſut quodam velamine inſignes virtutes operiant, quibus inſigniuntur, ne in ſuperbiam efferantur; vt in humilitate ſe virtutéſque cuſtodiant, imperfectiores facilè futuri, ſine leui illa imperfectione. Peritè Climacus gradu XXXI. vbi hæc in hanc rem habet: *Sunt apud ſpirituales viros quadam plerumq; viliſſima vitia mira Dei diſpenſatione in eis relicta, vt per vitia illa quæ ſine peccato ſunt, ſeipſos ſemper valde accuſantes* HVMILITATIS OPES INVIOLABILES ACQVIRANT. Ab imperfectione etiam, qua obſidentur, diſcunt cæteros non contemnere, ſe cæteris non pręferre, alijs cōpati, alijs miſereri.

270 Pręptereà paſſio illa, illa imperfectio, vberem mortificationis materiam Dei ſeruis exhibet: pugnę illis occaſionem prębet, torporem, ac otium ab ipſis excutit.

Paſſiones hoc quoque boni pręſtant, vt virtutes contrarias reddant ſplendidiores: quin virtutes ipſæ, virtutem (vt ita dicam) acquirunt, cùm paſſionem aliquam contrariam habent, quę dum impugnatur, & expugnatur, ſolidiores reddit virtutes.

Sępè paſſio & imperfectio, cui aliquis ſubiacet, nec ad leue quidem peccatum pertingit; & ſępe tamen nos à peccatis etiam grauibus ſubducit.

Magnis Dei donis ſępè aliqui priuarentur ob inanem gloriam, qua iactarentur, niſi veluti quodam fręno cohiberentur à paſſione aliqua, ab aliqua, qua corripiuntur, imperfectione.

271 Ab his imperfectionibus, quibus ſubiacent etiam inſignes Dei ſerui, aliud quoque bonum Dei bonitas colligit: vt ſcilicet imperfecti prorſus animo non cadant, neque omninò deſperent, ſe perfectionem eſſe aſſequuturos. Facilè in deſperationem ruerent, ſuas imperfectiones cogitantes, niſi aliquibus viderent preſſos & bonos. Animos igitur ſumunt ab aliena imperfectione, & faciliùs perfectionis ineunt viam, quia & perfectos vident non omninò immunes ab omni imperfectione.

Denique imperfectione ad perfectionem vtitur, qui patienter fert, aliqua ſe imperfectione, paſſione aliqua iactari: cùmque ſciant viri ſancti, hoc à Deo iuſtiſſimè permitti, & in Dei ipſius gloriam, & in illorum vtilitatem, demittunt ſe, nec ęquo iuſtiùs cruciantur. Sępiſſimè tamen maior imperfectio eſt, ob imperfectionem aliquam affligi ac turbari, quàm ſit imperfectio ipſa, ob quam aliquis affligitur, & cruciatur.

CAPVT CXLI.

Conſcientiæ ſcrupulis angi, inter occulta Dei beneficia habendum eſt.

272 SCrupulos ipſos, quibus conſcientia angitur, inter Dei beneficia referre, nullus mihi ſcrupulus eſt, nulla religio: potiùs mihi eſſet, illos non referre. Qua parte à Deo ſunt, inter Dei beneficia cenſeri debent: ſed nihilominus rem minutiùs excuneemus.

Summam Deus ſapientiam ſuam hìc oſtendit, qui & medijs, quæ primo intuitu à noſtra ſalute videntur aliena, noſtram ſalutem procurat. Scrupulis inquietari mentes permittit, vt veram quietem in mentibus parturiat: tormentorum ſcrupulis animas ſolicitat, vt meritis cumulet, & cumulet tandem pręmio merita.

Conſcientię mordentis munera, ac cōmoda egregiè expendit S. Chryſoſtomus, cuius verba produco, & licet ſicut pluſcula nihil abſcido, ne aliquid pereat. *Eam ob rem benignus Dominus principio cum formaret hominem,* CONSCIENTIAM ILLI INDIDIT ACCVSATRICEM PERPETVAM *quæ decipi, & deceptionem ferre poſſet nunquam, & licet quis admiſſo peccato, perpetratoq; aliquo facinore illicito omnes homines celet, illam tamen accuſatricem non poterit latere: nam hanc intrinſecus habentes, vbicunq; ſumus circumferimus, ipſa nos circumit, obturbat, laniat, flagellat, nunquam quieſcit: ſed & domi, & in foro, & in templis, & in menſa, & dormientem, & ſurgentem adoritur, rationem delictorum exigit, obq; oculos proponit, & delictorum grauitatem, & ſubſecuturam pœnam, & quaſi medicus optimus non ceſſat ſua medicamenta apponere: & ſi ſemel depellatur, neque ſic deſiſtit, ſed continuam curam gerit. Hoc enim conſcientiæ opus eſt, vt iugiter memoriam ingerat, nec permittat vnquam in factorum obliuionem nos venire. Sed ob oculos proponat, vti vel hac ratione nos tardiores faciat, ne in eadem peccata prolabamur. Porrò ſi cum hinc tantum nobis eſt ſubſidij, & tantum adiutorij, & aſſidet nobis tam importuna accuſatrix, quę noſtram mentem flagellet, & cor lancinet, & quouis carnifice grauius apprehendat, plerique neque ſic peccata vincimus: ſi hoc deſtitueremur ſubſidio, quò non tunc ſtatim excideremus?* I & conſcientiæ cruciatus à beneficiorum ſenſu ſubmoue, ſi potes.

Si in hac vita incruentum martyrium dari poteſt, hoc profectò eſt, quod eſt à ſcrupulorum tormentis; vt Martyr cenſeri poſſit, qui forti animo, ac vt diuinæ voluntati obſequatur, ſcrupulos fert. 273

Scrupuli, ſtimuli quidam ſunt, quibus animæ excitantur, ne in Dei obſequio dormiant. Socordiæ ſomno plerique corriperentur, niſi ſcrupulis angerentur. Vt ſecuri per viam ſalutis incedant, reddit plerumque ſuos Deus anxios atque ſolicitos.

Scrupulis acti Dei offenſam maximè timent; & dum timent, timenda non committunt: à peccato eò longiùs abeunt, quò ſe illi proximiores putant.

Poſtremò nutriendæ humilitati, euertendæque ſuperbiæ, maximè idonei ſcrupuli ſunt, vt efferri vix queat, qui illos fert; nequeat non demitti ille, cuius menti immittuntur.

CAPVT CXLII.

Concupiſcentiæ ſtimulis, ſenſuſq; pugnis etiam poſt Baptiſmum peti, occultum Dei beneficium eſt.

POterat Dei prouidentia Baptiſmalibus aquis hanc vim tribuere, vt non peccata 274
tantùm abluerent, ſed & concupiſcentiæ fomitem tollerent; carnémque ita rationi ſubditam redderent, vt non auderet arma contra illam ſumere, animæque imperio ſe opponere. Non fecit hoc tamen, vt occulto nos donaret beneficio, dum manifeſto nos malo videtur afficere, manifeſtâ pœnâ punire.

Occultum iſtuc beneficium eſt. Satis rei firmandæ ſit, ita Dei ſapientiam decreuiſſe: non potuit non eſſe bonum, quod ab ipſo bonitatis fonte fuit.

te fuit. Beneficij charactere non caret, quod à benefica Dei prouidentia est, quæ tota in hoc esse videtur, vt omnia in hominis commodum flectat, etiam illa, quæ primo adspectu alienissima videbantur.

Sed alijs non caret hæc assertio argumentis: alijs quoque rationibus munitur. Aliquas dabimus, quibus dubitantis mens fulciatur. In primis hac sensûs & rationis contrarietate, huiusmodi concupiscentiæ fomite, ita pugnæ præbetur occasio, vt & victoriæ præbeatur. Otio torperet, in negligentiæ sinu dormiret, nisi hostium insultu homo ad pugnam excitaretur. Quot coronis esset viduus, si hac careret pugnâ, & pugnandi necessitate! Quàm illustris victoria ista est, quam homo de se ipso consequitur, qua carnem suam spiritui subdit, qua repugnantem sensum rationis freno ducit ac regit!

275 Hîc virtutes ipsæ acquirunt virtutem: nobiliores inter has pugnas euadunt ipsarum actus; operáque bona, meliora fiunt & maioris meriti digna. Quod enim maiori difficultate fit, maiori fit merito, cùm fit, si cetera sint paria.

Rebellis est caro; sed prodest, dum conatur obesse. Hominem intra humilitatis limites tenet, subducit à superbiæ præcipitijs: ne post victorias vincatur, post victorias carnis insultus patitur, repugnantem spiritui sensum sentit: monetur ne se nimis efferat, ne victoria cadat, qui vicit.

Vtilis demum est carnis rebellio, quæ multam merendi materiam præbet; vt idcirco illam noluerit Deus tollere, ne nos ista priuaret. Peritè ille, & verè: *Copiosior fuit Christi redemptio, quàm præuaricationis damnum*; ET TAMEN NOLVIT CHRISTVS CARNIS MOLESTIAS AVFERRE, AFFECTVVMQVE REBELLIONEM PENITVS TOLLERE, NE MATERIAM MERENDI COMPENDIOSAM PRÆDESTINATIS SVIS SVBTRAHERET, *vt illos citius Redemptor præsentaret ante faciem Patris, æquis, aut maioribus meritis, ac per multa alioquin secula acquirerentur.* Sicque in breuissima vita per hanc rebellionem eò Sancti perueniunt, quò vix peruenissent per multa secula, si immortales, & impassibiles homines fuissent.

CAPVT CXLIII.

Carnis infirmitas, debilitasque occultum Dei beneficium est.

276 IPsa quoque carnis infirmitas, quę alioquin tam noxia, nobisque aduersa videtur, si iuxta diuinę prouidentię regulas spectetur, occultum Dei beneficium est.

In primis, quò infirmior caro est, eò aptior esse potest, vt maiorem Deo gloriam demus. Specta Martyres, specta iustos, carnis suę hostes: quot per fragilitatem hanc triumphos fuere consecuti! eò videlicet fortiores animos potuerunt ostendere, quò minùs in illis fortis caro: carnis imbecillitas mentis strenuitatem, ac fortitudinē indicat.

Hac infirmitate carnis, pondus acquirunt ieiunia, vigilię maiori luce perfunduntur, pœnitentię actus gratiores fiunt, nobiliora mortificationis exercitia redduntur, pugnę & victorię illustriores euadunt. Hæc debilitas nos cautos reddit inter discrimina, in tentationibus vigilantiores; & quò maior est, eò magis ad Deū nos vrget, cuius auxilio maximè indigemus; quia maximè imbecilles.

Quid? huic infirmitati hoc etiam debemus, vt 277
minor sit culpa, quam incurrimus, ac alioquin esset, si fortior existeret; & faciliorem ad veniam Dei bonitatem reperiat, quò facilior ipsa ad malum: nimirùm, quò debilior est caro, hoc fortiùs diuinam flectit benignitatem.

Dei Filius carni nostræ, quam induerat, fortitudinem poterat affricare, & ab eâ auferre omnem imbecillitatem: sed aliter statuit, ne scilicet copiosam nobis meritorum materiam subtraheret. Fortis imbecillitas ista est, quæ ad maiorem triumphum ducit, maiorem gloriam parturit.

Lubens, Deus meus, qui purissimus es Spiritus, carnis meę imbecillitatem feram, dummodo me non ferat ad culpam. Eousque imbecillitas ista placet, quousque facit, vt nihil faciam, quod tibi displiceat. Incipit displicere, quum eò me ducit, quod Tibi non placet.

CAPVT CXLIV.

Tentationibus varijs peti, occultum Dei beneficium est.

IN tentationibus quoque, quibus nos Deus e- 278
xercet, excitàtque torporem nostrum, beneficium latet; vt iure dixerit Sanctus Augustinus: *Non nobis expedit sine tentationibus esse.* Graui tentatione teneretur, qui aliter sentiret. Tunc maximè se nostri curam gerere Deus ostendit, cum varijs nos tentationibus exercet. Præiuit Sanctus Chrysostomus, dum ait: *Si* TENTATIONES *nobis inferantur hoc maximum sit nobis indicium,* QVOD DEVS NOSTRI CVRAM GERIT.

Tentationibus petimur, ne socordiæ indormiamus, noxiòque torpore sepulti, vitam haud vitalem agamus. Tentationes nos cautos reddunt: clamans, ne dum extra pericula nos esse credimus, ruamus in præcipitia. Inimica illa securitas est, quâ quis inter discrimina se putat securum, & tutum inter hostes, & hostium fraudes.

Cùm etiam charissimos amicos suos Deus ten- 279
tationibus exerceat, nefas est ambigere, singulare hoc esse beneficium. Quis explicet, quantum gloriæ adepti sint Dei amici, qui æquo & forti animo tentationes sustinuere?

Tentationibus nos Deus exercet, sed leuiores solet immittere, vt à grauioribus liberet, & ab aliquibus eximit, vt alias admittat, quas nobis salubriores videt futuras. Opportunè S. Bernardus *Quæ in re consideranda est nobis tam benigna erga nos diuina pietatis dispensatio, vt quibusdam nos tentationibus patiatur diutius occupari,* NE FORTE PERICVLOSIORES OCCVRRANT: *ab aliquibus verò citius liberet, vt possimus in alijs quas nobis vtiliores fore prouidet, exerceri.*

Probatur tentationibus virtus, & plerumque falsitatis laruam habere reperitur, quæ extra tentationes vera credebatur. Humiles eos facit tentatio, quos afficit; &, dum inter discrimina esse nos docet, docet nos discriminibus euadere superiores. Rectè ille: TENTATIO EST CAVSA TVÆ HVMILITATIS. *Multos, vt humiles essent, permisit Deus labi in grauissima peccata: tecum magis misericorditer se habet, permittens solum quòd tenteris.*

Hoc etiam boni præstant tentationes, vt scili- 280
cet compassione in omnes feramur. Facilè alijs compatitur, qui patitur: qui tentationes ferre non didicit, nescit ferre sustinentes illas.

Tan-

Tandem culpæ tentationibus redduntur leuiores, maiores, cæteris paribus, futuræ, si sine tentationibus essemus. Nimirùm à peccatis magnâ ex parte pondus tollit tentationis ipsius pondus.

Cùm tot bona tentationes afferant, ferendæ forti animo sunt. Pulchrè Ioannes Eusebius: *Ne molestè feras tentatione vexari; nam ibi est officina meritorum*, vt sit magna tentatio à tentationibus abhorrere.

CAPVT CXLV.

Nullam in vllo statu securitatem esse inter occulta Dei beneficia numerandum.

281 MEnte locum omnem adi; statum omnem cogita; & nullibi securitatem sedem suam fixisse videbis. Intuta omnia sunt. Ibi quoq; fœdissimè aliquos esse lapsos scimus, quò se receperant, ne laberentur. Loca omnia lustra, etiam illa, quæ sanctitati ac perfectioni sunt destinata, & in ijs à sanctitate abijsse, & ex innocentiæ suggestu recidisse plurimos reperies. Cur nullus in terra securum locum extare Deus voluit? Ne alicubi se homo securum putet, vt vbiq; solicitior, ac vigilantior esset, nullibi torpori ac segnitiei indormiret, sicq; minus laberetur, quò clarius cognosceret se posse labi, caderet rarius, quo se casui proximiorem in omni loco videret, sicq; tutus inciperet esse, quia se in nullo loco tutum sciret.

282 Tunc incipit homo securus esse, cum securum se minime esse cogitat, extra securitatem est, cum se putat securum. Rem ex eo, quod sancto Petro accidit, cum ferretur super aquas sic probè notæ auctor probabat. *Bis legitur Diuus Petrus super aquas ambulasse, semel vestimentis excussus, & semel amictus. Quando creditis eum mergi cœpisse? Quando nudus incessit. Mirum mergi debuisse videtur, cùm vestitus ambulauit; & tamen nudus penè submersus est: quia, nimirum, Q*VO MINVS SECVROS NOS REDDIMVS, EO SECVRIORES CVM DEO SVMVS; ET QVO MAGIS NOS SECVROS FACIMVS, MINVS SECVRI SVMVS. *Amat scilicet, confidentiam, quam eò magis de Deo habemus, quò magis de nobis diffidimus.* Quo igitur minorem securitatem reperire in creatis rebus possumus, eò maiori fiducia currere debemus ad Deum, in quo solo vera solidaq; securitas est, & extra quem intuta securitas omnis est.

CAPVT CXLVI.

Dæmonis ipsius malitia, quæ in hominis exitium armatur, occultum Dei beneficium est.

283 BOnis omnia conuertuntur in bonum. Dæmonis ipsius malitia, qui totus in nostra damna armatur, totus in nostri perditionem ruit, si ritè contra illum pugnemus, multorum bonorum nobis est non occasio tantùm, sed & causa; vt inter occulta Dei beneficia locari, & possit & debeat Dæmonis in nostri exitium armata sæuitia.

Poterat Christus post diabolum deuictum, eum in abyssum relegare, &, quem vicerat, ita vincire, vt in nos ampliùs non posset sæuire. Poterat; secus tamen illi visum, ne hoc mortales bono, quod in malitiæ authore latet, carerent. Exercet nos, & ad victoriam parat, dum nos suis artibus aggreditur. Hinc S. Thomas quærens, cur diabolus in abyssum actus à Christo non sit, ait id factum, *vt nobiscum pugnando N*OS PERITIORES EFFICIAT. Sicque pro nobis esset, quia esset contra nos. Docet homines pugnare, quis cogit ad pugnam; victoresque constituit, quia pugnatores. Quàm in spirituali militia essemus imperiti, si hoc hoste careremus!

Sancti per hunc hostē eò gloriosiores euaserunt, nobilioresque victorias consequuti, insigniori sunt coronâ donati, quò Satanicum hostem sæuiorem sunt experti. Difficiliorem virtutis viam reddit; sed hoc ipso maioris meriti digna opera nostra redduntur. Præclarè auctor ab aureo ore, 284
qui rem Iobi exemplo firmat, dum ait: *Quamobrem Deus diabolū hîc reliquit hoc pacto ipsi responde: quia vigilantibus ille, & circumspectis non solum non obest,* SED ETIAM PRODEST. *Non certè propter animi illius institutum, & sententiam, quæ omnino praua, & peruersa est: sed ob bonorum fortitudinem, quia aliorum improbitatem etiam ita vti decet, ad suam vtilitatem conferunt: Siquidem, & cùm Iobo conflixit, non ideò quidem vt ipsum clariorem, & illustriorem redderet: sed vt ipsum supplantaret; quare paruus ille est, ex eiusmodi sententia, & instituto animi: neq; tamen iusto illi viro obfuit: Sed potius ille multum boni, & vtilitatis ex hoc conflictu retulit.* Pugnantem Iobum imitare, vt hostem tuum euertas & gloriosiorem à pugna abeas, illustriori corona doneris.

Virtutes pulchritudinem nitoremque acquirunt, quia Satanici hostis lima perpoliuntur, qui vitij omnis artifex est. Iobi virtus similiùmque nitet eò magis, quò sæuior in eum fuit ille, qui nocere tantùm didicit.

Præterea Dæmonis malitia ita nos exercet, vt semper nos excitet, nec sinat noxio torpore corripi. Pulchrè Sanctus Chrysostomus: *Diabolus nostrum magis S*OMNVM EXCVTIT, ATQVE EXCITAT. Cogit vigilantes esse, dum ille, vt nos tentet, semper vigilat.

Vt velit inferre mala Dæmon, quia malus, mala tamen inferre non potest ab ea parte, qua potest, bona quippe esse incipiunt; cum illud ab illius malitia, hoc à Dei bonitate sit; *sciendum est*, inquit Sanctus Gregorius, *quia satanæ voluntas semper iniqua est, sed N*VNQVAM POTESTAS INIVSTA: iniusta non est, quæ à iustitiæ est fonte; mala quæ à malo in bonum conuertuntur, si melior fiat, qui illis impetitur. 285

Ex alio quoque capite vtile nobis Dæmonis exemplum est: à superbia tacitè nos reuocat, superbæ mentis pœna. Quis non se intra se cogat, quis non se demittat, cùm videat Angelum in Dæmonem commutatum vna sola cogitatione, quæ iuxta diuinæ rectitudinis regulas non fuit?

Denique magno nos beneficio Deus cumulauit, dum ita sæuire in nos Dæmonem permisit, vt latrare tantùm possit, mordere nisi volentem non valeat. Cohibuit eius contra nos vires; vt nihil contra nos efficeret, nisi quod illi à Deo permissum. Imbecillis euadet, si incidat in fortem: fortis efficitur, si petat imbecillem.

Satanico hoste potes ad bonum vti, si bonus fias, & acriùs in vitia sæuias, quò sæuit ille in te acriùs.

CAPVT CXLVII.

Præsentis vitæ breuitas, occultum Dei beneficium est.

286 BReuis vita est, quam agimus; adeò breuis est, vt esse non videatur, nec vita debeat nominari. Non latè porrigitur, sed commoda fert, quæ in aliam quoque vitam porriguntur; sicque inter occulta Dei beneficia, vitæ etiam breuitatem par est numerari.

In primis breuitas vitæ nos à vitæ huius amore valdè prolixè auocat, vocatque nos ad illius amorem, quæ adeò diuturna est, vt semper sit. Quid vitæ hæreamus, quæ vix vita est? Quis vitam illam amet, quę quò magis amatur, maiora damna affert, & diutiùs est duratura? Breuis hæc vita clamat, amandam illam, quæ erit æterna.

Hoc boni hæc vitę breuitas habet, vt leuiores ærumnas reddat necnon tribulationes, quibus homo subiacet; fortioresque nos reddat ad vitę huius mala ferenda. Asperitates minùs asperas facit, mitiora ieiunia, & dura quæque faciliora. Quàm difficiliores homines essent præsentis vitę ęrumnis incommodisque ferendis, si pœnarum multiplicitati diuturnitas quoque adiungeretur?

287 Breuis hęc vita sit; sed hęc breuitas sanctitati non officit, innocentię non prędicat. In sanctitate non annorum habetur ratio, sed meritorum. Nunc hominum vita breuior est, quàm fuerit priscis sęculis; nec tamen minor sanctitas est, non perfectio minor: & plerique Sanctorum paucis vixere annis, & nihilominùs eò sanctitatis deuenêre, quò alij pluribus non peruenerunt. Citò acquiri sanctitas potest, cuius fructus ęternus erit.

Vitę istius breuitas nos ad bona opera pręstanda vrget: multum nobis temporis periret, si diuturniori vita donaremur.

Demum sua breuitate hęc vita clamat, ne in mundo radices figamus. Ægriùs hinc abiremus, si diutiùs hîc ageremus. Plures vitę anni, viuendi desiderium non explent, sed augent; plus viuere volunt, qui plus vixere.

CAPVT CXLVIII.

Quò morti viciniùs corpus est, eò minores contra spiritum vires habet, idque inter occulta Dei beneficia locandum.

288 A Beneficijs ad beneficia imus, & ab occultis ad occulta: vix vnum elatebrauimus, cùm alterius inuestigatio est ineunda. A diuina prouidentia est, quòd corpus eò fit debilius, quò propiùs morti appropinquat; minusque ad delicias corporis feratur, quò celeriùs fertur ad sepulcrum. Ita ferè accidit, vt sanguis, qui in iuuentute ebullit, in senectute subsidat, nec adeò contra spiritum caro sęuiat.

Desunt corpori vires, vt vires spiritus acquirat; membrorum ipsa debilitas nos ad fabricę ruinam cogitandam vocat; & sanguinis frigiditas ad mentis nos ardorem inuitat, & (quod magis est) etiam aliquo pacto disponit.

289 Dolores, quibus obnoxia senectus est, morbique efficiunt, vt minori dolore afficiamur morituri. Paulatim ad mortem disponitur mens, dùm in corporis debilitate ad mortis cogitationem trahitur. Benè bonus ille author: *Agnosco* BENEFICIVM *naturæ* (melius dixisset Dei) ABCENTIS SENIO VOLVPTATES, *vt somor viuaciorque animus morti insstitueretur, doloresque dum auocat, faciliùs mortem oppeteremus*; ac si corporis debilitas spiritui firmitatem inhalaret, & corporis infirmitas robur affricaret menti.

Quàm ægrè quis à vitâ discederet, nisi hunc discessum præirent morbi doloresque, & ætas ipsa debilis & infirma! Quot vitæ huius delicijs prorsus illigati essent, vitæ vinculum soluturi, nisi corporis infirmitatibus tunc maximè obsiderentur, cùm hinc eundum est!

Singulare igitur hoc diuinæ prouidentiæ est beneficium; quæ eò securiorem nobis transitum ad alteram vitam parauit, quò infirmius corpus reddidit abitioni vicinius. Nimirum aliter ac in cęteris fabricis accidit: quò debiliùs hîc est fundamentum, eò erectior & firmior fabrica est futura.

CAPVT CXLIX.

Mors, occultum Dei beneficium est.

VEre dictum, Dei beneficentiam opinio- 290
nem nostram vincere; malam vocant homines mortem, quæ ingens beneficium est. Horribile malum, censent aliqui mori, quod est adeò magnum bonum, vt sine eo ire ad omne bonum, ad summum bonum nequeamus. In morte beneficia latent? mors ipsa beneficium est. Et cur non sit, cùm sit vitæ veræ ianua, & cùm per ipsam eatur ad Christum, æternæque beatitudini nos sistat? Renuit ad Christum ire, qui mortem horret, quæ ad illum ducit.

Fuit qui *Diuinæ misericordiæ inuentum* mortem dixit, tàm specioso titulo omnem mali notam ab ea abradens; parum est titulo hoc illam exornasse, & illius in illa meritum explicuit. Digna sunt, quæ in omnium mentibus viuant, quę in mortis laudem ac cōmendationē produxit nobilis auctor Ioannes Eusebius, inter alia hæc offert: MAGNVM INVENTVM ETIAM MISERICORDIAE DEI EST MORS: *Nam aufert omnes nostra vitæ ærumnas; tollit æternitatem miseriarum. Quam miserabile esset, si æternum has necessitates haberemus surgendi quotidie, accumbendi, manducandi, tolerandi frigus & calorem, laborandi, ægrotandi, quærendi victum, angendi nos curis, patiendi iniurias, occupandi nos semper in muniis vilibus & laboriosis? Quam miserum esset; si hic baiulus, alter agricola, ille faber, iste subditus per totam æternitatem foret? Plerique pessimi desiderarunt & cōsciuerunt sibi mortem, vt effugerent miserias istas: saltem non formidetur, vt veniamus ad felicitatem futuram, & ob vtrumque non molestè feratur. Clementissima indulgentia Dei postquam vidit per peccatum Adami casuros nos in hanc molestam vitam, excogitauit pro bono nostro consilium moriendi, ne perpetua calamitates forent, copulans in eadem re supplicium & beneficium, iustitiam & misericordiam. Ideò quia tantum bonum est mori, proprium & securum beneficium bonitatis suæ, voluit esse independenter ab vllo arbitrio humano aut inimici odio. Nam quamuis vitam quiuis possit tibi auferre, nemo, nec omnis violentia Regum auferet tibi mortem. Hoc proprium est ve-*

rum

rum optimarum, esse extra humanam potentiam, nec alieno arbitrio posse eripi. Si in vno periculo & labore quis esset, gauderet, si inueniret modum euadendi illum; cur dolemus & timemus mortem, quæ ianua est, qua effugimus omnia pericula & labores vitæ. Pro gloria mundana plures appetierunt mortem: pro gloria cælesti ne timeamus. Pluscula fuerint, religio fuit elidere aliquid, aliqoid præterire.

291 Hoc etiam nos bono mors afficit, quòd à bonorū huius vitæ amore nos auocat & eximit. Nullus est, qui non amaret impensiùs terreoa, si à terrenorum amore sola mortis cogitatione non abstraheretur. Proh! quàm auidè immoreremur petituris, nisi sorem velleret mors, & auelleret mentem à petituris! Nemo est, qui hoc morti non debeat, quòd minùs erga terrena afficiatur, quàm afficeretur sine mortis ope.

Bona est mors, & optimus eoadit, qui imitatur mortem, antequam illam obeat. Præstat ea præstate ob mortem, quæ in nos præstatur a est mors; vt scilicet nos rebus omnibus spoliemus. Pulchrè Ioannes Eusebius: *Mors*, inquit, *non est mala in se, sed potiùs bona:* ET NOS ESSEMVS OPTIMI, SI ILLAM IMITAREMVR; *& faceremus quod illa facit spoliando nos rebus omnibus: ita si nihil gratum & iucundum in mundo haberemus, ipsa esset iucunda nobis & placida.* Displicet illis, quibus mundus placet, placent mundana.

292 Non hîc sistit vtilitas, qua oos cumulat mors: vlteriùs pergit: efficit, vt rariùs in peccata labamor, quàm absque mortis metu laberemur. Quis explicet, à quot peccatis homines mors subduxerit & reuocauerit! Vix aliquis est qoi ab aliqoibus culpis non abstinuerit, mortis metu velut quodam fræno cohibitus. Homines igitur peiores non esse, quàm alioquin essent futuri, etiam morti debent.

Metu mortis rariùs homines peccant & leuiùs: non tanto impetu in pœnitenda feruntur: tenet eos mors, quæ teneri non potest: grauiora essent hominum scelera, nisi mors malitiæ pondus impediret.

Insuper hæc facit, vt citiùs homines post lapsum à lapsu resurgant. Explicari non potest, quàm Stentorea sit mortis vox, qua mortales tacitè monentur, vt ad se redeant.

Bonum aliud claudit mors: vt maximi sit meriti ferax, si æquo animo feratur. Necessaria mors est; sed, si spontè excipiatur, fit voluntaria, & magni fructus radix. Præclarè Beatus Laurentius Iustinianus: *Offerendum est pro munere, quod Deo tenemur reddere,* VT FIAT VOLVNTARIVM, QVOD FVTVRVM EST NECESSARIVM. Sed hoc etiam munus est: posse pro munere offerre, quod soluendum necessariò est.

293 Denique tàm vtilis nobis est mors, vt expirantis habitu nos viuere Deus voluerit, mortem obituri imaginem quandam perpetuò referentes, quò vitales ab hoc spiritu auras acciperemus; & morientis specie viuentes, vitæ fructum afferremus mortis cogitatione.

Itaque mortis in nobis beneficium non debet mori: mors arit ad vitam, si cognoscatur tanquam beneficium, & nos ad agendum Deo gratias excitet extimuletque. Lubet cum pio illo authore Deum alloqoi: *Gratias tibi age, benignissime Domine,* PRO HOC MORTIS BENEFICIO, *sicut tua sapientia disposuit. Bonum mihi solatium est certitudo mortis, quòd sit secura ianua, vt te videam, & effugiam huius vitæ miserias, & despiciam fallacia hæc bona.* Proh! quàm nos efferet mors, si ad vitales hos sensus ducat!

CAPVT CL.

Incerta mortis hora, incertus locus, & modus, occultum Dei beneficium est.

CErta est mors, vt certiùs nihil sit. Noluit dubiam Deus esse; vt certi à morte certa fructus prouenirent. 294 Certa est mors, sed mortis tempus incertum, & incerta hora, & locus incertus ac modus. Cùm à diuina hoc sit prouidentia inter occulta Dei beneficia debet recenseri.

Nemo ex lege ordinaria scit, quo sit die, quâ horâ, quo modo moriturus. Nimirùm, omni die omni hora morti se paret, qui mortis diem ignorat, ignorat horam: adeò vt, cùm nescitur, quo tempore, quomodo sit ventura, expectetur omni tempore, omni loco.

Aliquis putare posset, salutare homini esse sui obitus diem prænoscere: sic enim ad illum se pararet, & contra illius discrimina præmuniret. Aliter tamen sentieodum est; quia aliter visum Deo, qui salutis nostræ cupidissimus est. Præcognitio ista torpentes nos redderet, in peccata fręna laxaret, & pęnitentiæ terminos contraheret. Præclarè Sanctus Athanasius: nam, cum dixisset: *Multi opinantur prodesse homini prænosse diem obitus sui.* Statim adijcit, aliter putandum esse. Præstat hic sistere eius verba, etenim rei probandæ aptissima sunt. *Si Deus* (inquit) *omnia, vt prodesset, fecit; certè neque hoc nobis inconsideratè occultauit.* SI ENIM PRAESCIVISSET HOMO DIEM OBITVS SVI, TOTAM VITAM SVAM SINE TIMORE IN PECCATIS PEREGISSET, *& solùm ante duos vel tres dies ante mortem suam dedisset se ad pęnitentiam.* Sicque plura pœnitenda committeret, & pœnitentiæ tempus incideret, atque etiam totum præteriret, pœnitentiæ actibus insuetus. Claudit idem Sanctus Pater: *Et qualis vltrà, dic mihi, gratia esset, quandò centum homicidia faceres,* aut alia grauia scelera, *contemnens Deum; & duos tantùm dies cessares à malo?* Et qois crederet eum cessaturum à malo, qui toto vitæ tempore se malis addixisset?

Incertum cuilibet abitionis suæ diem Deus esse voluit, vt homo purius viueret; nam alioquin stul- 295 tum est, in illo statu velle viuere, in quo nollet mori. Odia deinde, & dissidia hæc incertitudo abscecat, quæ facilè producerentur, si se diù vitam producturum homo sciret. Quid quod io aliorum quoque vtilitatem ista diei istius occultatio cedit? Ægrè enim in aliorum commodum aliquid operaretur, manum à multis rebus abstineret, fineret facultates perire, sterilescere agros, domos ruere, qoi sciret se breui hinc abiturum. Malè posteris per omnia consuleretur, si notus cuilibet obitus sui dies esset.

Incertus nobis nostri obitus est dies, vt certiùs figamus gressus, quibus ad veræ vitæ felicitatem itur. Nescimus, quo nos loco, qoo tempore, invasura sit mors: vt vbique, vt semper nos ad eam excipiandam paremus, vitemusque mala, quæ malam mortem faciunt.

Explicari non potest, quot bona ab hac incertitudine nascantur: quot salutem sint consequuti, suæ mortis diem ignorantes, à qua fors excidissent, si sciuissent; metus enim mortis facit, vt studiosiùs vitemus, quæ magis metuenda quàm mors, peccata scilicet. Quò vtilior mortis timor, eò magis salutaris hæc incertitudo & ignorantia, quæ timorem istum fouet & nutrit. *Tantè igitur,* (verba sunt

sunt Sancti Gregorij Magni) *debet quasi* SEMPER VENIENS METVI, *quantò a nobis non valet ventura præsciri.* Occultatum mortis diem, beneficium esse occultum ille neget, qui impendentis mortis metus, quàm sit vtilis ignorat.

296 Ingens beneficium est, vitæ terminum nescire. Nimis in bono negligentes homines essent, si notum illis esset tempus, modusque mortis: in extremum vitæ tempus differrent bonum, quod actitare quotidiè debuerant.

Ipsa mortis incertitudo nos reddit omni tempore solicitos; vrget ad meliorem vitam ineundam, relinquendæ vitæ incertum tempus, incertus modus. Benè de hac quoque re Ioannes Eusebius: *Incertitudo modi, loci, & temporis moriendi amata mihi est;* VT CERTIVS TIBI, ò DEVS, SERVIAM OMNI TEMPORE, LOCO, AC MODIS OMNIBVS, VT DIGNVS ES. *Hoc diuinum est consilium, certam solicitudinem melioris vitæ generare in nobis ex incertâ conditione mortis.* Nimirum, quò incertius est tempus, incertior locus mortis, eò certior est fructus, qui inde nascitur.

297 Diuinæ misericordiæ inuentum fuit, nolle hominum vitam certorum annorum numero concludere, ne scilicet quis torpori aditus daretur. Egregiè rem expendebat peritus ille auctor, cuius verba subijcio: *Valdè notandum est diuinam misericordiam etiam magis elucere in eo, quòd non solum voluerit, vt omnes morentur,* SED QVOD ID DIVERSIS ESSET AETATIBVS. *Posset quidem Dominus pro diuino suo arbitrio constituere, vt omnes vsque ad certam & præfinitam ætatem, scilicet vsque ad sexaginta aut septuaginta annos viuerent, & cum ad illum terminum peruenirent, morerentur. Sed voluit, vt in varijs ætatibus mortis debitum persoluerent, alij quidem cum decem annos agerent, alij cum duodecim, alij cum quindecim, alij cum viginti &c. Ne, scilicet alicuius ignauiæ aut incuriæ occasionem haberent, quin potius continuò essent parati. Idcirco cum Dominus diceret: Vigilate ergo, addit statim. Quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. Quasi diceret: Siquidem horam nescitis, omnibus horis vigilate.* Et quia locum, in quo vos est mors aggressura ignoratis, in omnibus eam expectate.

298 Illud hic non omiserim, summopere ad meritū augendum facere, quòd quis humiliter patiatur sibi mortis diem ignotum; vt interim se quolibet momento Deo offerat, &, re semel moriturus, voto infinities moriatur, paratus semper, cùm Deo iubuerit, mori. Quòd de ignorantia extremi diei dixit Sanctus Augustinus hoc ad illum transferamus, quo finienda cuiuslibet vita est: *Nos quod nescire nos Dominus voluit* LIBENTER NESCIAMVS. Ignoraturi etiamsi maximè velimus scire, sicque incipiat esse occasio meriti, quod nuda pœna videbatur.

Denique mortis incertitudo, & incerta mortis hora nos à terrenarum deliciarum amore auocare debet. Rem sic vrgebat Richardus Victorinus. *Certe,* inquit, *si nil aliud mali homo in hoc Mundo expectaret, si nullum aliud experiri oporteret; si cætera omnia, dum hic viuitur, pro voto haberet, & talem exitum* CVM OMNI CERTITVDINE SVB INCERTA HORA EXPECTARET: *omnia, quæ hîc delectant, & pertranseunt, velut stercora cum Apostolo arbitrari debuisset.* Abeunt à sana mente, qui incerti, quandò sint morituri, toti terrenis immoriuntur.

299 A mei notitia mortis diem subduci adeò non ægrè fero, Deus meus, vt ignorantiam istam Tui amore libenter feram, vt efferar ad Te. Interim in quolibet temporis instanti Tibi vitam meam sisto, promptus in singulis momentis eam Tibi exhibere pro Te; licet illud ignorem, quod me ab hac vita eximet, & alteri vitæ dabit. Sic quotidiè non solùm mori cupio, sed in quolibet die infinities. Momenta vliç numera, & meæ oblationis numerum scies: quem tamen velim augeri in infinitum.

Non sinamus igitur in nobis hoc beneficium mori, quòd nescimus quando simus morituri, aut quando, aut quomodo. Dicamus, quod quidam bonus author dixit, cuius hæc sunt verba: *Gratias tibi ago, Domine, quòd moriturus sim,* ET QVOD NESCIAM ET VBI ET QVOMODO MORITVRVS SIM. Præeuntem sequere: gratias tu quoque Deo age, quia, vt melior morereris, noluit te scire, quando esses abiturus, aut quomodo, vtque locum faceremus pietati voluit nos locum nescire, in quo hinc esset nobis abiturum.

CAPVT CLI.

Inter occulta beneficia numerandum, quòd ad nos non redeant, qui à nobis abierunt.

DIuinæ prouidentiæ fuit, quod ij, qui è viuis excesserunt, ad nos non redeant, 300
enarraturi, qualis apud Inferos sit status, & quænam ibi fiant: ex hoc quippè multi errores prodirent, & facilem hominum decipiendorum ansam hìnc dæmones arriperent. Notabat istuc Sanctus Athanasius; nam, cùm quæsiuisset: *Nunquid scire possumus, quarè non permiserit Deus, animam alicuius eorum, qui è viuis excesserunt, ad nos redire, & enarrare, qualisnam rerum apud Inferos status, & qualis ibi sit necessitas?* Nodum ità soluit: MVLTI APVD NOS INDE ERRORES ORIRENTVR; *multi enim dæmones formas humanas induere, & in hominum demortuorum figuris transformari potuissent, ac dicere, à mortuis se resurrexisse; atque indè multas res ementitas, & falsa dogmata de ijs, quæ ibi fiunt, spargere; idque ad seducendum nos & perdendum.* Quot igitur incommoda, quot errores, indè enata fuissent, tot beneficia in hac re delitescere putandum est. Non solent igitur mortui apparere viuis, licet id aliquando ex peculiari Diuinæ prouidentiæ ordine fiat; vt multorum errorum causa præcidatur, neuè dæmon ludificiendi homines ansam arriperet, & quicquid vellet ipsis persuaderet.

Prætereà, si id fieret; *Progressu temporis* (inquit 301
bonus ille auctor) IN CONTEMPTVM RES VENIRET, *& non magis mortui nos, quam viui, commonerent.* Scripturas habemus, quæ nos docent, quid in altera vita agatur: credamus illis, & iuxta ea, quæ de futuris credimus, in præsenti vita ambulemus.

Ob id diues ille in Euangelio non obtinuit, quòd Lazarus ad eius fratres mitteretur; vt interim nos quoque doceremur, non esse expectandum, vt à mortuis doceamur, cùm Diuinas Litteras habeamus, nobis ea in hac re aperientes, quæ scitu creditúque necessaria sunt.

Ijs igitur, quæ notitiæ nostræ sunt exposita, contenti, aliud curiosè non quæramus. In notitia ista sistamus, vt non sistamus in bonis operibus, quæ noua semper à nobis pullulent, maiores futuri, si maiora præstemus & plura. Curæ nobis potius sit, quid hic agamus; quàm quærere, quid in alia vita agatur. Illud studium semper erit salutare: ista inquisitio inutilis; &, si à solo curiositatis prodeat sinu, etiam noxia.

CAPVT CLII.

Morte corporis aliquos non ſemel propter aliena, peccata puniri, nullum verò morte animæ, occultum Dei beneficium eſt.

302 ALiud in morte elucet beneficium, quod in nobis non moriatur, nec obliuionis condatur ſepulchro; hoc autem eſt huiuſmodi, quia nimirum non ſemel Deus propter aliorum peccata alijs mortem immittit corporis, non verò mortem animæ. Cùm Dauid peccauit populum numerãdo peſtem Deus immittit, qua paucis horis ingens hominum multitudo perempta eſt. Rex peccat, & populus, qui in hac re erat innocens, mortem obit. Aliter omninò accidit cum de morte animæ agitur, neque enim vlla anima ob aliorum peccatum moritur, niſi & ipſa peccatum illud, aut ſimile admittat. Præclarè Sanctus Auguſtinus: *Mortibus, inquit, corporis legimus alios etiam mortuos propter non ſua, ſed aliena peccata.* ANIMARVM VERÒ MORTE ALIVS PRO ALIO PLECTITVR NEMO. Nihili pendit Deus corporis mortem, quam vel immerenti non ſemel infert, ſed mortem animæ nullus ſubit, niſi volens culpam admiſerit. Immittit illam quia non mala eſt, & quia etiamſi ob aliena peccata nõ inferatur, humana tamen conditione ventura erat. Abſtinet ab animæ morte, quia hæc æterna ſua natura eſt, & mala eſt ab hac parte, quia eſt ob malum; ſolùm quippè peccatum quod anima commiſerit, animæ mortem affert.

Prudenter has duas mortes, & illas inferendi
303 diſcrimen indicauit ſapiens illa mulier, quæ Dauidem alloquens dixit: *Omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur ſuper terram, quæ non reuertuntur, nec vult Deus perire animam.* Quaſi diceret: Deus qui maximè abhorret à morte animæ, illamque multis modis amouere nititur, corporales mortes paſſim permittit, & nos omnes in corporis mortem ſinit ire; *Quin & non merenti*, vt ille ait, *non dubitat ſæpè illam inferre.*

Quantùm debemus Tibi æterne Deus, quòd voluiſti vt corporis mors etiam ab aliena culpa eſſe poſſet, animæ verò nonniſi à propriâ.

Adiunge, Amor meus, beneficium beneficio, qui animæ mortem à me ſolo eſſe voluiſti, concede vt non ſit à me. Da vt gratiæ tuæ ope vitem illud omne, quod morti adijcere animam poteſt. Ab omni me peccato ſubmoue, ſubmoue à me peccatum omne, vt lubentius mortem corporis excipiam, quò libe- rior per te ero à morte animæ. Da vt moriar mihi, ne vnquam moriar Tibi.

* * *

CAPVT CLIII.

Ipſæ purgatrices flammæ, occultum Dei beneficium eſt.

304 GRauiſſimæ pœnæ ſunt, quibus poſt hanc vitam purgandæ animæ, non omninò puræ: ſed illarum grauitas occulti beneficij titulum ab illis non aufert. Rem probemus.

Poterat Deus hominem, qui in hac vita penitùs diuinæ iuſtitiæ non ſatisfeciſſet, ſuæ eſſentiæ viſu, æternaque beatitate priuare. Noluit tamen, noluit; ſed modum reperit, quo etiam poſt hanc vitam purgari animæ poſſent, & aptæ reddi, quæ diuino conſpectui ab omni macula puræ ſiſterentur. Quis igitur neget hoc ingens Dei beneficium eſſe? Eſt, & eò maius, quò maior illa gloria, ad quam anima purgatricibus illis flammis præparatur.

Animæ ipſæ, quæ pœnas illas patiuntur, idoneæ poſſunt eſſe teſtes, ingens in illis flammis latere Dei beneficium: ſi enim inde poſſent exire, nondũ huiuſmodi flammis purgatæ, non exirent; malunt teneri, vt dum patiuntur, reddantur puræ.

305 Hoc beneficium alijs beneficijs Deus cumulat, Angelorum conſortio, certâ gloriæ ſpe, Sanctorum & præcipuè Beatæ Virginis interceſſione illas pœnas reddens leuiores.

In hoc quoque diuinę bonitatis, vt ſic loquar, elucet ingenium, dum modum reperit, quo redimere hîc quiſque eas pœnas poſſet, quas grauiſſimas luere in alia deberet, quò grauiores ſunt futurę vitę in purgatorio cruciatus, leuioreſq; quos in hac vita ſuſtinemus, eò maius eſt beneficium, quo nos Deus afficit, dum facit, vt præſentium tolerantia à futuris nos omninò, aut ſaltem magna ex parte ſubducamus. Opportunè Porrecta: *Quia punitio acerbiſſima in purgatorio habenda, tranſit in ſatiſfactionem, leuemque pœnam, quando exſoluitur hîc,* NVNQVID NON EST MAGNVM HOC BENEFICIVM, *magnum vtiq; ergo prudentiſſimi illi, qui hîc purgari eligunt potius quam illic, nã paruiſſima pęna redimunt vexationem ſui maximam.* Minoribus cruciatibus adijci, quàm quiſque peccatis ſuis ſit meritus, non ingens eſt beneficium? Eſt: quòd ſi hoc damnati non priuantur, vt mitiùs, quàm deberent, puniantur, cur non iſtuc erga iuſtos fiat?

Quid, quòd viuentibus quoq; maximum com-
306 modum, vtilitatem maximam flammæ illæ, quas piæ defunctorum animæ ferunt, afferunt? Nulla eſt, qui ob aliquibus culpis ſe non ſubtraxerit illarum pęnarum cogitatione: nullus, qui ad pœnitentium promptius non ſurrexerit purgatricium flammarum memoriâ.

Opera verò bona, quæ à nobis hæ flammæ eliciunt, quis explicet? Quòd ieiunia libentiùs ineamus, quod carnem duris domemus, quòd vigilias colamus, aliarum virtutum actus exerceamus, & hiſce flammis magna ex parte debemus.

Poſtremò iſtuc etiam boni ex his flammis viuentes eliciunt, vt feruori æquiorique animo ferant vitæ huius ærumnas & calamitates ac tribulationes. Omnis pęna alioquin grauis, pęnis illis comparata, quibus defunctorum animæ afficiuntur, leuis efficitur, & (quod conſequens) toleratu facilior.

307 Nimiùm gratitudinis limites coercuit, qui eos ad purgatrices illas flammas, quæ tot nobis bona parturiunt, non porrexit. Porriget, qui benefi-

cij nomen iuſtè mereri ex his, quæ diximus, cognoſcet.

308 Vt ſingulare beneficium ſit purgatricibus flammis expiari, debet tamen quiſque, dum hîc viuit, diuinæ iuſtitiæ ſatisfacere quantum poteſt, cùm paruo id fieri poſſit, quod in altera vita magnis ſoluendum eſt pœnis. Rem opportunè tetigit Ioannes Euſebius, dum ait: *Ingens priuilegium eſſet, ſi animæ in pœnis illis terribilibus exiſtenti Deus concederet poſſe ſatisfacere; vt hîc poſſumus, aſſumptis voluntarijs afflictionibus.* FRVAMVR NVNC HAC INDVLGENTIA DEI. *Debitor centum talentorum, ſi creditor indulgeret illi debitum, contentus hac lege, ſi intra aliquod tempus ſoluiſſet vnum ſolum, annè recuſaret pactū tanti lucri?* QVAE AMENTIA NOSTRA EST, QVOD MALIMVS SOLVERE CENTVM IN ALTERA VITA, QVAM VNVM IN ISTA? Ligari tanquam amens meretur, qui ſoluere magno eligit, quod poſſet paruo.

CAPVT CLIV.

Viuentium precibus ac ſuffragijs poſſe piè vita functos iuuari, occultum Dei beneficium eſt.

309 QVam benignè nobiſcum egit Deus! Magnum erat, viuentes viuentium precibus adiuuari: non erat neceſſe, & in vitâ functos viuentium auxilium poſſe porrigi, & nulla diuinæ bonitatis nota decerni poterat, vt hi qui diuinæ iuſtitiæ hîc plenè non ſatisfeciſſent, pœnas ita luerent in purgatricibus flammis, vt viuentium ſuffragijs non gauderent. Non iuit per anguſtas huiuſmodi ſemitas Deus: pietatis ſuæ terminos extendere ſtuduit: beneficia beneficijs cumulauit: à viuentibus poſſe mortuos adiuuari; poſſe viuentium precibus boniſque operibus, mortuorum in Chriſto pœnas leuiores reddi, ſtatuit.

Nec vno tantùm modo adiuuari à nobis voluit. Sed pluribus: omnibus nos operibus ſoluere valemus, quod mortui debent, vt hi citiùs ab illis pœnis ſoluerentur.

310 Quid? eò diuina bonitas euaſit, vt decreuerit, poſſe aliquos per aliqua opera opem ferre vita functis, quibus non poſſunt ſibi, ſi à diuina exciderint gratia. Hinc lethalis peccati reum, aut indulgentijs (vt vocant) aut ſacrificijs ſatisfacere pro defunctis poteſt, non pro ſe, cùm pœna non remittatur, niſi tollatur culpa. Plerique diutiùs in flammis illis cruciarentur, niſi Dei prouidentia ſtatuiſſet, poſſe viuos defunctis ferre aliquibus operibus opem, quibus nequeunt ſuorum peccatorum pœnas minuere: quia à peccatis ipſi non ſunt ſoluti.



CAPVT CLV.

Infernus ipſe, ipſa Inferni ſupplicia; occultum Dei beneficium ſunt.

QVænam pœna, quodnam ſupplicium inter beneficia diuina non numeretur, cùm omnium extremum hoc gaudeat titulo? Proh mirum! Infernus ipſe ſingulare Dei beneficium eſt: infernales ipſæ flammæ, in quibus damnati patiuntur, patientur ſe hoc titulo inſigniri. 311
Eò magis occultum hoc beneficium eſt, quò eſt manifeſtiùs, omnium eſſe malefactorum maximum. Sed rem firmemus, & Inferni vtilitates expendamus.

Nuda Inferni notitia pleroſque à terrenorum amore auocat, illarum flammarum ardor paſſionum noſtrarum æſtum cohibet. Benè de gehenna ſenſit Sanctus Petrus Damianus, cuius hæc ſunt verba: *Quarta regio, eſt regio gehennalis. Illic eſt ignis, qui non ſuccenditur; vermis, qui non moritur.* NIHIL SIC VALET AD EXTIRPANDVM VOLVPTATVM RADICES, QVAM ISTORVM MEMORIA. Quàm altè in mortalium mentibus terrenarum deliciarum amor radices figeret, niſi gehennalis ignis incendio abſumerentur?

Iſte ignis à peccatis homines reuocat: fræni cuiuſdam vicem ſubit: homines cohibet, ne cæco impetu tàm facilè in vitia ferantur. Caſſiani hæc ſunt verba: *Tria ſunt, quæ faciunt homines à vitijs temperare:* inter iſta tria primum eſt *metus gehennæ.* Nimirùm, gehennali igne digna faciliùs homines præſtarent, niſi mentem ad hunc ignem voluerent.

Nemo ferè eſt, qui huic igni non debeat, quod in tot peccata, aut non tam grauia, non ſit lapſus, quàm lapſus fuiſſet, ſi hunc ignem non cogitaſſet. 312

Torpori quoque excutiendo aptiſſimus hic ignis eſt. Ferunt, aliquem ſupina negligentia fuiſſe correptum; aliumque in remedium eius auribus nihil aliud inſuſurraſſe, quàm nudum iſtuc verbū: *Infernus*, illumque ſtatimque excitatum vitam mutauiſſe; excuſſoque torpore, ſummo feruore in Dei obſequio deinde vixiſſe.

Quot doloris actus à nobis expreſſerunt gehennalia, quibus damnati premuntur, tormenta! Quot pœnitentiæ opera, quot mortificationes à noſtra negligentia elicuerunt! Quot virtutum actus exculpſit, & quodammodò in noſtris mentibus excudit ille ignis!

Quòd leuiùs præſentis vitæ feramus ærumnas, quòd leuiora nobis videantur præſentis vitæ calamitates, etiam acribus Inferni tormentis debemus: horum enim cogitatione omnia alia dura aſperaque fiunt lenia, inſuauia & amara, dulcia fiunt. 313

Quid, quòd multorum conuerſiones ortum à gehennæ metu habuere? Sancti Brunonis miram conuerſionem à gehennalibus flammis, quibus alius addictus fuerat, initium ſumpſiſſe aliqui tradidêre.

Cur non maximum beneficium gehenna cenſeatur, quæ ad paradiſum ducit, ducit ad Deum? *Maximè*, inquit Sanctus Baſilius, *gehennæ debemus*, QVIA GEHENNA NOS AD PARADISVM DVCIT. Et Sanctus Fulgentius: *Fecit gehennam non vt nos damnaret*, SED VT DEO CONIVNGERET.

Gehen-

Gehennæ pœnam fecit, nobisque minatus est, vt nos à gehenna auocaret.

314 Hinc est, vt, sicut Deo gratias pro regno agere debemus, debeamus etiam pro gehenna. Hoc eusit Sanctus Chrysostomus, dum ait: *Oportet* GRATIAS AGERE NON SOLVM PRO REGNO, SED ETIAM PRO GEHENNA. Nimis angusti gratitudinis essent limites, nisi & ad Infernum extenderentur.

Non finio, nisi rem offeram, quę, quò magis mira, eò meliùs ea firmat, quę hucusque produximus. Infernus non ijs est tantùm vtilis, qui eius memoria se possunt ab illo subducere; sed illis ipsis, qui eius sustinent supplicia. Boni & sciti authoris hęc verba sunt: *Ipsa pœna damnatorum tam bona cunctis est*, VT IPSIS DAMNATIS BONA SIT: *nam cum illa non habent malitiam suam meram, sed sentiunt iustitiam diuinam, quæ optima est.* Et vbi diuinę bonitatis lux non splendebit, cùm & inter gehennę tormentorum tenebras elucescat?

315 Denique nudus de gehenna sermo non nudus vtilitate sua est. De gehenna si quis seriò sępè loquatur, haud facilè ea commiserit, quę ducunt ad Infernum; & forti animo mala sustinebit, quibus hic premitur, & gehennę comparatione, vix mala putabit. Præstat hic Sancti Chrysostomi verba sistere, qui nobis ita præiuit, vt simul eat cum veritate. *Vtinam*, inquit, *semper & continuò* DE GEHENNA VERBA FACEREMVS NOS, *dum prandium sumimus, dum cœnamus, dum lauamur nihil ob ea mala, quæ nobis hic accidunt, contristaremur: nihil ob bona, quibus fruimur, gauderemus. Quod enim, quæso, malum dicere potes? paupertatem, morbum, captiuitatem, corporis mutilationem? At hæc omnia risus sunt, si cum alterius vitæ suppliciis comparentur. Licèt eos, qui perpetuò fame cruciantur, proferas; licet eos, qui à prima iam ætate mutilati sunt, & stipem petunt; deliciæ sunt ista cum illis malis collata. Semper igitur, dilectissimi, de rebus illis sermonem habeamus, easque mente linguaque versemus:* NON ENIM INCIDERE NOS IN GEHENNAM SINIT GEHENNÆ MEMORIA. Præstat igitur de gehenna sępè loqui, vt dum frequenter in ore Infernum habemus, nunquam nos Inferni os habeat.

CAPVT CLVI.

Quod Deus infra nostra merita nos puniat, occultum Dei beneficium est.

316 ITa Doctorum mens fert, veritatis basi innixa: Deum scilicet minùs nostra peccata punire, quàm essent punienda; adeò vt in pœna quoque, quā diuina iustitia culpas punit, diuinæ misericordię suauitas appareat. Nihil videt, qui latēte hic singulare non videt beneficium.

Huius beneficij beneficio fruuntur mortales, dum hîc viuunt: nam hîc Deus ita nostra scelera punit, vt minor semper pœna sit, quàm culpa: quin spe venię leuior adhuc pęna redditur, cui nos nostra peccata illigarunt.

Non in hac vita tantùm sentiunt homines huius beneficij commoda, sed tunc etiam cùm, exacta hac vita, purgatricibus flammis cruciabuntur: ibi quoque mitiora tormenta sunt, quàm admissa peccata merebantur.

Demum etiam in damnatos hanc Deus pietatem exercet, vt tam seuerè eos non puniat ac erant digni. Leuior semper pœna est, quàm culpa. Quod beneficium hoc maius putandum, quò est diuturnius: vt enim pœna erit ęterna, sic & leuioris pœnę beneficium ęternum erit; vt etiam ab hac parte non leue sit tale beneficium, licèt alioquin leue esset futurum, si non diu futurum esset.

CAPVT CLVII.

Aliorum æterna damnatio, aliorum occultum Dei beneficium est.

QVis crederet in aliorum quoque damnatione singulare latere non damnandorum beneficium? Latet tamen: nimirùm, tot damnantur, ne nos faciamus quę in nobis damnanda, & ob quę ipsi damnemur. Nullus ferè est, qui non plus peccaret ac grauiùs, si nullus damnaretur. Nequeo hîc pij Doctoris verba supprimere, meæ huic menti, quin & ipsi veritati subsignantia. Audi & altè cordi insculpe hoc beneficium. *Illud*, inquit, *nunc stupeo*, *quòd* PLVRES VOLVERIT DAMNARE, ET NON MISERERI, VT TE SALVARET: *nam si pauciores damnari videres, minùs timeres; & fortasse damnareris.* Multum quippe ei timendum, qui nihil sibi timet. Pergit, & rem ampliùs vrget: *Si vnus aut alter solum damnaretur, nihil ferè tu timeres, & (quod certiùs de te potes præsumere) tu damnareris: si nullus damnaretur, nihil timeres, & potes putare quòd tu solus damnareris; aut (quod peius esset) multo plus peccares, & nihil Deum vererer*is. IGITVR CRVCIATVS TOT HOMINVM, BENEFICIVM MEVM EST. Hoc de se quisque dicere potest, & (quod vtilius) sibi. Quò maior damnati est pœna, quò plures sunt, qui damnantur, hoc grandius est hoc beneficium, quò cœlesti gloriā donandi, donantur. Claudit productus author, & Deum suum alloquens inclamat: *ô lumen cordis, quantus lucet amor vlesorum tuorum! Animalia fecisti propter homines,* ET HOMINES DAMNAS PROPTER ALIOS HOMINES, QVOS AD SALVTEM ELEGISTI. Alios damnans, efficis ne alij efficiant, quorum causā damnentur.

Da, Amor meus, vt aliorum damnatio, hoc boni à me eliciat, vt nihil committam, quod à te damnatum. Damnationem nihil timeo, si spectem damnationis causam. Omni mihi damnatione horribilior culpa est, quæ ducit ad damnationem; aut etiam quæ gloriæ possessionem impedit, donec penitùs eluatur.



CAPVT

CAPVT CLVIII.

Deum ea quoque opera præmio afficere, quæ quis, cùm à Dei esset gratia excissus, effecit, occultum Dei beneficium est.

318 HIc etiam diuinæ bonitatis apparet magnitudo: satis esse videbatur, Deum omnia opera bona, quæ diuinâ gratiâ ornatus facit, afficere præmio. Sed hîc sta re non potuit tea quoque opera sine præmio esse non patitur, quæ sine gratiâ sunt facta: & quia æterni supernaturalisque præmij non est capax peccator, temporalia bona Deus soleret tribuere, morale aliquod bonum opus efficienti. Hinc est, vt passim videamus peccatores hujus vitæ felicitate ac prosperitate gaudere, diuitijs cumulari: quia nimirùm, cùm aliqua bona opera præstant, irremunerata abire ea non finit Deus; præmiùmque offert, quòd inter naturæ limites est situm, cùm nobiliori excipiendo non sint idonei.

Occultum hoc sit beneficium, beneficium tamen est. Homo, qui aliquem hostem habet, hostilia omnia reputat, quæ ab eo. Peccator hostem se Dei constituit, dum in Deum peccat: Deus tamen hostilem erga peccatorem animum non ita habet, vt bonis, quibus peccator est capax peccatorem priuet.

Opera bona, quæ peccator Dei gratiâ viduus efficit, hoc quoque boni afferunt; vt illis flagella plerùnque cessent, quibus mortales Deus punit. Sanctus Bernardinus Senensis loquens de his operibus hæc habet: EX HIS BONIS CESSANT QVANDOQVE PESTES, BELLA, STERILITATES TERRÆ, INFIRMITATES, *quas quidam propter peccata sua demeruerunt.* Quòd si non cessant omninò, leuiora redduntur, aut certè feruntur leuiùs.

319 Alia etiam ratione bona opera à malis facta Deus muneral, quia dat, vt illis Satanici hostis vis retundi possit. De ijsdem loquens idem sanctus Doctor, ita scribit: TALIA OPERA BONA MAGNVM PRÆSTANT ADIVTORIVM, *ne super huiusmodi peccatorem diabolus tantam habeat potestatem, quantam scilicet alias habuisset.* Nimis in peccatores dæmon sæuiret, nisi aliqua bona opera peccatorea præstarent.

Tandem peccatorum opera peccatoribus hoc beneficium afferre diuina bonitas voluit, vt ex congruo (sic loquuntur Theologi) ad diuinam gratiam excipiendam disponantur.

Effero hanc tuam bonitatem, Deus, quâ & malis tua dona confers. Beneficium istuc esse cognosco; sed nolim isto beneficio frui: horreo adoudum culpæ nomen. Post lapsum hoc donum non repudio, repudio lapsum. Euerte me priùs, quàm vt à te me vnquam auertam. Malo esse bonus, quàm alia bona recipere, quæ recipientem extra tuæ gratiæ sinum esse sinunt.



CAPVT CLIX.

Ingens, & occultum Dei beneficium est, electos laboribus, pœnarum tolerantia, bonisque operibus æternam gloriam sibi posse acquirere.

320 VT à peccati nos iugo redemit Christus, sic poterat & à laboribus eximere, & à tentationibus liberare. Poterat suis gloriam exhibere, & a tentationibus eximere. Poterat suis gloriam exhibere atq; eo, quòd bonis operibus ad eam ius quoddam acquirerent. Sed noluit: hoc autem in maiorem electorum gloriam honoremq; resilire, non est, quòd vocetur in dubium. Rem egregiè versat B. Thomas à Villanoua, vt religio sit, eius verba hic supprimere, licèt pluscula sint. *Fuissent (fateor) sicut Angeli Dei, Beati sine labore:* SED NON MODICA HÆC EST SANCTORVM PRÆROGATIVA, NON LEVIS HONOR, QVOD GLORIAM QVAM HABENT, NON PVRE GRATIS, SED SIBI EAM MERITIS ET LABORIBVS, SANGVINE ET MORTE ACQVISIERVNT: *vnde neq; ad tantum gloriæ fastigium solâ innocentiæ puritate peruenturos fuisse existimandum est.* Audis ad electorum gloriam facere, quòd per propria merita ad gloriam sibi sternant viam, & (quod maius) ad maiorem, quàm alioquin essent indepturi.

Pergit, & de tentationum ac laborum fructu hæc habet: *Labores, fatigationes, tentationes, dolores, tormenta, mortem facilè subito suo aduentu auferre poterat Redemptor. Non abstulit, sed reliquit;* VT HÆC IPSA NOBIS POENARVM EXERCITIA, FIERENT MERITORVM INSTRVMENTA, ET ARMA VIRTVTVM. Nimirùm, quæ nos premunt, ad virtutum culmen extimulant; & vrgent ad sanctitatis fastigium, quæ nos pungunt.

321 Deniq; & charior erit gloria electis, quam sibi tot laboribus parturierunt. Videntur magis nostra, quæ nostris etiam laboribus meritisq; sunt parta. Nec istuc Diuinæ gratiæ priuilegijs quicquam officit, quùm labores ipsi, aduersitatesq; hoc à Dei gratiâ habeant, quòd gloriæ quoddam semen sint: alioquin sinè Dei gratiâ, labor, nudus cruciatus, nuda fatigatio est; & delassare laborantem potest, non ad sublimia euehere.

Gratiæ igitur superæ Dei gratiæ habendæ sunt, cùm nos laboribus velùt elaborat; cruciatibus, doloribus, morteq; ipsa vocat ad eam vitam, quæ verè vita est, & beatos efficit, quos excipit.

Parum Deo fuit, suos æterna gloria donare: dare suis hanc virtutem voluit, vt possent proprijs etiam meritis æternæ gloriæ coronam sibi hic texere, qua in Cœlis sunt æternùm redimiendi.

O possem, Amor meus, omnem meum, omnem aliorum laborem ad tuam gloriam ità dirigere, vt aliò non spectaret! sic enim tutiùs & breuiùs laborantem ad te duceret, & perfectiori gloria vestiret.



CAPVT

CAPVT CLX.

Iustos vltra meritum præmio à Deo affici, occultum Dei beneficium est.

322 IVstorum merita præmio à Deo coronari ingens beneficium est, sed manifestum: occultum, ac non adeò nostræ considerationi obuium, maius esse præmium, quàm sit meritum; & gloriam, qua suos Deus beat, suorum merita superare.

Grande hoc beneficium est, & eò maius, quò magis diuturnum. Æternùm beatitudo durabit: æternùm durabit & mercedis excessus supra merita. Quis ergo tam ingratus erit, vt gratias pro isto beneficio Deo non agat?

Antequam hoc beneficium recipiamus, excipere à nobis Deus debet gratiarum actionem, quæ sua mercede non carebit, & digna erit, quæ alia gratiarum actione donetur.

Quàm latè mercedis tempus extendit Deus! Operi vt merces responderet, satis erat, si labori, qui parum durauit, gloria daretur, quæ non duraret diu. Aliter tamen actum est: breuis est labor, citò finitur opus; sed merces erit ęterna, ęternum pręmium erit; vt non magnitudine tantùm gloria meritum superet, sed etiam duratione.

Placet beneficentię tantę ingenio aliquo pacto respondere, scilicet mine & desiderio: igitur quotiescumque aliquid, ô Bonitas amabilis, in tui obsequium pręsto, Id eo fine intentioneque fieri volo, ac si per totam ęternitatem effectnius illud essem. Idque exertè dico, etiam cùm non dico.

CAPVT CLXI.

Occultum Dei beneficium est ipsa gratiarum actio pro occultis manifestisque beneficijs.

323 INter Dei dona, hoc non postremum: posse scilicèt superę gratię auxilio gratias pro acceptis dona Deo agere. Hoc porrò donum eò maius est, quò magis ad gratias Deo soluendas adstringimur, & quò maiora secum bona defert gratitudo, ac grandiora, pluraq; mala gignit ingratitudinis vitium.

Notum paucis hoc beneficium est, vt iurè illud inter occulta posuerim. Esse verò probari in hunc modum potest, potest hac ratione deduci. Tàm magna & eximia quæcunq; Dei beneficia sunt, vt nullus dignus sit, & nullus aptus gratijs pro illis persoluendis; atq; adeò inter Dei beneficia locari debet, si quis ad gratiarum actionem excitetur à Deo, idoneusq; ad illam soluendam reddatur. Pręterea quò plura secum aduehit bona hęc gratiarum actio, eò grandius bonum est ad illam admitti, emittere posse illam. Qui gratus ob accepta beneficia est, nouis maioribusq; excipiendis aptus fit: igitur beneficia, quę gratiarum actionem consequuntur, singulare beneficium esse gratias pro Dei beneficijs posse agere confirmat. Nec ad futura tantùm disponit, & accipienda gratiarum actio, sed in pręteritorum acceptorumq; possessione nos firmat ac tenet. Facilè beneficijs viduatur, qui viduus gratitudine est, nec gratiarum solutione illa (vt ita loquar) sibi ligat & sa illis,

324 Errat ergo, qui inter Dei beneficia hoc non locat: quòd pro acceptis à Deo beneficijs gratias Deo agere possit, cùm hoc quoq; tanquàm singulare beneficium à Deo sit. Apostolus ad Ephesios scribens ait: *Gratias agentes semper pro omnibus.* Signatè pro omnibus dixit, vt aduersa non excluderemus, quę incipiunt esse prospera, si nos ad pietatem vrgeant, & ad Deum. Non sunt ampliùs aduersa, exuunt omnem amaritiem, si gratiarum actione condiantur. Quod notauit scitè Theophylactus ad hęc verba, dùm ait: *Semper non solùm gaudij tempore, verùm etiam in mœroribus, & pro ijs rebus, quas nouimus, & quas non nouimus; per omnes enim bene nobis fit, etiamsi ignoremus.* Sed & pro omnibus dixit, vt ipsam quoq; gratiarum actionem comprehenderet, quę ita circa beneficia versatur, vt beneficium etiam sit.

Pende mala, quę à gratiarum actionis neglectu proficiscuntur; & bona, quę affert gratiarum actio, colliges. Adeò ingentia sunt damna, quę hic neglectus gignit, vt plerumq; hinc nascatur bonorum omnium, quę quis possidebat, amissio. Perdidere pleriq; omnia: perdidere se, qui post accepta beneficia gratias largitori non egere.

Quòd beneficijs beneficia Deus adijciat, & (quod maius) maiora minoribus; gratiarum actioni pręcipuè referendum est, qua prima excepta à nobis fuere: alioquin posterioribus essemus cariturį, si ingratos nos priora inuenissent.

325 Denique gratiarum actionem pro beneficijs acceptis singulare beneficium esse illud quoq; euincit, quòd hanc gratiam nobis tanquàm singulare donum Christus promeruit. Pręclarè Carensis Vgo. *C*HRISTVS, inquit, *N*OBIS MERVIT GRATIAM, QVA HABITA GRATIAS AGIMVS. Non igitur plenè Dei numerat beneficia, qui gratiarum actionem inter illa non recenset; nec perfectè gratitudini litat, qui Christi peculiare donum non putat pro donis vniuersè gratias aut egisse, aut agere.

Gratias Tibi igitur, Amor meus, & Deus meus, ago non solùm pro acceptis beneficijs, siue occulta illa sint, siue sint manifesta; sed etiam pro ipsa gratiarum actione, quę eò maius est beneficium, quò maiora secum aduehit bona, & quò diuturniùs nos in beneficiorum possessione tenet.

Tu, Summe Deus, dùm beneficia confers, hoc quòque nos dono cumula, vt gratiarum actione grati esse tuę Maiestati possimus: sic enim beneficij loco ducemus, tua gratia gratias posse agere pro beneficijs.

Scio, & fateor, infinita bonitas, me multis modis in gratijs tibi soluendis defecisse; & in hoc pręcipuè, quod materiam gratitudinis contraxi; putans mala, quę verè erant bona, quia à te omnis boni fonte fuerunt. Hac ignorantia cum multis laboraui, vt crederem mala quę erant bona, & idcircò à gratiarum actione in occultis beneficijs eò magis abstinui, quò in manifestis ingratior fui. O' vtinam qui aliter nunc de ijs quę mala putantur sentio, alius etiam, hoc est solicitior, & accuratior in persoluendis gratijs sim, quam hucusque fuerim.

326 Quod non semel in hoc libro dixi, non semel probaui, nunc repeto, & alte, antequam finiam, inclamo. Verè non sunt mala, quę mala esse putantur; non sunt, inquam, mala, quę non faciunt malos. Falluntur qui aliter sentiunt, & noxia laborant cęcitate. Omnes morbi, calamitates omnes, (rem ad ea omnia porrige, quę mala malè dicuntur) cũ aliquẽ afficiunt, non reddunt eum ma-

lum,

lum, si aliunde non sit, mala igitur non sunt, alioquin malitiam suam illi affricent, quem afficiunt. Hominum stultitiam seorsum sentientium ita arguebat Sanctus Augustinus: *Hæc* SOLA MALI DEPVTANT MALA, QVÆ NON FACIVNT MALOS; *Nec erubescunt inter bona, quæ laudant, ipsi malis esse, qui laudant; magisque stomachantur, si villam malam habeant, quàm si vitam. Quasi hoc sit hominis maximum bonum habere bona omnia præter se ipsum.* Innocentius de rebus sentiamus. Sola mala sunt, quę malos faciunt. Vnum igitur tolle peccatum, & omnia sunt bona, omnibus gratiarum actio debetur.

Ita sentio, Deus meus, & pœnitet non ita sensisse; doleo tot ignorantię tenebris in hac pręcipuè te fuisse inuolutum, vt dum tuorum beneficiorum numerum adeo coarctarem, ingratitudinis terminos extenderem. Da vt qui tua ope bonitatis tuę opes vberiùs, & vberiores nosse, pleniorem simul Tibi per Te gratiarum actionem possim soluere, ne si ingratus pergam esse, maior notitia maiorem mihi pœnam creet.

CAPVT CLXII.

Inter occulta Dei beneficia censeri debet, quòd dum ei gratias pro acceptis agimus beneficijs, ad noua promerenda reddamur capaciores.

327 PAr est, nos pro Dei beneficijs gratias agere Deo: & quia pares donis eas reddere non valemus, saltem referamus, quales possumus. Meretur amittere quod accepit, qui gratiarum actionem ad benefactorem non transmittit. Audi monentem Sanctum Augustinum: *Non agendo gratias, & quod habes perdis,* quin & iis, quæ habere posses, aditum occludis.

Deo pro acceptis beneficijs agendæ sunt gratię, vt donemur nouis, & (quod maius) maioribus: hoc enim boni ex gratiarum actione consequimur, quod in occultis beneficijs est numerandum, vt per eam ad alia accipienda habiliores reddamur, capacioresque. Præclarè noster Agellius: *Etsi* inquit, *ad Dei beneficiorum magnitudinem nostra gratiarum actio nihil est; habiliores tamen ad alia promerenda reddimur, cùm de præteritis grati sumus.* Sicque perpetuo quodam circulo accipimus, ob quæ gratias agamus, dum gratias agimus pro acceptis. Cum nostrâ gratitudine ita Deus certat, vt nolit vinci, præsertim cùm ipsamet gratitudo, vt grata Deo esse possit, à Deo esse debeat, atque adeò nouum Dei beneficium ipsa quoque sit.

Vides vt beneficia ex beneficijs pullulent, Dei- 328
que dona in Dei donis delitescant. Nouum gratiæ reddendæ contrahimus debitum, dum soluimus iam contractum. Vnde gratiores esse Deo debemus, quia Dei ope Deo possumus grati esse; agendæque sunt ei gratiæ, quia per eum gratias eidem agere valuimus.

Simus grati tanto benefactori, vt gratitudinem ipsam muneret, nouisq; ditet beneficijs, sicq; perpetuo quodam circuitu, gratitudo comitetur Dei beneficia, vt Dei beneficia comitentur gratitudinem. *Talis enim Dominus,* ab aureo ore aurea excipe verba, *est Dominus,* SI QVANDO VIDERIT NOS IN PRIORIBVS GRATOS, VT ACCVMVLET BENEFICIA, *& nunquā à sua beneficentia desistat, remunerans obedientium gratitudinem.*

O possem, Amor meus, gratus tibi, vt mereris, 329
esse! Pro omnibus tuis beneficijs siue mihi, siue alijs collatis, aut conferendis offero tibi eam gratiarum actionem, quæ ex omnibus illis sit conflata, quas Maiestati tuæ omnes alij aut obtulerunt, aut offerent: optòq; vt quodcunq; opus alio quouis titulo à nobis tibi sistitur, etiam gratitudinis gratiā ad te veniat; sicque omne, quod est à nobis, & quod in gratiarum actionem referat, in gratiarum actionem dum offertur.

Magnum esse videbatur, si pro beneficijs tam magnis tam multis, quæ à Deo accepimus, ipse dignaretur à nobis gratiarum actionem accipere, quæ nihil est; aut, si aliquid, ab illo est, à quo sunt ipsa beneficia. Sed hîc stare Dei beneficentia noluit; gratiarum actioni hanc dare virtutem decreuit, vt per eam nouis beneficijs excipiendis apti redderemur, & nouum beneficium inciperet esse gratiarum actio non noui.

Vtinam gratitudinis ingenium huc nos efferret, 330
vt cùm inepti reddendæ gratiæ Deo simus, hoc tributum quisque nostrûm pœnarum æternitate cuperet Deo soluere. Ad sublimem hanc mentem nos Ioannes Eusebius vocabat: *Deberet,* inquit, *homo anxiè optare, atque precari* TORMENTA PER TOTAM ÆTERNITATEM, VT GRATIAS *DEO* AGERET PRO BONITATE SVA. Interim, dum ad hanc celsitudinem tendis, opta aliquid pati in signum animi grati; & quicquid fers aduersi ac duri, in gratiarum quoque actionem ei offeratur, pro quo illud ferre debes, vt feraris ad illum.

Librum tandem claudo, Deus meus, vt inter beneficia occulta claudi velim de ipsis occultis beneficijs ope tuâ, tuo singulari auxilio hæc qualia qualia in tui honorem, tuorum vtilitatem cogitasse, & ad omnium notitiam ad omnes transmisisse; vt minùs occulta dum desinunt esse, incipiant esse magis salutaria; inque maiorem tui notitiam ducantur tui, & (quod inde sequi debet) maiori in te æstuent amore. O vtinam!

Finis Deliciarum Diuini Amoris.

RISVS
SARDONICVS
HOC EST
DE FICTA MVNDI LÆTITIA,
EMENTITO MVNDANORVM GAVDIO;

Cui laruam calamo detrahit

R. P. ALOYSIVS NOVARINVS
VERONENSIS CLERICVS REGVLARIS.

Opus mundi sectatoribus necessarium, mundi insectatoribis gratum; in quo ita contra fictam lætitiam, & falsum gaudium sæuitur, vt ad veram, & ad verum, iter indicatur, & indicetur, vtiliumque monitorum semina mentis solo committenda, chartis committantur.

Risum reputaui errorem, & gaudio dixi; quid frustra deciperis? Eccles. 2. vers. 2.

T.




SVPERO DEI SPIRITVI,
VERÆ LÆTITIÆ AVCTORI.

DONO Tibi, Spiritus; quod scripsi pro tuo dono, gaudio vero: Dico lubens Tibi, quod pro Te dixi. Tu veræ lætitiæ fons, risus veri auctor, veri gaudij, vt falsus sit mundus, qui gaudinm suis spondet, spondet verum risum; in omnium vtilitatem detexi has fallacias, ne alteri tribueretur, quod tuum; verum nuda ista scriptio non oblitterabit, quod in suorum mentibus mundus scripsit, nisi Tu eorum mentes subeas, qui decepti mundo deceptori crediderunt, & mentes mentibus reddas, vt tandem ad Te redeant, & quod inde sequitur, ad se. Tu solus potes causam tuam tueri: Fac, vt gaudium tuum omnes sentiant, & tunc nullus ab illis dissentiet, quæ contra non tuum, atque adeò falsum hic à me dicta. Cor lætitia vera perfunde, vt cor effundat, quicquid in illud contra Te, tuaq; gaudia mundus fallax infuderit. Te, tuoq; amore omnes bea, vt amor amorem vincat, & risus risum. Ad Te nos tuo gaudio trahe, vt per te abstrahamur à mundo, & ab omnibus illis ille-

cebris; quibus ſuos mundus ad ſe trahit. Da vt omnes ita cum gaudio Tibi ſeruiant, vt nullus gaudio ſeruiat, nec etiam tuo. Puros in gaudij tui amore vt nos inuenias, puros redde. Hæc omnibus opto; illud præterea poſtulo mihi dari, vt in me, meiſque moribus legantur, quæ hic in tui gloriam, tuorum vtilitatem legenda tuis obtuli: ne cauſam tuam contra me agam, qui ea duxerim, dixerimque facienda, quæ non fecerim. Siſto in hoc voto, vt in tui obſequio nunquam ſiſtam: Totus tuus futurus quouſque futurus.

ALOYSIVS NOVARINVS
Clericus Regularis.



Illuſtriſs.mo Excellentiſs.mo Comiti

BAILARDINO NOGAROLÆ

SERENISSIMÆ REIP. VENETÆ

COLLATERALI GENERALI.

Aloyſius Nouarinus Clericus Regularis.

SOLENT, qui aliquem iniuriâ aliquâ affecerunt, in tutelam ſe in magni alicuius viri domum recipere, ne in vincula conijciantur, & carceres, pœnámque luant ſuæ temeritatis. Hic liber in omnes ſæuijt, pupugit omnes, omnes vellicauit, eòque audax euaſit, vt Riſûs laruam à mundanorum vultibus eximeret, &, quod iniuriæ magnæ genus eſt, perſonam ab obuijs quibuſque auferret, quin & à non obuijs quoque: hinc factum, vt qui nulli pepercit, nullibi ſit ſecurus, vtque timere omnes debeat, qui omnes læſit. Vnum hoc illi relictum effugium eſt, vt ad alicuius magni viri lares confugeret, ſub cuius vmbrâ ſe tantiſper tueretur, donec iram illi ponerent, quos ad iram etiam nollens prouocauit, & deſinerent in eum velle in vindictam ſæuire, qui in illos ſæuijt, vt illis mederetur, & quos ad hoc ſolum punxit, vt ſanaret. Magnum tuum nomen innocenti libro ſtatim occurrit; Te, tuamque domum in munimen eligit; Te adit, apud te futurus inquilinus, dum futurus; Subit domum tuam non in tutelam tantùm, ſed vt illa etiam apud te videat, quæ videnda alijs liber obtulit, dum ſe obtulit; Tuoſque mores inſpiciat, qui licet in ſeculo viuas, vix tamen ſeculum ſapiunt, eoſque tanquam ſcutum illis obijceret, qui libro obijcient, quæ illis non probantur, atque

etiam ab hoc ſolo capite probanda. Ab ea parte, qua in mundo degis, mundanos pleroſque poteris Libro conciliare, ab ea, qua mundi mores inſectaris, Libri partes tueri, qui omnium commoda ſpectauit, licet pleriqúe iniuriam illud cenſeant, quod eſt obſequium. Excipe igitur exiguum Librum, dum liber excipit Magnum Tuum Nomen non in munimen tantùm, ſed & in honorem. Interím illam Tibi lætitiam, gaudium illud Libri huius Auctor exoptat, quæ lætitiæ illius contemptum ſequitur, quam liber contemnendam docet, dùm falſam manifeſtat, & inanem.



LEC-

LECTORI MEO.



Eriò tecum ago, Lector, etiam in re non ſeria, nam ita de inani riſu ſcribo, vt ab omnium vultu proſcribam inanem riſum, & ab hominum ore auferam; in eam lætitiam calamum armaui, qua ſe in omnes mundus armat, vt omnes decipiat, omnes vinciat, omnes vincat, & victos perimat. De re leui tractatio iſta ſit, non eſt tamen ipſa leuis; damna, quæ falſi gaudij amorem, guſtumq; ſequuntur, expende, & mecum ſenties: leue non debet putari, quo à nobis ea bona amputantur, quæ Deo nos iungunt, abiungunt à terrenis: ſcriptio iſta contra fictum riſum eò maioris momenti eſt, quò maiora ſunt ea commoda, quæ verum gaudium inuehit, &, vbi inuexerit, cuſtodit; tanti eſt à vera lætitia non veram diſcriminare, vt ab huius diſcriminis notitia vera felicitas pendeat, pendeat animæ ſalus, beatitaſq;. Maior eorum pars, qui mundi vexillum decepti ſequuntur, & ad æternas flammas iter inſtituunt, aut iam in flammis illis cruciantur ſuæ perditionis principia, & incrementa ab huius rei ignoratione deſumpſere: æterno plerię fletui ſunt addicti, quia verum riſum à non vero neſciuerunt abiungere, & quod grauius, noluerunt, vt iure veras pœnas perferant, quia falſam lætitiam veræ prætulerunt: ab hoc errore, ab iſta inſania omnes auocat liber iſte, & rationum, argumentorumq; ariete in fictum mundi riſum ita ſæuit, vt ad verum eadem via viam ſternat.

Libri Titulus RISVS SARDONICVS *eſt; quod de ſardonico riſu auctores tradunt, obuium omnibus eſt: vt varia ſit prouerbij huius origo iuxta Variorum Auctorum mentem, huc tamen omnes conſpirant, riſum qui exſtima ſuperficie riſum præſefert, intùs aut mortem, aut triſtitiam tegit, ſardonicum dici. Plerię id herbæ cuidam tribuunt, quæ in Sardorum Inſula naſcitur, et Sardoa dicitur, hac enim comeſa homines ita ora in riſum efformare ferunt, vt ridentes pereant. Hinc operi nomen inditum; Riſum ſardonicum riſum illum non dixi tantùm, ſed & probaui, qui in mundanorum labris legitur, nec it vlteriùs: oſtendi fictitium eſſe omne illud gaudium, quod gaudij laruam habet, et merus*

mœror est. Personam risus detraxi à mundi vultu, vt talis appareat, qualis ex vero est, nec spectatores ampliùs deciperet, cultoresq; suos falleret.

Laruam falsi risus abstuli, sed quod mireris, etiam mundanorum auxilio, prophanorum manu; nam non ex sacra solum Schola dicta decerpsi, quæ tanquam tela in falsam mundi lætitiam intorquerem, sed etiam ex prophana: suis quoque armis hostem deijcere quoddam illustrioris victoriæ genus est: omnes latebras adiui, omnes cuneos, vt risum cogerem in apertum prodire, nuditatem suam, falsitatem suam, suam leuitatem omnibus, quibus imposuerat, expositurum.

Loca, vnde sumpta auctorum dicta, ex more non designo, ne lectorem meum sisterem, ac retardarem: hoc tamen affirmare ausim & bona fide producta auctorum verba, & ex bonis auctoribus prompta, quorum nomen aliquando etiam supprimo, quia licet boni sint, nuperi tamen sunt, nec adhuc tempus illorum dictis, pondus illud adiecit, quod habent à se ipsis, et à veritate, cui nituntur illa. quæ qui à me sine nomine producti produxere.


Et verò quia gratum plerisque futurum video, si auctorum loca, ex quibus sententiæ, quæ hic producuntur producantur, exprimantur, quæ in opusculo suppressa consultò fuere; visum nobis opportunum in hac secunda operis editione notas huic præcipuè rei adijcere, quod & in prima me facturum promisi: integras præterea sententias illas dedi, quæ non integræ priùs datæ, ne in aliorum productioribus dictis percurrendis lectorē meum delassarem, quem aliò rebus alijs statim vocabam, viuidum, vegetumq; volebam.

A mundi fuco, mundiq; illecebris nudata mundani risus falsitate sine sermonis fucis, illecebrisq; te abduxi; Vsurpare hic illud possum, quod de Fabiani Papirij libris dixit Seneca: Ad profectum omnia tendunt, ad bonam mentem, non quæritur plausus: *atque adeò vtilia dare studui, non arte fabricata: Videantur hic aliqua curiosè quæsita, & comptiùs posita, quam liberioris scriptionis cursus ferat, occurrerunt illa mihi, non ego anxiè post illa cucurri, exciderunt à calamo, sub calami crena, vt ita loquar, nata. Ab hoc capite admitti cultus aliquis potest, vt faciliùs in culti lectoris mentem mittatur; ferrum quò nitet magis, expersq; rubiginis est, aptiùs ferit, altiusq; in corpus adigitur: ferire si nitidior sermo, cultiorque melius potest, ferri potest, damnari non debet, præsertim si sine labore sit elaboratus.*

Ea, quæ potui, ratione à falso te gaudio, lector, auocaui, vocaui ad verum: Tuum est vocantem sequi, & auocantem: ne iustè iniustus audias, mundum minimè audias: seculo superior eris, si seculi lætitia repudiata, in illo illam quæres, qui fecit seculum: Fige istud menti, quod figendum offert

Conc. in Psal. 32. *S. Augustinus, dum ait:* Iniusti exultent in seculo, finito isto seculo, finitur exultatio iniustorum: exultent autem iusti in Domino, quia permanente Domino permanebit iustorum exultatio: *Nemo tam fatuus, vt lætitiam illam depereat, quæ & perit, et perire sectatores suos eò citiùs facit, quò blandiùs afficit.*

RISVS



RISVS
SARDONICI

CAPVT I.

Ridenti mundo nemo credat, ne Mundi pateat irrisioni.

Fallentes mundi *illecebra*.

Sectatores suos mundus illudit.

Risus, & gaudij velamine *suos mundus decipit*.

Lugebit *cum seculo qui cum seculo ridet*.

Mundus suos amicos Dei inimicos *constituit*.

Blanditijs suis Iudæ *par mundus, osculo tradit*.

Stridorem dentium *qui horret, mundi risu non rideat*.

In Inferno *malè stridet*, qui in Mundo malè *ridet*.

Mundi gaudium *subito deficit*.

Pestifera *mundi* dulcedo.

Mundus doloribus, ne diligatur, clamat.



1 ECIPIT suos Mundus; paucos mundus haberet sectatores, nisi multos deciperet; verè decipit, sed non veris, falsas voluptates spondet falsis gaudijs imponit; sola deceptio vera est, & eò verior, quò minus vera ea bona, quæ ille tanquam vera offert; mundi illecebras *fallentes* vocat Sanctus Paulinus; fallunt, eòque nocentiùs, quo quis firmiùs fallentibus credit; falsus est mundus non fallacijs tantùm suis, sed nimia suorum credulitate; nimis credulis nimis crudelis est.

Sectatores suos illudit mundus, qui in hoc quoque se probant eius sectatores, quòd vix sentiunt se illudi, nec à tam noxio deceptore se surripiunt; iure contra hanc mundanorum cęcitatem inclamabat Beatus Laurentius Iustinianus: *Iste mundus quotidie deijcit, & eleuat, ditat, & spoliat, blanditur & iniuriatur, millèque modis mortalium genus ludisfaciendo percutit, & occidit. Et (proh dolor) cùm tot alternantibus successibus sine internallo defluat, & ILLVDAT, vix reperitur, qui hoc intelligat, atque ipsius laqueos euadere studeat.* Audis, quàm noxia laborent cæcitate amatores mundi, qui cùm illudere mundū deberent, illuduntur à mundo, & illius ludibriū fiunt, qui ludibrio ab illis habendus.

Vt vbique suos mundus fallat, risus tamen, gaudijque velamine præcipuè fallit, quin & frequentiùs. Ridet vt irrideat; tu si sapis irrisionem eius anteuerte, irride mundum, ne à mundo irrideatis; à probo calamo probum hoc monitum est. Sancti Anselmi verba hîc implantabo, ita loquentis: *Si mundus, vel aliquid eorum, quæ sunt mundi, ridet tibi, noli arridere illi. Certe, frater, non ridet tibi, vt in fine risus tu rideas, sed simulat risum, vt te irrideat. Esto igitur, dilectissime, semper cautus, vt anticipes eum, & retorqueas fraudem eius in eum: & cum ille tibi fallaciter* RIDET, *tu veraciter* IRRIDE *eum*: ita est, irrideri à nobis mundus debet, ne à mundo irrideamur: lachrymis veris simulatori mundi risui occurriendum est; alioquin omni ferro nocentiorem mundi risum sentiet, qui mundi risu decipi se sinet. 2

Lugebit cum mundo, qui fletu mundi risum non eluit, non coercet, non comprimit; mundo lugente gaudebit, qui gaudente mundo lachrymas fuderit. Grauiter, vt solet, Tertullianus: *Si cum seculo* GAVDEMVS, *verendum est, ne cum seculo &* LVGEAMVS; *seculo autem gaudente lugeamus, & seculo postea lugente gaudebimus*: quid seculo in risu conformemur, qui in nulla re iubemur conformari seculo? quid mundi sequatur morem, qui mundo repudium dare debet, vt nubat virtuti? non est mundus, qui mundo pareatur; erit qui mundum calcat. 3

Flecte oculos in pręterita secula, inuenies, quod sine compendio non prætereatur; ridenti mundo quicumque crediderunt, decepti tandem sunt; lachrymas omnium meruerunt, qui lachrymas non amarunt, amarunt risum. A deceptis disces, si rectam mentem circumfers, imò si mentem, non decipi; clamant mundi amatores, ne mundum ames: mundanorum deceptio eruditio nostra est, ne eius illecebris, fraudibùsque credamus, qui plus nocet, quò plus amatur.

Ementito nos risu mundus ad se vocat? at veris lachrymis ab se ablegat; maiorem fidem veræ lachrymæ, veræ amaritudines merentur, quàm falsa gaudia, risus simulatus; emotæ mentis est, falsis mundi illecabris moueri, veris amaritudinibus mundi à mundo non amoueri. 4

Amicam ostentat faciem mundus, vt Dei nos constituat inimicos; vidit hoc Beatus Bernardus, & vt idem à nobis videretur, hoc ad nos transmisit. *O Sæculum nequam, quod solos tuos sic soles beare amicos, vt Dei facias* INIMICOS, *consequenter*,

quenter,

quentur, & indignos concilio beatorum! Plane enim qui amicus vult esse tuus, inimicus Dei constituitur; quod si seruus nesciat quid faciat Dominus eius, quantò minus inimicus? Et amari potest, qui à Conditoris nos amore suis illecebris auocat, blanditijs suis, suis fraudibus abiungit, & denectit? Audi qui mundo maior es, mundo ne seruias; seruiet ille tibi, si tu illi seruire neglexeris; æternis natus, periturus immori seculo lenocinante non debes. Fraudes sub eius risu time, sub venenatis eius gaudijs damna non facilè reparanda.

Blanditijs suis mundus, suis illecebris, Iudę par
5 est, osculatur vt capiat, & pacis signo hostilem mentem tegit. *In nonnullis Italiæ partibus*, Minutij verba sunt, *à parentibus infantes Saturno immolabantur, blanditijs & osculo comprimente vagitum, ne flebilis hostia immoletur*; diceres hac eadem arte mactare suos mundum, non Saturno, temporis Deo, sectatores suos immolat, sed infœlici æternitati; blanditijs, illecebris, fictisque osculis fletum comprimit, ne cæteri ab hac immolatione se subducant.

Lachrymas, fletùmque tantisper in suis coercet, æternis fletibus, lachrymisque plangendis, æternumque planctu tis; mitte mentis oculum in tartarei ignis flammas non morituras, quot ibi hostias reperias, quas eò blandiens mundus mactatas transmisit? hæ clamant ne huic mundo ridenti, osculantiq; credamus, dum sumus in hoc mundo. Stridorem dentium horres, lector, qui damnatos corripit? seculi risu ne decipiatis, qui illum parit. Opportunè nobis consulebat ab aureo ore auctor aureo dicto: *Neque* RISV *rideamus* STRIDOREM DENTIVM *nobis pariente*; ab inani risu iste stridoris partus nos auocabit; interim à partu disce mores parientis; soboles in notitiam te parentis ita ducat, vt abducat ab amore; ridendus est, qui risum tantis malis grauidum amat, & falsi gaudij larua ad vera tormenta pelli se sinit, & vrgeri, quin impellit se, se vrget.

Eadem cautio ab alio auctore est, qui non minùs re, quàm nomine aureum sermonem refert. Sanctus Chrysologus nexum istum stridoris dentium, & risus indicauit, cum dixit: *Quàm* MALE STRIDET *ibi, qui hic* MALE RIDET! importunus ille risus, qui æterno stridori adijcit, quem corripit, quem decipit. Quis adeo fatuus, vt se risui committat, qui suos ad ea loca transmittit, in quibus habitatores omnes strident, & dolent, &, quod grauius, nulla inde euadendi spe recreati; ne ergo blandientis, ridentisque mundi vultui te crede, qui quo blandior, eò sæuior est.

Nullus hucùsque mundo, mundique illecebris
6 credidit, qui dempto erroris velamine deceptum se tandem non senserit, eòque deceptio decepto nocentior fuit, quò magis serò cognita. Tu à cæteris omnibus te eximes, vt deceptori, hoc est, mundo credas, & minimè decipiaris? Falleris hoc ipso, quòd putas te non falli.

Pestem falsæ suæ dulcedini mundus immiscet, vt sui amatores perdat, nouit ille, qui cecinit:

Sat me PESTIFERA *mundus* DVLCEDINE *lusit.*

Occinat hoc sibi quisque qui mundi illecebris deceptus est; pœniteat quemque à mundo se deceptum, ne non pœnituisse, nimis serò pœniteat; suo quisque cordi hanc Beati Augustini sententiam non scribat tantùm, sed insculpat: *Dulcedo huius seculi ad tempus* FAVCES INDVLCAT, *sed in magna amaritudine postea conuertetur*; antequam conuertatur, te à seculo ad Deum conuerte, vt exitium, quod imminet tibi, in tui salutem anteuertas. Audi a falsis mundi gaudijs auocantem, & monentem sequere.

Prudens memento sperare perfida
Mundi sretor to lumina gaudia:
Nec mille Circæ formot
Sub domita meretrice vultus
Lactata ducant corda, quis abditum
Fouit cerasten immota fum?
Quis insolenti impunè mentem
LAETITIAE *famulam dicauit?*

Spernendus est, qui hæc gaudia non spernit, & dignus lachrymis, qui mundi risum fraudibus grauidum lachrymis præfert.

Decipit in omnibus mundus mortales, sed precipuè gaudij oblatione, quòd non minus inane, & fallax, quàm mundus ipse sit, & quod mireris, quò firmius apparet eò citius euanescit. Benè bonus ille auctor. *Decipit*, inquit, *gaudium huius seculi, quia fallax est, & quando maiorem securitatem promittit*, SVBITO DEFICIT, DEFICIT ET EVANESCIT. *Solus Deus verum, & diuturnum gaudium cultoribus suis promittit*, & confert.

A mundo, mundique risu te abduxi, te à de-
ceptoria mundi lætitia, etiam aliorum dictis ad- 7
uocatis, auocaui, manus adhuc non das, vt pedem à mundo auertas? Mundum saltem audi, quem amas, & sæculo, quod sequeris, obsequere; satis mihi istuc; nec amplius à te exigo; verè mundi sectator non eris, si mundi fueris auditor verus. Mundi voces calamitates sunt, quibus est grauidus, amaritudines, quibus adspersus; his vocibus assiduè clamat, vt non ametur; mundum audi, mundi discipulus. Pulchrè Beatus Laurentius Iustinianus: *Ipse mundus dum tot amaritudinibus cruciat, dum calamitates ingeminat, quid aliud nisi*, VT NON AMETVR, CLAMAT. Qui ad mundi voces adeò attentus es, cur surdus ad hos clamores? verè surdus audiet, qui non audit. Sequere ductorem tuum, ductori tuo obsequere; diù est, quòd calamitatibus suis mundus clamat, se indignum esse, qui ab illo ametur, qui totus in Dei amorem ferri debet. Sequere, quem amas, ne ames, quem sequeris; sic fiet, vt magis amicus mundus amicis suis fit; cùm hostilem illis faciem offert, hostis munus exercet; hostis est si pro amico habeatur, amicus si pro hoste.

CAPVT II.

Personatus, & fictus mundi risus, mundanorum ementita lætitia.

Sub risus persona fletus *latet*.
Personata *mundi felicitas*.
Mundi risus risus laruam *habet*, *verus risus*, *non est*.
Nulla *verior miseria*, quàm falsa lætitia.
Risus falsum idolum.
Mundanorum risus, risus simulachrum.

Gau-

Gaudium à Spiritu Sancto, *non à mundo.*
Verum gaudium inter charitatem *&* pacem *adoleſcit.*
Mundi lætitia, quæ Dei lætitiæ aduerſatur, *vera eſſe non poteſt.*
Plorationis Vallis *hic mundus, non gaudij.*
Mundi gaudia qui quærit, perdit.
Nihil *nobis cum gaudijs ſæculi.*

8 NIL verius, quàm falſa ea gaudia eſſe, quę ſuis mundus fallax oſtentat, atque vt decipiat, offert; perſonatus mundi riſus eſt; aliud eſt, aliud eſſe videtur; extima ſui ſpecie ſuos decipit; verè ſui, quia verè decepti; nullum mundus ſectatorem habet, quem non blanditijs ſuis priùs feſellerit. Riſus perſonam mundus habet, non habet riſum; Heredis fletum ſub perſona riſus vidit Publius Mimus, dum ait:

Heredis fletus ſub PERSONA RISVS *eſt.*

Pro Herede mundum ſubſtituo, ſubſtituo amatorem mundi; vtrique lachrymas, & lachrymarum cauſas ſub riſûs perſonâ contegunt; ille vt deceptor, iſti vt decepti; intus mundus lachrymis madet, in lætitiam efformat vultum, vt videntes fallat, veriùs non videntes, ſed cæci, dum falluntur; Mundi item cultores gaudium extimè præferunt, luctûs, & triſtitiæ domicilia ſunt.

Perſonata mundi fœlicitas eſt; Nicolai verba
9 ſunt, qui operam ſuam in ſcriptionis munere locauit Beato Bernardo; *Grata confœderatio, quam neſciuit* PERSONATA *fœlicitas*; quidni, & perſonatus ſit riſus, quem talis fœlicitas gignit? verus ille; PERSONAM *mundanus riſus circumfert, quæ triſtitiam tegit, & obuelat*, Laruam amoue, & quodcumque aliud citiùs, quàm riſum ſub riſûs perſona deprehendes.

In mundi ſcena ridentem vultum offert mundi ſectator; aliud omninò eſt, quàm riſus; id quod riſus videtur, dum videtur, nuda oculorum deceptio eſt, tota huius ſcenæ pulchritudo in hoc ſita, vt aliud pro alio offerat, & ſpectantium oculis imponat, dum ſpectandum exhibet, quod extima ſuperficie omnes fallit, fœlicitas illa ſæculi, qua gaudium ſuis pollicetur, quid aliud, quàm oculorum deceptio eſt? verus etiam in hac re Beatus Chryſoſtomus de illa loquens: *Nihil habet ſtabile, neque firmum, ſed ſola eſt oculorum* DECEPTIO, *& priuſquam appareat, auolat*; cùm ſeculi fęlicitas non aliud, quàm deceptio ſit, quid aliud eſſe poteſt riſus ille, quem illa velut mater parturit? Opportunè ille: *Verè mundi riſus verus non eſt*, RISVS LARVAM *habet, & cùm tota mundi paratura ſcena ſit; fictitium omne illud eſt, quod ſpectandum ille offert*; crede, rem ita eſſe, ne mundo, mundique illecebris credas, & laruata ſeculi lętitia decipiaris. Fucatam, & pictam mundi lætitiam vidit etiam ille, qui ſcripſit: *Huiuſmodi lætitia ficta, & fucata eſt, nec cor imbuit, ſed tenui colore frontem pingit*; vt ementita facie ſuos ſpectatores decipiat, & deceptos necet.

Mundi lætitiam nuda, & veram miſeriam ſub ea latêre latêre te non poterit; ponat lætitia laruam, quam geſtat, nec facilè ſpectatoribus imponet; verus hîc quoque S. Bernardus, qui rem vt res eſt agnoſcens, agnoſcendam alijs obtulit hiſce verbis; *Nulla verior miſeria, quàm falſa lætitia*; quò magis falſa lætitia eſt, eò verior, eò maior miſeria eſt; miſeriæ adijcit miſeriam qui ſe miſerum neſcit, cum verè ſit, & infelicitati ſuæ pondus addit, qui leuitate correptus lætitiam illam ſectatur, quæ verè falſa lætitia eſt, veràque miſeria.

10 Riſui tanquam numini à decepta gentilitate annuatim ſacrificia oblata legimus. Apuleij verba ſunt: *Deo* RISVS *per annua reuerticula ſolemniter celebramus*, vt falſum numen riſus, falſus, & riſus, & mentitus; etiam in ſacris aras riſus habemus. Apud Amos: *Demolientur excelſa idoli, ſeu vanitatis*. LXX. vertunt, & legunt: *Delebuntur aræ riſus*; ac ſi in idem falſum idolum, riſùſque reciderent. Eant, & blandiantur ſibi de riſus veri cultu mundi cultores; inane ſimulachrum venerantur; dum riſum putant.

Obſepiantur ab omni parte delicijs, mundique lenocinijs ad riſum mundani prouocentur, verè dum ridere videntur, riſum ſimulant; alieni prorſus à vera lætitia ſunt, à vero gaudio; in pulchro venuſtòque horto nobis aliquando viſa marmorea quædam imago, quæ ridentis ſpeciem à quacumque parte videbatur, referebat; ſimulatus ille riſus erat, & non niſi marmoreus; lapideus eſſet qui lapidi riſum tribueret; non aliter ego de mundanis cenſeo, ſtatuæ marmoreæ ſunt, & riſum labijs exprimunt, intus triſtitia madent. Ambiantur mundi illecebris, intus ridere nequeunt, ſi mundi, non Dei ſui cultores; verus ille: *Mundanorum riſus* RISVS SIMVLACHRVM *eſt, & falſa fictitiaque lætitia ſpecie ſpectatores decipit, eos prius quos corripuit.* Audi, & ſaniorem ebibe mentem, quàm, vt credas mundi, & mundanorum riſum verum eſſe; verè non eſt.

11 Fructus hic ab hac arbore non decerpitur. Salices ſapidiſſima poma non producunt, nec mundus gaudium, ac lætitiam; & qui fructus iſte à mundo ſit, cùm ex Apoſtoli mente, qui falli neſcit, à Dei ſpiritu ſit; illius hæc ſunt verba: *Fructus autem Spiritus, charitas, gaudium, pax*; ab alio prodire non poterat fructus tam nobilis, tam ſuauis, tam ſapidus; falſus igitur eſt, qui verum gaudium illud eſſe putat, quod vernare in mundanorum labijs videtur; tam verè falſum eſt, quàm verum Dei ſpiritum mundum non eſſe, & à ſpiritualibus mundana, terrenaque diſtare.

Pende & gaudij veri ſitum; inter charitatem, & pacem illud locat Apoſtolus; locus iſte myſterio non eſt viduus; docere rectè voluit, ſolum illud verum gaudium eſſe, quod inter charitatem, & pacem adoleſcit; cùm igitur ab vtraque longiſſimè mundanorum riſus, & gaudium diſtet, gaudij nomen licèt circumferat, verè tamen verum gaudium non eſt, nec lætitia vera: cum charitate adeò non cohæret mundana lætitia, vt charitatem arietet; & pacem cum pace adeo non habet, vt pacem euertat pacis hoſtis.

12 Placet alio argumento, nec illo infirmo firmare fictam, & perſonatam mundi, & mundanorum lætitiam eſſe, non veram. Vera, ſolida, minimeque fictitia lætitia ea eſt, quæ eſt à Deo; abſit, vt ementitum aliquid, & non verum, à vero Numine dicamus eſſe, non eſſet ille, qui eſt, ſi hoc eſſet ab illo; cùm igitur mundi lætitia Dei lætitiam non inficiat tantùm, ſed deſtruat, vix enim alicuius mentem ſæculi gaudium ſubit, cùm Dei gaudium abit; nam hæc duo ſimul coaleſcere nequeunt, nec vnum habere domicilium, reliquum eſt vt non vera, ſed fictitia mundi lætitia ſit, nam verum vero non aduerſatur, nec ſimile ſimile deſtruit, & impugnat.

In

In mundi solo verum gaudium non pullulat, cùm spinis solum, viuciisque tribulationum scateat, discriminibus sit refertum, & vbique lachrymarum semina offerat, quæ in suorum cordibus insepelit fœcundo fœnore nascitura; denique non facilè audies risus, aut lætitiæ campum hunc mundum dictum, audies lachrymarum vallem nuncupatum, plorationisque locum, vt vel hinc disceres, verum gaudium non esse, nec verum risum, quo dum ridet, irridet suos. Laruam mundo deceptori auferebat Beatus Laurentius Iustinianus; præstat hîc eius verba innectere, vt à falso mundi risu quisque denectatur: PLORATIONIS, ET LACHRYMARVM *vallis nuncupatur hic mundus vt in illo degentes nullum verum norint inuenire posse solatium. Instabilis est, & per momenta decurrens, casibus plenus, periculis sæpius, turbinibus agitatus, fluctuationibus anxius, cladibus refertus, dissensionibus inquietus, mutationibus deditus, Deo contrarius, Cœlo dissimilis, virtutibus oppositus, sanctitati inimicus, & pijs mentibus onerosus.* Assigna quid hîc risum verum creare possit, quid vero gaudio mentem perfundere, ac irrigare.

Proh quàm fatui, quàm deliri, qui ementito, &
13 personato mundi risui se credunt, gaudiumque perdunt, quò auidiùs quærunt; & potest esse verum gaudium, quod vel hac sola ratione perditur, quòd quæritur? & potest non esse ficta mundanorum lætitia, quæ eò citiùs disparet, abitque in inanem fumum, quò maiori affectu amatur, maiori amore quæritur? Scitè amatores istos inuestigatores istos mundani, fictitij, personatique gaudij vellicat Beatus Gregorius Magnus: *Reprobi mala mundi tolerant pro mundo, eiusque vt ita dixerim,* GAVDIA QVAERENTES, PERDVNT. *nec tamen hac perdendo fatigantur*; adeò insaniunt, vt eò ardentiùs mundi sectatores inane gaudium quærant, quò inutiliùs: acuit illos inanis illorum labor, vrgentur ad inuestigandum, quia nunquam inueniunt, quod inuestigant; laborant frustra, quia frustra laborauerunt, cupidiores ad gaudia sęculi currunt, quò longè à veri gaudij nota sæculi gaudium est.

Salubre illis, si sanari vellent, monitum illud Tertulliani, qui à ficto hoc mundi gaudio vnumquemque auocans, aiebat. *Nihil tibi* CVM GAVDIIS SAECVLI; nihil nobis cum illo sit, quod nihil est, nudum gaudij nomen circumfert, nihil præterea est. Adumbrata mundanorum lætitia est, dissimilem animo vultum induunt, mœrorem, doloremque ficta quadam hilaritate contegunt, vt aliud sibi intus sint, & aliud alijs.

CAPVT III.

Mundi risus Sardonicus; mortem mundi lætitia portendit, atque etiam infert.

Sardonicus *mundanorum* risus, *rident, & moriuntur.*
Sardonicus risus *in luctum desinit.*
Cum risu perire *vt dicantur mundani.*
Mundi gaudia de ægritudine, *non de sanitate.*
Mundi lætitia *ad* lethum *nos trahit.*
Gaudia Diaboli venena *sunt.*
Gaudium temporale *cordibus infirmis,* maximè noxium.
Grande malum inde gaudere, *vnde* flendum *esset.*
Lethi & læti cognatio nominis, & rei.
Læta huius vitæ hami *sunt, qui animam capiunt.*

MVndi risum Sardonicum dixi, est;
mortem comitatur, mortem infert; 14
ridere homines sęculo dediti videantur, non est verus eorum risus; vera veræ mortis consignatio est; quod de populo Romano Saluianus dixit, trãsferre ad alios possumus; SARDONICIS, inquit, *herbis omnem Romanorum Populum putes exsaturatum, moritur, & ridet*; risus mortis antecambulo est. Sardonico risui comitem mortem esse testatur, & Sanctus Gregorius Nazianzenus, dum canit:

Id facio, quod mens mea damnat, & odit.
Oblectorque malis, mortemque in pectore fixam
RIDEO SARDONICO RISV.

Res meliùs in eos quadrat, qui pereuntes rident, sed non vident se perire.

Luctus, in quem desinit mundana omnis lætitia, cruces, & tribulationes, quas parturit mundanus risus, cuincunt plenè sardonicum esse ijs, qui à tali risu vincuntur. Præclarè ille ex nostrorum schola

Huius erit tandem RISVS SARDONICVS, *huius*
Lætitia in luctum desinet, inque crucem.

Sardonicum mundanorum risum esse etiam ille fatebatur, qui cecinit:

Non benè sollicito veniunt de pectore risus,
Non benè mærenti finguntur ore ioci.
SARDOA *veluti mala gramina pastus arator*
Ridet, & in risu tristia fata trahit:
Sic risus perimunt humanaque gaudia fallunt,
Et restat Nemesis sæua pianda manu.

Specta mundanos mundanis rebus immorientes, 15
mortuos intus reperies, licèt ridere extimè videantur; afferri Latini Drepani verba possunt: *Serenos vultus induebamus, & ad illorum vicem, qui degustato* SARDORVM GRAMINVM SVCCO, *feruntur in morte ridere, imitabamur læta mærentes*; hoc risu Sardonico rident, qui rerum mundanarum ebrij, ità falsò ridẽt, vt vere Deo mortui circũambulent.

Non esse germanas mundi iucunditates, sed Sardonicum risum parturire, etiam ab externa schola Plutarchus asserebat in hæc verba: *Hæc nemo sanus oblectationes, vel lætitias germanas appellet, imò si vllus est animi* SARDONICVS RISVS, *in his est.* Eat nunc mundanus, & verum risum putet, qui à mundanis rebus est.

Quid? quòd adeò fatui mundani, vt Sardonicum risum esse, quem sectantur sciant, & sectantur tamen; vnus in mundi schola eruditus, hoc est insano amore insaniens, hæc efferebat.

Vt qui SARDOIS *fauces satiauerit herbis,*
Ridenti gelidam prodigit ore animam:
Sic ego, quo crucior, morbum sequor.

Iam se fugit, qui risum sequitur, quem sequitur mors, & mortis comites molestiæ; de mundano risu ita alius censebat, SARDONIVS *est risus ægritudinis comes, & lacerantis molestia*; & placet hic risus, & molestijs etiam emitur, & lassitudine? nimirum parum erat sine labore perire, & sine dolore

lore perire, & sine dolore dolere, mercamur nobis doloribus dolores, & mortem inferentibus mortem; ne graues essemus misceri, sed eò miseriores, quia non sumus tantùm, sed etiam esse quærimus.

16 Et quis non videat, eos ridere Sardonico risu, qui tunc lætitiam præseferunt cùm ea committunt, quibus mors affertur, tuncque plùs in risum effunduntur, cùm pereunt? Benè Eusebius: *De sui perditione lætantur, similes illis, qui fortè sumentes* EXITIALES HERBARVM SVCCOS, *cum risu perire dicuntur*; & non satis erat perire, nisi interitum risus comitaretur, cæteris decipiendis, ipsis iam deceptis?

Goæ mulieres, vt perhibent, herba datroa vtuntur, vt viros fallant, cuius seminis succus in cibo, aut potu propinatus insano similes reddit, nec intelligit quicquam, sed semper ridet, qui eum sumit; plerique non expectant, vt decipiantur; ipsi se decipiunt, rerum terrenarum succum ebibunt, rident, sed pereunt, & hoc nocentius, quod se perire non intelligunt, aut si intelligunt, perire tamen volunt; ab omni parte miseri, à nulla læti.

17 Vniuersè, quòd in mundanis rebus mundi sectator gaudeat, & rideat, ab ægritudine est, non est à sanitate: *Gaudia hæc tua*, inquiebat Sanctus Augustinus, *de* ÆGRITVDINE *sunt, non de* SANITATE; sunt enim quædam ægrotantium desideria, venit sanitas, perit cupiditas; quomodo corporalis sanitas ista tollit, sic omnia tollit immortalitas, quæ est nostra sanitas; à vitiato animi palato hæc gaudia sunt, à mortifero rerum mundanarum succo hic risus; non poterat non morbo laborare, qui laborat, vt pereat, & ridens ad mortem currit; risu dignus, si eius insaniam spectemus, sed planctu si miseriam.

Gaudia mundana lætos non reddunt mundi cultores, sed ad lethum trahunt; venenum bibit, qui præsentis vitæ gaudia quærit; venena quippe non gaudia sunt, quæ mundanis afferre risum videntur; iure Seuerum suum laudat Sanctus Paulinus: *Tu*, inquit, *verus factor legis, qui delitias iuuentutis, & vitæ præsentis* MALA GAVDIA *pro* VENENIS, *& luctibus auersatus es*; mala gaudia sunt, quæ ab illis rebus sunt, quæ bona dicuntur, & venena bibentibus porrigunt ad mortem.

18 Dæmonis hæc fraus est suos decipientis, dulcia mortem inferentibus commiscet, vt veneno perimat mellis dulcedine deceptos. Benè Eucherius: *Diabolus obsessa semel pectora mollissimis seductionibus decipit, sic Diabolus calliditate veteris artificij condit blandimenta peccandi; quomodo solent, qui* MORTIFEROS HERBARVM *temperant succos, in condito, aut in aliquo mellito poculo nescientibus propinare* GVSTVS *mentita suauitate componunt, virus amaritudinis obscurant fraude dulcedinis, prouocat prius odor poculi, sed præfocat infusus sapor in venis; mel est, quod ascendit in labia, fel est quod ascendit in viscera. Ita Diabolus per rerum carnalium concupiscentias, & illicitas voluptates extrinsecus blanditur, intrinsecus insidiatur.* Quid aliud à tali deceptore expectes, quid aliud in tali hoste timeas? sæuior sui hostis est, qui tam sæuo hosti credit; nec eius artes vitat, & insidias, & quod magis est, in se non semel expertus est; qui sapit, in melle venenum suspicabitur, vitabitq; illecebras, vt insidias, gaudijque blandimenta, vt mortis succum. Specta mundi huius delicias, spectacula; specta omnia ea, quæ à mundanis afferre gaudium putantur, & mortem ab illis prodire velut à diaboli venenis deprehendes; gaudia ista diaboli venena sunt, ad mortem illos ducunt, quos corripiunt; à probo calamo teneſt; insero verba, cuiusque cordi ad fructum inserenda. GAVDERE *bonum est, sed qui gaudet, si non inde gaudet, vnde debet, non potest bonum esse, quod gaudet; gaudet raptor, cùm desiderata rapuerit; gaudet ebriosus, cum occasionem potationis inuenerit; gaudet adulter, gaudet qui huius seculi facultates iurando acquisierit, gaudet iracundus cum iram suam perfecerit, & cum sit gaudere bonum, de his, atque huiusmodi tamen gaudere grande malum est, & perducens vsque ad mortem peccati. Hæc sunt vnde nos vult gaudere mundus, vt pereamus cum amatoribus huius mundi; hæc cum* GAVDIA VELVT VENENA DIABOLI *repudiare debemus, quia non solùm corpora, sed & animam nostram perpetualiter necare festinant*; & placent hæc venena, & tanta insania laboramus, vt bibere ea quæramus, & queramur, nisi ea bibenda offerantur? adeò non vitamus hæc gaudia venenata, vt in veram perniciem nostram, falsò ridere velimus.

Noxium omnibus temporale gaudium, temporalis risus, sed ijs maximè, qui infirmiores sunt, debilioresq;, vini similitudine in eos maximè vim suam exerentes, quibus debile est caput. Rem appositè explicat Vmbertus; nolo hîc eius verba desiderari, quæ sunt ista: *Sicut vinum purum bibentes habent capita debilia, sic* GAVDIVM TEMPORALE CORDIBVS INFIRMIS *nocet*; hinc fit vt nocentius inane gaudium sit, quod auidius quæritur, & magis cupidè traijcitur; eò magis nocet, quò nocere minus creditur, plus dulce putatur.

Ebibe, si sapis, meliorem mentem, vt non melius tantùm sapias, sed & melior fias; vita hæc gau- 19
dia, quibus vita aufertur, aut animæ, aut corporis, aut vtriusque; risu plerosque animam expirasse, compertum est, & fors plures risu, quàm fletu; Philemon Syracusanus, vt auctor est Hesychius, nimio risu extinctus est, Philistion quoq; Prusaensis immodico risu perijt; alij quoque periere, qui exemplo probarunt, probandum nimium risum non esse, qui corpori ipsi necem inferat; scitè ille: *Quot inter risus nec dum expleto cachinno mors rapuit, & risum secuit medium?* dum scilicet ridentem secuit.

Caligula, vt Suetonius scribit: *lautiore conuiuio effusus subitò in cachinnos, Coss. qui iuxta cubabant, quidnam* RIDERE *blandè quærentibus, quid, inquit, nisi vno meo nutu iugulari vtrumquemque vestrum statim posse?* ac si grauidus aliorum morte risus eius esset; iam ridentis animam mors à risu innafcerat, qui quæsitus cur rideret, mortem inferre alijs minabatur; insaniores illi, qui rident, non quia alios perimere possint, sed quia ipsi perire velint; volunt enim qui terrena volunt, & mortem sibi quodammodo inferunt, qui quærunt inferentia, & rident dum inueniunt, quod quæsierint.

Lethi, ac læti magna nominis cognatio est, vt vix discrimines, aut ne vix quidem, si duo hæc nomina
audias tantùm, non videas; magna est & rei cohę- 20
rentia; quod lætum putas lethum est, mortem inuehit, quod putabas lætitiæ vehiculum futurum; speciosum læti nomen plures ad lethum rapuit, quos lætitiæ mũdanæ amor prius corripuerat. Vitæ huius læta, si quis ex vero penset, mortem secum ferre deprehendet, vt videantur hamis paria, quibus pisces capiuntur, vt pereant; qui plus aliquid sapit, quàm pisces, vitabit hosce hamos, nec lætis rebus capi se finet; cautio à probo calamo est; LAETA, inquit Sanctus Nilus, *vitæ huius fuga, ne te oblectent*, HAMI *enim sunt, animam, vt pisces, irretientes*; cui hami isti non displicent, placet mors quæ illos sequitur. Placet vita? hoc monitum tene; fac ne hisce hamis tenearis, qui dũ amantur, hamãt.

CAPVT IV.

Mundanorum risus, & lachrymis grauidus, & in lachrymas desinit, desinit in amaritudinem.

Iris *plorantis risus olympi*.
Mundanorum risus iridi *par*.
Eiulans risus *mundi lætitia*.
Gaudia sectatores suos seducunt.
Concipiunt *lachryimas gaudia, dant lachrymarum* fœtum.
Sub risu lachrymæ *absconduntur*.
Desinunt in lachrymas *deliciæ*.
Dolor risui *admixtus*.
Ad æternum luctum *præsens gaudium suos ducit*.
Pro temporali lætitia æternam *dæmones nobis eripiunt*.
Gaudiale æquor *haud nauigandum*.
Lugenda gaudia *fugienda sunt*.

21 ITa est, sub mundani risus larua latent lachrymæ, lachrymis grauida mundana lætitia est. Ridentem mundi faciem, ac mundanorum Iridi comparo; Iridem specta; mentior, si non ridentis eos videre tibi videberis; forma, quæ in arcum flectitur, oris curuitatem refert, colorea labra referunt, & dentes, cœlum; si iridem videas ridet, si rem ipsam, plorat ridentis vultu; vt scitè à quodam Poëta, Iris

> Risvs *plorantis Olympi*

Sit dictus, mundi figuram in figura Iridis habemus, habemus & mundanorum sub risus specie; non lachrymarum imbrem portendunt tantùm, sed & tegunt; nudam risus imaginem delicijs suis, illecebrisque sæculum offert, offerunt sęculi amatores; ridere videntur, sed videntur duntaxat, intus lachrymis madent, vt & Plutarchus mundi lætitiaa, *eiulantes risus*, scitè appellauerit; risus sunt, si vultum videas: *eiulantes*; si illud, quod sub vultu; si rem censeas ex specie, risum credes, si ex veritate, luctum; cogimur illi subsignare, qui cecinit:

> *Heu risus noster* Lvctv miscetvr *amaro;*
> *Diraque sub dulci melle venena latent.*

Seducitur, qui se duci extima gaudij specie sinit & nec sub gaudij vultu luctum videt; necessarium hic Sancti Augustini monitum, qui omnibus inclamabat: *Nolite* Sedvci gavdio *rerum humanarum, flenda in rebus humanis aduertite*; adeò plerique seduci non timent, vt nec moneri ferant, ne seducantur.

22 Mundi risum lachrymis esse refertum, hoc etiam indicat, quòd post ingens gaudium, effusamque lætitiam suboriri lachrymæ soleant; risus lachrymas parturit, vt vel hinc constet lachrymis grauidum; nihil nisi quo grauidum solet parturire.

Quod concipiunt mundana gaudia, hoc edunt; conceptas lachrymas producunt in plures. Prudenter Prudentius:

> Gavdia concipivnt *lachrymas, dant gaudia* Fletvm.

Fœtum alium ab hoc vtero non expectes; copiosiores lachrymas, amarioresque profundit, quò grandior, latiorque gaudij mundani sinus est.

Non lachrymas tantùm tegit mundi risus, sed lachrymas etiam ducit; in lachrymas desinit; Verus sapiens: *Extrema gaudij luctus occupat*; non afficit tantùm; sed occupat; vt extremæ dementiæ sit, illud gaudium sequi, cuius extrema tenet luctus, & ab ementita lætitia ad verum fletum ducit.

Mundana quoque voluptas, quæ mundani risus 23
mater, ac nutrix, tegit sub risûs laruâ amaras lachrymas; decipimur, nisi laruam submoueamus; verus ille:

> *O fallax siren? ô perfida lena voluptas?*
> *Heu mihi quot flenda nubila fronte regis?*
> Svb risv abscondis lachrymas, *sub melle venenum,*
> *Vt celent paphia spinea tela rosa.*

Viride lignum, quàm igni admouetur, mundanorum risum refert; ab vno extremo post ingentē fumum, ignem tandem concipit, ex altero lachrymatur, flamma risum æmulatur, lachrymis lachrymas significat; mundi risus extremo vno risus figuram quandam habet, sed in lachrymas desinit. Mundi deliciæ, voluptatesque viridi ligno sunt pares, ægrè in simulatę lætitiæ flammam erumpunt, sed postea in lachrymas desinunt. Præclarè Sanctus Cyrillus Alexandrinus: Desinvnt, inquit, in lachrymas deliciae; quæ eò amariores, quò dulciores delicię ipsę videbantur.

Quid? quòd vna, eademque hebraica vox, vt 24
hoc quoque rei firmandæ producam, lachrymas, deliciasque significat, vtraque enim notio sub hoc nomine עדן *aeb* delitescit; de lachrymis quippe dicitur, deq, delicijs, ne facilè nos ea abiūgeremus, quę vel in eadem voce indissolubili quodam vinculo nectuntur.

Natura ipsa in risus fonte docuit dolorem risui admixtum esse, dolori risum, ex splene, quemamarum fel facilè inficit, risus prodit, vt originis suæ naturam sapiens risus dolorem sapiat, sapiat amaritiem, hanc pro matre habens, ab huius veluti vtero fluens; scitè scitus ille auctor canebat:

> *Luctifero splenem cum felle venenat amaror,*
> *Vnde mihi* RISVS *vena benigna fluent?*
> *Cuncta dolor violat, puro si* GAVDIA *riuo*
> *Credis iturа nigro fonte, doloris erunt.*

Felle infectum risum illum esse oportet, quem natura foras prodire voluit ab eo, vt ita dicam, vtero, quem sępè felleus, amarusque humor inuadit, inficitque.

Fontes videa, & flumina, dulces aquas vehant, dum vehuntur, ad amaras currunt; fluunt ad mare; vt ab hoc cursu statim discamus, omne mundi gaudium, & risum in lachrymas desinere, & in amaritudinem. Benè Richardus: *Risus, inquit, dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat, eò quòd omnis dulcis* Aqva in Mare *descendat, & dulcedinem amittat, transit enim mundus, & concupiscentia eius.* Proh quàm felix nauigaret, qui hac mente latentes mundani gaudij aquas inspiceret,

ret, nec ferret se ferri per ementiiam dulcedinem ad veram amaritudinem, per fictum risum ad veras lachrymas!

25 Maius aliquid habeo, quod uffero, & maioris ponderis; ferendum esset, si risus ad fletum tantùm ferret, ferat ad æternum; magnam hîc abyssum video, spectanda seriò est, ne tunc spectetur, cùm remedijs nulla erit reliqua spes, nulla euadendi; præsens risus breuia est, & citò finit, sed ad luctum ducit, qui finem habet nullum, nullum terminum: *Videte ergo, ne blandiens*, verba sunt Sancti Bernardi, *præsens prosperitas sui vobis finem abscondat, ne* LÆTITIA TEMPORALIS LUCTUM VOBIS ÆTERNUM *& operiat, quem parit, & pariat, quem operit*; vix elegantiùs res exprimi poterat, vix opportuniùs; à fœtu matrem disce, caussam ab effectu dignosce; temporalis risus æternum fletum parit, æternum dolorem fletum parturientem parturit, & verus esse risus potest? non potest, & calculum suum adijciunt, qui æternis flammis addicti eò grauiùs dolent, quò liberiùs in risum se se effudere.

26 Nemo adeo sui hostis sit, vt ficto se risui mancipet; æterni fletûs, æterni cruciatûs futurus mancipium, si se fictæ lætitiæ subijciat; nemo adeò desipiat, vt satanici hostis artibus decipi se sinat, qui temporalem lætitiam nobis offert, vt æternam nobis surripiat, & placet hæc mutatio, & eligitur? & eò mortalium euadit insania, vt lætitiæ amore lachrymis grauidæ, æternam, & ab omni tristitiâ, tristitiæque metu alienam amittant? Spectat huc Diabolus, hoc expectat; hoc si permittimus, cum hoste nostro sentimus; *Dæmones enim*, Beati Laurentij Iustiniani verba sunt; *hac potissimùm ratione nos tentant, hac de causâ nobis sæculi oblectamenta suadent, & promittunt, quatenus pro T*EMPORALI LÆTITIA DIRIPIANT CONSENTIENTIBUS ÆTERNAM; & vbi mens, & vbi ratio? vix sentias hominem esse, qui tam impari mutationi consentit.

Et non consultius esset hîc abstinere ab inani, & noxio risu, tunc exultaturi cùm dolebunt, qui riserint? nam, vt ait Sanctus Anselmus: *Cùm multi dolebunt, qui modo miserè* RIDENT, *vos* LÆTITIA *inenarrabili exultabitis, & gaudebitis*; Surripiat se quisque ab illo risu, qui æternam lætitiam surripit, & fletus ille ametur, qui æternum risum gignit, gignit verum.

27 Mare sæculi gaudium referre videtur, malatiâ quadam blanditur, vt vndis suis suos insepeliat, arridet, vt irrideat, in cautes vrget incautos, æstûs ludibrium iam factos, dum inanis voluptatis amore æstuant: frustra illi, nimisque creduli, à quibus hæ voces effluxêre: *Nauigemus* GAUDIALE HOC ÆQUOR, *subducturi ratem, si quæ à fluctibus, ventisque mina surrexerint*; malè rationem subducunt, qui subducere se posse ratem rati, insidia hisce vndis se committunt, quæ absorbere credulos student, dum ludunt, ac subsidunt. Plures hoc falsi gaudij æquor secum sui absumpsit, quàm omnia vbique maria vndis obruerint; nimirum hoc ipso plus timendum, quò minus timetur, eòque nocentius est, quò ridente quodam vultu non creditur nociturum.

Fefellit personatâ facie multos iste risus; caue ne deceptorum augeas numerum; personam ridenti lætitiæ amoue, ne ad illam mouearis; *Quid tibi cum bonis perituris*, GAUDIISQUE LUGENDIS? Lugenda gaudia sunt, ex Richardi Victorini mente, quæ à risu esse, & ad risum ferre, ferrique falsò putantur; plangenda gaudia sunt, & eò magis; quò minus planguntur, plus amantur.

CAPUT V.

Caninus mundi risus; mordet, quos afficit mundanum gaudium.

Amarulentus, *&* caninus *mundi risus*;
Luxuria *mordet* ridendo.
Rabiosa *luxuria est*.
Carnale gaudium in fine mordet.
Sub blanda lætitia vulen cuspis *latet, latent* vulnera.
Qui mundum amat, non gaudia, *sed* vulnera *amat*.
Satan ridet vt mordeat.
Mundi sectator catulos *parit, quibus* mordeatur.
Læsa conscientia vt canis latrat, *&* mordet.
Mundana mordacia *dicuntur, quia amatores suos mordent*.
Peiores canibus *res terrenæ, nec dominis suis parcunt*.
Mordet, *quæ offert fortuna, & nos fortuna* mordent.

Caninum appellaui sæculi gaudium, est; dum blandientis faciem, ridentisque præsefert, mordentis rabiem habet. 28
Specta rabidum canem, dum dentes ostentat, ridere videtur; sed sub falso risu veram occultat rabiem; quis adeò fatuus, vt rabidi canis morsui se nudum, & inermem exponat, risûs specie deceptus? Nulli solet imponere risus canis in rabiem acti; imponit multis ridentis mundi facies, & mordentis; Sanctus Augustinus mundi risum *amarulentum* vocat, *atque caninum*; canis morsui se exponit, qui mundi gaudia sequitur, sequitur fictas mundi voluptates; mordet per illa amatores suos mundus, mordet per istas. RABIDUM & LANIANTEM CANEM ab hac causâ voluptatem vocauit etiam Theologus Nazianzenus; vix illa mentem subit, cùm dentes eò acriùs admouet, quò amatur vehementiùs: canis huius dentes acuit voluptatis amor, sæuit illa crudeliùs, quò blandiùs excipitur, rabiem à mollitie nostra sumit, viresque à nostra imbecillitate; mitior in nos esset, si nos in illam sæuiores; sæuit illa, quia nos non sæuimus.

Luxuria qua maximè suis mundus blanditur, ridentem licèt faciem referre videatur, verè mordet, dum verè non ridet. Audiendus hîc Sanctus Bernardinus Senensis; *Malus*, inquit, *vermis luxuria, quo nullus alius nocentior; ingreditur enim blandiendo*, MORDET RIDENDO, *perimit consentiendo*, eò nimirum sæuior est, quò suis blandior videtur. 29

Luxuria, quæ omnium voluptatum maxima creditur, videtur eamem mulcere, non mulcet, sed mordet, & rabie acta in rabiem agit, quem corripit; vt iure eam *rabiosam* dixerit Sanctus Gregorius Nyssenus; *Crudelis*, inquit, *domina, a* RABIOSA *luxuria est*, *libidinis quasi stimulis seruilem mentem exagitans*, pungens, ac dentibus velut canis mordens, & discerpens. Quid spectemus ab

alijs affectibus, si ille rabidus mordet, qui delinire creditur, & blandè allambere?

Blandè videatur ad nos accedere mundana lætitia, ridentis faciem præseferat mundanum gaudium, timere morsum eius debemus, quia rabidus canis est, morder quos corripit. Verus ille: *Omne carnale gaudium blandè intrat, sed in fine* MORDET, *& perimit*; non in fine tantùm mordet, mordet statim; nequit continere sænitiem suam; demus in initio non sentiri morsum, antea dentes in suos demiserat, cùm admitteretur à suis. Antiquorum hic mos erat, referente Plutarcho in Pompeio, vt lætum nuntium lancearum cuspidibus lauro tectis significarent; à læto nuntio ad mundanam lætitiam rem transfero, quia ipsa transfert me: lætitiæ mundanæ imaginem hîc habemus, blanda videatur, & florida; cuspis latet, vt cruentet, & vulneret non corpus, sed, quod grauius, mentem animùmque. Huc nos ducit Sanctus Ambrosius: *Intuere*, inquit, *peccatoris* LAETITIAM, *introspice* VVLNERA, *& vibices animæ eius, cordisque mæstitudinem*; viuida lanius lanceæ cuspidem tegit, quò sub fictæ lætitiæ specie, à lætitia alieni animus vulneretur.

30 Quò te mundi amor ducit, quò te miser falsi gaudij species falsa trahit? verè non gaudia amat, sed vulnera, qui mordentem mundum sequitur, quem ridentem putat; Audio mentem mundo ipso superiorem efferentem Gregorium magnum: *Si tamen*, inquit, *adhuc mundum diligimus, non iam* GAVDIA, *sed* VVLNERA *amamus*; grauiora hæc vulnera sunt, quò latentiùs inflicta, quò noxiori fraude sub illecebris occultata.

Mundus à mundi principe didicit ridere, vt mordeat, & blanda offerre, vt vulnus infligat; Diaboli versutias, fallaciasque detegens Sanctus Hieronymus: *Vniuersa*, inquit, *mendacia subdolo melle circumlinens, vt qui audit verborum dulcedinem venena pectoris non formidet, pacem pollicetur, vt grauiora bella exerceat*, RIDET, VT MORDEAT. Audis? morem ducis sui mundus sequitur, dum ridentem offert faciem suos, mordet.

I, & verum risum cense, quem laniaturus suos suis mundus exhibere videtur, cùm verè non exhibeat; falsus est risus, verus morsus, vera laniatio est; & sumus tàm fatui, sumus tàm deliri, vt latranti credamus, mordentem amemus, & ridentem putemus, qui vulnus infigit? mordet, nec verè ridet, sed verè nos irridet!

31 Malorum fæcundus malus hic risus est, rabidus canis est mundus, ridet vt mordeat; malum hic non sistit, catulos alios gignit, quibus mordeatur, qui mordetur. Ferunt à rabido cane morsum per vrinam aliquando catulos parturire, exiguos illos quidem, sed tamen catulos; fallor si idem in mundanorum mente non accidit, quos mundus ridens velut canis in rabiem actus mordet; ab hoc cane laniati catulos, imò canes grandes in se parturiunt, quibus mordeantur. Mente adi mundanorum mentem, & post blandientis, ridentisque mundi morsum morderi à concupiscentia, velut natis ab illo illius canis morsu canibus videbis; mordent eos mille solicitudines, curæ mille dilaniant.

Et vt alij canes desint, adest læsa conscientia, quæ eos velut canis mordet. Assuam hîc Matthæi Bossij conterranei mei verba: *Latrat*, inquit, *instar domestici* CANIS *conscientia*, MORSVS *atque vulnera sentiens sua*, non latrat tantùm, sed & mordet, & vulnera, morsusque sui sunt suorum. Vitemus hos morsus, fugiamus hos laniatus, hæc vulnera; insania vulneratam iam mentem circumfert, qui mentem hisce latratibus, morsibusque exponit.

Qui morderi non vult, mundana omnia deserat, quæ plus mordent, quò plus amantur: terrenæ res temporalia omnis mordent, dum mulcent, vt iure, *mordacia*, ea Possidonius dixerit, in vita Sancti Augustini sic ille scribit: *Vix aliquando se ipsum ad ista temporalia ab externorum cogitatione relaxabat, & reponebat, quibusque ille dispositis, & ordinatis tanquam a* REBVS MORDACIBVS, *& iam molestis animi recursum ad interiora mentis, & superiora faciebat*. audis mordacia dici, quæ risu blandiri videbantur? mordent res terrenæ, & eò seuiùs, quò seuitiâ omni posita suos mulcent; verè sæuitiem non posuerunt, dum sedem sui in nostris cogitationibus ponunt, semper mordent, dum earum cupiditate non tantùm agimur, sed angimur. 32

Peiores canibus res terrenæ sunt; illi in alios sæuiunt, dominis suis parcunt, quibus blandiuntur; hæ primùm dominos suos mordent, eòque acriùs mordent, quò tenaciùs possidentur; nisi dicamus verè non esse dominos, qui terrenarum rerum amore mordentur, sed seruos; atqui nec familiares seruos canes mordent; vt ab omni parte canibus sint sæuiores res terrenæ, quæ putantur falsi risûs simulatione vero gaudio perfundere; suos non perfundunt gaudio, dum amantur terrena, sed gaudium à suis effundunt, si aliunde contingat illos vero gaudio tangi.

Mordacia omnia sunt, quę fortunę dicuntur bona, momordit ea fortuna, & rabiem quandam morsa illis affricauit, vt in rabiem illos trahant, qui amore trahuntur ad illa; certè mentem dum non explent, acuunt illius famem, cupiditatem accendunt, vt iurè rabida quadam fame in non habita feratur, & efferatur, dum non habet; Peritè auctor ille, cuius verba hîc in lectoris vtilitatem sunt implantanda: *Ouem, aiunt*, MORSAM *à lupo si quis edat non satiari, sed laborare fame: illud certius, quicquid fortuna* MORDERE *potest, non saturabit cor; esuriem potius acuet*; mordet quę offert fortuna, & non fortunę mordent, vt plus famis habeamus, quò plura fami extinguendę illa nobis conatur exhibere; sed hoc infortunio sumus diuites fortunis ditati, vt tanquam à serpente morsi ad diuitiarum aquas maiori siti feramur. Alienus ergo à se est, qui in alienis non in se gaudium quęrit, & risum ab illis rebus quęrit exculpere, quę dentes in illos acuunt, qui in illas acuunt cupiditatem; vis gaudere? calca terrena, quę mordent cùm amantur, blandiuntur cùm non blandiuntur, risûsque impedimenta amouent, cùm voluntas in illa non mouetur, & quod maius est, nec illorum causa, nec occasione. 33

CAPVT VI.

Mundi Risus & breuis, & inanis.

Fugitiua *mundi gaudia*.

Somnijs *similia terrena gaudia*, & vanissima.

Lætitia sæculi diù expectatur *vt veniat, &* statim abit.

Edaci fine *deuastantur terrena gaudia*.

Auo-

Auolandum *ab illis gaudijs, quæ citò auolant.*
Risus lunæ adspectui *comparatur.*
Citò exsiccatur gaudium, quod ex terrenis exprimitur.
Lætitia, quæ ex nihilo, *nihil est.*
Momentaneo risu *æternus fletus* emitur.
Gaudium pyraustæ *gaudium mundanorum.*
Risus *nexus, & spinarum.*
Lætitia citò in tristitiam *desinit, vt flamma* in fumum.

34 Non erit inanis labor, si calamum in inanem risum acuam, nec breui fructus desinet qui ex manifestata inanis risûs breuitate prodibit. Non fallacia tantùm peccant mundi gaudia, peccant & inconstantia, non sistunt, sed fluunt, in hoc solo constantia sunt, quòd nunquam sistunt.

Breuis mundi lætitia est; diù nequit apud possessorem suum manere, fugitiua omnia vitę bonus gaudia sunt, aut non sunt, aut in volatu, in fuga consistunt. Pulchrè ille rem & dixit, & signo significauit.

Mitto rosam, vt noris FVGITIVAE GAVDIA *vitæ.*
Mane orta in tenebras languet eunte die.

Mundani gaudij rosa insigne est, non ob breuitatem tantùm, sed quia vt illa spinis circumsepitur, sic & mundi lętitia curis, solicitudinibus.

35 Etiam campi ridere perhibentur, sed nec verus campi risus, nec diuturnus; desinit cùm flaccescunt flores, arescunt germina; cùm non alias radices habeat, quàm flores, quàm herbę, diù florere non potest, qui floribus innititur: nec mundanus risus, mundanum gaudium perennare potest, qui à florentibus huius mundi, fallentibusque delicijs, ac voluptatibus est.

Non stant terrena gaudia, semper volant, semper auolant; verus fuit, qui volatica ea dixit; sunt, vt esse non videantur, si non volent: Scitè ille:

Gaudia non remanent, sed FVGITIVA *volant.*

Verè auolant gaudia, quę non vera, fugiuntq; antequam comprehendantur; somnijs ea Philo comparabat: *Prophana*, inquit, *gaudia* SOMNIIS *sunt simillima, veniunt, abeunt, occurrunt, refugiunt, priusquam comprehenduntur, auolant;* cum amatoribus suis ita ludunt, vt amatores suos illudant; Iure hęc gaudia VANISSIMA dixit Sanctus Gregorius Nazianzenus, verè sunt, & vanissimus etiam ille, qui illa consectatur tanquam non vana.

36 De falsis gaudijs non falsus ille fuit, dum cecinit:

Quæ durare putas mortalis gaudia vitæ?
Sunt BREVIA, *& finis tristis amoris erit.*

Non essent mundana, si diuturna sęculi gaudia essent; nequeunt durare per sęculum, quę sęculi sunt; Vix aduenit lętitia ista cùm abit, diù quęritur, exspectatur diù, sed diù apud illum non stat, qui diù illam exspectauerat; *Lætitia sæculi*, ait Sanctus Augustinus, *cum magna expectatione speratur, vt veniat, &* NON POTEST TENERI *cum venerit;* teneri lætitia non potest, cuius tanto amore tenentur sęculi cultores; amatores suos statim detinet, vt eos puniat; parum erat in aduentu lętitiæ homines torqueri, torquentur, & in abitione. Beatus Alcuinus ab edaci fine deuastari gaudia, hęc dixit:

Omnia finis edax deuastat GAVDIA *mundi.*

Sed finis iste gaudium non in fine tantùm deuastat, sed in principio; addo, gaudium mundiale ante incipit deuastari, quàm, vt ita dicam, incipiat esse, cùm deuastari incipiunt, quæ gaudium putantur afferre; & solicita gaudij futuri cogitatio, quæ ante gaudium, gaudij quædam deuastatio fit. Vis gaudijs mundi, mundi illecebris ridentibus non decipi? finem cogita.

Rolandus quidam diem integrum in lætitiâ, delicijs, ludis, & sæculi vanitatibus, cùm transegisset, serò ad se reuersus, quin & seriò, & quò, inquit abijt tota totius diei lætitia? & videns lætitiam totam in dolorem transiisse, transijt statim ad meliorem statum, in religiosam familiam dedit nomen, in quâ magnâ sanctitate familiam duxit; & falsam lætitiam veris iucunditatibus expiauit. 37

O eadem mens mundi amatores corriperet, & seriò cogitarent abire mundi inanem lætitiam, nec diù apud eundem stare; qui volaticum mundi gaudium censet, non facilè ad illud adulat; auolabit ab illo: alas Mercurij pedibus ob pernicitatem antiquitas dedit, debentur alæ sæculi gaudijs, quæ citiùs auolant, & celeriùs ab eo fugiunt, qui velociùs ad illa currit.

Risum lunæ adspectui comparatum obseruat Petronius: *Delectata illa* RISIT *tàm blandum, vt videretur mihi plenum os extra orbem* LVNA *proferre:* cohæret cum lunâ risus mundanorum: instabilis, & varius est: durare diù non potest, nec radices altas agere: facilè mutatur, crebriusque, quàm luna. 38

Ratione tecum ago, quia præditus ratione es: cùm risum, gaudiumque sæculi voluptates, illecebræque, & ea quæ mundus offert, ferant, quî fieri potest, vt risus diuturnus, firmus, stabilisque sit, si mundi figura præterit, instabilia omnia sunt, omnia fugacia, quæcunque in mundo sunt? Peritè ille: *Citò nostrum* EXSICCATVR GAVDIVM, *quod è nostro mutire nolumus, malumus de scopulis exprimere, malumus allambere extrinsecus:* exprimit verius nos, dum exprimere à rebus citò perituris citò petiturum conamur gaudium, exsiccatque mentem lætitia, quæ tam citò exsiccatur.

Mundanorum risum damnabat Amos Propheta: *Væ*, inquit, *illis qui lætantur in nihilo;* hoc est in fluxis, & pereuntibus rebus, quæ citissimè abeunt, citissimè finiunt; in mundi huius voluptatibus, quæ statim ac aduolauerint, aliò auolant, & amatores suos deceptos deserunt, nihili lætitia est, & verè nihil est, quæ à nihilo, hîc quoque ex nihilo nihil fit. 39

Mundi risus citò desinit, diù durare non potest; tutius erit, erit vtilius, si per te finiat quàm si à te; finem eius anteuerte, opprime eum ne te premat; gaudio vero vt perfundaris, ne effundaris in falsum, in fictitium, in volaticum. Nemo adeo desipiat, vt momentaneo risu æternum sibi fletum mercetur, hac quippe laborant insaniâ, qui risu inani tenentur; de quo ita sensit Sanctus Petrus Damianus: MOMENTANEO RISV PERPETVVS FLETVS EMITVR; ineptus emptor, qui pretio sibi pœnas emit; insaniæ certa consignano est, æterna

V 3 gau-

gaudia perdere, æternis se suppliciis mancipare falsa delectatione, falsum, & citò finiendum risum promittente; Sanctum Augustinum inclamantem audi: *Nulla maior insania, quàm pro delectatione momentanea perdere* AETERNA GAVDIA, *& obligare se ad æterna supplicia*; ligandus tanquam amens est, qui ita se obligat, vt à risu momentaneo ex momentanea voluptate expresso ire ad æternos cruciatus velit.

40 Pyraustę gaudium in prouerbium iuit de fluxu & momentaneo; notum illud: GAVDIVM PYRAVSTAE GAVDES; occini hoc mundanis debet, qui flammis se æternis addicunt, dum exiguo spatio circa flammam ludunt ridenti quadam specie.

Verè magnus nexus risûs, & flammarum; flammæ crepitum *Vestæ risum* ab aliquibus dici testatur Cælius. Verius, & extra fabulas Sapiens: *Sicut sonitus*, inquit, *spinarum ardentium sub ollâ, sic risus stulti*; Spinis, quæ cremantur mundanorum risus est similis, quia vt spinæ citò exuruntur, ita & risus, vix exilit, cùm resilit, vix esse incipit cùm desinit esse; Sancti Ambrosij hæc sunt verba, ad hæc verba: *Sicut vox*, inquit, *spinarum sub ollâ, ità risus stultorum*; *Nempe spinæ cùm ardent sonant, & citò exuruntur, vt nullus caloris sit effectus*; *Vnde, & de Iudæis dictum est*; *exarserunt sicut ignis in spinis*; EXVSTI SVNT ENIM SVO RISV, *& conflagrarunt in Domini passione*; citò risus finit, sed damni quod infert non est finis, nec exitus exitij.

41 Flamma moritura in fumum desinit, lucemæ lux caligo fit; idem in mundi lætitiâ accidit, vix quidpiam ementiit, & fallentis luminis emittit, cùm in tristitiam vertitur, in mœrorem. Scitè Sanctus Bernardus: *Lætitia læta res in tristitiam commutatur, sicut* FLAMMAE ILLIVS *nouissima fumus occupat, & caligo*; Lætum quidpiam se tibi offert tanquam exiguum lumen? fumum cogita, tetrumque cum fumo odorem; time ne pyraustæ gaudium sequentem pyraustæ finis consequatur.

Specta æterna gaudia quibus natus, æternisque compara gaudium hoc momentaneum, & uidebis adeò breue esse, vt nec esse videatur: & potest amentia tanta quis corripi, vt ęterna gaudia vendat pro momentaneis? mentem antea vendidit, qui hanc venditionem cogitat, imò verè non vendidit, qui nihil pro ea acquisiuit; perdidit, amisit; & cum illa etiam se; aut vendere non potuit, qui cùm talem venditionem cogitat, mentem se non habere habentibus prodit.

CAPVT VII.

Mundanorum risus insaniæ certa consignatio.

Lætitia mortales insaniunt.

Stultum *se demonstrat, qui excussum risum amat.*

Effusus risus *insanorum.*

Res temporales deliram, & insanam *lætitiam afferunt.*

Insaniæ, *&* risus *nexus.*

Extra se *abit, qui exultat in rebus quæ extra se.*

Lætitia arcana mentis *aperit, & perdit.*

Mundus diligi sine insipientiæ nota *non potest.*

Perfunctoria *huius vitæ* gaudia *spernit, qui sapit.*

Scommate *dignus qui in* Scammate *positus ridet.*

Ineptus *illius* risus; *qui ridet, nec scit an Deo hæreat.*

Stultitiæ *tribuendum, quòd quis rideat, qui à* Dei gratia *exciderit.*

Mundus in hoc suis fidelis, *quòd nulli fidem seruat.*

Mundanorum gaudium gaudium phræneticorum.

Verè emotę mentis est qui inani mundi risu mouetur, leuis indicium est mentis, leuiter risu corripi, eâque lætitia, quę non vera est. Ridere in hoc seculo, & insanire in idem recidit; lętitię mundanę, & insanię tantus est nexus, vt vix discriminentur; insaniunt mortales, dum lętantur: Sancti Augustini hęc sunt verba: *Extolluntur homines, & lætitiâ quadam* INSANIVNT; qui sapit, lætitiam comprimit, & risum, non in illam effunditur, non in istum. 42

Et non videmus plerosque amentia laborantes ridere semper? vt illorum amentiam nulla alia prodant, prodit perpetuus risus, atque adeò intempestiuus; Benè Trithemius: STVLTVM *se demonstrat, qui risum excussum amat, quia viri sapientis est moderari risum*; qui risum non coercet, ipse indiget coerceri, & qui effusam lętitiam non ligat ligari debet; etiam vulgus in intempestiui risûs amicum proferre hoc solet:

Per multum risum poteris cognoscere STVLTVM;

Insaniam risûs esse matrem, opificemque si effusior sit, etiam Isocrates docuit, dum hoc ad nos transmitti: *Effusior* RISVS, *vecordium est, &* INSANORVM, diceres mentem effudere, qui effunditur in risum, & rationem amittere, qui sine ratione emittit risum; à se effluit, à quo excussus risus fuit. Vis non insanire? risum ita coerce, vt te intra te coerceas, nec totus foras prodeas. 43

Et cur non stultus, amens, insanùsque, qui eâ lætitia corripitur, quæ insana deliraque, & non talis, quæ à rerum temporalium copia manat? Est, vt vetus fuerit Sanctus Augustinus: *Phantasmata rerum temporalium afferunt sæpe* DELIRAM INSANAMQVE LAETITIAM; nec sæpe tantùm, sed semper afferunt dum afferant; vide mundanorum studia, vide labores, vide angustias, vide curam in rebus temporalibus acquirendis, & augendis, & quàm noxia insania teneantur deprehendes, & iudicabis, nisi & tu pari tenearis. Excute à te rerum periturarum amorem, & meram insaniam putabis, quod antea summam peritiam, ac prudentiam arbitrabaris, terrenorum possidendorum affectu possessus.

Excusserat hunc risum Salomon, cùm diceret: *Risum reputaui errorem*; aut vt alia versio habet, *insaniam*; insanus putari non debet, qui insaniam mundi risum putat, amens audit, qui sapere se credit, dum mundanæ se credit lætitiæ, credit risui. Audiri potest hîc Cassiodorus: *In hoc seculo* 44

stultus

ſtultus A SE FORAS EGREDIENS *exultat*; à ſe abit, qui in illis rebus exultat, quæ extra ſe.

Mentem lętitia inuadit, mentem euertit, indeque eripit quicquid arcani in ea latebat, ut uacua proinde remaneat, mente, ut ita dicam, uidua, dũ bonis ſuis uiduata: Sancti Gregorij uerba huc rei fulciendæ aduocabo: *Solet*, inquit, LAETITIA ARCANA MENTIS APERIRE, *atque aperiendo amittere; aduerſa verò cùm nos exterius deprimunt, interius cautiores reddunt*; vt minus nobis aduerſentur, quę nobis aduerſa, aduerſa uerè ſunt, quę non aduerſa.

Vel hac ſola ratione deſipere ſe probat, qui mundi amator, quia mundum amat; mundum diligere, & deſipere ſimul coaleſcunt; talis eſt mundus, vt diligi ſine inſipientiæ nota non poſſit; qui ſapit illum deſpicit, & cum illo illius illecebras, & voluptates. Benè Beatus Laurentius Iuſtinianus: *Talis*, inquiens, *eſt mundus iſte, vt* NON NISI AB INSIPIENTIBVS DILIGATVR; alioquin; *quicunque gratia cæleſtis ſplendore ſunt praditi, illius blandas deſpiciunt voluptates*; veris digni, quia non veras calcant; grauiori inſipientię laborant morbo, qui ardentius mundum diligunt, & mundana, riſuque ob ea diffluunt, quæ tam citò fluunt.

45 Tot diſcriminibus ſubiecta iſta vita eſt, tot amaritudinibus obnoxia, tot infecta calamitatibus, tot mixta miſerijs, & lubet in illa inani riſu diffluere? & iſtud ſtultitię ſignum, quin & certa amentiæ conſignatio eſt; calculum adijciet, qui extra hanc inſaniam eſt. Multa ſint eiuſdem Sancti Laurentij in hac re verba, quæ ſilentio inuolui nequeunt, cùm multum boni ſucci contineant, à perfunctorijs huius mundi gaudijs, hoc titulo ille illa donat ſic uos auocat præſentis vitę miſerijs ob oculis poſitis: *Vita hac*, inquit, *vita miſera, vita incerta, vita laborioſa, vita immunda, vita domina malorum, regina ſuperborum, plena miſeriâ, & erroribus, qua non eſt vita dicenda ſed mors, in qua momentis ſingulis morimur per varios mutabilitatis defectus diuerſis generibus mortium. Nunquid ergo, quod viuere in hoc mundo dicere poſſumus vitam, quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores exſiccant, aera morbidant, eſca inflant, ieiunia macerant, ioca diſſoluunt, triſtitia conſumunt, ſolicitudo coarctat, ſecuritas hebetat, diuitia iactant, paupertas deijcit, iuuentus extollit, ſenectus incuruat, infirmitas frangit, mœror deprimit*; quàm benè de vitæ iſtius malis, quàm feliciter de mortalis huius vitę infelicitate! Pergit, & rem vrget, perfunctoriaque mundi gaudia non perfunctoriè docet contemnenda: *Et his omnibus malis mors furibunda ſuccedit, ſimulq́ gaudijs iſtius miſera vita ita finem imponit, vt cùm eſſe deſierint, nec fuiſſe putentur. Mors iſta vitalis licet his, & alijs ſit reſperſa amaritudinibus (proh dolor!) quamplurimos ſuis capit illecebris, & quantos ſuis promiſſionibus falſis decipit? Et cùm ita ſit per ſe amara, & falſa; vt etiam ſuos cæcos amatores latere non valeat, tamen infinitam ſtultorum multitudinem aureo calice, quem in manu habet, potat, & prorſus inebriat. Felices illi, & ipſi rari, qui familiaritatem eius effugiunt*, PERFVNCTORIA GAVDIA *ſpernunt, ſocietatem abijciunt, ne cum pereunte deceptrice, quandoq́ perire cogantur.* Hęc omnia ille, quę eò libentiùs dedi, quia non antea audita, cùm nec antea edita fuerint; altè hęc mentibus omnium inſideant, nec inſidebit inanis gaudij amor, earumq̀ue rerum, quę verum gaudium nequeunt parturire, falſo grauidę, imò nec ex vero grauidę falſo, ſed malo, triſtitię materiâ refertiſſimę.

46 Sed ex alio capite inſaniam prodit, qui ridet in hac vita, quia nimirum adhuc pugnat, adhuc ſub alea res eſt, uondum hoſtem vicit, nondum certus de victoria, & ridere poteſt? ſcommate dignus eſt, qui in ſcammate poſitus pugnaturus ridet, cùm à victoriâ cadere poſſit, & ęternas nulliſque lachrymis eluendas pœnas luere, qui cadit, debeat; audiamus quid in hac re dicat Sanctus Auguſtinus: *Vnde ineſt tibi tanta* LAETITIA, *nunquid iam diabolum viciſti, nunquid iam de exilio ad patriam, nunquid iam de tua electione ſecuritatem accepiſti?* Nullus accepit, nullibi ſecuritas, ſola incertitudo certa eſt, & ſola hîc illa ſecuritas intercurrit, quòd hîc nullus ſecurus ſit, & inani quis riſu poteſt diffluere? iam conſtat nobis, quod ſibi non conſtat.

Rem grauiùs vrgeo, quia & nos grauiùs vrget, non futura tantùm nobis incerta ſunt, ſunt & quę ſunt pręſentia, nobis ignota ſolicitos nos reddere debent, non inanis lætitię inanes ſectatores; nullus ſcit an Dei amore, vel odio dignus ſit, nulli notũ an lętitię fõn Deo adhęreat, nęcne adhęreat, & adhęrere vero gaudio poteſt tãquã ſi verè adhęreret, nec verè tãtùm, ſed & etiã certè, quis non inanẽ lętitiam comprimat hac incertitudine preſſus? Peritè fortiterquè idem Sanctus Pater: *Quia ergo*, inquit, *neſcit homo an odio, vel amore dignus ſit, ſed omnia in futurum reſeruantur incerta, comprimis* INANEM LAETITIAM, *qui nec dum euaſiſti pœnalem ærumnam:* nonne apud omnes inſanus iudicatur hic, qui tenebris recluſus carceris gaudere conatur? Inſanus iure iudicatur, qui à Deo iudicandus ridet; verèamens, qui riſum amat, ignarus, an à veri riſus vero auctore ametur, nec ne ametur.

Habeo adhuc aliud, quò arctiùs ligem, qui inani, atque adeò inſano riſu diffluit, imò habet ille, & ex illo ſumo, quod in illum iactem, vt percuſſus reſipiſcat, ſuper lapidem dormire aliquis poſſit, excitabitur à ſomno, ſi lapis eximatur, iacteturque in illum, qui ſuper lapidem ſe iactauit; idem hîc fict, dum quod in mundani riſus ſectatore eſt, ab illo illud calamo ſurripio, & calamo in ipſum iacio, ne ipſe iaceat; mundi cultor, & inanis riſus ſectator, non ſolum neſcit an odio, vel amore ſit dignus, vt proinde ridere non debeat, ſed ſcit ſe non amari, ſe odio à Deo haberi, quia odio ille non habuit, quod habet Deus, imò amauit, quod Deus odio habet, & odio habuit, quod Deus amat; ab eius gratia excidiſſe ſe ſcit, & ridere hic poteſt? de amore non certus ridere non debet, & ridebit de odio certus? Sanctus Thomas Aquinas, cuius ingenio nihil ferè non peruium fuit, hoc tamen ſe capere non poſſe teſtabatur, qui ſcilicet fieri poſſet, vt diuina gratia viduus, lethali culpa adſtrictus, in riſum effunderetur, riſum effunderet. 47

In ſolam amentiam res proijcienda, in quam ſe proiecit, qui ridet, certus de ſuo lapſu; emotæ mentis eſt, Dei gratiam à ſe amotam per culpam ſcire, & ridere. Hac ſola ratione excuſare hic riſus poteſt, quòd amentia corripiuntur, qui gehennali carceri ſunt adiudicandi, niſi reſipiſcant, & rident; ſed excuſatio iſta omni accuſatione grauior eſt; non eleuat vitium, ſed adauget inſania iſta, in hoc quoque omni alia magis noxia, quod alia à culpa excuſat, hęc culpam grauiorem reddit.

Sanior mens inducenda, vt hæc inſaniæ nota abradatur à mente; indues, ſi mũdi amorem exuas, mundi illecebris nullus credas, mundi fallacijs non flectaris, qui ea ſuis ſpondet, quæ non exhibet, nec poteſt, vt eos ad interitum trahat; ſuis in hoc ſolo fidelis, quòd nulli fidem ſeruat; nequeo hîc ſupprimere Beati Laurentij Iuſtiniani verba, quę licet pluſcula, omnia tamen vtilia ſunt, omnia opportuna, & mundi fraudibus exprimendis idonea, mundi amatores, ſic ille alloquitur: *Videant men-* 48

dis oculis, quàm mutabilis sit mundus iste, qui semper tendit ad non esse, & per momenta singula fluit in nihilum: Intelligant non intelligentes, quàm plenus sit laboribus, doloribus, anxietatibus, periculis, & innumeris flagitijs, qui suis spondet amatoribus quod non habet, atque his blanditijs ad interitum trahit eos æternũ. Cui namque promissa seruauit? cui ad vota successit? cui sine retractatione sua bona donauit? Cunctos in se confidentes decipit, uniuersosque sibi inhærentes lethaliter præcipitauit. Nemini etenim fidelis est, nemini parcit, nullumq; veretur. Non ætati, non sexui, non dignitati, non prudentiæ, non conditioni miseretur. Vno promissionis calice cunctos suos inebriat dilectores, eodemq; omnes infidelitatis mucrone interimit. Hoc uniuersis ipse fidelior, quòd nulli fidem seruasse probatur: & seruabis fidem, fidẽ non seruanti? frange, ne si serues non serueris, & frangaris, quia non fregeris.

49 Mundana omnia, quæ exporrigere, vt ita dicam, videntur mentem, & recreare, verè non exporrigunt, non recreant; pulchrè ille, & verè: *Varia excogitare possumus, quibus tristitijs obstetur, quibus fallamus infortunia: sed nos fallimus, non infortunia; quod ad momentum lenitur, mox recrudescet, & resurget roboratius*; exemplo confirmat experientiæ fulcro firmato: FRIGIDAE AQVAE *poculum febricitantes ad præsens recreabit, mox ardentius exuruntur, ipse humor in præcordia diffusus, fax est incendio adiecta*; peritè, & calculum adijciet, qui intus est, nec in externa fertur, risum irridendo conatu, atque adeò irrito ab externis emuncturus, & expressurus; non exporrigit frontem, & minus mentem quicquid mundus porrigit, quicquid externam radit superficiem, atque adeò omninò ficta lætitia omnis est, quam suis mundus pollicetur, suis ridenti, sed veriùs irridẽti facie offert, vt mentem à suis auferat.

Mundanorum gaudium *Phreneticorum gaudium*, dixit Sanctus Augustinus; verus fuit, & plura significauit, quàm dixerit; cogita quæ à ratione aliena phrænetici præstent, & insaniora in seculi hominibus deprehendes, quæ reprehendas.

CAPVT VIII.

Mundanorum risus fictitius, quia à iustitia exulat, exulat à puritate.

Purum *illius gaudium non est, qui non est* purus.
Conscientia pura *verum gaudium efficit*.
Iustitiæ *nexus, &* lætitiæ.
Gaudium à iustitia *prodit*.
Gaudij veri radix *iustitia*.
Peccatorum gaudio *proxima est* ruina,
Cum vitijs *gaudium non cohæret*.
Bonæ conscientiæ *vera lætitia est*.
Induat *se* virtutibus, *qui ridere vult*.
Gaudium non ędificat, *qui scelera sceleribus addit*.
Gaudium in illius anima *non est, quam vitijs diabolus occupat, non virtutibus Christus*.
Gaudij cohærentia cum rectitudine.
Melior est tristitia *iniqua patientis, quàm* lætitia *iniqua facientis*.
Qui in Deo gaudet, *mundanum risum luctum computat*.

AB alio capite dilucet, fictitium mundi risum esse, fictamque mundanorum lætitiam, quia scilicet iustitiæ non nitutur, non puritati, non innocentiæ. Purum illius gaudium esse nequit, qui non est purus; verus ille: 50

IMPVRVS *nunquam* GAVDIA PVRA *tulit*.

Atque adeò non vera; vbi enim gaudium purum non est, verum esse nequit; à gaudio gaudium abit, si abeat à puritate; extraneum aliquid si gaudio misceatur extra gaudij limites, vt ita dicã, illud trahit: à probo calamo res est: *Vera lætitia non est, si non est* PVRA, *impura lætitia nomen habet, sed nudum nomen*; igitur in illius corde coalescere lætitia vera nequit, quod impuritas inficit. Quidam olim interrogatus, quid tutam, ac durabilem lætitiam efficeret? breuiter, sed verè respondit: CONSCIENTIA PVRA: quæ non tutam tantùm lætitiam facit, facit veram, vt sine conscientiæ puritate lætitia omnis simulachrum lætitiæ sit, non vera lætitia.

Mundum, & mundi amatorum corda, iniustitia irrigat, & posset verum gaudium in eorum cordibus germinare? non potest; iustitiæ & lætitiæ tantus est nexus, vt vel nomine vix discriminentur; hinc quod in Euangelico Propheta noster habet: INDVMENTO IVSTITIAE CIRCVMDADIT ME. Septuaginta viri posuerunt: TVNICA LAETITIAE, ac si tanta cohærentia inuicem copularentur iustitia, & lętitia, vt facili transitu iustitia in lætitiam migraret, iustitia in lætitiam verteretur, & tantum à verà lætitia mundanorum lætitia distet, quantum à iustitia, cultuque iustitiæ aliena est.

Frustra est, qui gaudium quærit, nec amator iustitiæ est, atque etiam cultor; idem domicilium cum iustitia risus habet, inenodabili nexu cum illa hæret; Apostoli, mentiri nescientis, hæc sunt verba: *Non est regnum Dei esca, & potus*, SED IVSTITIA, & PAX, & GAVDIVM IN SPIRITVSANCTO; ordinem nota, qui mysterio viduus non est, quia in diuinis litteris: postremum locum gaudio dedit Paulus, vt rectè innueret per iustitiam, ac pacem, velut per quosdam gradus, iri ad illud, & abire à gaudij veri fruitione, qui iustitiæ, pacisque consortio destituitur. Benè, & suo more peritè, Sanctus Bernardus spectans ad hæc uerba: *Attendis, & intendis, quia* GAVDIVM *in fine est*? PRIVS EST IVSTITIAM *facere inquirere pacem, & persequi eam*; ET SIC DEMVM APPREHENDERE GAVDIVM, *imò à gaudio comprehendi*; qui inuertit hunc ordinem, gaudium ipsum euertit, atque etiam se; qui per hos gradus ad gaudium non ascendit, se perdit, perdit & gaudium; ut firmum iam sit, uerum illius gaudium non esse, qui iustitiam, pacemque non habet tantùm, sed nec pacem cum pace ipsa, nec cum iustitia, utriusque hostis, osor, utrinsque euersor; eadem mente mundi amatores iustititiam insectantur, cum pacem non sectantur. 51

Cur uerum risum dicamus, uerum gaudium, à quo longissimè abest uera risus causa, uera gaudij radix, nimirum iustitia, & pax? Viduus mun-

mundus, mundique amator vera iustitia, ac pace est; gaudio proinde vero frui non potest, nec in verum risum effundi: Cæsarij verba sunt: VERVM GAVDIVM *non possidetur, nisi pax, &* IVSTITIA TENEATVR; *prima enim est, & quasi radix, iustitia, secunda pax, tertia gaudium; de iustitia nascitur pax, de pace gaudium generatur.* Ab vtraque dum mundus exulat, dum exulant & mundi amatores, qui vtrumque in exilium mittunt amore mundi, viduos esse vero gaudio necesse est.

52 Nemo sibi blandiatur, ridere verè non potest, qui à mentis sinu iustitiam reijcit, vitiorum domicilium animam suam facit; vitium cum gaudio non cohæret, ignem, & aquam citiùs associares, quàm verum gaudium, & vitia: QVALE GAVDIVM, inclamat Sanctus Augustinus, *potest habere anima, quæ iracundiæ furore succenditur, superbia amarissimo felle repletur, inuidia veneno percutitur, luxuria sordibus inquinatur?* In illo solo lætitia non coalescit, in quo vitia coalescunt. Vt in mundanorum mente pullulant, & adolescunt vitiorum germina, ridentis lætitiæ fructus non potest germinare; fictus mundi risus est, & præter risus nomen nihil habet præterea.

Lætari peccatores videatur, falsa & inanis illorum lætitia est, quam tamen vera sequitur ruina: *Quemadmodum*, inquit ille, *delphini ludentes, & præ lætitia salientes in mari portendunt* IMMINERE TEMPESTATEM: *sic peccatores, dum* EXVLTANT IN PECCATIS, *dicemus iam in ianuis adesse horum* RVINAM.

53 In solo bonæ conscientiæ solo verum gaudium germinat, vera lætitia adolescit, extra illud nullibi radices mittit. Audio Beatum Ambrosium, & hoc asserenti subsigno; illius hæc sunt verba: *Debet* BONAE CONSCIENTIAE *mentis esse lætitia, non inconditis comessationibus, non nuptialibus excitata symphonijs;* non illis illecebris, quæ nudam superficiem radunt, & puræ conscientiæ adeo non nubunt, vt impuram impuriorem reddant.

Induat se virtutibus, virtutum decore splendeat, qui risum amat; de muliere forti dictum à Salomone: *Fortitudo, & decor indumentum eius: & ridebit in die nouissimo*: risui operimentum præmittit, quæ nuda, ad gaudium non paratiter, parat ad luctus. Benè Gillebertus Abbas. *Implebitur os eius risu*, os inquam mulieris, eadem & ratio viri, *cuius fortitudo, & decor indumentum eius; vide quomodo non oportet* NVDAM *inueniri, quæ promissa sibi expectat* GAVDIA *reddi*; ridebit, quia fortis extitit; mundanorum mollities vt à fortitudine dissita, sic & à vero risu est; virtutum ergo indumento operiatur, qui operatur, vt ueris tandem fruatur gaudijs: & bonæ vitę semitam sequatur, vt consequentem lætitiam habeat, quin & obsequentem; verè dictum: *Vis nunquam* TRISTIS ESSE? BENE VIVE: malè viuens, mortem vero gaudio affert, vitam verò tristitię, non nudè, sed in se victurę dum ille victurus, nisi desinat malè viuere, atque etiam viuere; nam non uidetur viuere, qui male viuit, & multò minus gaudio ille viuit, aut gaudium in illo viuit, qui non viuit sibi, sed gaudiorum hostibus, vitijs.

54 Ædificare sibi gaudium nequit, qui peccata peccatis inædificat, scelera cumulat sceleribus, quod præstat, qui mundo, rebusque terrenis addictus, cœli, cui natus, obliuiscitur, obliuiscitur Dei; præferre externa facie risum videatur peccator, intus mordentis conscientiæ stimulos sentit, quę cum cordis lætitia stare nequit. Audi Beatum Ambrosium huc verbis hisce spectantem, quæ aliò spectans, alibi etiam dedi: *Intueris lætitiam peccatoris, opes, abundantiam?* INTROSPICE VVLNERA, ET VIBICES ANIMAE EIVS, *cordisque mæstitudinem*; fallimur, quia videmus quod foris, quod intus, latet; iudicium autem sumendum est nō ab eo, quod oculis subijcitur, sed ab eo, quod situm in corde est, & idcirco peccator fictè ridet, & verè mæret, extraneusque à vera lætitia est, quia extra tantùm lętitiam ostentat, intus lętitia viduus, amaritudine diues, & tristitia.

Non potest in mentis illius domo gaudium habitare, quę gaudij hostem recepit, gaudij reiecit Auctorem, hoc autem pręstare qui iniustitiæ se subijcit, nefas est in dubium reuocare: *Quale* GAVDIVM, verba sunt Sancti Augustini, *conscientia illa potest habere, in cuius anima multis vitijs occupata magis* DIABOLVS *probatur habitare, quàm* CHRISTVS; exulat ab illo corde gaudium, à quo exulat Christus, nec lętitia illi menti insidet, in qua sedet lætitię omnis exterminator, tanquam sceptrum in ea tenens, & gehennam quandam amaritudinis, tristitięque in ea constituens, constitutus in ea.

Rectitudo, vt hoc quoque adijciam, in diuinis litteris de uoluptate deque dulcedine dicitur, ut cùm Dauid ait, iustitias Domini rectas esse, iucundas scilicet, atque suaues, ut uel hinc colligeremus, ueram uoluptatem, dulcedinemque non esse, quę à rectitudine abit, ut proinde nec uerum risum possit parturire dulcedo mundi non uera; rectè rectitudo uoluptas est dicta, ne dulcedine se fruiturum speraret, nisi rectus incederet, obliquas & flexuosas iniquitatis uias desereret. Falsa igitur est omnis lętitia, quam pręfert malè operantis vultus, ut iure tali lętitię illius tristitiam prętulerit Sanctus Prosper, qui iniqua patitur; auteum hoc illius est dictum: *Melior est* TRISTITIA *iniqua patientis, quàm* LAETITIA *iniqua facientis*; lętitię nomen sibi usurpat lętitia hęc, & in hoc quoq; iniustus, iniquus mundi cultor est, quòd contra iustitię regulam, lętitię titulum à uera aufert, non uerę tribuit; sed iustè iniustitia ista punitur, ut gaudij titulo iniustorum gaudium licet gaudeat, iniusti tamen, nec iustè gaudent, nec uerè, sed eò sunt miseriores, infelicioresque, quò laruali quadam gaudij specie tristitię innatant, & sub iniusto lætitię titulo, intus nudis mœroris characteribus sunt referti. 55

Vis uerum in te gaudium ferri? in illum feraris, qui super te, qui super omnes. Deum ama, Deum quęre, in quo solo uera lętitia sita, uerum gaudium; in Deo si gaudebis, risum mundi luctum computabis, gaudium mœrorem censebis, mundus tibi carcer erit, erit habitatio cœlum; ueri gaudij fruitio te tibi reddet, ut de falso uerū possis iudicium ferre. Audiendus hic Sanctus Augustinus: *Anima, inquit, sancta, risum luctum computat, & gaudium in mœrorem commutat; cui mundus carcer, cœlumque habitatio est, cui exultatio de præsentibus nulla est, quia in illo tantùm* GAVDERE *appetit, qui super omnes est*; infra se incipit esse, qui gaudium extra illum quęrit, qui super omnes est, & super omnia. Veri gaudij uerum fontem habes, habes ueri risus uerum Auctorem; hunc tene, si ueri gaudij amore uerè teneris, tuusque in Conditorem tuum affectu migra, ut migret in te gaudium, quod ab illo. 56

CAPVT IX.

Terrena voluptas, cùm vera non sit, verum risum, veramque lætitiam nequit parturire.

Larua *mundana voluptati auferenda.*

Voluptas, quæ non est à Deo, nec in Deo, voluptatis excrementum est.

Pomo sodomitico par mundana voluptas.

Mundanæ voluptatis veræ notæ, *veri* characteres.

Circæum voluptatis *poculum.*

Peccator à mamilla Diaboli sugit voluptatem.

Voluptas corporis bonum pecoris.

Aduentitia, volatica, *& fundamento carens terrena voluptas.*

Terrena oblectamenta exprimendo gaudio inepta.

Terrena deliciæ, cùm veris bonis *aduersentur, non possunt ipsa esse* bonæ, *esse veræ.*

Malis *dives* corporis voluptas.

Voluptatum corporarum exilitas, dum solis accidentibus *sensus mulcent.*

Terrena voluptates sanctitatem *non afferunt.*

Voluptatem vicisse *vera voluptas est.*

57 Probatum nobis uniuersè est, improbandum uniuersis esse tanquam fictitium, ac personatum gaudium illud, illamque lętitiam, quę legi in mundi campo solet, in mundi scena uideri, in mundanorum labijs, uelut in quodam solio locari; nunc res propiùs consectanda, & ad res quasdam singulares flectendus est calamus, quę non uero risu flectere ad se solent animos mundanorum, risusque laruā multos capiunt, decipiunt multos: occurrit statim, tanquā inter cęteras agmen ducens, terrena uoluptas ridentem uultum præseferens, & uel illis insidias struens, qui contra illius insidias se armant. Ridētem personam à uoluptatis uultu eximemus, ut ab erroris occasione spectatores omnes eximamus.

Hic error multos corripit, multos inuadit, & inter mundanos, omnes; mundani non essent, nisi illo corriperentur, ut scilicet putent à terrenis uoluptatibus risum prodire, prodire lætitiam; ex quo fit, ut tanto uoluptatum desiderio teneantur, nihilque non tentent, quò possideant, quibus possideantur: nulla ferè species pulchrior mundanorum oculis, quàm uoluptatis, ad cuius nudum nomen exiliunt, ut uix se intra se continere ualeāt; cùm uoluptas aliqua se offert, discrimina non uidentur, aut oīsa non timentur uoluptatis amore; nihil est quod nōn ferant, qui in terrenas uoluptates terreni feruntur; nimirum blanditur illis extima quadam risus specie, & lætitiæ uultu, quos potest, ad se trahit.

58 Abstergendus hic error ab omnium mentibus, qui plura mala inuehit, quàm sunt qui decipiantur, cùm pluribus unumquemque malis onustet; & grauioribus incommodis grauet, quò leuior putatur esse, aut etiam penitus non esse. Terrenę uoluptates sensum extimè afficiunt, non intimè penetrant; ot uel hinc disceremus non ueras uoluptates, sed superficiales, quę in sensus superficie superficiē radunt; qui igitur elici ab illis uerum gaudium, uerus risus possit, cùm nec ueræ uoluptates sint, nec intimè delectent, solùmque tàm honorifico nomine, nobilique titulo risum pręferente amatoribus suis imponant? uetus ille fuit, qui hasce uoluptates, uoluptatis excrementum dixit. Nicetas huc euasit, uoluptatem omnem, quę intra, & extra Deum, nisi hoc: id est uero, & suo uoluptates titulo insigniens, ait enim: *Omnis voluptas, quæ nec ex Deo, nec in Deo suscipitur,* VOLVPTATIS EXCREMENTVM EST; talis omnis illa, quam mundus offert, sectantur mundi sectatores; & placet hoc excrementum, ut Dei delicijs, uoluptatibusque pręferant, qui feruntur in illam? Proh quàm fatui mortales, quàm deliri, qui uerę uoluptatis loco, uoluptatis excrementum habent, & cùm in cęteris ferè rebus rerum excrementa abhorreant, in sola uoluptate amant.

Pomum sodomiticum terrena uoluptas refert, extima sui specie blanditur, intus inanis est; subsignat in hac te nobis bonus Auctor, & nos illi: *Alium cibum mensa voluptatis magis accommodatum nullum inuenio, nisi fortè* POMA SODOMITICA, *de quibus sic habet Solinus, præ se ferre quidem illa speciē maturitatis, cæterum speciosa cutis ambitione, favillaceam intrinsecus fuliginem abscondi, quæ vel leui pressu tacta fumum exhalet, & fatiscat in vagum pulverem; nihil certè à voluptate sperandum est maius;* si quis maius quid sperat, minùs quam oporteat sapit, grauiùs, quàm putat, aberrat.

59 Spuria gaudia sunt, non sunt legitima, non sunt vera, non diuturna: quę à uoluptate sunt, cùm non uera uoluptas sit, nec uera lętitia esse potest, quæ est à uoluptate; non melior filia, quàm mater, nec riuulus, quàm fons; laruata uoluptas est, laruatus & risus, qui ab illa fluit; laruam à uoluptate auferebat Beatus Laurentius Iustinianus, ut eius uisu ab ea quisque fugeret, nec à personata deciperetur, pręstat auctoris huius calamo uoluptatem, larua uiduatam spectare, in contemptum, in risū, in ludibrium, ne deinceps nos risui exponat, & ludibrio. VOLVPTAS DEFORMIS EST, *& squallida, puritatis inimica, pudicitiæ exterminium, esca diaboli, peccatorum incentiuum, rubigo mentis, conscientiæ abolitio, aduersatrix Dei, animarum interemptrix, & totius consumptrix honestatis. Hanc quisquis rectè sapit, quisquis vult vitam, cupitque dies videre bonos, fugiat, eiusque amicitiam, velut aspidum, & viperarum aspectum abhorreat.* Vide, quàm horrida sit facie, quę tam blanda solet suis apparere, tam pulchra; & potest amari, quę tam deformis? quęri, quę tam noxia, totque malorum fœcunda mater? & quę uerè talis, putes, uerum posse gaudium parturire, uera lętitia amatores suos perfundere? falsus est, qui hoc existimat, & irrisione dignus, qui risum ab ista uoluptate sperat.

Prætereà si fontem ipsum mundanę voluptatis cogitemus, nobis statim constabit, alienam ab omni uerę lętitię sensu esse. Sanctus Antonius Vlyssiponensis, *Peccator*, inquit, *A* MAMILLA DIABOLI SVGIT VOLVPTATEM. Nemo se lactet, nemo

nemo blandiatur sibi, exprimi ab hac mamilla igni nihil potest, mamilla diabolum refert in quo est, voluptas mamillam, à qua finit.

60 Circæum poculum voluptates referunt, dum in brutum ferè conuertunt, qui illud haurit, & siccat; à probo calamo res est: *Nec quicquam habent terrena voluptates, quo famem desiderij nostri expleant, cùm sint vanissima, sed potius velut* CIRCÆVM QVODDAM POCVLVM; *aut porcorum siliquæ animos nostros obbrutescere faciunt*; & non etiam Seneca hic euasit, cùm dixit: *Voluptas bonum pecoris est*; non est igitur hominis terrenâ voluptate capi; à se homo abit, qui extra se voluptatem quærit, quærit à rebus perituris perituram, nec perituram tantùm, sed fictitiam, aut etiam fictitiam, quia perituram, & perituram quia fictitiam.

Adeò non est vera terrena voluptas, vt nec esse videatur; voluptatem esse, & extingui idem ferè est. Præiuit Sanctus Isidorus Pelusiota, dum ait: *Cogitare vobiscum ipsis debetis, voluptatem propemodum* PRIVSQVAM APPAREAT EXTINGVI. Præire sibi possent, & voluptatis amatores; qui experientiâ illud tangunt, quod solo calamo sapientiores tetigere; Tetigit & ille alius: *Hæc*, inquit, *quibus vulgo delectamur, tenuem habent, ac persusoriam voluptatem, qualis omnis corporis est, aduentitia*, FVNDAMENTO CARENS, VOLATICA, *& cuius non corpus, sed plumam tenemus, quam vbi remiserit fugit*. Rem tenes? Tene, ne voluptatis adfectu tenearis; facilè à voluptate auolat, qui voluptatem, vt volaticam, aliòque citò abituram, spectat.

61 Tam citò à suo possessore abit voluptas, verè non possessor, quia tam breui possidet, vt voluptatum numero voluptatis fugacitas fuerit compensanda, tot proinde reperta voluptatum genera, vt vna alteri succederet, cùm vna diù nequeat durare; oblectamenta plura gaudio exprimendo offeruntur, quia singula non sufficiunt, sed cùm singulæ voluptates risui, gaudióque idoneam materiam non præbeant, nec præbent vniuersæ; multitudo enim mentem potius delassat, oneràtque, quàm recreet, & reficiat, voluptatum satellitium voluptas quærit, vt probet quàm ipsa sibi insufficiens, & suo muneri ferendo impar; quæ sibi non sufficit, vt falsæ iucunditatis munus exerceat; sufficiet alijs, veri gaudij, veræque lætitiæ exhibitione? non potest, & à veritate longissimè distat, qui aliam mentem circumfert, aliò circa voluptatem voluptatis amore rapitur.

Breuis voluptas omnis est, sed suâ breuitate damna inuehit non breui finitura; audi narrantem aliqua, non omnia, vnus calamus non posset, non possent omnes. Beatus Laurentius Iustinianus hostis vbique earum voluptatum, quæ suis amatoribus hostes sunt, & eò sæuiores, quò plus amantur; VOLVPTATES, inquit, *animæ impediunt salutem, obliuionem Dei inducunt, à sapientiâ mentem retrahunt, sterilitatem bonorum operum inferunt, auferunt animi virilitatem, spiritualibus delicijs corrumpant, delicata est enim diuina consolatio, nec datur admittentibus alienam*; cùm veris bonis aduersentur, non possunt ipsæ esse bonæ, cùmque delicias veras arietent, gaudere verarum voluptatum titulo non possunt, nec verum gaudium creare.

62 Diues malis corporis voluptas est, fornax scelerum dicta, metropolis damnorum, vitiorum alueus, philtrum improbitatis, contagium totius malignitatis, vt naturæ, aut totius diuinæ prouidentiæ beneficium fuerit tanta breuitate voluptates coercere, ne diù insani essemus, diu tot malis obnoxij; quî igitur lætitia vera, qui bonorum flos à voluptate nascatur, quæ malorum mater?

Quàm deliri, quàm insani mortales qui tanta auiditate terrenas voluptates quærunt, quæ minus satiant, quò plus amantur, & cupiditatem irritant, non explent. Inanem mundanorum laborem in voluptatibus quærendis, sic nobis explicauit Sanctus Gregorius Nyssenus. NIHIL EARVM RERVM QVIBVS VOLVPTATIS GRATIA STVDETVR IN HOC SÆCVLO OPERAM DANTIBVS SATIETATEM AFFERT, *sed vt alicubi per ænigmata atq. inuolucra verborum sapientia dicit, dolium perforatum est occupatio circa voluptates, quo semper sedulò infundentes, irritum & inexplicabilem quendam, infinitumq. laborem ostentans, qui his rebus student, semper quidem aliquid in fundum cupiditatis infundentes, ac quicquid ad voluptatem facit, super inijcientes, ad satietatem vero cupiditatem non deducentes*. Sanius consilium si sapis bibe, non infunde voluptatem cupiditati, sed effunde cupiditatem, vt veram, solidamq; voluptatem sentias. 63

Aliunde voluptatis exilitas, & inanitas probatur, vt improbetur; quia scilicet res, quæ sensus mulcent, nonnisi per accidentia id præstant, non per se ipsas; vnguentum per odorem recreat, per saporem cibus, per colorem, quæ pulchra, per corticem, quæ delicata. Proh quàm accurata natura fuit, quàm prouidus Deus, vt per accidentia sensus vellet affici, ne nimium ea voluptate afficeremur, quæ per sensus!

Erigere, lector, & si sapis, meliores voluptates quære, veriorésque, non est sanæ mentis delicias amare, quæ animi delicias, hoc est veras, tollunt, dum amantur. Placet voluptas? quæratur illa, quæ vera, & possessorem suum beat, non infatuat; quæratur voluptas quæ è cœlo, non terrena, solida, non fugax. Audi ad hanc mentem S. Augustinum: VOLVPTATEM *illam* INCORRVPTAM, *&* QVIETAM *sine labe concupisce, & promittentem dona temporalia, & totum mundum deridebis*; tantum aberit, vt non solidæ voluptatis inquisitione à mundo deridearis. 64

Vis verâ voluptate frui? eam vince, quæ non vera; nam ex Beati Cypriani mente; VOLVPTATEM VICISSE VOLVPTAS EST MAXIMA, *nec vlla maior est victoria, quàm ea, quæ de cupiditatibus refertur*; qui cupidus voluptatis veræ est, cupiditates vincat, nec sinat, non verâ verè vinci; voluptas igitur omnis quæcunque non in Deo, aut à Deo, vera minimè est, cùm vera voluptas sit, talem voluptatem vicisse.

CAPVT X.

Sardonica, & mortis illatrix terrena voluptas.

Sardonica *terrena voluptas*.
Sardonica *voluptatis* herba *cauenda*.
Qui per voluptatis campum fertur, vitulo mactando *par*.
Mortiferæ *terrena voluptates*.
Voluptates illius hostes, *quem corripiunt*.

Grauida lachrymis *voluptates.*

Interni vulneris *index risus in externis voluptatibus.*

Aeternas voluptates qui cogitat, temporarias *negligit.*

Voluptas semper famem *patitur.*

Mentis oculos *turbat voluptas.*

Gaudium, quod à terrenis lenocinijs, à vero superna felicitatis gaudio suos excludit.

Ille solus animæ sufficit, *qui animam creauit.*

65 SArdonicum mundi risum esse, eoicimus superiùs, & multis argumentis, vt reprobaretur probauimus; res euader firmior, si
firmetur etiam voluptatem, à qua mundanus risus nascitur, sardonicam esse; est, sola specie spectatores decipit, intus morte grauida est, extra ridentem vultum ostentat, oimirum ementitum risum effert, veram mortem affert; Scitè Dio Chrysostomus; *Voluptas saua quidem, & hostilis, & insidiosa adspectu, iucundè tamen, atque* SARDONIVM QVIDDAM SVBRIDENS *occurritque, fertque vincula iuxta naturam florida molliaque*, sed tamen vincula, quæ fortiùs tenent, quos ligat, quò molliora, quò teneriora.

Sardonicum vultum voluptas præsefert, sardonicàmque herbam suis amatoribus ad mortem offert, qui eò infeliciùs moriuntur, quò se feliciores falsæ voluptatis adspectu futuros sperabaor; cicutam, herbàmque sardonicam à voluptate esse à probo calamo est, rem, vt quisque sibi caueret detegente: *Postquam diù hominem beatitatis cupidum vmbris, ac ventis, & inani specie lactauit, tandem ieiunum, ac famelicum, ne dicam,* CICVTA, *aut herbâ* SARDONICA, *cæterisque noxijs repletum, & à beatitatis meta, quàm sibi præfixerat longissimè aberrantem destituit.* Sanùs erit si priùs tu, te desertoras voluptates deseras, & sardonicam herbam mortem allaturam reijcias.

Voluptatem fuge, ne te decipiat, eòque nocen-
66 tiùs quò non fugis, non caues eius dolos, blanditias eius.

Fuge, fuge PESTEM, *sperne mendaces iocos,*
Vanisque tandem detrahe illecebris fidem;
Risum propinat? perpetes fletus time;
Præfert rosarum purpuram? spinas caue;
Habet hoc voluptas, corda pellaci dolo
Mulcet fruentum; pàrque mellifici gregis
Vbi grata mella fudit, in tenues notas
Fugit, ac tenaci saucias morsu fibras:

Coi displicet morsus, mel non placeat; à melle mordeberis, & cum melle.

Per voluptatum campos, qui sine vlla coercitionis lege vagatur, mortem timeat, cogitetque se vitulo mactando parem. Scitè Beatus Laurentius Iustinianus. *Iniustus ad æternam mortem currens,* EFFRÆNATIS VOLVPTATIBVS *vtitur, quia, & vituli, qui mactandi sunt, in liberis pascuis relinquuntur;* misera hæc libertas est, & omni seruitote ærumnosior.

Verè sardonicæ voluptates suot, quę non ve-
67 ræ, mortem illis inferunt, qui feruntur in illas; iure mortiferas indigitauit Sanctus Hieronymus, additque earum ardorem amore Christi restinguendum; hæc eius verba: *Sicut irasci hominis est, & iram non perficere Christiani: Sic omnis caro concupiscit quidem ea, quæ carnis sunt, & quibusdam illecebris ad* MORTIFERAS ANIMAM VOLVPTATES TRAHIT, *sed nostrum est voluptatis ardorem maiore Christi amore restinguere, & lasciuiens iumentum frænis inedia subiugare;* ad mortem currit, qui mortiferas voluptates amat, & iumentum non solùm se prodit, sed etiam facit, qui per voluptatis campos sine vlla coercitione vagatur.

Eoam Paulus corpus mortis corpus vocat, cùm diceret: *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* nimirum, quia non vitalibus, sed mortem inferentibus voluptatibus est obnoxium; *Corpus hoc corpus est mortis,* inquiebat auctor ille, *quia non* VITALIBVS, *sed* MORTIFERIS VOLVPTATIBVS *est subiectum.* Placet uita? uita eas uoluptates, quæ mortem secum ferunt, dum blandiuntur, & lachrymis sunt grauidæ, licet ad fictum risum prouocent ficto risu.

Non aberraoit, qui sub ridentis uoluptatis spe-
cie hostem uidit; nullus hostis adeò desæuit in ho- 68
stem, ut in amatores suos amatæ uoluptates; Beati Laurentij Iustiniani hæc sunt uerba: *Quis* HOSTIS *in quemquam tam perniciosus fuit, quàm in quemque voluptates suæ sunt?* amica omnis alia hostilitas est, si huic uoluptatis hostilitati comparetur, mitis omnis crudelitas præ ista uoluptatum, quæ dum blandiuntur occidunt, eòque altiùs mentem feriunt quò molliùs tangunt; nam idem auctor habet: *Voluptatum sectatores seruiunt voluptatibus, non fruuntur,* FLAGELLANTVR ABIIS, *non oblectantur;* I, & uoluptatibus te crede, quę eò uetiùs sęuiunt, quò minus illæ ueræ.

Vis non sequi uoluptates? cogita, quæ uoluptates sequuntur; sequuntur curæ, dolores, lachrymę, amaritudines; scitè Symmachus: *Hanc omnibus humanis gaudijs legem natura dixit, vt curæ voluptatem sequantur;* nisi dicas, non eas taotùm sequi, sed illis immisceri; versus ille.

Mille parit LVCTVS *homini breuis vna voluptas,*
Gaudia plus ALOES, *quàm tua* MELLIS *habent.*

Vna uoluptas multarum miseriarum fęcunda est parens, parienti tristitias multas parit, & plus męroris habet, quò plus habere lætitiæ putabatur.

Ridere uideatur uoluptate affectus; à uulnere ille risus est, non est à uoluptate; ictu traiecta in prælio præcordia risum attulisse proditum est,
prodidit Aristoteles; talis uoluptatis est risus; ani-
ma uulnerator, risus uulneris est signum, ictûs 69
argumentum; Verus ille; *Quòd unam voluptate affectus os in risum efformet,* ANIMÆ INTVS LETHALI ICTV PERCVSSÆ INDICIVM EST; & quò liberiùs quis ridet, eò latius in anima uulnus habet; terrenæ uoluptatis mancipium, qui labia ad risum diducit, diductam corde cicatricem circunfert, imò & cicatrices, multa in uno uulnere uulnera habet, & multas in una cicatrice cicatrices.

Sed ad æternitatem quoque mentem flectamus; fruamur uoluptatibus centum annis, quid hoc erit si ęternitatem quam spectamus spectemus? uoluptas uelut umbra transit; in hoc solùm firma stat, quòd numquam stat, in hoc manet, quòd semper fluit, citatissimè currit, & citò finit; pœnæ, quę sequuntur ęternę sunt; cruciatus, qui voluptuosis imminent, ęterni; quis adeò delirus, vt velit vnum voluptatis diem vno die pœnarum mercari, cùm soleat vnius momenti dolor multorum dierum voluptatem abolere? & inuenitur, qui citò

abeun-

abeunte inanium voluptatum vmbrâ immensas sibi pœnas, æteroùmque duraturas velit sibi veluti dato pretio emere? & vbi mens, vbi ratio, vbi prudentia, vbi religio, vbi propriæ salutis cura?

Mentem aliam ebibe; qui cœlo natus cœlestibus voluptatibus inhia repudiatis terrenis; qui sapit eâ mente, quâ Beatus Anselmus, hæc Anselmi
70 efferet verba, veræ iucunditatis Auctorem alloquentis: *Pota me torrente voluptatis tua, vt nil iam mundanorum degustare libeat* VENSNATÆ DVLCEDINIS; alia omnis voluptas voluptatis fæx est, non voluptas.

Morietur fame, qui terrenâ voluptate voluptatis cupiditatem, quâ corripitur, satiare studuerit; voluptas non vera voluptatis appetitum non satiat, sicut nec corporis famem cibi vmbratiles, pictique non sedant; à probo calamo res est, à proba mente, rectè de non rectis voluptatibus sentiente; verba exhibeo, quia opportuna: *Cui rei aptius profanas voluptates comparauero, quàm* MENSÆ HAELIOGABALI, *quam ad ludibrium amicis instrauerat, in quâ cibi omnes è vitio ad imitationem veritatis effecti irritanda potius, quàm sedanda orexi inseruiebant*; & placet hæc mensa, & quæritur, & amatur? Nescio qui sootum famem explere queat voluptas, quæ semper famem patitur, alienæ indigentiæ cor succurrat, quæ indiget ipsa, vt ipsi succurratur; vtenim inquit Beatus Laurentius Iustinianus: *Voluptas semper* FAMAM PATITVR; vt alienæ fami auferendæ inepta sit, quæ auferre suam nequit, nisi quòd idcircò semper famem habet, quia fame semper laborat, qui voluptatis fame laborat.

71 Et tàm cæci mortales, vt ludibria ista non videant, non videant has fallacias! fors etiam hoc inter voluptatis malum est, vt mentis oculos inuadat, ne videatur mala; iure mentis fumus est appellata, non solùm quia lachrymas prouocat, quod præstat & fumus, sed quia mentis oculos turbat, ne conspici uerè possit qualis uerè sit. Hinc illud Sancti Antonij Vlyssiponensis: *Voluptas tanquam* FVMVS *mentis oculos turbat*; turbat oculos mentis, mentem à suo suggestu deturbat.

Et placet, inanis gaudij cupiditate, quod à uana uoluptate oritur, à felicitatis æternæ gaudio seiungi? nam, *Quicunque* (ita loquitur Sanctus Petrus Damianus) *se carnalibus lenocinijs petulanter immergunt*, GAVDIVM A SE AETERNAS FAELICITATIS EXCLVDVNT; æternùm futuri sunt infelices, quia momentanei gaudij specie decipi uoluerunt, quin & amarunt; quodnam gaudium non inficeret terror finis! Excludi à ueri gaudij nota debet, quod suos à uero gaudio excludit, & à neræ lætitiæ censu amouenda lætitia est, quæ mentes, quas corripit, à uero sensu amouet, mentem à mente rapit, ut amentem reddat.

Vis uera uoluptate frui, uero risu corripi? ueræ uoluptatis Auctorem quære; Deum ama, qui solus satiare mentem potest, solus implere; Audi monentem Sanctum Augustinum: *Tibi, ô anima, non sufficit nisi qui te creauit; quicquid aliud apprehendis, miserum est*, QVIA TIBI SOLVS POTEST SVFFICERE, *qui ad similitudinem suam te fecit. Ex ipsâ voce dictum est: Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*. Deficit sibi, deficit à se, qui extra Deum aliud quærit, tanquam Deus non sufficeret sibi; Quocunque libuerit se animus uertat, fateri tandem cogetur, in anima uerum gaudium non creare, nisi qui animam creauit.

CAPVT XI.

Corporearum deliciarum exilitas, & inanitas, gignendo gaudio inidonea.

Sensibilium amore scalpitur *anima*.
Scalpentium vngues *in amore terrenorum sentit anima*.
Scabies in corporis delicijs.
A vero gaudio abeunt *corporis delicia*.
Spuriæ *corporis illecebra*.
Molestissimam rabiem *afferunt delicia corporis*.
Nudam voluptatis vmbram *offerunt carnis delicia*.
Lætitia, quæ à rebus præsentibus *tantùm, non est vera*.
Quasi clauis suffigitur *anima corporis voluptatibus*.
Corporis illecebra sibi aduersantur, *se* destruunt.
Extra se est, *qui extra se* gaudij materiam *quærit*.

Non erit inane, si illarum deliciarum inanitatem expendamus quæ sensus mulcent; nimia mortalium solicitudo in illis procurandis nos ad hanc curam urget; sæuiendum in illas est, ne illæ in nos sæuiant, dum blandiuntur; premendæ falsæ corporis deliciæ, ne verè nos premant, dum falsam quandam iucunditatem ostentant. 72

Verè non est uera iucunditas, atque adeo nec uera lætitia, quæ à corporis delicijs pullulat. Errant qui aliter sentiunt, & extra ueritatis limites feruntur, qui intra harum deliciarum limites sunt; ulceribus se scatere prodit, qui corporis delicijs scalpi cupit; ulcerosa anima est, nec benè ualet, quæ hac prurigine laborat, ut scalpi carnis illecebris uelit; expertus loquitur, & dignus cui maximè in hac re fides habeatur, Sanctus Augustinus, qui rem, ut res fuerat, fassus, ait: *Non benè valebat anima mea, &* VLCEROSA *proijciebat se foras miserabiliter* SCALPI AVIDA CONTACTV SENSIBILIVM; ab ægritudine igitur est, non est à sanitate, quòd tam auidè quærat anima à corporis illecebris radi, ac ut ita dicam, confricari; insanus esset, qui sanitatis hoc esse indicium crederet; corruptæ mentis pus, & sanies hanc confricationem quærit; si esset sana, deliciarum corporearum amore non insaniret.

Dolor, qui statim carnis, & sensus delicias se-
quitur, euidenter probat animæ ægritudinem, & 73
scabie quadam laborasse, quæ scalpi uoluit; sanies & tumor, qui consequitur argumento est, scalpentium ungues animam insensibilium adfectu sensisse. Flecti huc potest, quod idem auctor alibi de se dicebat: *Inde erant dolorum amores, non quibus altiùs penetrarer, sed quibus auditis, & fictis tanquam in superficie* RADERER, *quos tamen quasi* VNGVES SCALPENTIVM *feruidus tumor, & tabes, & sanies horrida consequebatur*; errorem suum apertè prodit, ne nos erraremus.

X Fal-

Falsus omninò est, qui veram lætitiam eam putat, quæ à falsis delicijs est, quamque velut viceris confricationem sequitur & tumor, & dolor, atque etiam luctus, quod vniuersè de carnis gaudijs Billius asserebat canens:

Quem SCABIES *vrget, tenet hunc nonnulla voluptas,*
In FRICTV *sequitur maior at inde dolor.*
Quærendis opibus gaudens insudat auarus:
Quæsita sequitur cura grauisque metus.
Sic quoque qui molles risus, & gaudia carnis
Persequitur Liber, quem iuuat, atque Venus,
Huius erit tandem risus Sardonicus, huius
Lætitia in luctum desinet, inque crucem.

74 Non tibi videtur insania laborare, qui ob faniem pruritum sentiens, scalpi delicijs dolorem inferentibus quærit? laborat, & eò veriùs, quò se laborare non putat; rem ad impuras, fœdásque libidines si quis transferat, à vero non abibit. Has Bossius conterraneus meus pungit, & ab omni vero gaudio seiungit, vt ab ijs abiungeret earum amatores: *Desluunt*, inquit, *exiguo spatio, atque breuissimo, & singulis momentis, quasi fluenta decurrunt hæ corporis fœda, damnosaque libidines, neque finem alium habent, quam* DOLOREM, IGNOMINIAM, LVCTVM, INTERITVM. *Quis ergo satis sana mentis eiusmodi vitijs delinitos, & luxurijs inquinatos diu tutò, ac perfectè gauisuros affirmabit; cum mordentem intus conscientiam sentiant? Deum in scriptuis animaduersionem minitantem extimescant; cum denique post se relinquat nisi pœnitentiam, amaritudinem, pauorem voluptas empta dolore?* eant harum deliciarum sectatores, & verum gaudium sperent à re, quæ verè non vero tantùm gaudio vidua est, sed vero etiam gaudio madentem animam gaudio viduat.

75 Verè censuit, qui hanc, similémque voluptatem *spuriam* dixit, & minimè genuinam, verè talis est; vniuersæ deliciæ, quæ extra Deum, spuriæ sunt: hinc illud Sancti Basilij: *Postquam à veris in Paradiso delicijs excidimus*, SPVRIAS DELICIAS, *nobis ipsis excogitamus*, sed præcipuè hoc titulo donanda libidinis voluptas est, vt eam *molestissimam rabiem* afferre dixerit etiam Philo, & vepres in ea latere, postquam ab ea se subduxerat, affirmarit Sanctus Augustinus: *Excesserunt*, inquit, *caput meum* VEPRES LIBIDINVM, *& nulla erat eradicans manus*; & blandas putabit, quæ profundiùs animam pungunt, quò molliores sensui videntur? Prudentiæ sensu videtur carere, qui sensûs delicias, voluptate vera carentes sequitur; in altissima ille voluptate est, qui has falsas, atque fictitias improbauit, risitque vt indignas, quæ à mente Dei delicijs dignanda quærerentur.

76 Mentem saniorem ebibe, voluptate vera vt fruaris, voluptates sensûs contemne, quæ non veræ; nudam voluptatis vmbram esse, non voluptatem, quæ carnem afficit, voluit Apostolus cùm dixit: *State succincti lumbos vestros in veritate*; signatè addidit *in veritate*, quia si non castitatis vinculo succincti renes sint, libidinis vmbra, & falsæ voluptatis mendacio decipiuntur; opportunè rem ad hanc rem premebat Beatus Chrysostomus in hæc verba, verba hæc explicans: *State*, inquit, *succincti lumbos vestros, & subiunxit, in veritate. Quare in veritate? est enim cupiditas* ILLVSIO *&* MENDACIVM *Propterea dicit Propheta: Lumbi mei impleti sunt illusionibus. Non est ea res voluptas, sed vmbra voluptatis. Succincti, inquit, lumbos vestros in veritate, hoc est* IN VERA VOLVPTATE, *modestiâ, honestate*. Audis? & tam fatuus audies, vt mendacijs, & vmbra à vera voluptate velis excidere, ac æternæ felicitatis dulcedine priuari?

Latos lætitia vera limites habet, sinum suum adeò expandit, ut tempus omne respiciat, omnem locum, solis præsentibus non constringitur, absentia ad se vocat, reuocat præterita, porrigitur in futura; *Mille modis*, vt ille ait, *osculatur oblectamenta sua, &* DVLCI LIGAT AMPLEXV; ab hoc charactere abit lætitia illa quæ cùm à rebus præsentibus pendeat, præsens tantùm respicit tempus, à præterito pœnitentiam habet, timorem, ac pœnam a futuro; quis credat inter hæc extrema præsentem lætitiam posse ueram esse, quæ & aliunde habet, quòd non sit? uerè non sibi præsens est, qui ueram lætitiam credit, quæ a rebus tantùm præsentibus est.

77 Sed profundiùs calamum mitto, & ante calamum mentem ipsam; altiùs hanc terram erudero, ut uoluptatum inanium amorem insepeliam; non esse ueras corporis delicias, nec ueri gaudij matres exinde probatur, quia uera lætitia plenus Deus est, imò ipsamet lætitia est, uera iocunditas, uoluptas uera, & tamen sine corpore est, atque adeò sine corporis uoluptatibus. Angeli quoque puris uoluptatibus, & ueris beantur, corporis expertes, & deliciarum, quæ corpus mulcent, & carnis superficiem radunt. Desinant ergo insanire mundani, putantes corporis uoluptates ueras esse, & ut à ueris uerum gaudium emanare; falsum utrumque est; quia uerum ueri gaudij fontem Deum esse, qui has uoluptates non habet; uerum uero gaudio Angelos beari, qui corpore uidui, atque adeò etiam corporearum deliciarum.

Ex alio capite à risu, & uero gaudio alienæ corporis uoluptates sunt, quia animi uoluptates inficiunt, impediunt, auferunt, destruúntque; non destruerent, non auferrent, si uerum secum gaudium ferrent, augerent potius, accumularent; adeò animæ gaudia non nutriunt corporis deliciæ, ut animam ipsam uelut quibusdam clauis perforent, & mille curis figant; nam, ut ait Sanctus Ambrosius: *Quasi* CLAVIS QVIBVSDAM *suffigitur anima corporis voluptatibus*; & placent hi claui? placent hæ uoluptates, cruciamenta corporis, non animæ solius?

78 Quid? non modò animæ uoluptatibus, animique delicijs contrariæ corporis uoluptates sunt, sunt & sibi ipsis aduersantur sibi; se destruit ona uoluptas, in se ipsam sæuit, sui hostis, aries sui est; adeò ut quò plus augetur, plus minuatur, decrescatque citiùs, quò citiùs crescit; sensûs uoluptas quò maior, eò minor uoluptas est, sensum ipsum premit, & grauat, ut ferendo non sit, minùsque sentitur, quò maiori impetu sensum afficit, & amabimus uoluptatem, quæ non nobis tantùm aduersa est, sed etiam sibi; & amica sectatoribus uoluptas corporis erit, quæ inimica sibi est, & afferre solidam lætitiam alijs poterit, quæ ferre se non potest? non poterit.

Extra se homo est, quia ea quærit, & amat, quæ extra se; quàm diuitem in se gestet thesaurum ignorat, qui tanquam mendicus ad ostibulia fertur, falsam iocunditatem uero labore ab illis emuncturus, & empturus; hanc insaniam peritè arguit Beatus Laurentius Iustinianus; nequeo hic eius uerba supprimere; & sunt ista: *Totum humanum genus in protoparentis infectum delicto, tanto amore visibilia appetit, temporalibus delectatur, corporalia cogitat, & extra se tam insensibiliter commoratur. Videtur namque nil scire, nisi quæ corporeis patent sensibus, & carnis mulcent illecebram, Spiritualia fastidire cernis opera, & illa nimio cum labore sectatur: corporalia verò delectabiliter peragit, quanquam onerosa.*

rosa sunt, & infructuosa. Non verecundatur iumentorum intendere actibus, & illis sæpissimè ministrare. IGNORAT NAMQVE QVALIS SIT, ET QVAM PRECIOSVM IN SE GESTET THESAVRVM. Minor se incipit esse, qui amat ea, quæ & minora se sunt, & minima sibi. Te adi, vt terrenis illecebris neglectis, vera voluptate fruaris, veris delicijs, gaudio vero. Animæ tuæ magnitudinem cogita, vt periturarum rerum vilitatem respuas, capuásque; maior es quàm vt tam vilibus tenearis; mentis delicias quærat, qui mentem habet.

CAPVT XII.

Gulæ deliciæ gaudium verum non nutriunt.

Cibi, qui integri *non placent*, integram lætitiam *non afferunt*.
Gula voluptas nobis cum brutis *communis*.
Corpori aduersantur, *quæ corpus nutriunt*, mortalius *illud reddunt*.
In transitu *sita gulæ incunditas*.
Quæ ciborum delicias sequuntur, *clamant ab his delicijs non esse veram lætitiam*.
Ferculorum finis *à ferculorum luxu non auocat*.
Feræ dum mulcentur cicurantur; *venter* delicijs truculentior *fit*.
Deliciæ corporea, quæ corpus grauant, *mentem* non erigunt, *non* recreant.
Voluptatis vect gal *morbi*.
Corpus contra mentem armant *terrenæ deliciæ*.
Spiritus deliciæ à corporis delicijs vt distent.
Per gulam homo vile stabulum *fit*, *& ab homine* excidit.
Qui escas *amat*, *videat ne aeternarum flammarum* esca fiat.
A gulæ rabie *nihil mite expectes*.
In gulæ delicijs verus risus, verum gaudium *non inuenitur*.

79 NVtrire se risum putant, gaudiúmque fouere mundi sectatores, dum gulæ varijs illecebris famulantur; hîc quoque insaniam suam produnt; in primis cibus ipse placere non potest, nisi conteratur; integer adeò non placet, vt abhorreatur; & integrum gaudium ab eo fit, quod placere nequit si sit integrum? quæ ex se bona, & gaudium afferentia, vsu ipso meliora fiunt; fiunt pretiosiora; aliena ergo à vera bonitate, atque adeò etiam à vero gaudio fercula sunt, quæ mulcêre gulam nequeunt, nisi terantur, nisi pereant.

Adijce, cibi voluptatem cum brutis nobis esse communem; & veri gaudij erit mater, quæ hominem in brutorum censum refert, si nimia sit? quò maior à cibis voluptas, eò vehementiùs in nobis brutales motus insurgunt; nec in nobis tantùm, sed in nos; incipit non esse suus, qui ferculorum copia abutitur, & calices qui auidiùs siccat, siccat & rationem; nam vt ait Beatus Laurentius Iustinianus: *Vbi est* CRAPVLA, *ratio cespitat, intellectus obtunditur, consilia deuiant, iudicia subuertuntur*, euertunt omnia fercula, nisi ab illis mensa auertatur; & parere verum risum potest ea delectatio, quæ non est vera? non placent epulæ, nisi fames præcesserit, saturis ingratæ epulæ sunt, & quamlibet suaues insuaues; ergo iucunditatem nobis falsam, molestia vera mercamur?

80 Quid? corpori ipsi aduersantur, quæ corpus nutriunt, nimijs quippè delicijs, illecebrisque mortalius, vt ita dicam, corpus redditur; satis erat ciborum indigentiam mortis nobis memoriam refricare, nisi & superfluorum ciborum ingestio nos morti viciniores redderet, redderet morti magis idoneos; nimirum exquisitos cibos qui quærit, fit ipse mortis cibus exquisitus.

Ex alio capite, veram lætitiam à gulæ illecebris esse non posse, probatur; à breuitate scilicet; in transitu sita hæc iucunditas est; non esset, nisi transiret; vt nihil firmi habeat, nihil stabilis, nisi instabilitatem ipsam, ipsum motum; libat voluptatem, non ea fruitur, qui ea se frui credit. Citò hîc, quod delectat, transit, & breuissimum iter conficit: *Totius nostræ voluptatis iter*, verba sunt Sancti Petri Damiani, *cui tantâ ambitione seruimus*, BREVISSIMA VNIVS PALMI SVMMA CONCLVDITVR; Breue deliciarum harum iter est, duorum digitorum vix latitudinem excedit, cui nec totius orbis latitudo sufficit, nec longitudo; angustus mundus exiguo gulæ spatio, ac palatûs.

. Præterea in cursu voluptas ista est; non esset nisi curreret; non staret, si staret, & moraretur, & cùm currat statim fatigatur, & expiraret, nisi respiraret, quin si continua esset, nulla esset.

81 Expendamus & ea, quæ has delicias consequuntur: ferculorum copiam capitis grauedo consequitur, mentis pressio, dolores, infirmitates, mors ipsa, quæ vicinior esse ventris mancipijs solet: hæc omnia clamant non esse à ferculis veram voluptatem expectandam, nec posse risum parturire, quæ tam vberem fletus materiam exhibent.

Non esse studiosè ciborum lautitias quærendas natura ipsa docuit, docuit Deus, qui tam fœdo fine escas, quamlibet pretiosas, concludi voluit: Præclarè Sanctus Chrysostomus: ESCA IPSA FINE TAM ABIECTO CLAMAT *ne simus deliciarum amatores; nam nisi illa hoc fine desineret, neque in perniciem corporis immodicam verteretur, etiam inuicem voraremus*: deliciæ, quæ sui copia corpus premunt, satis euincunt earum gaudium non parturire, dum habentur.

82 Et cur blandiantur corpori, quod blanditijs ipsis magis efferatur? ceteræ feræ blanditijs cicurantur; corpus omni alia fera nocentius, illecebris magis sæuit: *Leonem*, Sancti Nili sunt verba, SI DEMVLCEAS, *eum haud rarò cicurabis, at si ventrem delinias* TRVCVLENTIOREM EVM REDDES: iratum magis, magis sæuientem: feræ delicijs delinitæ ferè feras exuunt, corpus è contra illecebris in feram vertitur, blandientem sibi euersurum.

83 Nemo adeo insaniat, ut gaudium à delicijs illis quærat, & expectet, quæ cor ueri gaudij locum, grauant, & premunt, ut inte monuerit Saluator, non grauanda corda crapula, & ebrietate: uellem eandem mentem christianis insidêre, quæ insedit gentili: *Quum voluptuarius quidam*, uerba sunt Plutarchi, *contrahere cum Catone cuperet consuetudinem, abnuens negabat viuere se posse cum homine*,

qui PALATVM, *quam* COR *haberet acriore sensu præditum*: audite lurcones, & christianam mentem à mente non Christiana bibite.

83 Fercula, corporisque deliciæ non vanæ tantùm sunt, sunt & perniciosæ, morbos parturiunt, eòque maiores, quò maiores ipsæ, vt verus ille fuerit, qui dixit: morbos vectigal voluptatis esse: soluit hoc vectigal voluptas, eò certius, quò in voluptatem liberiùs soluitur fruentis mens: CERTISSIMVM, inquit, VOLVPTATIS VECTIGAL MORBI SVNT, *nec aliud ventris sagina, quàm miseriarum officina*: Quousque saniora? Voluptas illa quæratur, quæ non in ferculis sita, sed à ferculorum neglectu incipit: non est, quod famem lectis epulis, sarisque epularum condimentis irrites, satis, quod obuiis extinguas: à stomacho disce vilia non defugere, non ille illa reijcit, contentus impleri: non refert, quid accipiat stomachus, perditurus quicquid acceperit, & omnia in vnam, eandemque faciem redigens: vis ciborum apparatum contemnere? exitum specta, in quem in stomachi sinu redigun tur.

84 Ex alio capite alienæ à vera lætitia corporeæ epulæ sunt, quòd corpus contra mentem acuunt, dum impinguant; mitum, quò obæsius, obtusiusque epulis corpus redditur, eò agiliùs in animam debacchatur, & cùm vix se mouere possit, magno impetu in animam mouetur: *Si delicatis epulis*, inquit Sanctus Isidorus Pelusiota, *& luxu distendere corpus tuum velis, infestus ipsum contra animam* ARMABIS, *&* REFRACTARIVM REDDES; arma ipsa corpus deglutit, vt intus se muniat; fercula ipsa vertuntur in arma, dum in sanguinem conuertuntur; Loricas, scuta, galeas, lanceas, gladios, arietes, tela, iacula, omniaque armorum genera, ex ciborum, potúsque nimia copia parat sibi corpus, vt contra animam pugnet; quicquid superfluit necessitati, armis hisce fabricandis materiam præbet; verè non est quiete grauidum, quod bellum parit, patat arma; hanc pugnam verum gaudium non amat, quod pacem cum pace haber, bellum bellis hisce indixit, nec potest cum illis epulis fœdus inire, quæ fœdus illud denectunt, quod inter corpus, animámque est.

85 Sequor, & premo adhuc epulas, quæ corpus premunt; mollis hîc omnis sæuities est, quæ contra illas est, quæ quò molliores, sæuiores sunt; Scitè epulæ, quæ oneri corpori sunt, erigere mentem poterunt, & recreare non poterunt: in hoc à spiritus delicijs abeunt, quòd grauant dum habentur, spirituales verò epulæ, & vera iucunditate mentem beant, & vero gaudio replent; audiri hîc debet Beatus Laurentius Iustinianus, qui de vtrisque epulis ità differit: *Longè à carnalibus* SPIRITVALIA DISTANT ALIMENTA, *& audiori sumuntur desiderio. Ex repletione enim carnalium hebetatur mens, sensus obtunditur, animus dissipatur, venter distenditur, calor naturalis accenditur, & corporis organum humoribus præpeditur. Ex spirituali verò refectione irradiatur intellectus, exhilaratur cor, iucundatur animus, & cælesti charitate inebriatur affectus. Carnales quoque epulæ fastidium, spirituales autem acuunt desiderium*: ILLAE ONVS CORPORI, ISTAE DELECTABILE INGERVNT GAVDIVM MENTI: non ingeruntillæ nec possunt: nam si corporeæ cùm sint, corpus ipsum premunt, non grauiùs animum premerent, cui magis aduersæ, magis contrariæ? qui sapit, ingentem voluptatem à corporeæ voluptatis exilio captet.

86 Reijce hîc mensarum lautitias, quæ fictæ æternis donaberis, quæ veræ; & non te pudet, perituris voluptatibus te mactare, & spi ualibus namm, immori corporeis? non est voluptas electis epulis frui, est illis posse carere, est velle: hominem videtur exuisse, qui cuit nutriendæ tantùm studet, vile stabulum est: Alberti Magni hęc sunt verba: *Fit homo per* GVLAM *quasi* VILA STABVLVM, *& fœtens cloaca*: atque adeo vix hominem refert, qui inferre in ventrem fercula studet, eorum, quæ hominis, oblitus, ventris cura possessus: vetus ille: *Deo suo non meminit, qui totus vino, & ferculis est repletus, qui in Deum mentem erigat, cùm* IPSVM SIBI HOMINEM EXCIDERE *solemne sit?* homo esse non videtur, qui iumentorum more totus in epulis est, animúmque ad ventris delicias trahit, epulis suis destitutum. Verè mente destitutus est, qui mentem delicijs suis destitutam stabulo corporearum voluptatum alligat, tanquam si frui corporeis epulis posset, quæ corpore caret, esse fercula corporea posset, quæ non potest esse corporea; qui ergo mentem habet, ijs mentem nutriat, quæ menti conuenientia sint, nec totum hominem ad corporis delicias inepté vocet, vocari vt homo possit.

Denique & æterni ignis cogitatio à nimio nociuóque mensarum apparatu auocare nos debet, à ferculorum delicijs amouere; sciris ille cibis non inhiabit facilè, qui cogitabit se per escas facilè posse flammarum, quę nunquam extinguentur, escam fieri, & à mensis epulonis ad flammas Epulonis exemplo ire. Probum doctoris probi monitum excipe, & monentem sequere, si sapis: *Si te*, S. Isidori Pelusiotæ hęc sunt verba, *ad Deum abiturum esse expectas, consilijs meis obtempera*, GVLAE QVE RABIEM *extingue*, *voluptatum igniculos conspiens, quorum immodicus vsus homines ad futuras flammas transmittit*. Audis quàm proximę hîce voluptatibus flammę sint; flammę ipsę, quibus solent cibi exquisiti parari, & flammarum illarum cogitationem prouocare nos debent, quibus ferculorum mancipia cruciabuntur ignis escam præbituris, quia escis abusi. 87

Audisti, vt hoc quoque adijciam, gulę rabiem; nihil mite expectes, nihil non à vera voluptate alienum; audi ne ventrem audias Theophili Alexandrini verba, ita loquentis; *Non decet insatigare magni pretij coquos, qui* VENTRIS RABIEM *iure multiplici, & carnibus confusione mutatis, diuersisque ciborum sapore demulceant*; delicijs venter non demulcetur, efferatur magis, promptior in rabiem it. Vis non rabie corripi, non efferari? nulli auidius in delicias ferri; alioquin, vel ex Senecæ mente: *subibit illud* RABIDARVM DELICIARVM, *quousque eadem?* cum rabidę deliciæ fint, non mirum si rabiem ventri afficrent, & gulæ.

Placet lætitia vera? placet verum gaudium? in gulæ delicijs ne quære, gulæ delicias ne quæras; quæ pereunt, dum comeduntur, & palatum deliniunt, non mentem; & speres à pereuntibus verum gaudium, quod vt verum sit debet non perire? hisce delicijs sepelíri vera lætitia potest, non viuiscere, si iam mortua; quæ vitales non sunt, vitale nequeunt gaudium parturire; ab epulis lętitia sit, erit ab epularum contemptu, & abstinentia; magis angelicæ, magis diuinæ naturæ accedit, adeo adeo vero gaudio sit propinquior, qui longius ab ijs delicijs est, quæ palatum mulcent; sed palatum tantùm, hominisque mentem non subeût, imò nec ventrem ipsum; gutturis tadunt superficiem, nec profundius eunt, quin, nec vlteriùs; quę adeo exiguam corporis partem tangunt, & tangût tantùm, nec in alias se possunt extendere, possent ad mentem se porrigere? quæ non sufficiunt corpori, nec tam exiguæ corporis particulę sed mentem se tran- 88

se transferent, & attollent? tollerent se, si sic se attollerent, nec curporeæ ampliùs essent; meliùs sapi, meliures delicias quære, quibus cor non grauetur, sed erigatur, lætitiâ perfundatur, quæ si non alijs epulis alitur, quàm corpus, & fame necabitur, & lætitiæ mortem illius mors sequetur, qui lætitiæ immoriebatur, & gandio.

CAPVT XIII.

Terrenæ diuitiæ curis ditiores, quàm risu, quàm lætitia.

Diuitiæ sub letitiæ persona *curis plenæ sunt.*

Iridi *pares diuitiæ, spectantium oculos fallunt* lachrymas *datura.*

Scenicus *diuitiarum apparatus.*

Inopia grauidæ *diuitię, non gaudio.*

Doloris, & *diuitiarum* nexus.

Gaudere potest qui diuitias amittit, *non qui* habet.

Quę se ipsis cor non replent, *replere non possunt lętitia terrenę opes.*

Diues auarus, qui se non habet *nihil habet.*

Nulla ferarum aurum abscondit *pręter hominem.*

Vera letitię nouercę diuitię sunt.

Pecuniarum amore cor scinditur, *non lętatur.*

Nihil adeo mentem torquet, *vt diuitię.*

Gaudij materia *diuitia non sunt.*

Diuitijs nutritur superbia, *& alia* vitia, *quæ veram lætitiam necant.*

Falsum diuitum gaudium æternę tempestatis *signum.*

Diues cani comparatus qui ossa imperio præfert.

Temporalia *bona* quasi ossa conuiuij Paradisi.

In Deo, non in auro quærenda lætitia vera.

Diuites hinc discessuri pauperes fuisse *vellent.*

Nulla nummis erecta aræ.

Cordis *altare pecuniæ amori minimè erigendum.*

IMponunt ijs diuitiæ, qui spem suam in diui-
89 tijs ponunt; hamant à quibus amantur; ridenti & illæ facie se suis ingerunt, sub facie magnam magnarum curarum materiam gerunt; multorum mentes hic quoque error inuasit, vt putent risum, gaudiùmque à diuitijs fluere, risu, & lætitiâ abundare, qui abundant opibus; frustrà sunt; lætitiam veram inficere diuitiæ possunt, non parturire; personatam faciem circumferunt, lætæ videntur, sed videntur tantùm, non verè sunt, intus fletum occultant, occultant curas; aliud nempe sunt, aliud se fingunt esse. Perite ille, qui ab antecore nomen indeptus, auri contemptor eximius extitit: *Dimtiæ*, inquit, LÆTAM HABENT PERSONAM, *interna autem plena sunt fuligine*, plena dolure, plena curis; non pauciores diuitum mentem curæ pungunt, & quatiunt, quàm oceani vndæ littus premant: Scitè ille:

Non sæui arbiter Hadriæ
Tot pulsat rabidis littora fluctibus.
Quot luctus miseros premunt,
Et CVRÆ *laniant pectora diuitum.*

Iridem diuitiæ referunt, extima sui specie decipiunt, lachrymas exhibituræ; Festiuè ille rem tetigit, qui dixit: *Nihil est mortali conducibilius, quàm, vt diuitias* INSTAR IRIDIS *esse reputet, quæ vano splendore perniciem suam occultent, & spectantium oculos mox lachrymas datura, fallant*, ridentem dum faciem tu diuitijs vides, lachrymarum imbrem expecta.

Personam diuitiæ gestant, gestant & diuites; a-
90 liud specie sunt, aliud verò ex vero; nemo adeo desipiat, vt lætum, atque felicem putet diuitijs affluentem, ac uneratum; non est; personam gestat in hac mundi scenâ, lætus apparet, non verè lætus est; personatæ diuitiæ sunt, personati diuites; decipitur qui ex aspectu, aut illas, aut istos censet, & iudicat: Personas hasce vidit Sanctus Chrysostomus, culus verba, licet pluscula, omnia produco, ne dum aliquid aufero, aliqnid elegantiæ elidatur: *Quemadmodum*, inquit, *actores in* SCENA, *Regum, ac Ducum* PERSONAS, *item medicorum, ac rhetorum, sophistarum, ac militum assumentes ingrediuntur, quum ipsi nihil horum sint: sic sanè, & in præsenti vitâ, paupertas ac diuitiæ nihil aliud sunt, quam* PERSONAS. Pergit, & rem, vt solet, appositissimè explicat dùm ait: *Sicut igitur in theatro sedens, si quem videris, ex his, qui inferius ludunt,* PERSONAM *gestantem Regis, non iudicas eum beatum, neque Regem esse credis, imò nec ipse optaris esse talis: sed cùm scias, quod sit quispiam ex his, qui versantur in foro, funium opifex, aut faber ærarius, aut aliud quicquam tale, non iudicas illum beatum ob personam, aut ob vestem ad talos demissam, neque ex istis rebus æstimas illorum vitam, sed despuis potius illam ob aliam vilitatem. Sic sanè, & hîc veluti in theatro, videlicet in mundo sedens, & in scenâ ludentes spectans, vbi videris complures diuites, ne putes verè diuites esse, sed diuitum obtectos personis.* Poterat rem elegantius dare, offerre apertiùs? Claudit: *Nam quemadmodum ille, qui in scenâ Regem, aut belli Ducem agit, frequenter est famulus eorum, qui ficus, aut botros vendunt in foro; itidem & hîc diues crebrò pauperior est omnibus.* QVOD SI DETRAXERIS ILLI PERSONAM, *si conscientiam explices, & ingrediaris animum, multam illic offendes virtutis inopiam, comperièsque omnium hominum obiectissimum.* Quid hîc non mœroris materiam exhibet, ac tristitiæ? diuites lachrymis diuitiæ sunt, non sunt lætitiæ, ac gaudij; personam à diuitibus exime, exime à diuitijs, & subsignabis, licèt alioquin diuitiarum aduocatus extiteris.

Et verò, quî verum parturire gaudium possint
91 terrenæ diuitiæ, quæ possessurem suum capiunt, atque adeo quibusdam vinculis ligant? se perdit, qui illas amat, à diuitijsque possidetur, qui possidere diuitias quærit; ante seruus est, quàm sit dominus, licet dum amat nunquam dominus sit, sed semper seruiat; se diues non habet, licèt diuitias habeat, imò quia diuitias, se non habet, perdit se dum amat ea, quæ minùs habentur, dum plus amantur.

Congestæ opes famem suam tollere nequeunt, quî auferre ab alijs malum queant, quæ non pos-

sunt à se inopiam suam à se nequeunt abradere, alioqui se ipsas tollerent, & abraderent à mente possidentis. Pauperes diuitiæ sunt, diceres in idem recidere pauperem esse aliquem, ac inopia premi, cùm diuitiæ grandę paupertate sint, eòque ditiores paupertate sunt, quò sunt maiores, verus de non veris diuitijs Sanctus Augustinus fuit, dum ait: *Non sunt illa diuitiæ, sed mendicitas, quia quanto magis* ABVNDANT, *tanto magis crescit* INOPIA; à diuite si quis inopiam abiungat, se abiungit à vero; rem firmat Hebræorum, acuminis plena obseruatio, apud ipsos עני *nghani* pauperem significat, quæ vox eundem numerum parit, ac ממון *mamon*, quæ de diuitijs dicitur, vt numerorum cohærentia diuitem cum pauperibus numeraremus; cùm diuitiæ pauperes sint, cur aliquis adeo desipiat, vt diuites eas dicat tam diuiti lætitię veræ thesauro? non sunt id, quod esse dicuntur, & dicentur esse, quod nec sunt, nec dicuntur? Diuitiæ ipsę egent, & quò maiores, pluribus indigent, vt conseruentur, vt sint, quæ famem secum deuehunt, non tollunt; minùsque valebunt alienæ succurrere indigentiæ, quæ suæ non valent; quodnam ergo malum diuitiæ auferunt, si inopiam non auferunt, quàm ferunt?

92 Alionde firmo, non veras diuitias terrenas esse, & multo minùs veram lætitiam parturire; quia scilicet veras diuitias tollunt, æternas, perennaturas: diuitiæ diuitijs additæ maiores sunt: hię adeo non sunt maiores, vt non sint, nimio quippe terrenarum amore cælestes diuitias amittimus: vt iusta fuerit Beati Ambrosij cautio: *Vereor, ne dum mundi diuitias quæritis, inueniatis potius diuitias peccatorum, & repertis thesauris sæculi,* CAELESTES THESAVROS AMITTATIS: pereunt nobis cælestes diuitiæ dum terrenas deperimus: illarum amore & veras opes perdimus, & nos ipsos: verè se perdit, qui perditè opes amat, quæ non veræ, & minùs possidentur, quò plus amantur.

Verè lætitiam non afferunt diuitiæ, sed lætitiæ hostem tristitiam; apud Hebræos און *on*, ita de quibus dicitur, vt etiam de dolore, atque tristitia dicatur, nimirum vbi diuitiæ ibi dolor adolescit, atque tristitia: dolorem diuitiæ parturiunt, & partum augent.

93 Vis veras possidere diuitias? gaude cùm illas amittis, quæ non veræ; adeo quippe alienæ à vero gaudio sunt, vt non cùm habentur gaudio afficere non debeant, sed solum cùm amittuntur; implantanda hîc verba Beati Laurentij Iustiniani, qui ait: *Pro amissione verò temporalium* GAVDANDVM EST. *Nihil tamen perdit qui se habet: Dicit tamen querimoniosè, qui dilexit, & amisit temporalia: pecuniam perdidi; Fortasse si non perdidisses, illa te perdidisset, Felicem te dixerim, si cum illâ auaritiam perdidisti, antequam tu haberes, alius illam perdidit.* Verè diuitias, veràsque diuitias non possidebat, qui perdere eas potuit, cùm haberet. Claudit Beatus Auctor; *Sola autem illæ vera diuitiæ sunt, quæ nos virtutibus ditant;* QVAS TVNC VERIVS POSSIDEMVS, CVM NIHIL IN HOC MVNDO AMAMVS. *Qui enim nihil amat, perdit nihil*; exemplo suo calamo præiuerat, & quòd docuerat fecerat priùs; ô multos eiusdem mentis haberemus! proborum maior esset numerus, minor improborum, plures vera lætitia perfunderentur, pauciores deciperentur non vera.

94 Et qui replere lætitia vera cor diuitiæ possunt, quæ nec se ipsis replent? an implere aurum argentùmq; diuitiis cor queant, quæ implent arcam? loca duo vacua simul eadem res replere non potest, non est diues tanta virtute natura; id soli diuinæ omnipotentiæ tribuunt, qui rectè de Deo, déque rebus diuinis sentiunt; qui igitur & arcam replere, & cor diuitis vnum idémque aurum posset? non potest; iure Sapiens dixit: *Auarus non implebitur pecuniâ*; satis est si arcam impleat: Peritè Vgo Carensis; *Non impletur auarus pecuniâ, & quid mirum, quia ipsa* ARCA REPLETVR? *sed impossibile est eodem tempore duo loca diuersa simul, & semel repleri*; impletur arca, non ergo impletur cor; vacuam mentem habet, qui vacuam mentem replere aurum credit, credit argento.

Vis auro vacuum cor non esse? ab auri amore cor euacua. Implebis cor, si cor non ames impleri, addo, arcam quoque exinani, indigenti aurum sparge, & mens ditescet; cohærere non possunt, & arcæ plenitudo, & cordis; arca non est diues, nec diuitum sensu gaudet hoc titulo, licet refertissima auro sit, probèque aurum custodiat; ab arca tua disce te non diuitem esse; licet aurum habeas, si non vtaris: auri auarus custos est, qui aurum, argentùmque custodit tanquam arca; arca non habet se, sui non est iuris, se non possidet, possidere nec aurum dicitur, licet aurum contineat; idem de auaro diuite cense, nec iste se ipsum habet, & multo minus aurum: Peritè Sanctus Paulinus: *Quid ille miser habeat,* CVM SE NON HABET? non habet sua, qui non habet se; vnde extra
gaudij possessionē quoque est, qui se non possidet. 95
Adeò extra se homo diuitiarum amore fit, vt homo esse non videatur, dum auidus in diuitias fertur, diuitias custodit; Dracones olim custodiendis thesauris præficiebantur: Draconis exercet munus, in quem cupiditas suam vim exercet, vt auri custodiæ adijci velit: Draconem quendam pręsefert, qui nimio in opes amore fertur. Nimis hominem exuit, cùm extra hominem hominem demisit, brutis pariauit: feris se postponit, qui aurum custodit, aurum occultat: Hippocrates hanc hominum insaniam percellebat, notans nullam ferarum aurum abscondere, aurum seruare: in alijs vitijs feras homo pares habet, par feris vitijs ipsis factus, in hac suppar feris ipsis est, vt insaniam suam eò apertiùs prodat, quò maiori studio occultat aurum, aurum seruat ab auro non seruandus: auri custos non custodiendus ab auro: & lætitiam hîc homines sperent, vbi extra hominem trahuntur, dum ad opum amorem trahuntur, aut etiam trahunt se?

Nouercæ veræ lętitiæ opes sunt, non matres,
natam necare eam solent, non producere; festi- 96
uum illud est, reique firmandæ opportunum. Pauper quidam, & victum suis manibus arte quærens curarum expers viuebat, ac sua sorte contentus, diuèsque quia in sua paupertate lætus cantu latentem in corde lætitiam exprimebat. Dux quidam in domum pauperis, sed lęti magnam auri copiam iniecit, vt experiretur, an opes mentem exhilararent, an secus; inuenit pauper aurum, sed in auro curarum magnam copiam, cogitare secum cœpit, quis iniecisset, quî custodire aurum posset, in quid expenderet, eòque res abijt, vt *solicitudinum* vinculis ligatus soluere in cantum linguam non posset, nec labra diducere lætitię expromendę per cantum; tristitię nube obductus eius vultus fuit; hoc vbi Duci innotuit accersiri hominem iubet, & cur amplius non caneret interrogat; diu veritatem ille subducere studuit, sed rem vt res erat, celare non potuit; apertè fassus est iniectam auri summam abstulisse ab illo lętitiam omnem, & curas ingentes illius menti statim affricauisse: tunc Dux didicit, & nos quoque cum illo, diuitias gaudium lætitiamque inficere, non parturire, risûs

ma-

materiam dare, qui opes risus materiam credit.
97 Nummis arca plena arcam aggrauat, qui ergo alleuabunt cor? deprimens potius, nec ferre secum lætitiam poterunt, quæ cor grauant. Diuitiæ animum diducunt, mentem diuidunt, & lacerant, ergo non afficiunt lætitia. Germanorum hic erat mos, vt nummis ferram insculperent: disceret vel à nummorum sculptura poterant, pecuniarum amore cor scindi, secarique non secus ac ferra ligna: mentem diducunt nummi, dum amantur, amicos ab amicis diuidunt, à parentibus parentes, quemlibet à se ipso: Vis non secari nec à te, nec à tuis? habendi cupiditatem à te abscea.

Nihil ferè tàm grauidum ærumnis, quàm pecunia est, nullus grauior lætitiæ hostis, quàm opes; morbi, mors ipsa, & metus minùs nos torquent, certè non adeò assiduè, quàm torquet pecunia. Audio Senecam, & verbis illius facilè subscribo: *Transeamus ad patrimonia maximam humanarum* AERVMNARVM MATERIAM; *nam si omnia alia, quibus angimur, compares, mortes, ægrotationes, metus, desideria, cum ijs, quæ nobis mala pecunia nostra exhibet, hæc pars multum prægrauabit;* miror huc gentilis hominis mentem euasisse, Sequere, qui præire deberes; non grauabit pecunia, si pecuniam calcare non graueris; non erunt diuitiæ diuitibus hostes, si diuites diuitijs se hostes exhibeant; torquet pecunia qui extorquere ex omnibus, ab omnibus pecuniam studet.

98 Ab alio capite probo à diuitijs gaudium verum non prodire. Diuitiæ verè nostræ non sunt, cùm sint ad alios transituræ, gaudium verò solum gaudentis est, ergo gaudij materia non sunt diuitiæ, præsertim cùm quis gaudere etiam possit amissis diuitijs, qui diuitias habet, iam non est suus, est diuitiarum; qui suus non est, nec rerum aliquid habet, & consequenter nec gaudium; quantæ ergo dementiæ est corpus, animumq; vili metallo mancipare, & putare lætitiam exsculpi à diuitijs posse, quæ lætitiæ veræ nouercæ sunt, non matres? Si lætitia à diuitijs esset, omnes diuites læti essent, pauperes à lætitia exules, quod falsum esse, si illorum, meorum ad te nobis liceat, & istorum, apertissimè constabit.

Diuitijs vitia non re tantùm, sed & nomine sunt cognata: Pulchrè Eucherius: *Adeo quædam societas pene etiam nominis duabus his rebus* VITIIS & DIVITIIS; in diuitijs vitij nomen latet, latet & res; quis autem nesciat vitijs infectam mentem gaudio verò affici non posse? exulat ergo à falsis diuitijs verus risus: Ægrè cum diuitijs probitatem cohærere censuit Sylla, qui vt Plutarchus refert ad iactantem se, quòd vir probus esset, dixisse fertur: *Quî possis tu* PROBVS ESSE, *qui cùm nihil à Patre acceperis, nunc possides adeo multa?* censuit decrescere probitatem cum diuitiæ crescunt; Igitur & gaudio afficit, & cupiditate non est eiusdem; cupiditas aufert quod affert gaudium, pacem scilicet, tranquillitatem, quietem; cupiditas, & lætitia non cohærent, vbi mentem lætitia dalibutam dederis, negaueris cupiditate ligatam; cùm igitur diuitiæ ferè cupiditate animum stringant, à vera lætitia soluunt; gaudium fastidium omne respuit, quin, & rerum corporearum appetitum, qui diuitias ferè comitatur, & sæuus voluntatis carnifex est; nequit ergo lætitia vera corripi, qui diuitiarum terrenarum amore corripitur; pauper vero gaudio est, qui periuris opibus est diues.

99 Videntur ridere diuites, & gaudio exilire, verus eorum risus esse non potest, nec verum gaudiū; falsò gaudent, sed falso gaudio veram, æternamq; tristitiam sibi acquirunt. Ceti ludo, qui signum est futuræ tempestatis, gaudium diuitum comparabat Stephanus Cantuariensis: *Ludus, inquit, ceti signum est tempestatis, ita* GAVDIVM DIVITVM SIGNVM EST TEMPESTATIS AETERNAE; qui hanc æternam tempestatem timet, momentaneo diuitum gaudio gaudere defugiat.

Aliud in diuitiatum amore malum latet, quod quàm longissimè diuitias à veri gaudij sinu reijcit, nimirùm quia cœli, cœlestisq; gloriæ contemptum parit, vt ob id diuitiarū cupidos canibus pariaoerit Sanctus Bernardinus Senensis qui ossa illis proiecta radunt, nec curat pretiosiora. Sic ille auaros diuites pungit: *TEMPORALIA BONA SVNT QVASI OSSA CONVIVII PARADISI IN MVNDVM MISSA. Sæpe enim malis diuitibus, & magnis hominibus quasi canibus proiecta, & tamen sicut canis non daret os quod rodit pro Imperio vel Papatu: sic impius diues non daret bona temporalia pro tota gloria sempiterna.* Fatuos, qui hanc mentem efferunt censes, caue ne tu quoq; talis ab alijs censearis, & re probes, quod verbis damnas.

Vis vero gaudio frui, vera lætitia non in argento, non in auro, non in opibus quæras, sed in Deo. Dauidis verba sunt: *Et plebs tua lætabitur in te*; In Deo scilicet, non in rebus, quæ extra Deum. Rem vt sit elegantiet, vt solet, Sanctus Augustinus, cuius verba supprimere religio sit, sic ille loquitur versans verba, quæ iam produximus: *Malo suo lætabitur in se, bono suo lætabitur in te. Quando enim voluit habere* GAVDIA DE SE, INVENIT PLANCTVM IN SE. *Nunc ergo, quia totum gaudium nostrum Deus est,* QVI VVLT SECVRVS GAVDERE, IN ILLO GAVDEAT, QVI NON POTEST PERIRE. *Quid enim, fratres mei, gaudere vultis in argento? Aut argentum perit, aut tu, & nemo scit quid prius; veruntamen illud constat, quia vtrumque periturum est, quid prius incertum est. Nam nec homo hic potest manere semper, nec argentum hic potest manere semper: Sic aurum, sic vestis, sic domus, sic pecunia, sic lata prædia, sic postremò lux ista. [illegible]is ergo velle gaudere in istis, sed gaude in illa luce, quæ non habet occasum: gaude in illa luce, quam non præcedit hesternus dies, nec sequitur crastinus.* Felix, qui ita lætatur, vt perdere lætitiam non possit, nec à lætitia perdi; luctus se materiam facit, qui educere ex auro, velut ex materia, gaudium quærit, & risum.

Noli diutiùs decipi, larvam auro, diuitijsque, exime, & te ab hoc errore eximes, vt putes lætitiam veram ab opibus perituris posse exprimi: nulla labore exprimes; quod nunc in charta me neute legis, ex te iacente disces, cùm hinc eris discessurus; moriturus videbis vero gaudio viduas diuitias terrenas esse, quæ suos non solantur, sed relinquunt solos, cùm maximè erigere deberent: Opem non ferunt opes mortis tempore, tempore indigentiæ, cùm tristitiæ, & doloris fluctibus iacens iactatur: morituro clamant, sanæ mentis non esse immoti opibus, quæ opem cùm opus est non ferunt: quin se ipsas auferunt, auxilium suum negant, in hoc solùm iustæ, quòd iustè puniunt amatores suos dum deserunt, & adeo eos non recreant, vt acriùs crucient, quia deferendæ tunc pauperitas diuitijs præferetur: *Pauci enim diuites moriuntur, qui in* EXITV HVIVS VITAE, NON DESIDERENT FVISSE PAVPERRIMI, vt Blesensis censebat, & etiam ille, qui veritati, & experientiæ volet subsignare: sed nimis pauper ratione est, qui tunc solum diuitias deserit, cùm deseritur à diuitijs & diuitiarum amorem incipit insepelire, cùm ipse iam iam sepeliendus est. 100

Mitum à Romanis nullas erectas pecuniæ aras Iuuenalis Satyr. 1.

„ Et

„ *Et ſi funeſta* PECVNIA TEMPLO
„ *Nondum habitas*, NVLLAS NVMMORVM EREXIMVS ARAS.

Cur id fidelis præſtet, cordis ſui altare pecuniæ, & nummorum amori erigens. Aram nummo ſtruxerat auarus ille, cuius cor repertum in nummorum arca fuit.

Audi me qui me legis, diuitijs viuens ne immoriaris, ne moriturus mori velis, & priùs moriaris tibi, quàm diuitijs: à diuitiarum contemptu lætitiam quære, non à diuitijs: opus habet mente, qui mentem ad opes habet, habet in opibus.

CAPVT XIV.

Ab honoribus, & dignitatibus verum emanare nequit gaudium, nequit vera lætitia naſci.

Ab honoris ſuggeſtu *honores cadunt, dum & indignis tribuuntur.*
Mundi dignitates nuda nomina *ſunt.*
Volaticus *honor terrenus eſt.*
Imperia fluctibus, *&* amaritudinibus *obnoxia.*
Hiſtrionum perſonas *honores referunt.*
Illuſtres viri idolorum ſimulachris *pares.*
Qui in honoris faſtigio eſt, nec verè magnus, *nec verè* felix.
Honores periculis ſuſtentantur.
Terreni honores ruinoſi.
Honores alieni *ſunt, & nos* alienant.
Qui ſuper alios *vult eſſe*, infra ſe *eſt* extra hominem, *qui* ſupra homines.
In dignitatibus plerique mali, qui prius fuerant boni.
Ad mortem *honoratos deſtinatos, honoris inſignia indicant.*
Damnationis, *&* dominationis *affinitas.*
Magnorum infelicitas *veri gaudij expers.*
Dignitatum cornua *ſine veri gaudij* medulla.
Honorum eſcâ *tranſgreſſionis* hamum *plerique vorant.*
Bracteata felicitas *imperantium.*
Honores gaudio vero replere *mentem nequeunt, qui nullo modo* replent.
Honor cultores ſuos cruciat, *non* lætos *reddit.*
Inuidia *honoribus affinis, lætitiam veram euertit.*
Honores tanquam venena *fugiendi.*
Lethales, *&* ſeductorij *honores cauendi.*

VT dignitatum dignitas non eſt vera, cùm bonos, maloſque promiſcuè in ſuum ſinum admittat, ita nec verè bonum eſt, nec verum gaudium poteſt parturire; dignos, indignóſque non diſcriminat dignitas, ſed confundit: æque peioribus meliores, melioribus deteriores præfert: ergo vel hinc boni ab honore infamia notantur, quòd honoris diſtributione peſſimis non conferuntur tantùm, ſed præferuntur. 101

De honoris ſuggeſtu terreni honores cadunt, dum alios videntur erigere, honoris titulum iniuſtè circumferunt, dum malos etiam efferunt, nec bonos à non bonis diſcriminant: & quod eſt peius, peiores multos reddunt, bonos malos ſæpius faciunt, quàm malos bonos: mores mutant honores hoc quoque titulo inhonorati, quòd à virtute abeunt, quæ inuariabilis, & ſui ſimiles ſuos ſeruat; mutant mores, ſed raró in meliores, in peiores ſæpe, ſatis hoc ad contemptum honoris, quòd & contemptibilibus pateant, & contemptibiliores etiam reddant: non eſt vera dignitas, quæ dignos indignóſque confundit, & qui digni ante dignitatem erant, indignos facit in dignitate, eòque peiores, quò meliores alijs eſſe par eſt; qui pares alios in dignitate non habent, dignitate ſuper alios ſunt: nimirum hoc quoque mali à culmine oritur, vt malum maius fiat, quia ab illis fit, qui ſunt maiores, & mali exempli virus in cæteros eò nocentius it, quò celſiores ſunt illi, qui delinquunt.

Dignitates, quas mundus offert, non ſunt veræ dignitates, honores non ſunt honores, nuda nomina ſunt, quibus mundi amatores decipiuntur. Verus Beatus Chryſoſtomus fuit: *Dignitates temporaneas haud quaquam quis dignitates dixerit, ſed* DIGNITATVM NOMINA DVMTAXAT: tam honorificum titulum non merentur, non ſunt, quod eſſe dicuntur; demus igitur dignitates verè verum gaudium parturire, quod tamen dari non poteſt, iſtæ, quæ non veræ dignitates, non veri honores ſunt, verum gaudium parturire non poſſunt, nec veram lætitiam dare, alioquin illud exhiberent, quod non habent, & parturirent, quo grauidæ non ſunt: falluntur igitur, qui, vt loquitur Beatus Auguſtinus: *Ex* HONORE VOLATICO, *& perituro volunt eſſe beati*; hoc minus ſunt, quò magis ſe putant eſſe, aut eſſe putantur ab alijs. 102

Verè volaticus terrenus honor, dignitas temporalis; in hoc ſolùm firma, quòd nunquam ſiſtit, in hoc immobilis, quòd mouetur ſemper, ab alio ad alium auolat, nullum diù beat; hoc docere hoc Deus voluit, cùm hominem piſcibus maris præfecit, & cæli volatilibus, hi ſignate hominis imperio ſubijciuntur, vt à piſcibus maris diſceret, imperia fluctibus, & amaritudinibus non caritura, à volucribus volaticas dignitates futuras.

Hiſtrionum perſonas honores referunt, quæ ab alijs feruntur ad alios; regia ipſa inſignia, quæ ab his ad alios tranſeunt, hoc altè inclamant, licet altè ſileant; nefas hîc præterire verba Sancti Aſterij, quibus de hac re in hunc modũ philoſophatur: *Sicut enim* HISTRIONVM PERSONAS *proprie, & peculiariter eorum poſſidet nemo, ſed pro re, & argumento promiſcuè quiſque ſumit: ita terram; faceſque terrenas quaſi veſtes ex alys aly induunt. Dic quæſo, num aliquid regno maius? Atqui ſcrutare, quæ regnum ſunt: chlamydes conquire Regias, quàm plurimas ſanè reperies, quæ Regum multorum corpora texerint, quod & de coronis, fibulis, zonis cenſendum, omnia nempè hereditatem inſtabilem, vſumque eorum communem, & ab ys, qui abeunt ad alios, qui remanent tranſeuntem*; vt nihil habeant ſtabilitatis honores 103

nores ipsis, nisi quòd semper instabiles sunt, nec hærere diù apud aliquem possunt.

Istos, qui foris fulgent, & esse putantur illustres, quibusdam simulachris comparo, quæ extrinsecus ære, aut etiam auro ornabantur, intus luto plena erant: Bellè eos Bel pariabat Sanctus Basilius: *Quid*, inquit, *ex externis prafers occulta non perscrutans? Vides, quòd Bel extrinsecus quidem habebat as, intrinsecus verò lutum sub fulgente are occultum; si videris eos, qui in mundo illustres sunt, nosce, quod* AES IPSOS CIRCVMFVLGET, INTVS VERO LVTVM SVNT, AERE MARCIDVM SVFFVLCIENTE; extra bonæ mentis limites vagatur, qui ea tantùm spectat, quæ extra sunt, nullâ illorum ratione habitâ, quæ intus; simulachrum hominis refert, non videtur homo, qui honoratos felices putat ex his, quæ corporeis oculis videntur.

104 Non sunt verè felices, qui videntur esse, extima dignitatis specie spectatores decipiunt; scenicum habitum ferunt, & scenæ seruiunt, quibus seruire videntur alij, tanquam super alios positus: *Nemo ex istis*, verba Senecæ sunt, *quos purpuratos vides felix est, non magis quàm ex illis, quibus sceptrum & clamydem in* SCENA *fabula assignant, cùm prasente populo elati incesserunt, & cothurnati; simul exierunt, excalceantur, & ad staturam suam redeunt. Nemo istorum, quos diuitia, honorèsque in altiori fastigio ponunt, magnus est.* Magnus est, qui huic falsæ magnitudini non inuidet, nec magnos putat qui videntur magni, sed videntur tantùm. Magnus est, qui ad honores raptus se demittit, nec exit extra se, & multo minus supra; culmine super alios factus, in honoris sublimitate maius periculum timet, non tumet ob honorem; ea mente, qua Sanctus Augustinus aiebat: *Quantò plus honoramur, tantò plus* PERICLITAMVR; iam incipit periclitari, qui in honore honorem tantùm videt, non pericula, & effertur quòd emineat multis, non demittitur quòd multa discrimina immineant illi; nisi quod pericula non imminentia tantùm honores respiciunt, sed tanquam sustentacula, & vt ita dicam, fundamenta: verus ille: *Honor* PERICVLIS SVSTENTATVR, *vilitatibus procuratur*; quid firmum speres, & quem lætum exitum ab hoc honorum sustentaculo? iure, *ruinosos* eos dixit Sanctus Augustinus, atque adeo à veris delicijs alienos, à vera lætitia, à vera iucunditate: *Sunt*, inquit, *quadam delicia sancta, & bona in libris, neque enim sunt in affectandis, & apprehendendis* RVINOSIS HONORIBVS, quid nisi ruinam timeas ab honoribus, qui à ruina ruinosi dicuntur? ruinæ expositi honores sunt, sed ruinæ quoque exponunt positos in honore.

105 Ad honorem elati gaudio perfundi videantur, verè non perfunduntur, cùm gaudijs apta materia honor non sit; nam in primis honor in opinione situs est, in æstimatione quadam; gaudium verum non est à nuda opinione, debet esse à re. Præterea alienissimi honores sunt, honor non est opus nostrum, sed alienum; non est honorati, opus est honorantis, hoc ipso alienius, quòd ab altero est, non est à nobis; non ergo veri gaudij materia, quod à nobis oriri debet, intra nos manere, quisque secum deferre gaudij, & risûs officinam debet, non ab alio expetere, ab alio expectare.

Parum esset alienos honores à nobis esse, nos quoque alienant, nos extra nos rapiunt; suus iam non est, qui ambitionis aura perflatur; super alios sit, qui imperat; sæpè infra se est, quin semper est, si se putet aliquid maius alijs, aut auidiùs quàm sit par, in honorem feratur: Scitè Primasius: *Qui* SVPER ALIOS *vult esse*, INFRA SE *fiet*; erit & infra se, si postquam super alios est, tumet quòd sit: *Homo cum in honore esset*, ait Propheta, qui Regis honore pollebat, *non intellexit*; cur non intellexit? quia Sancto Bernardo interprete, HONOR ABSORBVIT INTELLECTVM, vt intellectu sit viduus, qui honoribus quærit nubere.

In bonorum verorum censu non locandus honor, quo non semel fit, vt qui prius erat bonus, ad honorem euectus, esse desinat, quod erat, & fiat malus, adeo vt singularis beneficij loco multis sit ab honoris suggestu auocari: Hoc inter alios notabat Vgo Carensis, dum ait: *Multis parcit Dominus nolens constituere in pralatione, ne moriantur:* MVLTI ENIM PRIVS BONI, IN PRAELATIONIBVS FIVNT MALI; sicq; infra se locantur, dum super alios euehuntur, & minores seipsis fiunt, dum maiores alijs videntur reddi.

Curæ ipsæ, quæ honores sequuntur, honoris amatorem ab omni gaudio auocant, non adeo vmbræ corpus sequuntur, vt solicitudines sequuntur honores, dignitates; tot morsibus laceratur honores ambientis mens, vt ipse sibi sui sit carnifex, sui tortor; tristes vultus, quos in culmine positi præseferunt, solidè euincunt nec solidum honoratorum gaudium esse, nec verum.

Olim victimæ ad sacrificia cum infulis ducebantur; vides infulis insignitos? victimas cense, 106
& ad mortem duci; hinc illud:

Sape honores deferuntur VICTIMIS *vt infula;*

Vt non longè sit mors, ad quam infulis redimitus ducitur, vel ab externa schola ista cautio est: *Consulares fasces*, inquit ille, *pratextam, curulemque sellam, nihil aliud quàm pompam funeris putent, claris insignibus velut infulis velatos* AD MORTEM DESTINARI; parum esset si ad mortem tantùm nos dignitates ducerent, ducunt ad damnationem. Dominationis, & damnationis cognatio aliqua nominis est, sed arctiùs re conueniunt. Benè Blesensis: *Multorum* DOMINATIO *est eorum* DAMNATIO, *quot enim paupertas ad cælum promouet, tot cum dignitatibus suis* INFERNVS *absorbet*; & placet dignitas cum hoc discrimine? absorberi qui ab inferno timet, inanium dignitatum cupiditate minimè absorbeatur.

Non est verè lætus, qui mundanorum honorum amore capitur, cùm statim ac honorem amat, aliorum honoribus torqueatur; ambitiosi tot cruciatus habent, quot superiores, quin quot habere se putant, aut putant se posse habere, futura aliorum gloria præsens illorum pœna est; non est verè felix, quem felicior torquet, quem pungit honoratior, non ob aliam causam, nisi quia putatur felicior, putatur honoratior.

Honor si veri gaudij verus esset parens, verus 107
opifex, qui honore destituuntur, perpetuò lætitiæ expertes essent, at non sunt, quin lætiorem frontem ostendunt, qui dignitate minùs grauantur, quàm qui honore premuntur. Tristis ambientium seruitus, qua se cuilibet personæ subijciunt, cuique muneri submittunt, nihil adeò indignum est, quod dignitatis indipiscendę causa non præstent, miserè seruiunt, qui cæteris dominantur; Benè S. Bernardus in supremę dignitatis vertice locat alloquens; *Tu ideo*, inquit, *non* SERVVS; *quia non* VNI *seruus, sed* OMNIBVS? non eximitur à seruitute, qui in plures exercet imperium, sed maiori seruituti subijcitur, quò plures subiectos habet; alia quoque seruitute premuntur qui imperant, cùm dominandi desiderium illis dominetur, atque adeò à vera felicitate omnino exules sint; Pertiè Sidonius: *Sententia tali nunquam ego assentior, vt fortunatos putem, qui Reipublica pracipitibus,*

bus; ac LVBRICIS CVLMINIBVS *inſiſtunt. Nam dicè nequit quantum per horas fert, in hac vitâ miſeriarum vita felicium illorum (ſi tamen ſic ſunt pronuntiandi, qui ſibi hoc nomen vt ſylla præſumunt) nimirum qui ſupergreſſi ius, faſque commune, ſummam batitudinem exiſtimant, ſummam poteſtatem, hoc ipſo ſatis miſeriores, quòd parum intelligunt, inquietiſſimo ſe ſubiacere famulatui; nam ſicut hominibus Reges; ita Regibus dominandi deſideria dominantur;* hoc ipſo infeliciores quòd felices putantur; & nudè dominari, cùm etiam ſeruiant, imò ſeruiant, quia dominantur, cùm comes es ambitu quæſiti dominij dura quædam ſeruitus ſit, quæ acriùs imperantis animum cruciat, quò eſſe in eius animo non videtur, & tota apud imperantem manet, nec ex ſubditorum mente talis eſt.

108 Cornua cum dignitatibus cognationem quandam habent; hinc apud nonnullos in vſu eſt, vt Princeps cornua capite efferat, tanquam ſuæ dignitatis inſigne; hinc quoque miſerijs refertos eſſe, qui ad culmen elati iactantia efferuntur, colligitur; cornua medulla carent, qua non carent oſſa; nimirum licet magnum quid præſeferant, qui in culminibus ſunt, ſi exteriorem pompam reſpicias, intus iucunditatis veræ medulla ſunt vidui, veraque lætitia; verus ille: *Cornua dignitatum inſignia ſunt, non oſſa, quia miſeriarum aere referta ſunt culmina,* NON VERI GAVDII MEDVLLA; quam grandis ſonitus à cornu exit, quod in Principum capite altè ſilet. Mente ſubi magnorum mentem, & curis emedullatam deprehendes ſolùm inanibus curis, velut aere grauidam; huc lubens ſteſerim, quod in tumidos culminum amatores iactat Sanctus Gregorius in hoc etiam magnus, quod magnum ſe neſciuit, licèt ad eam dignitatem eſſet euectus, qua nulla in terris extat maior; *In cornu,* inquit, *quia elatio frequenter accipitur, Propheta atteſtante didicimus, qui ait: Dixi iniquis, nolite iniquè agere, & delinquentibus, nolite exaltare cornu: quid ergo in Rhinocerote, cuius nomen latinâ linguâ interpretatum ſonat in nare cornu, niſi potentes huius ſæculi deſignantur, vel ipſa in eo ſumma principatuum poteſtates, qui typo fatuæ iactationis elati, dum* FALSIS EXTERIVS INFLANTVR HONORIBVS, VERIS MISERIIS INTVS INANESCVNT? hoc ipſo miſeriores, quòd miſeri eſſe non videntur alijs, ſolis ſibi ſunt; grauior, pleniórque miſeria eſt, quæ miſerantes non habet, non habet erigentes, quia ſub dignitatis velamine ad miſeriæ augmentum deliteſcit. Miſera honoratorum conditio, quæ conſolatores nullos inuenit, quia à nullis ſolet inueniri; alieno ſe vultu tegit, aliena oſtentant facie, niſi eam ſpolies, niſi laruam auferas, auferre nec poteris, nec leuiorem verbis reddere, nec minus miſeram.

109 Alieniſſimos à vero gaudio eſſe, qui in culmine ſunt, ex alio poſſum capite probare; quia nimirum, qui euehuntur, promptiores ſunt, faciliores, aptioréſque vt in animam triſtitiæ fontem inducant, culpam; ferè enim accidit, vt qui in honoris culmine ſunt, proniores ſint ad lapſum, & ſcelera committant euecti, quæ committere auſi non fuerant dum eſſent in imo: *Quàm multi,* verba ſunt Sancti Aſterij, *per* HONORVM ESCAM, *& illecebras vnâ cum ipſâ* TRANSGRESSIONIS HAMVM DEVORARVNT? Honorabiliores futuri, ſi minus honorati. Conijce oculos in præterita ſecula, & multos in dignitate locatos multa indigna præſtitiſſe reperies, à quibus alieni fuiſſent ſi fuiſſent à dignitatibus alieni.

Non eſt vera felicitas imperium in alios, grauidum multis curis hoc opus eſt, multas calamitates occultat regium diadema, nemo minùs ſui iuris eſt, quàm qui in plurimos ſibi ius arrogat; minus plerumque ſibi imperat, qui in alium exercet imperium; gaudio delibutus videatur, qui ſuper alios eſt, verè ab hoc ſolo capite non eſt, quòd aliorum eſt caput; *Cùm auro tecta perfundimus,* Senecæ ſunt verba, vellem ad noſtram mentem tranſirent, dum hic offeruntur, *quid aliud niſi mendacio gaudemus, ſcimus enim ſub illo auro fœda ligna latitare, omnium iſtorum, quos incedere altos vides,* BRACTEATA FELICITAS EST, *inſpice, & diſces* SVB ISTA TENVI MEMBRANA *dignitatis quantum mali lateat;* quid à Chriſtiano calamo, cuius eſt in honores ſæuire, aliud expectaſſes? cùm igitur tàm copioſa lachrymarum materia ſub dignitatis lateat larua, quis putet ab illa oriri verum gaudium poſſe, verum riſum? ego non puto, & mecum ſentiet, qui cum veritate.

110 Poſſent implere vero gaudio hominum mentem terreni honores qui implere nullo modo poſſunt? vmbra implendæ vacuitati inidonea eſt; honores vmbra ſunt, replere nullius animum valent, vacuum ſemper relinquunt, quem extima ſui ſpecie afficiunt, vt proinde nullus contentus honore illo ſit, quem poſſidet, rectiùs, à quo poſſidetur. Benè Vgo Carenſis in purpura purpuræ contemptor, & magis dignus dignitate, quia elatus ad dignitatem dignitates nouerat deijcere non ſolùm calamo, ſed quòd maius etiam mente: *Honores,* inquit, *huius temporis ſunt* VMBRA, *quæ non* REPLET, *nec ſolidat, & ideo nulli* SVFFICIT HONOR SVVS; maiorem maioris honoris cupiditatem affert collatus honor; diceres vacuitatem in illius animum inuehere, qui euehitur ad illum; qui ſe non replet mentem, repleret illo, quod in ſe non habet, vero gaudio, vero riſu? non replet; nullus honori hunc honorem deferat, vt afferre veram lætitiam putet, cui confertur.

Non confert, confert potiùs lachrymas, curas, amaritudines fumo ſolent honores comparari, lachrymis eliciendis aptius fumus eſt, non riſui, non lætitiæ: *Terreni honores, & dignitates,* verba ſunt Sancti Petri Damiani in honore ſpernentis honores, & in infula infulas, *quaſi* FVMVS, *quo altius extolluntur, in nihilum redeunt;* quò maiores minores ſunt, imò non ſunt, lachrymas tamen poſſunt elicere, quia fumus; vt recreent nihil ſunt, vt crucient ſunt aliquid, ſed illud aliquid nihil ex vero eſt, quia ſunt tantùm, quia putantur eſſe, atque adeo ſolidiorem miſeriam affert illorum exilitas, inanitáſque, quò in ambitioſorum mente aliquid illis eſſe videtur, ſed contra illos eſt.

111 Præterea à lætitia nos honor excludit, excludit ſe, quia adeo delicata res honor eſt, vt vel vno verbulo conficiatur, quod ab alieno ore effluat; audiat quis verbum minùs honorificum, honori ſuo detractum honoris mancipium putat; quodnam verum gaudium ab eo eſſe poteſt, quod inficere liberior alterius lingua poteſt, nec læditur tantùm cùm læditur, ſed cùm ſe lædi putat? & poteſt veram voluptatem, verum gaudium honor inuehere, qui tàm facilè cultorem ſuum cruciat, vt vel tunc crucietur cùm opinione ſua ſe credit tangi, licet verè non tangatur? nemo adeo malè de vero gaudio ſentiat, vt à falſis honoribus verè naſci poſſe arbitretur, quibus detrahitur, etiam cùm non detrahitur, & quorum cultores feriuntur etiam cum non feriuntur.

Alium præterea hoſtem honor habet, inuidiam; vix in culmine aliquis locatur, cùm multorum inuidia petitur, quæ ferè maior, & in pluribus excitatur, quò grandior honor eſt, ad quem quis euectus;

ctus; inuidentium omnium latratibus est expositus, qui positus in honore; & potest hîc adolescere vera felicitas, potest iucunditas in solij solo vernare, potest gaudium, & risus? nullus mihi hoc persuaserit, nec persuasio quidem ipsa.

Qui sapit, honores hos volaticos, milleq; miserijs inuolutos repudiabit, respuètque tanquam lethale venenum mortem bibentibus afferens; nam, vt ait Beatus Laurentius Iustinianus; *Fides Christi exemplo, docet honores esse tanquam* MORTALE VENENVM *contemnendos*; contemnendus ille est, qui illos non contemnit.

112 Magnam habent cum veneno cognationem terrenæ dignitates, magnum cum amaritudine nexum terrena culmina, vt vix hæc duo inter se denectas; non ab re apud Hebræos eadē vox שאר *rosc* primatum, verticémque significat, & fel, atq; venenum; vt harum notionum varietate in vna voce copulata colligeremus felle grauida culmina esse, amarore infectas esse dignitates, alienósq; à lętitia esse, qui honores ambiunt, amant dignitates.

Lethales mundi honores sunt, & amari possunt, & possunt quæri? hoc quoque mali honores habēt, vt homines fascinent, & decipiant, vt mortem non timeant honoris cupiditate correpti: iurè inclamabat Beatus Thomas: *Proh mundi* LETHALIS HONOS, *quomodo fascinas homines, quàm male decipis mortales! Quid est enim gloria hęc nisi ventus, vanitas vanitatum, & omnia vanitas?* videntur homines non esse, qui ab honoribus fascinantur. Mentem erige, mentem à dignitatum amore auocans, calca dignitates, ne indignè à dignitatibus calceris; spolia honores, vt honoribus te spolies, spoliabis te illis, si illos spoliaueris; sub dignitatis veste videbis quantum mali lateat.

113 Sapuerunt illi, qui vt ille ait: *Non aliter ac* PESTILENTIS ÆRIS *flatum fugerunt honores*, honoribus digniores, quò longiùs ab honoribus fugerunt, & digni qui à dignitatibus quærerentur, qui dignitates dedignantur quærere.

Placent honores? illos ama, qui dignis in cœlo seruantur, ibi nullus sine gaudio honor erit, nullúmque sine honore gaudium, honor æternus, æterna animabitur lætitia, & æternaque lætitia æterno honore. Interim seductorios sęculi honores repudiemus, virtutésque sectemur, quibus gradum ad non periturarum dignitatum gradus nobis sternamus; Peritè Beatus Laurentius Iustinianus, honorum contemptor in honorum contemptum: *Quid oro*, Inquit, *prodest cathedram* HONORIS *accipere, & nullum ex illâ meritum, sed solum sibimet ipsi iudicium vendicare? Quid inquam in horâ exitûs proderit aspectibus mortalium fuisse honorabilem, si Deo fueris odibilis? in hac quippe peregrinatione non* SEDVCTORIOS HONORES, *neque fallaces debent sibi fideles thesaurizare diuitias, sed tantùm virtutes, quibus præmia retribuuntur æterna*; seducunt honores seductorij; illos anteuerte, ne te dum seducunt euertant, honor verus à non veri contemptu est, & vera dignitas à non verarum dignitatum fuga. Seductorios honores terrenos, qui censet, non sinet ad illos se duci, seduci ab illis. Veram lætitiam aliunde quæret, quàm à lætitiæ verę veris hostibus, qui gaudium ab illis auferunt, qui audè feruntur ad illos.

CAPVT XV.

Ludicra spectacula verum gaudium non producunt; non producunt theatra, nec ludi theatrales.

Factitius, & fictitius *risus, qui spectaculis elicitur.*
Lætitia in theatro perit, *non* producitur.
Theatrales ludi orbis pestis;
Theatrum Veneris Sacrarium *dictum*.
Insana *mundi spectacula*, *qua à sacris* festiuitatibus, *à templis homines auocant.*
Theatrum cathedra *pestilentia*, *incontinentia* gymnasium, *Babylonica* fornax, consistorium *impudicitia*.
Voluptatum procellæ *in mari theatrali*, *non vera voluptates.*
Ludicra *lætitia*, *qua à* ludicris *spectaculis.*
Orantium lachrymæ *theatrorum* gaudijs *praferenda.*
A se homo abit, *qui spectacula* adit, *vitijs aditum aperiens.*
Sylux *spectaculis olim addicta*; sylueſcit *illius animus, qui vanis spectaculis est addictus.*
Ludi spectacula infirma sunt artificia *dolori placando*, *cùm* intus tortores *sunt.*
Spectacula voluptatis falsa vehiculo facile in mentem vitia vehunt, qua egrè abeunt.
Spectacula noxia sunt, *etiam cùm* non sunt.
A se exeunt, *qui foras, & in spectaculis* voluptatem *quærunt.*
Mors tanquam Lydius lapis *ostendet, qua spectatu digna, qua* veræ iucunditates:
A theatri spectaculis fit alienus, *qui alienus non est à se.*
Læta virtutis spectacula, *& à nobis adeunda*; *vt &* virtus *nos adeat.*
Quantas vires viuum virtutis spectaculum *in spectatores habeat.*
Spectacula in diuinis litteris.
Læta *in martyrum* pugnis spectacula,
In mundi theatro cum vitiorum feris *pugnandum.*

114 RIsûs, & gaudij causâ ad spectacula mũdani se conferunt, ac si verum gaudium parturire possent, quæ non essent, si essent vera; quæ in comœdijs risui eliciendo apparent, aliud sunt, aliud videntur; sub alienâ specie spectantur, vt ad risum moueant; quis credat à personatis non personatum risum prodire? prodit.

Vt, & arte extortus est risus, qui à spectaculis; non potest esse verus, qui suâ sponte non fluit, non factitius tantùm est; est fictitius; quicquid spectatur in scænis, oculorum ludibrium est, aurium deceptio est, in hoc posita comœdorum ars est, vt spectatoribus suis imponant, & maiori peritia peritiam suam exercent, quò pleniùs spectatores suos decipiunt.

Adeo dissita à vero gaudio theatra sunt, in quibus spectacula offeruntur, vt verum in illis gaudium naufragium subeat; vt non semel à verâ lætitiâ excidat, qui falsæ studio in theatra se dedit: Verus ille: *In theatris*, IN SPECTACVLIS LÆTITIA, *quæ illuc foris illata quibusdam fluctibus agitur, & undis falsa lætitiæ sepelitur*; & poterunt veram creare, quæ in veram arietant, veram destruunt? Rectè Beatus Isidorus Pelusiota, *Theatra, & ludos curules tanquam communis orbis pestem* fugienda docet; mentem inficit hæc pestis, & mentis etiam gaudium. Theatrum *Veneris sacrarium* vocat Tertullianus, vt impudicitiæ, & Veneri sacer sit, qui illuc frequens venerit.

Præterea theatra suis spectaculis à Dei templis, in quibus veræ deliciæ reperiuntur, homines auocant, nam vt ait Saluianus, cui subsignat experientia: *Spernitur* DEI TEMPLVM, *vt concurratur ad* THEATRVM; non igitur vocare ad verum gaudium possunt, quæ auocant à verorum gaudiorum domo.

115 Insana mundi, spectacula sunt, quæ mundanorum insaniam produnt, dum plerumque frequentiores ad spectacula currunt, quàm ad Sanctorum celebritates; quod damnabat Sanctus Leo in hæc verba: *Pudet dicere, sed necesse est non tacere; plus impenditur dæmonijs, quàm Apostolis, & maiorem obtinent* INSANA SPECTACVLA *frequentiam, quàm beata martyria. Quis hanc vrbem reformauit saluti? quis à captiuitate eruit? quis à cæde defendit? Ludus Circensium, an cura Sanctorum?* Occini hoc omnibus potest, qui promptiores ad mundana spectacula currunt, quàm ad templa, & loca ea frequentant, in quibus cadunt, & fugiunt ea, in quibus eriguntur.

Extra gaudij veri fines ipsa theatri finitio theatrum ipsum excludit; Theatrum descriptum tibi offero ab aureo ore, ne plumbea mente theatrum, & theatrorum spectacula in eorum censu describas, quæ creare lætitiam veram possunt; Audi: *Theatrum* CATHEDRAM PESTILENTIÆ, *& incontinentia* GYMNASIVM, *officinamque iniuria, atq; omnium deinceps impudicitiæ orchestram si quis dixerit, haud peccauerit pessimum illum locum, plurimorumq; morborum plenum*, BABYLONICAM FORNACEM; *omninò velut in fornacem quandam impelleris in theatrum*; & lætitiam hîc veram domicilium habere posse credes? ego non credo; subscribet qui productas theatri descriptiones expenderit.

116 Theatrum, in quo spectacula exhibentur aliter definit Tertullianus; *Theatrum est priuatum* CONSISTORIVM *impudicitiæ, vbi nihil probatur, quàm quod alibi non probatur*; vbi laudatur maximè, quod extra illud extra omnem laudem est; veram lætitiam ab hac schola prodire, si quis censuerit, eadem ratione, & ab igne aquam emanare asseret; & flammam ab aqua, & qui credere istud potest, credat & illud. Voluptatum procellas in theatri pelago esse dixit Sanctus Isidorus Pelusiota: *Nisi*, inquit, *in* THEATRA VBI VOLVPTATVM PROCELLÆ, *& illicia densius ingruunt, se ingesserint*; procellæ voluptatum in theatrali sunt mari, non sunt veræ voluptates, nec verum gaudium est à veris voluptatibus emanans.

Falsæ fictæque spectaculorum voluptates sunt, & fictè etiam possidentur, imò non possidentur, sed ostenduntur; quæ fictum esse habent, non possunt veram habere lætitiam, veram dare; falsus est, qui aliud putat, & non ludicram lætitiam censet eam, quæ à ludicris rebus est, ludicra spectaculorum lætitia est, dum veræ lætitiæ nomine spectatoribus suis imponit, sed, quod mireris, non ludicra damna sunt, quæ à rebus ludicris oriuntur. Verus theatralium gaudiorum æstimator fuit, qui orantium lachrymas illis prætulit; *Dulciores*, inquit Sanctus Augustinus, *sunt* LACHRYMÆ ORANTIVM, QVAM GAVDIA THEATRORVM. Lachrymis veris granida ficta theatrorum gaudia sunt, orantium verò lachrymæ vera lætitia.

117 Damna, quæ à spectaculis sunt specta, & spectacula damnabis, eximes te ab illis, ne te tibi illa eximant, minùs quàm homo ab illis abeas, quia inter homines fuisti, indignos spectaculo, quin & hominis nomine, quia spectaculorum inanium amator es; Seneca hîc audiendus, qui ab externa schola tali mente prodit, vt pudorem inijciat ijs, qui sub Christo militant; hæc illius sunt verba de spectaculis loquentis, spectacula exsibilantis; *Quid me existimas dicere* AVARIOR *redeo*, AMBITIOSIOR, LVXVRIOSIOR, *imò verè* CRVDELIOR, *& inhumanior, quia inter homines fui*; produnt, quæ latebant vitia, dum prodit, inque spectaculis spectatur vitijs deditus. Diceres feras in theatrum occidendas produci solitas, & occisas ob spectatores; & vitiorum feras, quæ in spectatoribus ferè mortuæ latitabant, viuas in medium produci, viuaciores, quàm antea fuerint; feræ in spectaculis occiduntur, scelerum feræ semioccisæ viuiscunt.

118 Olim, quod in spectacula insumebatur, notabat hoc Plutarchus in Problematis, *Lucar* vocabatur, quòd multæ sunt Syluæ circa vrbẽ dicatæ dijs, quas appellant lucos; & qui ab eis capiebatur redditus, spectaculis adijciebatur; parum esset Syluarum redditus in spectacula insumi; illud grauius, illorum mentem vitiorum vepribus refertam syluescere, qui spectacula ista adeunt. Possemus mente illorum mentem adire, horrentem in ea syluam reperiremus ferarum monstris plenam; spinarum aculeis obsitam; vt in illos illud Euthymij quadret; *Apud quos densa sunt affectuum ac passionum* SYLVÆ, *in quorum latebris dæmones ferarum instar commorantur*; syluas habent, & syluæ sunt, quæ pro feris vitia habent, habent dæmones; & coalescere in hac sylua lætitia posset, posset gaudium? extra veritatis limites est, qui intra hos limites lætitiam veram locat.

Et poterit vero gaudio perfundi qui extrà feras, quas spectat, vt animum recreet, & in similia spectacula corporis oculos conijcit, & intùs à sæuioribus passionum, vitiorùmque feris mordetur? Intùs veri tortores sunt, extrà quæ uidentur mulcere, sed dum videntur, mordent, non mulcent; maior illorum tortorum, carnificùmque sæuities, qui intus mordent cor, & cruciant, quàm delinitio, quæ à rerum externarum adspectu esse potest: Verus ille: *Ludi* SPECTACVLA *infirma sunt artificia, dolori, & affectibus placandis* INNATIS TORTORIBVS;

Falli-

Fallitur verè, qui ludicris triſtitiam ſe poſſe fallere credit.

119 Hoc mali quoque aduehunt ſpectacula, quòd faciliùs vitia voluptatis vehiculo in ſpectantium mentes vehunt; vidit iſtud Seneca, & ad omnes tranſmiſit, dum ait: *Nihil tam damnoſum bonis moribus, quàm in aliquo* SPECTACVLO DESIDERE, *tunc enim per voluptatem faciliùs vitia ſurrepunt*; quot mentes in vitia ſubiere poſt ſpectacula, quod antea aliæ machinæ non potuerant? Liceat hic aliud adijcere, quod non minus verum, quàm quod ex Seneca allatum; non faciliùs tantùm vitia mentem ſubeunt ſpectacula adeuntis, ſed difficiliùs abeunt; altiùs quippe animo hærent, ſpectaculorum voluptate in animum profundè exarata: altè inſidet menti, quod ſedenti in ſpectaculo cum ludicris illis voluptatibus ingreditur; ægriùs exit, quod maiori voluptate ingreditur, licèt ficta illa voluptas ſit.

Rem vrgeo, ac grauiùs premo: non nocent tantùm ſpectacula dum ſpectantur, ſed & quando non ſpectantur, nocendi tempus producunt, noxia ſunt etiam quando non ſunt; huc euaſit Saluianus: *Omnes, hi, qui* SPECTACVLIS *iſtiuſmodi delectantur*, ETIAM QVANDO NON SPECTANT, *innoxij tamen à ſpectaculorum maculis mente non ſunt, qui ſemper vellent ſpectare ſi poſſent*; mentem inficiunt ſpectacula, dum ſpectantur, & cùm eſſe deſierint, non deſinunt mentem, cœleſtium rerum cogitationi deſtinatam, occupare; mirùm etiam cùm locum non occupant ſpectacula, vbi facta, mentem occupant, quæ illis infecta.

120 Quid? quòd theatrum ipſum, ipſa ſpectacula circumfert qui fuit ſpectator? mens eius theatrum fit, in qua quod ſemel in theatro factum millies iterum repræſentatur. Scenę ſpectator ſemel factus, ſępiſſimè ipſe ſcenæ ſpectacula ſpectanda ſibi offert; ſemper, inquies, ſemper varius, & ita mutabilis, vt mutetur ſemper.

Qui ad ſpectacula, quæ foris oſtenduntur, currit, vt gaudio fruatur, lætitia irrigetur, dum ſpectat ipſe contra ſe teſtis eſt, vera lætitia ſe carere, qui à ſe abit, & foras prodit; vera lætitia, iucunditas vera cor afficit, in corde eſt; qui extra ſe eam quęrit, iam eſt extra ſe, à ſe abijt, à ſe exijt, extra lætitiæ ſedem, extra lætitiam: eos qui hoc errore laborant, bellè, peritèque perſtringit Sanctus Auguſtinus, expendens illa Dauidis regis verba: *Perambulabam in innocentiâ cordis mei*; ait enim: *Quæ eſt innocentia cordis ſui? Medium domus ſuæ. Hanc domum quiſquis habet malam, pellitur ab illa foris. Quiſquis enim in corde premitur mala conſcientia, quomodo quiſquis à ſtillicidio, exit de domo ſua, aut à fumo, non ſibi ſe patitur habitare; Sic qui non habet quietum cor, habitare in corde ſuo libenter non poteſt.* TALES FORAS EXEVNT A SE IPSIS, *animi intentione, & de his, quæ foris ſunt, circa corpus delectantur, quietem in nugis*, IN SPECTACVLIS, *in luxurijs, in omnibus malis quærunt*, verè extra lætitiam, quia extra ſe lætitiam quærunt, & quod inde ſequitur, non verã.

121 Num verum aurum, nec ne verum ſit, Lydio ſolet lapidi affricari? vin' videamus, an veræ terrenæ delitiæ ſint? theatrorum veræ iucunditates? mortis tempus, mortémque ipſam inſtar Lydij lapidis adhibeamus, & inania omnia eſſe, ac mendacijs plena, quæ nunc magna putantur, & vera, verè deprebendemus. Audio, & obſigno, tu quoque mecum ſi ſapis: *Quicquid in vita iucundum eſt, ſplendidum, magnificum, &* SPECTATV DIGNVM, *id omne vanum, ac friuolum deprehenditur ſimul ac ad* LYDIVM MORTIS LAPIDEM *fuerit exploratum*; morte explorata, ſed ante morte, vt ad vitam ſit, quod in vita præſtiteris, non in morte.

A theatri ſpectaculis alienus erit, qui non eſt alienus à ſe, & à ſuæ ſalutis cura; Audi Sanctum Auguſtinum: *Quid enim*, inquit, *in circo faciebat, atq; ibi furias lites, inſanas voces, inanéſque victorias, cum iam* A SE ALIENVS SIBI MET VIDEBATVR, *videbat? Quid in theatro faciebat renunciator turpium voluptatum? Quid in amphiteatro crudelitates ſauas oculis ſuis induendo? Theſauriżauit ſibi irã in die ira*; Iam hoſtis ſui factus eſt qui theatri, & ſpectaculorum, quæ in theatro fiunt, amicus eſt, crudelitates ſpectans factus in ſe crudelis.

Huc vſque ſpectacula damnaui, quę damnis grauida ſunt; aliqua offero, quæ probanda, & à vero gaudio non aliena; quia à ſe ipſis non alienant ſpectatores, vocant ad ſe ipſos, talia virtutum ſpectacula ſunt; à quibus melior abit, qui frequens adire illa ſolet; ſcitè ille, & verè: LÆTA VIRTVTIS SPECTACVLA SVNT, *& ſpectatores ſuos beant dũ vocant ad virtutem*; virtutis ſpectaculum adi, vt te quoque adeat virtus: explicari non poteſt quantam virtutem in ſpectatorum animos virtutis ſpectaculum exerat, quàmque triſtitię, & moleſtiæ amoliendę ſit opportunum; Vnius Ioannis exemplo rem ſic explicat Beatus Nilus: *In ſolitudine verſabatur, & ciuitates ipſa cum hominibus ad eum confluebant; qui ſericis veſtibus induebantur, ad Zonæ pellicea ſpectaculum concurrebant. Sub dio incommodè manere non recuſant, qui domos auratas incolebant, ſuper arena cubare non grauabantur, qui in lectis gemmis diſtinctis quieſcere conſueuerant. Nam videndi viri cupiditas omnem ſenſum moleſtia abſtergebat*, VIRTVTISQVE SPECTACVLVM *labores, & incommoda leniebat*; Tu hoc ſpectaculum ita ſpecta, vt ſpectaculum quoque euadas, & ſpectetis; lætum in ſe ſpectaculum Cœlo exhibebit, qui paſſionum in ſe feras mactabit, & occidet; lætus erit, qui has feras lętitię hoſtes tanquam hoſtis inſequitur, & ſternit; ex harum ferarum vulneribus lętitia prodibit, & à morte noxiorum affectuum vitam gaudium ebibet, & vitam tribuet. 122

Vis alia ſpectacula? ad ſacras litteras vocaris, vt à prophanis ſpectaculis auoceris; Audi monentem Sanctum Proſperum: *Si* SPECTANDI, inquit, *voluptas eſt, habes* AVRIGAM *ſpiritalem Chriſtum; Eliam, qui curru igneo vſque ad metas peruectus eſt cœli, curruſque Pharaonis demerſos in profundo.* Bona hęc ſpectacula, quę ſanctitatis inhalant mentem, ſpectatoréſque ſuos dum eleuant, vertunt in ſpectacula.

Vtilia & illa, ac gaudio grauida ſpectacula ſunt, in quibus martyrum pugnę, martyrum ſanguis, martyrum victoria exhibentur ſpectanda; ad quæ nos in hunc modum inuitabat Sanctus Valerianus: *Ponamus*, inquit, *nobis ante oculos illas* PVGNAS MARTYRVM, *& intueamur admirabilium exempla virtutum: & videbitis ſubitò adereſcente lætitia cedere omnes infelicium æſtus animorum. Cui autem non lætitiam paret pugna, iuſtis partibus ſuccedente victoria, quam ferus hoſtis admotis tormentorum ſtimulis in ſanctorum perſecutione compoſuit? Quis igitur non rideat, quis non lætus ſit, cùm videat militem Chriſti noſtri ſupplicijs exultantem? erubeſcente perſecutionis auctore, victum plagis ceſſiſſe tortorem?* Ridere poteſt, & eò promptius, quò promptiorem ſe reddit horum exempla ad paria, aut ſappariaprouocari; vix benè hęc bona ſpectat, qui ſpectat tantùm; bonus ſpectator eſt, qui bona dum ſpectat, ſpectaculum etiam fit.

Inſigne ſpectaculum eſt, cùm in mundi huius theatro quis contra vitiorum feras pugnat, quod licet paucorum ſit, magnorum tamen eſt; ſpectacu-

li tatitas nobilius illud reddit, reddit gratius, & maiorem laudem meretur, qui ab his feris liber euadit; Sanctus Bacchiatius de hac pugnâ, de hoc theatro, de his feris ita loquebatur: *Considera, quia paucis tribuitur, vt de* AMPHITEATRO *mundi istius, vbi cum* SERIS, *hoc est cum* VITIIS *depugnatur, immaculati à peccati morsu, membra sua liberent; quod expertus ille dicebat: Ne tradas bestiys confitentes tibi.* Augere paucorum numerum quisque studeat, ne nudus numerus sit, dum numerum non auget, torpore, & inertia correptus; nimia ferua in se est, qui contra feras non pugnat, quæ & intra te sint, & contra te.

CAPVT XVI.

Ludi verum risum non producunt, nec veram lætitiam edunt.

Animi relaxatio laborum medicus, *&* medicina.

Opportunè *aduocandus hic medicus*, opportunè *adhibenda hæc medicina, ne fiat venenum.*

Ludo mens sæpe frangitur, & dissipatur.

Ludi *nexus*, *&* persequutionis.

Ludens perdit sæpè aut sua, *aut* se; *perdit semper* tempus.

Ludendi verbum de idololatria; *Alearum ludus* idololatriæ *affinis.*

Iactus quidam talorum canis *dictus.*

Tanquam canis, *isque rabidus, ludus ferè omnis, ludentis mentem* mordet, *&* lacerat.

Fæcis perscrutatio *ludi genus; omnibus ludis* vt misceatur.

Ludorum voluptates à dæmone *lætitiæ hoste inuenta.*

Ludentibus assistit *dæmon, vt in furorem eos agat.*

Laquei, *&* ludi *cohærentia.*

A Deo, veræ lætitiæ fonte, *Deique memoria ludus ferè omnis auocat.*

Ludus, qui alterius ope indiget, veram lætitiam *in ludente non fabricat.*

Belli, & pugnæ forma, quam omnis ludus præfert, sollicitum *animum ludentis reddit*, non lætum.

Ita relaxandus animus, vt bonorum operum harmonia *non soluatur.*

Aliqui in ludo suam libertatem *exponebant.*

Magis insani sunt, qui ludo addicunt libertatem, quàm qui in ludo,

NOn ludemuus operam, si ludos quoquè à veræ lætitiæ limitibus arceamus; illu- 123
duntur plerique, dum putant à ludis verum risum emanare, lætitiam veram prodire; non prodit, non emanat; extra veritatis sinum fertur, qui in ludi sinu lætitiam locat. Varia ludorum genera mortales excogitarunt, vt tristitiam, qua obsidentur, excuterent, animum curis pressum erigerent, & recrearent; hoc non damno, si temperatè fiat; scio animi relaxationem, *optimum laborum* MEDICVM, à Pindaro dictam, & *cuiusdam* MEDICAMENTI *causa*, adhibendam alios docuisse. Audis medicum, audis medicamen? modum, & opportunitatem statim cogita, hisque aggeribus effusam ludendi cupiditatem coerce. Medicinæ & moderatè, & opportunè offeruntur; extra tempus, extra mensuram venena fiunt, in ludis idem accidit; non erigitur animus, sed premitur, si ludis diutiùs, quàm sit par, alligetur, & extra moderationis limites noxia remissione relaxetur in ludis non medicinam reperiens, sed venenum.

Ago igitur contra ludos, ludos exsibilo, non tanquam laborum medicos, sed tanquam veræ lætitiæ, gaudij veri fontes, & parentes; admitto remittere animos, nego vero gaudio replere; nihil potest alteri nobilius esse tribuere, quàm ipsum habeat, vt gaudium aliquod ludi parturiant, non potest aliud esse quàm ludicrum, vt parentis sui naturam sapiat.

Video ludi aduocatos ad ludi nomen nos prouocare, vt in Hebraicis fontibus reperitur; eadem 124
vox apud Hebræos & *ludum* significat, & *risum*, vtraque nomo huic voci, שחק subest, vt à nexu colligeremus affinem ludo risum esse, esse lætitiam. Illuditur qui de ludo ita sentit; vt risus aliquis à ludo prodeat non est verus, est, vt iam dixi, ludicrus; in nomine ipso Hebraico fisto, vt te de tua patatuta repercutiam, שחק *Sachach* ita *ridere* significat, vt significet etiam *comminuere*, ac *frangere*, vt sciremus risu, qui à ludo prodit, mentem frangi, minuique, vt integer minimè sit, qui ludo se totum tradit; in tot partes spargitur, ac diuiditur nimio affectu ludentis animus, quò plura sunt discrimina, quibus, qui ludo se exponit, exponitur, pluribus affectibus agitur, pluribus passionibus veluti discerpitur, & laceratur; Peritè ille, & nostræ huic menti firmandæ maximè opportunè: *Ludentis mens si plus quam par sit in ludum effundatur, dum effunditur dissipatur*, COMMINVITVR, FRANGITVR; *non erigitur, nec recreatur*; integer in se non est, qui se diuidit in ea, quæ ludos aut sequuntur, aut comitantur; specta ludentes, quàm anxios, quàm sollicitos, quàm extra se positos; specta spectatores ipsos, vix adest aliquis aliquibus ludentibus, cùm eius mens statim in vnam partem diuidatur, perdereque se sentiat, si illorum alterum accidat iacturæ subijci; ludus qui in spectatores adeo sæuit, mitis erit in ludentes ipsos? non erit; & fallitur, qui aliter censet.

Et vt ludendi verbo ludum ipsum aterem, nònne in diuinis litteris ludus persequutio dicitur, vt 125
in idem recidere videatur, aliquem cum aliquo ludere, & illum persequi, sæuire in illum? certè Apostolus referens illud, quod de Ismaele dixerat Moses, illum scilicet lusisse cum Isaac, hunc ludum persequendi verbo circumscripsit, vt hostilem sæuitiam in ludo timeremus, illùmque tanquam persequutorem respiceremus, qui suis ita blandus videtur. Te persequitur, qui tecum ludit, imò se persequitur, qui ludum extra opportunitatis limites sequitur; sæuit in se ipsum, qui ludum

dum amat, & hostis sui est, qui non est ludi, maiora damna afferentis, quò plus amatur.

Alia notio, quæ sub ludendi verbo delitescit, aliud nobis contra ludum argumentum exhibet, quod exhibeo. Ludere Latinis auribus *perdere* significat, & *amittere*, operam ille ludit; qui inani, irritòque conatu laborat; hæc notio ludo ferè semper nectitur; perdit qui ludit, perdit frequenter sua, perdit non rarò se, perdit semper tempus; & lætari in ludo aliquis potest, qui in ludo semper aliquid perdit? & lætitiam emittet ludus, vbi ludens semper aliquid amittit? habet quo tristetur, qui ludis vacat, non quo gaudeat; huc flecti potest, quod aliò spectans, dixit Sanctus Augustinus: *Si tibi vitium minuatur in vite, tristaris*; DIES PERDIS, ET GAVDES? se iam perdidit, qui in dierum

126 iactura ridet.

Illud grauius, ludendi verbum ad idolorum cultum aliquando transferri; certè cùm dicitur Hebræorum populum postquam manducauit, & bibit, surrexisse vt luderet, aliqui de vituli adoratione non alienè exponunt; monet ista istius verbi notio idololatriæ vitio proximum, qui ludo ita se adijcit, vt serium nihil cogitet: aliquos auctores hac nota aleæ ludum signauisse reperio; hinc illud: *Aleator est velut* IDOLOLATRA, *cuius idolū quod colit, & veneratur, est ipsa alea.* Alius quoq; hunc spectauit: *In alearum ludo Diabolus videtur* IDOLOLATRIAM SVSTENTARE, *dum efficit, vt lusores ipsi figuras illas alearum ad lucrandum quodammodo adorent*; & speres ab hoc cultu verum gaudiū haurire, qui à gaudij hoste est, & gaudij hostem respicit, cui famulatur, qui totum se dat in ludum?

A ludendi verbo argumēta contra ludum sumpsimus, sumamus & à ludo; quî vera lætitia perfundere ludus potest, qui ludentis mentem sollicitam reddit, vt mordere eam videatur, & quodammodo lacerare? in talorum ludo olim iactus quidam erat, qui *canis* vocabatur. Huc spectant Suetonij verba in Augusto: TALIS *enim* IACTATIS *vt quisque* CANEM, *aut senionem miserat*; & quia infelicissimus hic iactus erat, damnosus canis iste dicebatur, hinc Ouidius cecinit:

Quid valeant tali, quo possis plurima iactu
Figere damnosos, effugiásque CANES.

Et ex nostris Sanctus Isidorus Hispalensis: *Vitant*, inquit, CANEM *quia damnosus est*; ad iactus omnes rem porrigo, ad omnes ludos; si ludentium animos adeas, morderi dubio iactu, iactura dubia ferè reperies, sibi quisque testis esse potest; qui aleæ magnam pecuniarum summam commiserit, committit se morsui, dum iactura quæ à vario iactu, aut ab alio euentu est, si extra aleam eamus.

127 Mitiùs, quàm deberem ludum punxi, cùm cani illum paraui; rem vrgeo; non nudè canis ludus est, est canis rabidus, mortē ijs, à quibus amatur, inferens, & rabidum perpetuò reddit, quem momorderit, adeò vt non angustiores sint limites vitæ, & rabiei, nisi præsenti remedio præsenti morbo occurratur, vix hoc exarauéram cùm huic meæ censioni alios quoque subscripsisse reperi. Peritè, & iustè in ludum alearum sæuientis Auctoris hæc sunt verba: *Experientia magistra discimus ludendi alea libidinem morbum esse, qui* CANIS RABIOSI *naturam refert, qui si quem semel mordet, nisi celerrimè præsentissimum, & exquisitum adhibeatur remedium, in perpetuum rabidum reddit, ita vt rabies dira ad mortem vsque perpetuò duret*; quod de aleæ ludo auctor iste dixit, transferre & ad alios ludos possumus; specta ludentium mores, specta iras, & iræ, furorisque plena verba in cœlùmque ipsum iaculata, & tanquam à rabido cane morsos, rabieque correptos ipsos ex ipsis iudicabis. 128

Verba ipsa, quæ ex ludentium ore solent fluere, leuia, iræ plena, & quòd grauius etiam blasphema, quid intus in ludentis animo lateat aperté loquuntur; aliùdque quàm gaudium, ac lætitiam veram in eius mente habere domicilium edocent; pura lætitia vera est, nec in impuritatis stabulo habitat; apud antiquos ludus quidam risui excitando in vsu erat, qui à fæce trygodiphisis, *fæcis perscrutatio* dicebatur; inde dictus vt notabat Pollux, *quod aliquid in* FÆCIS *catinum demersum, reductis post tergum manibus ore eximerent*; ludus hisce ludis ferè omnibus, quibus mundi cultores occupantur, immiscetur, si ludentes audias, eorùmque verba examines, fæci os admouisse reperies, in hoc illis ludentibus impuriores, quòd illi quidem aliquid ex fæce ore eximebant, quòd non erat fæx, isti impurorum verborum fæcem & ore emittunt, & ab alijs emissam immittunt auribus, & quod magis, cordi, impurique & fæculenti ludentes omnes fiunt, dum fiunt ludentes.

Ludorum quoque auctorem cogitemus, vt etiā ab hoc capite appareat, operam ludere, qui à ludo veram lætitiam elicere se posse confidunt: tristitiæ parens ferè ludus omnis est; vniuersè ludorum voluptates *à Diabolo inuentas* esse, præsertim eas, quæ arietant innocentiam, Innocentius dixit, & ante illum Sanctus Chrysostomus non Deum, sed Diabolum *inuenisse ludum* asserit; non est quòd in eo lætitiam veram inuenire se aliquis speret, quod inuentum à veræ lætitiæ hoste est; tristitiam parere potest ludus, quem Diabolus peperit? 129

Non est contentus inuenisse ludum Diabolus, assistit & ludentibus, vt furorem in eis, insaniamque accendat: cogita mala quæ ludos ferè sequuntur, nec sequuntur tantùm, sed & comitantur, & adstare ludentibus ludi auctorem credes: blasphema verba, quæ à ludentibus euomuntur, lites, contentiones, dissidia, quæ inter ludentes oriri solent, euincunt adstare pacis, & puritatis hostem ijs, qui ita ludunt, vt illudantur, & in ludo Dæmonis, Dæmonis ludibrium fiunt; Audi quid de hac re sentiat Sanctus Basilius: *Spiritus malignus* ASSISTIT *per tesserarum puncta*, FVROREM, INSANIAMQVE *accendens*; nullibi ferè ita homo extra se rapitur, nullibi faciliùs in iracūdiam exsilit, quàm in ludo; vt vel hinc appareat Dæmonem munus suum eò acrius exercere, quò minus in ludo suum homo exercet, dum totus in ludum effunditur; Verè dictum:

Ludo ILLVDVNTVR, *ludum qui sæpè sequuntur.*

Apud Thracas, vt autor est Athenæus, ludi quoddam genus in vsu erat, quo laqueum è sublimi loco suspendebant, lapidémque subijciebant, qui facile circumuerteretur, si quis insisteret, inde quem sors tetigisset falcem manu sua tenens collum laqueo inserebat, aliùsque tunc accedens, lapide impulso, discedebat, ille verò qui pendebat, nisi citò falce laqueum secuisset, strangulatus moriebatur, illiùsque mors spectatoribus ludus, & iocus erat; si rem seriò spectemus etiam ludis alijs proximus est laqueus, proximus ludentibus est; quin ludus ipse laqueus est, quo Dæmon ludi sectatores solet capere, certè ludus aleæ *Diaboli* LAQVEVS *manifestus* nonnulli est dictus; in laqueum collum inijcit, qui se ludo adijcit, totus se dat in ludum; iocus Dæmonis fit, qui ludum; ita amplectitur, vt laqueos non fugiat, qui ludi comites sunt, & sunt à ludo. 130

Flecte in Inferni tenebras aciem mentis, quot ibi reperies æternis flammis addictos, qui ludis dum hîc essent nimiū quàm par esset erāt addicti à

I ad malè ludentium pœnas, ne ad ludos facil eas; cogita quæ nimiam ludi cupiditatem sequantur, ne nimis cupidus ludum sequaris; ludi laqueo vix teneri poterit, qui ludum Diaboli laqueum cogitat, cuius perpetuus hic ludus, nostræ vitæ illudere, nostræ saluti.

Sed & aliunde probo à ludis veram lætitiam
131 non exire, nimirum quia ferè hoc semper in ludis accidit, vt Deus, qui veræ lætitiæ est verus fons, à mente excidat; quis enim adeo parcè in ludum effunditur, dum ludit, vt Dei sui memoriam non amittat? quis adeò mentem suam, quæ ludo laxatur, coercet, vt Deo illam alliget? aut nullus, aut ratus; quî ergo verá lætitia perfundi poterit ludens, si ludens lætitiæ Auctoris obliuiscitur? vt ludus tanquam nubes veri solis faciem surripiat à ludentibus; aliud igitur est ludis animum remittere, aliud ludis in animum immittere veram lætitiam, qui eò sæuiores lætitiæ hostes sunt, quò plus auidè quæruntur; nimirùm armantur in nos, dum à nobis amantur, inimici nostri fiunt, cùm nos sumus illorum amici.

Præterea lætitia vera ita lætitia exilientis est, vt ab altero non dependeat; si aliena fabricatur manu, aliena à nobis est; ergo cùm lætitia quæ à ludo aliena indigeat opera, sicut, & ludens, (nemo enim secum ludere potest) sequitur non esse veram lætitiam, quæ à ludo nasci putatur; alioquin semper lętitia careret qui careret aliorum consortio, cùm mundanorum hominum consuetudo gaudium potiùs inficiat, quàm gaudium faciat.

Lusurus lusurum exigit, vt ludo animum relaxet, si neget ille, gaudio destituetur socio destitutus, imò non socio tantùm, sed antagonista; etiam ludi forma & ludum impugnat, euertit, & à gaudio eliminat; pugnantium quendam habitum ludentes omnes referunt, pugna quædã ludus omnis est; omitto peculiares quosdam ludos acies inter se pugnantes præseferre, habere milites, & prælij quadam specie manus inter se conferere qui ludunt; in omni ludo, aut pugna, aut velitatio quędam est; vt etiam ab hoc capite lætitia gaudiumque extra ludi castra reijciatur; belli dubius euentus quietam lętamque prælianiis mentem vix esse finit, aut ne vix quidem, victorię acquirendę cupiditas, amittendę timor locum gaudio non relinquit; idem in ludi pugna ferè accidit; dum certatur, & incerta victoria est, sub lętitię verę vexillo ludenti quiescere non datur; qui contra hostem etiam ludens pugnat, serius lætitię verę hostis fit.

A ludo abesse lætitiam dixi; nemo igitur verę
132 lętitię amore ludos amet; quod si relaxandus quãdoque animus, ne frangatur, ita relaxetur, vt non soluatur; opportuna hîc Sancti Ambrosij cautio, hoc monitum hisce verbis afferentis: *Caueamus ne dum relaxare animum volumus*, SOLVAMVS OMNEM HARMONIAM, *quasi concentum quendam bonorum operum*; verè non relaxat animum qui iustę moderationis habenas laxat, nec impedit ne nimio labore frangatur animus, sed laborat potiùs, vt frangatur, dum laborat, vt non laboret; ludo intus deditus, totus ampliùs non est, non ampliùs integer; non est suus, qui se ludo committit, vt committat totum.

Audio, aliquos ita ludo seruire, vt serui & ludentia sint, si contingat eum, cum quo ludunt, victorē in ludo esse; cùm enim pecunia illis deest, quam ludo exponant, exponunt se, suàmque libertatem; non merebatur liber nasci, qui natus ludi arbitrio committit libertatem; non minus fatui sunt, qui se ludo ita vendunt, vt liberi ampliùs esse non videantur; grauiùs errat, qui ludo addicit libertatem, quàm qui in ludo; libertatem qui in ludo committit, non amittit semper, cùm victor etiam in ludo possit esse; qui ludo se adijcit, adijcit libertatem ludo, libertatem semper proijcit, amittit semper; siue ille in ludo vincat, siue in ludo vincatur, iacturam semper sui facit, perdit se, perdit libertatem suam; claudo, & obsigno: Aut à ludo te exime, aut animum à curis ludo ita tantisper relaxa, vt seruiat tibi ludus, non tu ludo.

CAPVT XVII.

Mundi cantus gaudio vacuus: tristitię, doloreque referta mundanorum cantilena.

Mundanorum cantus à vera lætitia minimè est.

Gallinæ cantare *dum videntur*, singultiunt.

Mundanorum cantus *gallinæ cantui par.*

Eadem vox apud Hebræos & cantum, *&* fletum *significat.*

Rotæ *carri* stridenti *similis mundanorum cantilena.*

Folia strepentia, *dum in ignem conijciuntur, mundi cantus refert.*

Lampas moritura crepitat *cibi inopia; idem mundani præstant.*

Cygni cantus *cantus mundanorum.*

Temporaria lętitia *cygni cantui par;* mortem, *eàmque æternam præsagit.*

Aerea *&* inanis *ea lætitia, quæ à cantu, qui aeris verberatione fit.*

Aurium ludibrium *prophanus cantus.*

Diaboli venenum, *& vera lætitia canticum luxuriosum.*

Prophanus cantus laqueos *habet, &* vulnera *infert.*

Lethales *cantus suauitates.*

Prophana, & impura cantica, cantica Diaboli, *à lætitia aliena.*

Auibus *nemo sit similis, vt cantus dulcedine* capiatur.

Mentis mœnia *prophano cantu non semel cadunt.*

Puritatis aries *cantus impurus.*

LÆtitiam mundus, mundanique etiam cantu conantur creare, & creatam ostendere; diceres gaudio, lętitiàque diffluere à 133
quibus cantus effluit lętitię signum. Falluntur, si hoc credunt, fallunt, si credere aliós volunt; vt verus ille non est cantus, sic nec vera illorum lętitia est. Turdi noctuę obiectu, & visu canunt statim, & strepunt, non in lętitię signum, sed in timoris, horrent, & ideò strident; etiam mundanorum risus, ac cantus à pauore plerumq; est.

est: Risum à pauore fuisse, euincit id, quod de Aristomene narrat Apuleius inuersa lenticula operto: *Vt lachrymæ*, inquit, *sæpiculè de gaudio prodeunt, ita vt illo nimio* PAVORE RISVM NEQVIVI CONTINERE, *de Aristomene testudo factus:* huic risui pario risum mundanorum, pario cantum, quo lætitiam ostentant, quâ destituti, vndique periculis sepiuntur, discriminibus circumuallantur, aut dolent, aut dolendi, ferè exciderat, delendi, quòd non dolent.

Mordent eos curæ, & terrenarum rerum solicitudines lancinant: quis crederet assiduè morsos posse verè ridere, vero cantu recreari? ego non credo. Gallinæ cantum mundanorum cantum voco: gallinæ ouum pariturae obstrepunt, & cantant: cantus iste non est cantus, est singultus, partûs dolore correptæ singultiunt: Verus Columella: *Parituras*, inquit, *se gallinæ testantur crebris* SINGVLTIBVS, etiam oui editionem cantus sequitur, ob dolorem, quòd venter parto ouo vacuus, vanissimum aerem susceperit: mundana vanitas instar gallinarum perstrepit, & gracillat, non in lætitiæ signum, à qua alienissima est, sed in interni doloris, sed curarum, conceptæque vanitatis argumentum. Falluntur in gallinæ cantu plerique, qui singultum cantum vocant: quid mirum si & multis mundanorum cantus imponat, qui doloris indicium, qui curarum cantum, & risum putant?

Si subire illorum pectora nobis liceret, qui re-
134 rum perituarum æstu laborant, lætitiæ loco, quā extimè cantus, vultûsque in risum efformatus ostendit, dolorem, planctûmque deprehenderemus, quia cantus ipse, si iustè expendatur, non nisi singultus est.

Apud Hebræos, vt hoc quoque rei firmandæ adijciam, vnica vox & *cantus*, & *fletûs* notionem fert; *bichosaroth*, de fletu dicitur, & de cantu: ne nos facilè fletum, & cantum abiungeremus, cùm vtriusque rei notio in vna tantùm voce occultatur: Mundi, & mundanorum cantus adeo fletui proximus est, vt fletus esse videatur, & fletûs nomen circumfert, quia fletum secum affert.

Et carri rota suo stridore cantum refert, quia debilis, quia exsucca, quia sicca; fortior minus stridet, vnguento delibuta non canit, ab imbecillitate cantus est, ab inopia stridor; idem in humana mente, quæ rotæ instar, perpetuo voluitur, accidit; cùm fracta, cùm debilis rerum periturarum amore est, tunc stridet, licet stridor cantus videatur; si contingat supernæ gratiæ pinguedine deliniri, ab inani cantu abstinet, à vero stridore; vera lætitia madet, licet falsam minus prodat.

Folijs hominem comparatum scimus; à folijs
135 quoque inanis gaudij, cantûsque lætitia vidui figuram habemus; iniecta in ignem arborum folia, quæ magis viridia sunt, canere videntur, sed interim absumuntur; strepunt dùm amburuntur; mundanorum mentem adeamus; in morem foliorum rerum terrenarum amore veluti flammis cōburuntur, & rident, & cantant; à lætitia hunc cantum esse nemo sanæ mentis dixerit, nisi qui verum cantum foliorum crepitationem ineptè interpretetur.

Etiam lampas in suo interitu facem nobis præfert; in hac re interitui proxima, quòd olei careat nutrimento, aquas, quæ subsidebant tangens, tum demum stridet, crepitat, cantum quendam æmulatur, qui à cibi inopia est; cantat, quia non habet, quo alatur, finem suum cantu anteuertit; ita mundanis accidit; mundanorum mens cibo, quo nutriatur, destituitur, solis enim rebus spiritualibus, & non morituris, spiritualis ipsa, & non moritura nutritur, quibus vidua; si in cantum mundanus homo erumpat, morientis lampadis cantus hic cantus censeri debet.

Etiam cygnus morti proximus suauiùs canit, sed 136
cantus iste mortis prodromus, vt ita dicam, est, & interitûs anteambulo; non aliter de mundanorum cantu censeo: morti vicini, aut etiam mortui, quia peritura depereunt, nec amant, quæ suis amatoribus inhalant vitam, cantu mortem suam annuntiant, non veram mentis lætitiam.

Cygni cantui mundanorum cantum comparaui, comparo & lætitiam: mortis signum cygni cantus est, est & lætitia mundana, quæ licet temporaria sit, æternam tamen mortem præsagit. Festiuè ille: CANTVS FALSVS *est lætitia mundialis, quæ falsa est, & vana, & tales similes sunt cygno, quæ est auis, quæ continuò in fluminibus vult conuersari: cuius cantus est signum, & præsagium mortis: sic* LÆTITIA TEMPORALIS: *qui in fluminibus diuitiarum, atque etiam deliciarum viuunt, est signum, &* PRAESAGIVM, *quòd* MORS AETERNA *est eis præparata.* Timenda illi hæc mors, qui hanc mortem non timet, & qui illam præcedit lætitiæ falsæ cantum: cygnis esum tanquam auis immundæ lege Mosaica legimus interdictum: vitanda temporalis lætitia, quæ cygnum, & cygni cantum refert, quæ & immunda est, & immundos quoque reddit auditores suos.

Sed altiùs effodiamus, & ex cantûs quoque origine, atque, vt ita dicam, natiuitate, probemus non posse veræ lætitiæ patrem, verique gaudij fontem quamcumque cantilenam esse; rem ita expendo, & mihi expensam expendendam lectori offero. Cùm cantus non aliud, quàm aeris verberatio sit, quadam arte facta, non poterit non esse aerea ea delectatio, quam secum aduehere creditur; verberatur aer, verberatur & aere verberato, qui cantum excipit.

Quis adeò ratione inanis, qui putet solidum quid
portare alijs posse, quòd tam inane, tam exile est? 137
afferre alijs nequit quod secum ferre non valet; verum gaudium, veram, & diù duraturam iucunditatem in cordis humo lætitiam veram implantare mundanorum cantum putabimus, qui ante ferè esse desinit, quàm sit? *Aurium ludibrium*, qui cantum prophanum appellauit, calculum rectè sentientium meretur; & subsignatores alios debet habere in re, qua subsignauit ipse veritati.

A veritate abeunt, sed priùs à se, qui prophani cantûs modulatione verum ad se gaudium attrahere credunt, præsertim si impuritate confusa, impuritate compacta carmina, quæ concinuntur, sint, sapiant luxuriam, veri gaudij venenum, veræ lætitiæ pestem; *Venenum Diaboli*, luxuriosum canticum indigitat S. Augustinus, quod intimum animum subiens perniciem à Dæmone certissimam inferat, & auferat quæ veram lætitiam nutrit, verum gaudium fouet, puritatem, innocentiam, ceteras virtutes; vulnerant hæ cantiones animum, non sanant vulneratum, nec tristitiæ, dolorisque obducunt cicatricem, quam faciunt; aut factam faciunt grandiorem, crudioremque.

Vitandus itaque hic cantus, qui amaritudine 138
animum perfundit, non effundit iucunditatem, & venenum secum ad mortem fert, dum vitalem lætitiam putatur afferre; non est quòd hîc Beati Valeriani verba desiderentur, cùm à prophani cantûs amore amouere legentem possint; *Refugiendus*, inquit, *est error iste vocis sonus, qui humanis pectoribus dulcedine suâ amaritudinem fecit, & persuasione quadam mellisflui cantûs frequenter* MORTIFERA AEGRIS VENENA *commiscuit, isti sunt laquei, quibus*

ſimulantibus inter cetera VVLNERA *Diabolus hominum mortes operatur*; inter laqueos, inter vulnera, inter mortes quis ridet, niſi qui hoc ipſo ſupra alios fatuus, quia tot diſcriminibus obſeptus obſepitur tam fatuo riſu? ſaniorem mentem circumfer, ab alio, quam à prophano cantu, riſum excute, voluptatem exprime; riſu premendus eris, ſi riſum exprimere coneris à rebus riſu viduis, riſûſque veri veris noueicis; *Nemo*, eiuſdem calami ſunt verba, *inſidioſis cantibus credat, nec ad illa libidinoſa vocis oblectamenta reſpiciat, quæ cum oblectant* SAEVIVNT, *cùm blandiantur* OCCIDVNT; barbara, quacunque dilaniatione ſæuior cantûs iſtius definitio eſt.

Denegetur auditus *lethalibus* hiſce *ſuauitatibus*,
139 hoc enim titulo donantur à Leoniſillius blandè ſæuienti rugitu, vt ab hiſce lenocinijs nos auocaret; denegetur linguæ, labiorûmque officium, hiſce cantibus, qui menti officiunt, aerem ipſum contaminant, & inficiunt; repudiet impura hæc cantica, cuius mens puritati nuptura eſt, & ſanctimoniæ.

Exulat à prophanis canticis lætitia, quia exulat & lætitiæ veræ Auctor Chriſtus, adeſt triſtitiæ auctor Diabolus, à cuius incude hæc cantica ſolent prodire; contra hæc cantica hæc intorquebat verba Sanctus Ephrem: *Vbi perſonant diaboli cantica*, ILLICITA *&* PERPETVVM VAE, *vbi* DIABOLI CANTICA, *ibi dæmonum requies*. Diaboli muſicus eſt, qui diaboli cantica canit; huic cantilenæ, dentiũ ſtridor reſpondebit, quo æternùm ſtridebit, qui impuris, & aerem ipſum inficientibus canticis animam ſuam inceſtat, & imporat.

Vide ne auribus par inſidioſis cantibus capiatis; caue ne in culpæ caueam conijciaris, caue ne captus cantu alios cantu capias, ſatanici aucupis vicem gerens. A probo calamo probum hoc monitum eſt. Sancti Valeriani hæc ſunt verba: *Frequenter videmus* BLANDIS SIBILIS AVE *decipi, & hebetes feras in laqueum mortis dulcedine vocis impelli. Similis eſt, dilectiſſimi, cauſa mortalium, quos* DVLCI SONI *cantûs cura ſolicitat; vt homo, aut capiatur, aut capiat*; capiuntur laqueo, qui cantu decipiuntur; leuior auium plumis eſt, qui tanquam auis cantu decipi ſe ſinit, ac decipit alios, aut etiam ſe; vacuàmque mentem circunfert, qui mundanæ cantilenæ vacuas aures exhibet, tanquam verum gaudium exhibituræ; cantu mœnia Iericho legimus corruiſſe; mentis ſuę mœnia deijcit, qui à prophano cantu lætitiam ſperat, qui non alienè puritatis *aries* dictus eſt, cùm eò vehementiùs mentem feriat, quò mollior, quò lenior; à mollitie vires cantus ſumit, ſæuitiem à lenitate. Vis cantu non feriri? mollis in mollem tantùm ne feraris.

CAPVT XVIII.

Veſtium ornatus gaudio vero ſpoliatus, vero riſu.

Doli *nexus*, *&* veſtis; *fallunt veſtes dum* lætitiam *ſpondent*.

Lætitia in corde *non in* veſtibus, *quæ* cor *non tangunt*.

Vermium, *&* murium *veſtes ferre, non glorię, ſed ignominiæ eſt*.

Veſtium ornatus animi lætitiam non affert.

Angeli, & Deus, & Beati ſine veſte *ſunt*, *&* ſine lætitia *non ſunt*.

Chriſtus lætitiæ fons in Euchariſtia veſtes *induit, quibus* pauperiores *inueniri nequeunt*.

Lapſu *gaudet, qui veſtibus, quæ* lapſus ſignum.

Feræ in quorundam veſtibus; feræ *quoque in veſtium cultum amantium mente*.

Superbia vexillum, *& luxuria* nidus *veſtis*.

Veſtes tinearum *cibus, tineas* paſcunt, *qui veſtium amore paſcuntur*.

Forma *veſtium* deformitatis *mentium indicium*.

Veſtes, quæ cor non pertingunt, *vera lætitia afficere illud nequeunt*.

Animi ornatus *quærendus, non corporis*.

Inferni flammas timeat, qui purpuram amat.

VEſtes, quæ nos operiunt, apud pleroſque
falſo lætitię velamine operiuntur, vt 140
putentur poſſe lætitia aliqua eos tegere, quos tegunt, & voluptatem afferre, dum feruntur; vt non ſit redundantis operæ, hanc mundi mondanorûmque deceptionem circa veſtes detegere, & meliori ſenſu, ſaniorique deceptorum animum veſtire; detego, & veſtio.

Suis veſtibus leuior eſt, qui à veſtium pompa oriri verum gaudium putat; magnus error, & licet in re leui, non leuis eſt; בגד *beghed* apud Hebreos, & de dolo dicitur, & de veſte; fallunt nos, & fraudibus onerant veſtes, dum corpus onerant, amiciunt nos dolis, dum nos amiciunt, ſi à veſte lætitiam veram eſſe credamus; ſub veſte latet fraus, ſi ex veſtium paratura, & pretio animos veſtes ferentium metiamur; conſuta dolis, conſuta fraudibus eſt veſtis, quę in intuentium mente veram aliquam iucunditatem eos ambire fingit, quos ambit.

Quis credat fieri poſſe, vt corpori veſtes tangatur vera lętitia, quod veſtibus tangi nequit? & ferent in cor lętitiam veſtes, quę in cor ferre ſe nec poſſunt, nec poſſunt ferri? oculorum ludibrium lętitia erit, non vera lętitia, quæ cor non afficit: Dauidis verba fuêre Deum alloquentis: *Dediſti lætitiam in corde meo*, non in veſtibus domicilium ſuum lętitia habet, habet in corde, vt operam ludat, qui in veſtibus quęrit, quę ad oculos perueniunt, & ibi ſiſtunt. Benè Beatus ille qui ab aureo ore nomen habet: *Non dixit ſimpliciter, dediſti lætitiam, ſed in cor meum, oſtendens in rebus externis non eſſe lætitiam*, NON IN VESTIBVS, *non in lautâ, & opiparâ menſâ, hæc enim lætitia non eſt cordis; ſed oculorum*; ac proinde non vera lętitia, quia oculorum, non cordis eſt.

Sed veſtium amator reponat: gloriam, hono- 141
rèmque ab intuentibus elicit, qui pretioſis veſtibus eſt inſignitus, vt videatur ſuper alios eſſe, qui veſtium cultu extra alios eſt: inhonorus hic honor, qui à nudis veſtibus, & in gloria illa gloria, quam

quam non ferentis mores parturiunt; sed indumenta; Peritè hos pungit Beatus Bernardus: *Quid eis*, inquit, *inuides, qui de operibus vermium & murium* PELLIBVS INGLORIAM PLANE GLORIAM *mendicare non erubescunt*? quid animo largiuntur vestes, quas virtutes secum afferunt, quam fortitudinem tribuunt, vt veram possint gloriam parturire, & honore vestire, quos vestiunt? Itàne insanimus, vt vestem, quam pecus posuit, quam euomuit vermis, iactemus ad gloriam? amictum ab alio homine gestatum, alius homo non facilè induat; certè nullus gloriæ loco ducit positum ab alio habitum circumferre, ducitur ignominiæ, vilitatem sapit: & nobilitatis erit, erit gloriæ, indumenta illa gestare, quę bruta deposuêre? Rationem videtur deposuisse, qui à ratione carentibus posita circumfert gloriæ nutriendæ, quę in ignominię notam circumferret, si alius homo antea tulisset.

Fatuus, qui gloriam à vestibus expectat; sed & illi insaniæ nota digni, qui extimo ornatu vestium viros expendunt, pręstantque in homines, quod in ratione carentibus non pręstant, ne putarentur ipsi ratione carere, si pręstarent. Iustè in eos şcuit & Seneca, qui homines non ex illo quod sunt, sed ex illo, quod habent, ęstimant, nec verè habent, quia extimè tantùm; nequeo hîc eius verba supprimere, & sunt ista: *Quemadmodum stultus est, qui equũ empturum non inspicit, sed stratum eius ac frænos: sic stultissimus est*, QVI HOMINEM EX VESTE AESTIMAT; homo vix videtur ęstimandus, qui hominem ęstimat ex veste.

142 Demus gloriam dare ornatum vestium; gloria illa non potest arctiùs quempiam afficere, quàm afficiat vestis, atque adeò extima est, fictitia, & quę deponi tam facilè potest, quàm vestis poni; ex quo fit, vt nec vera iucunditas illa esse possit, quàm à vestium ornatu conantur elicere, qui vestibus delectantur: Verus Beatus Chrysostomus: *Animi tranquillitatem, & lætitiam non potentiæ tumor*, NON VESTIVM ORNATVS *adferre consueuit*; si verè afferrent & seipsis, afferrent semper, afferrent omnibus, sed non afferunt; nec qui elegantiùs vestitus est, pleniùs gaudet; non ergo verum gaudium à vestibus est. Prӕterea, si esset, iucunditatem cum veste exueret, qui iucunditatem haberet à vestibus.

Sed leuiùs alicui videbor hanc vestium leuitatem tangere; calamum altiùs in illam adigam, vt excuneatam hanc veritatem offeram, quò in omnium mente firmetur, alienam à vera lętitia uestium pompam esse: sine ueste Deus est, quia sine corpore, & infinita lętitia uestitur, infinita lętitia est; à lętitia nunquam exules Angeli, qui in Cœlo degunt, & tamen semper supero gaudio perfruuntur & beantur; sine ueste erunt, quicunque in Cœlo erunt lętitia inexplicabili perfusi; non ergo à ueste pendet uerum gaudium, potest sine ueste stare lętitia uera, & multò magis sine superfluo uestium superfluarum cultu; uestire animam lętitia uera potest, etiam si tritus uestibus corpus non induatur.

143 Aliud argumentum eidem rei firmandę mihi nunc suggeritur, quod offero; uerus ueri gaudij fons, imò gaudium ipsum uerum, uera lętitia, Christus ipse, cùm eò à suo amore ferretur, ut se amantibus communicaret, quò illorum mentibus lętitiam exhiberet, tales uestes reperit, quibus nullę alię pauperiores unquam fuerunt, aut esse possunt, nisi Dei solius manu fierent: nimirum nudo accidentium uelamine operitur in Augustissimo Eucharistię Sacramento: uestes alię, quamuis pauperes, diuites substantia aliqua sunt; illę, quas lętitię communicandę induit Christus, nuda sunt accidentia: ne aliquis postea crederet, ueram lętitiam nitidas, pretiosasque uestes parturire cùm ipse lętitię uerę fons iam pauperes sibi uestes, quibus indueretur, omnipotentia sua texuerit.

Sed ad puros homines uenio, quia hominibus hæc scribo: sine ueste conditus primus homo, uera lætitia, & ueræ lætitiæ materia plenus: extinctus lætitia ob culpam uestibus indiguit: uestiuit eum peccatum, ad uestes iustitia nudus ire compulsus est: sequitur ergo ueram lætitiam uestium pompam non creare, cùm uestes nexum quendam cum peccato habeant, quod lætitiam omnem infecit, & abstulit è mundo; nobis succinit Beatus Chrysostomus; qui sic uestium luxu correptum corripiebat: *Quare, dic obsecro, corpus ita ornas, & gaudes eiusmodi amictu? non cogitas quod pro* MAGNO SVPPLICIO *propter* TRANSGRESSIONEM *signum hoc excogitatum est*? nimirum de lapsu uidetur superbire, qui lapsus signo, ac uelut charactere tumidus incedit; & non à mente uidetur excidisse, qui excidit, & casum pro erectione habet, dum casus nota erigitur? uestibus inflatus insaniam suam prodit, dum non sanum se esse gaudere quærit, & gaudij materiam facit, quæ doloris, quæ fletus esse deberet, peccati memoriam in memoriam reuocans?

Quid? cura ipsa uestium mentem pungit, & lacerat, & plerumque qui uestem integram fert, 144
mentem integram non circumfert, habet fractam, habet scissam; uestes ipsæ non scissæ scindunt mentem, & non fractæ frangunt, dùm nimio quæruntur studio, nimio labore sumptibúsque. Dracones olim in uestibus pictos legimus; Sinarum Regem dracones in uestibus habere habent, qui Sinarum res gestas litteris consignarunt; apud alios in uestibus leones, ursi, aliæque feræ uidebantur; quod in uestibus uidebatur pictum, in ferentium mentibus ueriùs fit, quos si spectemus, ferarum morsibus laceratos spectabimus, ferè enim superbiæ, fastus, inuidentiæ, luxuriæ feris mordentur, quos nimia uestium cura sollicitat, ut uerus ille fuerit, qui uestium ornatum, *Superbiæ* VEXILLVM, NIDVMQVE *luxuriæ* dixit; uerè superbiæ morsibus intùs patet, patet luxuriæ, qui nimio uestium superfluarum studio tangitur.

Nobiles, & pretiosæ sint uestes, quid aliud ex uero sunt, quàm cibus tinearum? experientiæ suffragio munitam Beati Chrysostomi mentem suis uerbis offero, quibus in uestibus superbientem arguens, ait: *Tu circumfers pastum* VERMIVM, *atq;* TINEARVM; malum omen; quæ tineas pascunt, pascuntur ut tineæ, eduntur, & edunt uestes, dum curas eas nutriunt, quibus lacerantur, qui illarum amore, luxùque corripitur; Verus ille: *Vestes, quæ tineas pascunt, illorum* TINEA *sunt, qui noxio vestiũ laborant studio*; ut inuestis a uera iucunditate, adeo & ab ea, quæ putatur uera, ille sit, qui in uestium pompa totus est; non uidetur esse in se, qui totus est in uestium cultu.

Incultus nimis nimius iste cultus est, & uestium 145
pretiosarum forma mentis deformitatem arguit: Iurè Beatus Bernardus: FORMA *hæc*, inquit, *vestium* DEFORMITATIS *mentium & morum indicium est*; deformis ęst animus, qui totus in forma uestium, & uestium cultu est, & mentem exuit, qui mentis cura neglecta corpus scitè induere studet, cùm mentem probitate deberet.

Non animum, non mentem ornat ornatus uestium, atque adeò nequit eam uero gaudio uestire, uera lætitia. Quid? corporis uestes extra corpus sunt, uix eius superficiem tangunt, & possent mentem peruadere, eamque uera iucunditate beare?

bearc? indumenta tot varietatibus difformia, tot diſcriminibus varia *In* RISVM, *& in* CACCHINVM, vt ille loquitur, *videntur facta*, tantum abeſt, vt verum riſum in eius mentem ferant, à quo feruntur: non facilè ergo credam riſum ferentibus verè admouere, quæ cachinnum, ac ludibrium veſtium ſpectatoribus mouent.

146 Audi me, indue meliorem mentem, meliores veſtes induere cogita: virtutes indue, vitia exue! *Quid pompaticis*, verba ſunt Beati Alcuini, *carnem induis veſtimentis*, & ORNAMENTA ANIMÆ *non quæris?* animo non videtur ornatus, qui animum non ornat, non ornat animam; diſplicent tibi vilis veſtimenta? in ſtolam immortalitatis, qua induendus es, mentem erige, nec diſplicebit, cùm etiam per veſtium horrorem, vilitatem, atq; contemptum ad immarceſcibilem gloriæ veſtem gradum nobis ſternamus; Benè, fortitèrque Beatus Petrus Damianus at *Cur aſperis exhorreat contegi veſtimentis, qui* STOLA INDVENDVS EST IMMORTALITATIS? hac cogitatione mentem veſti, & veſtium curam exues; veſtium vilitas non eſt vilis, qua nobis impretiabilia gloriæ veſtem emimus.

Cùm contrà purpura magnam cum flamma cognationem habeat, vt facilè ad flammas feratur, qui purpuram deferens intumeſcit; hunc tranſitum in Epulone diuite videmus, qui nimirum ita de præſentibus cogitauit, vt mentem non flecteret ad futura; ſupprimi hìc non debent verba, quibus diuitem illum premit, & diuiti pares, Beatus Ambroſius, dum ad illum nos vocans, & reuocans ab illius luxu, ait: *Cogita diuitis illius opiparas cœnas, & copioſarum dapum vberem affluentiam, purpura, murici pinguiors, & textilibus incluſi ſerici nitoris, totum de ſpe præſentis temporis, nihil tamen de futuro tractantis. Quid illi poſt iſta omnia reponatur auſculta;* POST PVRPVRAM FLAMMA, *poſt epulas egeſtas.* Æternis flammis veſtiri qui timet, ſuperfluarum, & nudam ſuperbiam ſapientium veſtiū & curam exuat, & affectum; prudentia non veſtitur, qui nimio perimrarum veſtium amore flammarum ſibi veſtem parat, & mente nudus eſt, qui totam mentem corpori induendo occupat.

CAPVT XIX.

Ædificia caſura vero gaudio inædificando inepta.

Omnium infelix, *& ab omni* lætitia alienus, *qui* primus *domos ædificauit*.

Caueat ædificiorum amator, ne aliorum ſanguinem *calci immiſceat*.

In magnarum ædium erectione mercenariorum ſudor *miſcetur ſæpè*.

Ab apibus, *&* hirundinibus *diſce ſine alterius damno ædificare*.

Ruinoſum gaudium, *quod in ruinoſis ædificijs quæritur*.

Vera hominis domus ſepulchrum *gaudio caret*.

In terreſtri Paradiſo nullæ caſæ *fuere*, vera tamen lætitia *habitauit*.

Qui in cœlum oculos erigit, *terrena ædificia contemnit*.

Grandiora tecta plus cœli *habitatoribus abſcondunt*.

Gaudium etiam pauperum caſas *inhabitat*.

Aedificandi cupidi ſine hoſte euertunt ſe.

Aedificia verum gaudium ædificare *nequeunt*.

Mendacio gaudet, *qui domum ornat*, *vt gaudeat*.

Ex mendaci tectorum, *&* parietum *ornatu dignitatum vilitas arguenda*.

Domus ornatus *domus* habitator *fit*.

Mundanorum felicitas non eſt ſincera, *non eſt* ſolida, cruſta *eſt*.

Notati, qui domus parietes dealbant, *animam negligunt*.

Aegyptijs templis ſimiles, qui externa *exornant*, internorum *cura poſita*.

Riſus non ædificat, *nec ædificia* ædificant *riſum*.

Pœnitentiam *ſibi ædificat*, *qui ſuperflua* ædificia.

In Inferno *viſus ædificare*, *qui hic totus in* extruendis ædificijs *fuerat*.

Secum non habitat, *qui nimio* terrenæ habitationis *amore tenetur*.

Teſtudineo *in Dei obſequio incedit* gradu, *qui domum vt teſtudines* ſecum *mente defert*.

ALios alius error tenet, amentia alia corripit, vt putent, verum gaudium terrenas, caſuràſque moles, quas ſtruunt, ſtruere, & veram lætiam erecta ædi- 147
ficia erigere, & ædificare, vt proinde toti in erigendis domibus, ac palatijs ſint; ſi quis dixerit huius mentia homines mentis ſuæ domum haud habitare, dum credunt domorum fabricis poſſe ſibi gaudia fabricare, non aberrabit à vero, & calculum ſuum in ipſum veritatis ſinum conijciet, quæ firmo, & non caſuro fundamento ſtatuit, aliud eſſe erigere fabricam, aliud vera iucunditate erigere mentem, aliud ruituri ædificij fundamenta ponere, aliud verò veri gaudij; ridendus eſt, qui à murorum ſtructura, à lapidum ſuper lapides locatione exprimere verum riſum conatur; ſed rem altiùs erueremus, vt firmiores radices veritatis huius aſſertio in hominum mentibus agat.

Non eſſe ab ædificijs verum riſum, euincunt multa; primum argumentum ſumo ab illo, qui primus in terris traditur ædificaſſe domos, & domorum ædificatione Vrbes; is fuit Cain; qui à vera lætitia exulauerat, triſtitiis ſumma fluctuabat poſt Dei ſententiam, quà ob fratris cædem punitus fuerat, omnium miſerrimus erat, ſed ædificijs manū porrigens, non potuit ſe à ſua calamitate ſubducere, erexit ædificia, non erexit mentem; pauidus ſemper excurrebat, & vel foliorum ſtrepitus timens

mens carnificem conscientiam circumferret, tacitùsque altè inclamaret, domorum fabricam tristitiæ murum non euertere, nec gaudij molem erigere.

148 In primo isto ædium erigendarum auctore aliud video, quod videri ab alijs velim in cautionem; Cain primus ædificat; malum omen, ædificia habuisse illum pro parente, qui & cædis primæ auctor fuit; vt qui ædificiorum amore corripitur, statim caueat, ne alienum sanguinem calci, vitta dicam, misceat, & ædificijs erigendis sumptus non tam à suis facultatibus, quàm ab operariorum visceribus exsculpat, nam qui possent hæc verum gaudium creare, veram lætitiam gignere?

In magnarum ædium erectione misceri pauperum sanguinem indicat & Deus, & detestatur, dũ ait: *Va qui ædificat ciuitatem in sanguinibus*, id est, pauperum oppressione, mercenariorùmque sudore, qui sanguinem suum exhauriunt diuitum palatijs erigendis; aut etiam aliorum sanguine domos ædificãt, qui alienis pecunijs vtuntur, quò ædificia struant; vt aliorum plerumque ruinis stet diuitis ædificium; nimirum plerique destruunt alios, vt ædificent sibi, aliorùmque ruinam suis fabricis tanquam rudera domibus superstruunt. Et læta potest esse hæc ædificatio, gaudium parturire, quæ solia lachrymis indigentium innatat? diceres huiusmodi fabricas pares ijs esse, quæ in amaris maris aquis ædificantur.

Cauendum, timendumque ne in magnatum ædificijs pauperum sanguis lateat, etiam Sanctus Bernardinus Senensis indicauit, cum dixit: *Ingredere magnatum aulas triumphales, & vtinam non de pauperum cruore constructas!* ab omni pietatis domo se iam exclusit, qui colendas domos ita erigit, vt muri quodammodo indigentium sanguinem contineant.

Exstruenda est domus? ita exstrue, ne euertas alios; apes refer, & hirundinea, ambo absque alterius damno domos sibi fabricant, tecta attollit hirundo, & nihil aufert proximi, quod proximo graue; fauos distinguit apis, & nulli officit; laude merentur erigi, quæ domos ita erigunt; insecta sectare, & à ratione carentibus disce modum ędificandi, qui à teipso debebas, Dei tui lege, monitisq.

149 Sed rem etiam in iustis ædificatoribus, & ab operariorum oppressione alienis, vrgeamus; ruinosum esset gaudium, si à ruinosis ædificijs esset, caderet cadentibus domibus si à domibus esset, nec cum cadentibus tantùm caderet, sed cùm casuris; ruinæ timor in domibus ante domorum ruinam gaudium in mentibus deijceret: ædificia quæ possunt destrui antequam destruantur destruunt gaudium, quod putantur opinione non minus inepta, quàm falsa, ædificare: hirundines à cito casura domo auolant: gaudium quoque à fabricis abit, quæ citò casuræ, quales sunt omnes terreæ, solo quippe æquandę, quæ super solum.

Demus, quod non dandum, à domibus esse gaudium, exire à domibus lętitiam, exiret ab illa præcipuè, quæ præcipua, & si rectè rem expendas, ferè sola hominis domus est, à sepulcbro, quod æternæ domus titulo insignitur, in qua diutius homo futurus, quam ista, qua intumescit; sepultura domus nostra est, a qua tam exulat lætitia, quàm proximus horror, & luctus est; in domibus ergo casuris domicilium suum non locat gaudium, cùm verè in illa non sit, quę iustiùs domus titulum fert, diutiùsque & magis assiduè habitatorem suum tenet; sed de illis domibus agamus, quę vita carentes viuos obsepiunt, non quę mortuos.

150 In terrestri Paradiso nullę fuere casę, nullę domus, & tamen ibi vera lętitia domicilium suum locauerat, quousque iustitia exulare compulsa est; ergo ineptit, qui verum gaudium, solidùmque a domibus sperat, quod prius fuit, quàm domus essent, vt vel hinc colligeremus, à domorum erectione veram lętitiam non sperandam, quę erecta iam erat, antequam domus erigerentur.

Mentem erige, non palatia; cœlum specta, inane, & nihil putabis quicquid hîc in ędificijs magnum; teneri fabricę alicuius pulchritudine non poterit, qui oculos in cœlos erigit. A probo calamo probum motiuum est, & ab ore aureo aureum: *Quid tanto studio, quod nihil est, queris? quid labores pro nihilo sustines? At* SPLENDIDA AEDIFICIA *conspicis, eorùmque te fallit aspectus; in cœlum protinus attolle oculos, auersùmque à lapidibus, & calumnijs obtutum ad illam pulchritudinem dirige, animaduertes formicarum ista esse, & culicum opera. Sapienter intuitum ad digniora conuerte, ascende* COELESTIA *animo, inde præclaras istas intuere structuras, videbis nihil aliud esse, quam paruulorum ludicra;* in cœlum animum non erigit, qui ad terrenorum ędificiorum molem amore, aut cupiditate ligatur; lapideus videtur esse, qui cœli oblitus, lapidum pulchritudine tenetur.

151 Angustus animus est, quem terrenę domûs erectio tenet; in cœlo spatiari non meretur qui exiguo spatio se concludit, & carcerem sibi fabricat in corporis domo; verè enim quod domicilium corporis est, carcer est animo, si illius amore teneatur quod corpus regit. Et non quò grandiora sunt tecta, & plus spatij occupant, plus cœli habitatoribus abscondunt? nimium eripiunt magnę fabricę magnatum nobis cœli partem; quid partem dico? eripiunt totum; nam qui terream domum habitat, cœli sibi surripit adspectum, quo recreari mens potest, erigique, Mirare huc Senecam euasisse, cuius hęc sunt verba: *Quò longiores porticus expedierint, quò latiùs vicos porrexerint, quo depressius æstiuos specus foderint, quò maiori mole fastigia cœnationum substruxerint*, HOC PLVS ERIT, QVOD ILLIS COELVM ABSCONDAT; non abscondit aliquid illis cœlum, abscondunt sibi, sibique cœli aspectũ surripiunt; cœlo indigni, qui terrenorum ędificiorum erectione dum superbiunt, eximunt sibi cœli visum, quo in cœli amorem rapi mens posset; si quis talpas eos indigitauerit, non repugnabo, & hunc titulum sibi crescere, qui domos terreas ita sibi erigunt, vt in earum amore sint toti, eoque animum trahant, vbi solius corporis habitatio est; qui cœlo se natum cogitat, terrenis parietibus animum coerceri non sinet.

Gaudium non minus in paupere casâ domicilium ponit, quàm in superbo diuitum palatio; imò si rem ex effectu pensemus, frequentiùs pauperum domicilia adit, quàm superba palatia magnorum, à quibus ferè reijcitur; non igitur veram lętitiam superflua ędificiorum erectione in nostris mentibus erigemus.

152 Ædificiorum amore qui tenentur, dum euersas domos erigunt, euertunt se, & licet hostibus careant, hostes sui sunt. Peritè ille apud Plutarchum: *Cupidos ædificandi aiebat* A SEMETIPSIS EVERTI SINE ADVERSARIO; imò ab aduersario, quia à semetipsis, sibi quippè aduersantur, qui superfluorum ędificiorum cupiditate tenentur, & destruunt se, vt ędificent quod extra se; erigunt plerique ędificia, & corruunt mente, quæ tantę nobilitatis, & pretijs surgere domus potest, quę mentis ruinam possit compensare? maius est quod cecidit superfluorum ędificiorum amore, quàm quod erigi edificijs possit.

Quid?

Quid? ædificia ipsa, quæ vt surgant alienâ indigent manu, non poterunt se ipsis creare, quod ipsis nobilius est, gaudium scilicet, & veram lætitiam in spectantium cordibus, mentibus; quæ se non ædificant, ædificabunt gaudium omni alio ædificio melius? aliam manum exigit, quàm terrea ædificia hoc gaudij ædificium; non erigitur ædificiorum erectione, quod ædificiorum casu non cadit.

153 Si gaudium ab ædificijs esset, cum cadentibus ædificijs gaudium caderet; ac proinde verum esse gaudium non posset, quod aut ruit, aut ruere potest, & perire; & hoc ipso perierit, quia perire potest, sicque fit, vt illud ipsum, quod gaudij titulo iniustè donatur, nec verè apparens sit, quia non est. Christus ædificaturo dixit: de sumptibus cogitandum, vt perficere queat, quod inchoauit, ne ridendi materiam præbeat, & lusûs; lætitiæ nulla mentio fit, fit solius solicitudinis; hoc proprium ædificiorum est, vt mentes illorum dissipent, à quibus eriguntur.

Domos ipsas intremus, domorum ornatus vestigemus, nam circa hoc quoque humana insania se prodit; inueniuntur qui domorum tecta exornant; nimirum dum aurum euehunt, ab auro deprimuntur, vel situ se auro subiacere ostendunt, tantâ vanitate capti; & erigere hoc mentem potest quod indigebat erigi? tecta aurum tegit, sed tectam retegit stultitiam, quæ latere poterat, nisi inani illo opere proderetur, & obductione illâ auri in apertum duceretur; & potest ab hoc mendacio verus risus prodire? non prodit, qui mendacio gaudet, vero gaudio non perfunditur; *Et cum*, verba sunt Senecæ, *auro tecta perfundimus, quid aliud, quàm* MENDACIO GAVDEMVS? tectis ipsis insensibilior est, qui à tectis auro opertis exprimere veri gaudij liquorem putat. Hoc solum ex tenui hoc, aureoque operimento aureum monitum exsculpere sapiens potest, sub mundanâ felicitate honoribus, dignitatibus, aliud latere, quàm prima facies, ornatûsque promittat; exsculpsit istuc idem Seneca, cuius verba superiùs produximus, nec repeto.

154 Amas ædium ornatum? Innocentiorem indico, indico veriorem, quo vestiri domus possit; domûs ornatus domûs inquilinus sit, domum exornat, qui domum habitat, virtutum domicilium sit; nimirum ritè ornat sibi domum, qui domum ornat se; temperantiam ille apud Stobæum pro domûs totius ornamento requirebat; illius sunt istæ voces; *Ne* TABVLIS, *&* PICTVRIS *domum tuam circunda, sed* TEMPERANTIA IPSAM DEPINGE. *Illud enim alienum est, & oculorum modo iucunda præstigatio. Hoc vero indelebilis, æternusque* DOMVI ORNATVS *existit*; bonus iste ornatus, sed non plenus; cæterarum virtutum satellitium secum ducat, & integrum habemus.

Hoc boni ornata domus habet, testique aulæis aut marmoreis crustis parietes, vt retegere fictam habitantium felicitatem dum videntur videantur; ita est, clamant tecti muri, licet sileant, felicitatis inanis velamine magnorum opertam esse miseriam, obducatur prima illa lætitiæ species, quæ spectatorem oculis imponit, & sub alieno tegmine infelicitatis fœditatem occultatam fuisse apparebit; sistendus hîc è Stoicâ scholâ nobilis auctor plusquam stoicè loquens, vt videatur, non extra se tantùm exijsse, sed etiam supra: *Isti, quos pro felicibus aspicitis, si non quà occurrunt, sed quà latent videritis, miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem* PARIETVM SVORVM *extrinsecus culti; non est ista solida, & sincera felicitas*, CRVSTA EST; *ita dum illis licet stare, & ad arbitrium suum ostendi nitent, & imponunt, cum aliquod incidit, quod disturbet, ac detegat; tunc apparet, quantum altæ, ac veræ felicitatis alienus splendor absconderit*; quàm verè de non verâ felicitate; vides vt domi mutos doctores magni habeant, à muris, à parietibus doceantur? verè hic si non lapis de pariete, lapis tegens parietem eò altiùs clamat, quò altiùs silet, & securiùs instruit quia non loquitur.

155 In hoc quoque stultitiam suam produnt, qui domos erigunt & erectas dealbant & exornant, quòd præstant in domo casurâ, quod præstare nolunt in non casurâ; domus parietes magno studio dealbant, animæ domicilium negligunt, & squalore obsitum relinquunt; qui mentem habet, aliam mentem ebibet, & occinet sibi illud apud S. Augustinum, *Exultant in potu, in luxuriâ, in diuitijs*, IN DEALBATIONE LVTEI PARIETIS, *in his exultant; ambulabo autem ego viam dissimilem, contemnens ea, quæ præsentia sunt*; contemnetur qui non contemnit; non est sibi præsens, à se abest, qui præsentia hæc amat, in his exultat, risum elicere à præsentibus studere, qui luteos parietes dealbat, animæ candorem collutulat, & conspurcat.

Hos similes Ægyptijs templis iurè dixeris, quæ summâ extructa magnificentia belluam intus deformem, vilissimàmque continebant; ita & qui in spectantium admirationem palatia erigunt & erecta incolunt, dum se negligunt, fœdos mores habent, feros, ferisque similes, & belluis effecti, vt monstri quoddam genus sit in speciosissimo palatio eos habitare qui moribus monstra referunt. Rectiùs illi, qui cùm in virtutum domicilio extruendo toti sint, casurorum ædificiorum obliuiscuntur: diuitem, regiàmque domum inhabitat, qui virtutes habet pro domicilio, vt cadat & in ipsum id, quod de S. Basilio dixit S. Gregorius Nyssenus: *Sobrietas illi pro* DOMICILIO *erat, iustitia autem & veritas, & castimonia pro splendidis, & magnificis, atque visendis, & conspicuis ædificiorum ornamentis, in quibus habitans magis his delectabatur, & placebat sibi, quam quis in marmoreis, & auratis ædibus gloriatur*; lapideus ferè est, qui spiritali domo neglecta, lapideæ solius erigendæ cura tangitur.

156 Ædificia terrena risum potius destruunt, quàm ædificent, sicut & è conuerso risus ipse spirituale ædificium destruit, si erectum esse contingat. Sanctus Ephræm, hoc postremum hisce verbis asserebat: *Risus* NON ÆDIFICAT, *neque custodit, sed potius perimit, atque ædificium diruit*; risus ædificium diruit, quidni & ædificium ipsum ipsum risum? risus & ædificium inter se cohærere non videntur; hostes inuicem videntur esse: si eo modo, quo superiùs diximus, comparentur: risus fictitius spiritale ædificium arietat, ædificium verò terrenum risum verum.

Ex alio etiam capite istæ domorum erectiones, ædium ornatus, qui nudum luxum sapit, dum nudos muros vestit, à vero gaudio, à vera lætitia abit, quòd hostis tandem cultoris sui, auctoris sui sit futurus: nam cùm hinc erit abeundum, depriment illius mentem ædificia, quæ magnis sumptibus structa, eò molestior, grauiórque, si cetera sint paria, erit discessus, quò nobilius erit palatiū, quod hæredibus est relinquendum; iusta luxus istius pœna; vt ædificijs abiens torqueatur, qui ædificia hîc struxit tanquam hîc semper futurus, abeundum tamen, & ab illa domo discedendum erit, quæ quò amplior, eò maiori angustia morituri mentem premet, qui tunc sentiet se sibi in fabrica doloris materiam fabricasse. Tunc mordentis con-

ris conscientiæ molestias sentiet inclamantis, satius, vtiliusque fuisse, sumptus in homines facere, quàm in lapides. Præstat pœnitentiam anteuertere, & vel ipsum Musonium audire, à quo istuc prodijt. *Atqui quanto præclarius est multos beneficijs afficere,* QVAM SPLENDIDE HABITARE? *quanto etiam conuenientius viro integro sumptus facere in homines, quàm in ligna, & lapides? Quanto denique vtilius multos amicos possidere, quàm amplam domum comparare? quod contingit ei, qui prompto animo beneficia confert*; si pro amicis pauperes etiam substituas, aut amicis ita adijcias, vt præferas, monitum habes christiana veste dignum. In cœlo palatium sibi nobile ædificat, qui sumptus à superfluis fabricis subducit, à lapidibus eximit, vt spargat in indigentes, qui ita seruient cælesti fabricæ perficiendæ, vt ad cœlestem habitationem precibus eos erigant, à quibus beneficæ largitatis muneribus eriguntur.

157 Ex alio etiam capite à superfluis ædificijs auocaris, Capitis scilicet exemplo, exemplo Christi, qui non habuit vbi caput suum reclinaret, vt eum spectans in nobilium, & inanium ædium cupiditatem inaniter non declinares. Audiendus Sanctus Hieronymus: *Filius*, inquit, *hominis non habet vbi caput reclinet, & tu amplas porticus*, ET INGENTIA TECTORVM SPATIA METIRIS? Caue ne dum tectorum spatia metiris, mentiaris te Christi membrum esse asserens, quod non habuit vbi caput inclinaret; vel à lætitiæ veræ parente disce veram lætitiã non parere ædificia, quæ pereunt.

Placet ædificiorum erectio? in te virtutum ædificia erige, vt in te habitet, qui te fecit; Cœli futurus habitator, terreni ædificij structura aditum sibi in domum illam non obstruat; ferè in cœlo domum sibi paratam destruit, qui totus in terrenis ædibus erigendis est; *Quidam dum viueret hoc morbo laborauerat, vt* IN EXTRVENDIS INANITER ÆDIFICIIS *omnes ferè diligentiæ suæ curas expenderet, & plurimas facultates Ecclesiæ in friuolis huiusmodi nenijs profligaret*.

Quid consequutus ab inani hoc labore? vidit illum vir quidam in spiritu raptus, pergit Sanctus Petrus Damianus, in Inferno velut excelsas machinas erigentem & anxium, atque sollicitum *tanquam* MVNITA CASTRORVM PROPVGNACVLA *construentem*; quod in culpam fecit in vita, post mortem patiebatur in pœnam, & fabricas in Inferno struebat, qui fabricis inanibus, iniustèque erectis infernum sibi fabricauerat, infernum sibi struxerat; vide ne numerum augeas.

158 Aedium nobilissimarum habitatio te delectat? mures, feles pares habes; quin illæ te in hoc feliciores, quòd diutiùs domo fruuntur, cùm vix ab ea exeant, aut ne exeant quidem, tu exire cogaris, & quod amas deserere; animæ ratione præditæ domicilium esse non meretur, qui terrena domicilia ita amat, vt cælestis obliuiscatur, obliuiscatur sui, & quod consequens est, etiam Dei; verè secum non habitat, qui terrenæ habitationis nimio amore tenetur.

Testudinibus huiuscemodi homines ædium voluptate captos pario; illæ domum quocùmque feruntur, ferunt: isti non corpore, sed, quod grauius, mente; hinc fit, vt testitudineo quoque gradu in Dei obsequio incedant; ægrè se ad vlteriora moueant; atque adeo eò à vera lætitia longiùs velociùsque auolant, quò lentiùs tardiùsq; in eius cultu eunt, qui veræ lætitiæ parens, & fons est. Amas æternæ lætitię domicilium esse? casura domicilia, casurus non ames; cœli perpetuus habitator esse non meretur, qui in terra ita ędificia erigit & exornat, tanquam terram esset perpetuo habitaturus; extra ædem suam mentem habet, qui totam in ædibus exstruendis, ac poliendis mentem habet, non habet in mentis æde.

CAPVT XX.

Ex ineptis, ludicrisque sermonibus, quos mundi sectatores euomunt, verus risus non prodit, non prodit vera lætitia.

Non est verus risus, *quem mundanorum ridiculi sermones creant.*

Doloribus mortis, & inferni *mundi homines comparati, parere verum gaudium nequeunt.*

Confricatione *conscientiorum animorum* pruritus *accenditur, verus risus non creatur.*

Vani sermones mundanorum, qui Spiritum Sanctum contristant, *parere lætitiam veram nequeunt.*

Innocens *lætitia est, inter* culpas *non germinat.*

Mundanorum colloquia exsiccant flores *virtutum.*

Secularium conuersatio à Deo lætitiæ Auctore *mentem segregat.*

Minor homo *fit, qui inter homines, & lætitia excipienda ineptus.*

Malorum consuetudo cordis tempestas.

Lætitiam mali non afferunt, *sed* auferunt.

Diabolica verba diabolicum reddunt hominem.

Fœdè quis mouetur *ad cachinnos, fœdiùs* mouet.

Quàm grande malum *immineat illis, qui* Scurrilia verba *proferunt*:

Seria loquutione ludicri sermonis fauillæ *velut iniecta aqua extinguenda.*

AMentię quędam nota est solum quempiam ridere, aliorum consortium ferè risus exigit. Sancti Augustini hęc verba sunt: *Nemo facilè* SOLVS RIDET; ridendi materiam prębet, qui solus ridet; ridiculus alijs fit, qui sine alijs in risum effunditur; vt ergò solidè rideant homines, risus & spectatores, & excitatores homines quęrunt, amicos adeunt, vt adeat eos amicus risus, amica lętitia, amicum gaudium; ridiculis sermonibus creant sibi inuicem risum, & ad risum prouocati ad risum prouocant, lęuisque sermonibus veluti quibusdam ictibus ex oris silice risus scintillas eliciunt, putantes uerum gaudium sic producere, cùm potiùs, productum amputent. 159

Expugnendus hic error, excaudicanda deceptio ista

ista est, quæ eò maior quò grassatur in plures, vt nolit quis solus insanire, ad insaniam alios prouocat, quos deceptus adit iam deceptos; non est vera lætitia, nec verus risus, quem mundanorum sermones exsculpunt, scurrilia leuium hominum verba eliciunt, & mutua malorum confricatio exprimit; sed ne videamur leuia verba leuibus verbis damnare, & solo verborum sonitu deceptoriam hanc machinam diruere, rationum arietandum nobis est.

160 Amator mundi, & cultor gaudij omnis expers, lætitiæ veræ domicilium esse nequit; nec vnam in se solidæ lætitiæ guttam deriuare ille potest, qui mundo, mundanisque rebus deditus à gaudij veri fonte declinauit, à Dei sui cultu se subduxit; quis ergo credat in alijs creare verum gaudium posse, quo ille viduus est, qui vt gaudium affricet aditur? purior vera lætitia est, quàm vt à tam lutulento fonte prodeat; à gaudij hoste gaudium non nascitur. Fallitur igitur, qui consortium cum mundi sectatoribus init, vt consortium habeat cum verâ lætitiâ, quę tam longè ab illis abest, quâ vicina est illis tristitiæ, mærorisque materia, culpa.

Impij, sæculique sectatores mortis doloribus pariantur, quin mortis dolores dicuntur, & Inferni; Regij Prophetæ verba sunt: *Circumdederunt me dolores mortis, dolores Inferni circumdederunt me*: homines malos intelligit, & mundi moribus assuetos, *impiorum castra* dixit illos Chaldæus Paraphrastes; nexum cum morte habent, nexum cum sepulchro impij, quia ad mortem alios ducunt, trahunt ad sepulchrum, tristique exitu, & exitio student omnes insepelire; & potest ab huius notæ hominibus verum gaudium sperari, verus risus? inficere lætitiam possunt, non efficere.

161 Malè affectæ mentes, & peccatorum sanie, insaniaque laborantes malorum consuetudine quodammodo confricantur, qua confricatione ita pruritus accenditur, vt dolor maior consequatur, & fletus materiam ab illis exsculpserint, à quibus elicere se putabant risus, & lætitiæ. Voluit istud his verbis Beatus Augustinus: *Nec* CONFRICATIONE CONSCIORVM ANIMORVM *accenderem pruritum cupiditatis meæ*; fricant se mutuo mali, se mutuo scalpunt, falsa delinitione verum sibi dolorem creantes, & noui doloris materiam nouam.

Hostilis ista mundanorum amicitia est, quam nudus eorundem vitiorum, affectuumque amor parturierit; fouere nequitiam solet amicitia illa, quæ amicitiam non habet cum innocentia; quia adeo leuis, vt credat ijs mutuò iactatis sermonibus, sola leuitate grauidis, creari gaudium verum posse, quibus ipse veri gaudij verus Auctor offenditur, & quantum in loquentibus est, tristitia afficitur? fallitur, qui credit, & fallit, qui credendum alijs istuc obijcit. Aliud nobis ex Apostoli verbis colligebat Sanctus Petrus Damianus, cuius ipsissima verba hîc implanto: *Audiant quid Paulus Ephesiis dicat: omnis, inquit, sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quid bonum est, ad ædificationem opportunitatis fidei, vt det gratiam audientibus; quia nonnulli Deum prius benè viuendo lætificant, sed postmodum superflua quæque & peruersa loquendo, contristant: illico subiunxit; & nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis. Perpendant miseri*, QVÆ ILLIS LÆTITIA IN VANIS SERMONIBVS POTEST LENOCINANTER OBREPERE, *quibus sciunt se non potentem sæculi, non etiam quemlibet sanctum hominem, sed ipsum* SPIRITVM SANCTVM, QVI PROCVL DVBIO DEVS EST, CONTRISTARE. Poterat rem vehementiùs vrgere, & menti huic nostræ firmandæ aptiùs aliquid adijcere? licet prisca fuerint verba, religio fuit quidpiam elidere, ne si sententiam coarctatem, venustatis, & roboris limites coercerem; non potest verbis illis lætitia creari, quibus increatum Verbum læditur, & Verbi, Patrisque Spiritus tristitia, quantum in hominum malitia est, afficitur.

Innocens lætitia vera est, inter culpas non germinat; vbi malitia viget, interit lætitia; cum virtutibus adolescit, virtutum sodalitium ambit gaudium, non hominum mundanorum, ludicris verbis, inutilibus virtutum germina exsiccantium; 162 nam, vt aiebat Ioannes Carpathius: *Nihil æquè* VIRTVTEM PROFLIGARE *solet, vt scurrilitas, & ludicra atque otiosa verba*, inter iocularia virtutum virtus retunditur, & flaccescit, pręsertim si teneræ adhuc virtutes sint, nec adoleuerint; glacies minùs noxia floribus erumpentibus, & teneris plantarum cacuminibus est, quàm virtutibus inania illa verba, quę ex hominum mundanorum ore, nullo prudentiæ, grauitatisque ordine erumpunt, & in aliorum perniciem decidunt. Vidit istuc Sanctus Isaacus, & videndum alijs obtulit, cauendùmque dum dixit: *Sicut vehemens glacies subito incidens summitatibus plantarum desiccat eas, ita* COLLOQVIA HOMINVM DESICCANT FLORES VIRTVTVM; & poterit verę lętitię germen à colloquijs hisce prodire, dum virtutibus ita officiunt, quę lętitiam efficiunt, & nutriunt? Placet lętitia? displiceant illa, quę illam euertunt.

Alienus à vero est, qui à vero risu alienum non credit mundanorum hominum consortium; est, 163 quicquid decepti dicant alios decepturi; rem hoc quoque argumento confirmo; mundanorum hominum consuetudo mentem à lętitię Auctore auocat, mundanorum sermones Dei memoriam oblitterant; Verè Sanctus Nilus: *Secularium*, inquit, *conuersationes* MENTEM A DEO SEGREGANT; ergò mentem à ratione segregatam, vt ita dicam, habet, qui ab illorum consortio lętitiam sperat, qui à lętitię Auctore mentem segregant; claudit idem Auctor; *quapropter ipsos nec alloquere, sed alloquentes declina*; sequetur te gaudium, si mundi sectatores defugias; fugiet si sequaris; nemo sit tàm famus, vt à veri gaudij hostibus gaudium quęrat, & mundanorum amicitia lętitię amicitiam sibi polliceatur, quę cum illis perpetuum bellum habet, illòsque reijcit ab illis reiecta. Te tibi testem sisto; & non assiduè experiris, hac mundanorum hominum consuetudine, qui inania fundunt verba, & inani risui exprimendo formata, Dei tui memoriam in te euanescere, & perire? ita est; & poterit conuersatio ista lętitiam veram nutrire, verum gaudium, quę à veri gaudij Auctore mentem auocat? Quidam, etiam in hoc magnus, fassus est ab hominibus, ad quos ierat, minorem se redire hominem; rationem subducamus; si vniuersè homines adiens, & otiù cum illis agens minor homo fit, qui in mundanorum amicitiam se insinuat, & totus cum illis est, qui vix homines sunt, vix homo erit, atque adeo verę, integręque lętitię excipiendę ineptus erit, qui non idoneus hominis integri titulo efferendo; dispergitur, in vagam auram dissipatur illius lętitia, quę in corde coaluerat, qui in hominum se sinum proijcit, mundanorum conuersationem ambit & ambitur ab illa; non igitur poterit non nata lętitia in corde nasci, quę nata inanibus colloquijs in nihilum abit.

Quietem lętitia vera amat, & malaciam cordis 164 nauis poscit, dum in lętitię mari reperimur; inter ęstus, & fluctus est, dum inter malos homines, mun-

mundique sui sectatores, qui cordis nauem velut sæua tempestas inuadunt, vt vndis insepeliant; in cautionem id omnibus dixit Sanctus Gregorius: *Vita*, inquit, *prauorum, insolenti inquietudine molesta ad obruendam, vt ita dixerim*, NAVEM CORDIS QVASI TEMPESTAS *illabitur*; & speres ab borum consortio lætitiam, qui cordis nauem, quâ lætitia excipienda, sæuiùs quàm sæua quælibet tempestas ligneas naues impetat, conantur impetere? igitur cui vera lætitia placet, mundanorum consortium displiceat; & vt vero gaudio nectatur, ab illis se abiungat, qui deuectere à Deo suo solent, quibus nectuntur, leuibúsq; sermonibus non leuiter lædere eos, qui vt gaudium ab illis trahant, trahuntur ad illos.

Sermones illi afferre homini lętitiam nequeunt, quæ hominis imaginem, vt ita dicam, auferunt ab homine, eumque tristitiæ parenti similem reddunt; *nam quemadmodum*, Oleastri hæc sunt verba, *diuina colloquia colloquentes inflammant, ita & mundana mundanum, &* DIABOLICA DIABOLICVM *reddunt hominem*, Vide, quæ à mundanorum, mundanæque lætitię sectatorum ore fluunt verba, & ex Diaboli schola prodijsse facile indicabis, loquentesque Diabolum quodammodo referre, dum ab eo dicta verba proferunt.

165 Sed antequam finiam, calamum ad illos conuerto, imo & in illos, qui risum elicere ab alijs student iocis suis, suis saltibus, ludicris suis sermonibus, *Fœdè*, inquit Sanctus Bernardus, *ad cachinnos* MOVERIS, *fœdiùs* MOVES; emotæ mentis est, qui facilè mouetur, qui mouet etiam iniquæ, & aliena damna quærentis post sua. Væ illis comminatur Christus, qui rident; quid exspectare debent, qui non rident tantùm, sed exprimere ab alijs quoque risum curant? grauiter eos vrget Sanctus Petrus Damianus, dum ait: *Cùm Veritas dicat: Væ vobis, qui videtis, quoniam flebitis, quid in tremendo iudicio dicturi sunt, qui non solùm ipsi rident, sed insuper quædam* SCVRRILIA *proferentes risum audientibus* VIOLENTER EXTORQVENT; eò torquebuntur acriùs, quò à pluribus risum extorserint; & grauiores pœnas subibunt, quò in sermonibus ipsi leuiores fuerint; nemo tàm fatuus sit, vt iocis, salibúsque exprimere ab alijs risum velit, luctum sibi, atque tristitiam alieno risu mercari.

Nostrum quoque est alienę leuitati vultùs grauitate occurrere, ac aliorum iocos aut fuga, aut oris seueritate compescere, & velut iniecta aqua ludicri sermonis fauillas seria loquutione extinguere; alioquin mente vacuus audiet, qui ludicra, & scurrilia verba vacuis auribus audit, ad ridicula loquentem prouocans, dum eo, quo potest, modo, non auocat.

CAPVT XXI.

Saltationes, atque Choreæ nihil faciunt ad verum risum.

In choreis, qui frangit membra, *vix habet* mentem integram.
Nemo sobrius saltat, *nisi* qui insanit.
Saltus, qui corpus reddit deforme, *animam quoque* fœdat.
Diabolo manus offerre *videtur, & cum manibus etiam se, qui in choreis eas expandit.*
Qui brachia in choreis expandit, illudere Christo *videtur, qui* brachia expandit *in cruce.*
Chorearum inuentor Diabolus est;
Quæ à lætitia hoste sunt, parere lętitiam *nequeunt.*
Locustas ex fumo putei *exeuntes saltatores referunt.*
Saltantium magister *Diabolus, lætitiæ veræ hostis.*
Chorea est circuitus, cuius centrum *est Diabolus.*
Vulnerationis *nexus, & tripudij, ac* chorearum.
Imperatoria vox; malle se febricitare, *quàm* saltare.
Impudica saltationes ad Infernum *saltatores ducunt.*
Plerùmque quò altiùs *quis in choreis saltat*, profundiùs *in Infernum cadit.*
Spiritalis saltus *probandus, quo mens* in Cœlum *fertur.*

QVis crederet adeo insanire mortales, vt ad choreas, ac saltationes eant quęrendæ lętitię causa, & tristitię excutiendę? si lętitia mentis idem esset ac membrorum fractio, corporisque totius lassitudo, concedi posset choreis, & saltationi adnexum gaudium esse; at quis tam fatuus, vt credat, vani ludicrique gaudij artificè parturire verum, solidumque? ab ipso chorearum motu docemur emotę mentis esse sperare ab illo motu gaudium, quod hominem extra se fert, si diù voluatur in gyrum; Choreas bellè ille describebat: 166

Iuuat & vago ROTATV
Dare FRACTA MEMBRA *ludo,*
Simulare vel trementes,
Pede, Veste, Voce Bacchas.

Si verba ritè expendas, non vocant ad choreas, à choreis auocant, fracta membra choreis dantur, non habet mentem integram, habet fractam, qui frangi membra in ludo hoc finit; quod Bacchas simulant, qui choreis aguntur, insano quodam furore agi non vera lętitia perfundi indicio est; verè non est mente liber, qui liberiore pede pulsat humum; insanire sobrium cùm saltat dixère veteres, & quod mirum, etiam Gentiles, quorum hoc dictum referebat, & approbabat Sanctus Ambrosius: *Nemo, vt dixit quidam secularium doctor*, SALTAT *sobrius, nisi qui* INSANIT; in quo ab insano saltantem discrimines, nisi quòd insani saltus sine crimine est, quia sine rationis vsu; ille verò quem sanum putas, insaniam saltu prodit, quam culpa etiam inficit, & facit miseriorem, quia crimine commaculat si extra modestię limites feratur, dùm saltu effertur.

Saltatores specta, & non deformant corpus dum saltant, non deuenustant habitum illum, quem Conditor exhibuit? à corpore ad animam ani- 167

mum transfer, è venustatis suæ suggestu deijcitur anima, dum & corpus; huic rationi auctoritatis quoq; pondus adijcio, firmat illam Sanctus Chrysostomus, dum eâ vtitur in hæc verba; *Quòd si* CORPVS DEFORMIS *fit impudenter saliendo, quanto magis* ANIMAM FOEDARI *credendum est?* nimirum dum corpus fertur in sublime saltus leuitate, anima sæpè in ima deprimitur culpæ contractione.

Abutuntur manibus, qui manus efferunt in choreis; Dei cultores manus in oratione eleuant, vt orationis Sacrificium Deo offerant; choreis addicti tamquam Diaboli cultores, manus expandunt, *vt Diabolo* ARAS OFFERANT, vt ille ait, & cum manibus etiam se.

Ab hoc etiam capite iniurius Christo est, qui choreis se mancipat, quòd brachia dum expandit, irridere Christum videtur, qui in Cruce brachia extendit pro nobis, crucique illudit, dum in chorearum ludo crucem format; huc nos vocat bonus ille auctor, dum ait: *Iesu Christo, & eius* CRVCI *magnam* CONTVMELIAM IRROGAT, *qui brachia saltans expandit, & inani lætitiâ actus crucem format, in qua summo dolore pependit Christus Iesus*; crucem format saltans, & crucis vim retundit, nec expenditur quis in cruce pro illo pependerit, dum inani, & impuræ lætitiæ litat leui brachiorum expansione.

168 Sed flectamus rectò mentem, inueniamus chorearum auctorem, ille testis esse poterit veritatis, licet veritatis hostis perpetuus sit; artes omnes inuentores suos numerant, à quibus duxêre initia; alia alium habuit; quis verò in mundum choreas inuexit? horreo dicere, sed dicendum est, quia & alij dixêre; Vincentij Beluacensis hæc sunt verba; DIABOLI CVLTVS *hic est, qui fuit huiusmodi chorearum inuentor*. Sanctus Chrysostomus, *diabolicas choreas* vocat tanquam inuentas à diabolo; serpentem specta in spiras se vertentem, & chorearum quandam figuram videbis; grauiter rem vrget Sanctus Ephræm in hæc verba, *Vnde*, inquit, *suas saltationes didicêre? quis talia Christianos edocuit? non sanè hæc vos docuit Petrus, non Ioannes, nec quis alius diuino numine afflatus, verum* ISTA DRACO ANTIQVISSIMVS SVIS VOLVMINIBVS *docuit*; serpens sese in spiras, & volumina versans docuit homines choreas, docuit orbes, quæ orbem inficiunt, non recreant; à lætitiæ hoste non exit quod lætitiam afferat, sed quod auferat. Locustæ ex fumo putei prodijsse visæ sunt apud Ioannem in suâ Apocalypsi, vt ij qui saltu locustas imitantur, in qua schola erudití sint colligant, & cogitent quò ituri, si humum, quam saltibus premunt, impudicitiæ vestigijs, vt ita dicam, fœdauerint.

169 Non contentus docuisse choreas dæmon, & saltationem, adest quoque tanquam magister, saltantium lasciuia vocatus, quos pariter ad lasciuiã vocat, & vrget; Verba sunt Sancti Chrysostomi; *Vbi* SALTVS LASCIVVS, IBI DIABOLVS *adest*; abest puritas, & puritatis comes pura lætitia, verum gaudium; pergit Sanctus pater: *Non ad tripudia pedes nobis tribuit Deus, sed vt modestè incedamus; non vt imprudenter camelorum more saliamus*; Pedes non meretur habere qui contra Auctoris mentem pedibus vtitur.

Ipsa choreæ definitio hæc omnia, quæ produximus confirmat: *Chorea*, inquit Guilhelmus, *est circuitus*, CVIVS CENTRVM EST DIABOLVS; intra choreæ limites Diabolus lætitiæ hostis est, ne quis intra choreas lætitiam veram locaret, verum gaudium; choreæ finitionem qui intelligit, risum ve-
170 rum in choreis esse, aut à choreis minimè definiet.

Plerumque accidit, vt hoc etiam in cautionem adijciam, vt in choreis, in tripudijs anima vulneretur. Apud Hebræos, quorum lingua mysterijs est refertissima, idem verbum *chalal Perforari* significat, *perfodi*, *vulnerari*, & simul *choreas ducere, tripudiare*, vt ab harum notionum in vno verbo coeuntium nexu discernemus, facilè fieri, vt qui choreas amat, & frequentat tripudia, animâ vulneratam, atque culpis confossa à choreis abeat; verus ille: *Sæpè dum* SALTAT *corpus*, PVNGITVR *anima, & in tripudijs* VVLNERATVR; in altum fertur corpus, & altè vulnus animæ infligitur, & perfundi lætitia posset, quæ tam fœdè cruentatur? Saltauit Herodiadis filia, & saltum Ioannis Baptistæ mors secuta est; si rectè rem pensemus, fœdiùs vulnerata saltantis anima fuit, quàm Ioannis corpus, à quo caput abscissum; hinc quoque habes plura, & plurium vulnera fractam, lasciuámque saltationem sequi, nec vulnerari tantùm saltantis mentem, sed & corpora innocentium; cædes illæ, quæ à choreis originem habuêre hunc nexum chorearum, & vulnerum confirmãt; meliùs Federicus III. Imperator sapuit, à quo hoc dictum fluxisse tradunt: FEBRICITARE *se malle quam* SALTARE; nimirum eò altiùs mentem extollerat, quò à corporis elatione per saltum alienior erat. Sequere, & imperatoriam mentem indue, licet Imperatoris insignibus exutus.

Pergo, & chorearum damna expendo, vt dam- 171
nentur; solent impudicæ saltationes, quæ à dæmone habent originem, ad domum auctoris sui ducere cultores suos; ille qui sine nuptiali veste ad nuptiale conuiuium ierat, ligatis manibus, & pedibus missus est in tenebras exteriores vbi erit fletus, & stridor dentium; cur ligatis pedibus, manibúsque in tenebras mittitur? cur in locum traditur, vbi fletus, & dentium stridor? choreas amantium præcipuè hæc pœna est; qui, vt ait Vincentius Beluacensis hosce saltatores premens, LIGATA *habebunt* MEMBRA, *quia* DISSOLVTA HABVERVNT, *tenebras habebunt, quia lucem exterioris consolationis, & vam gaudij amauerunt; fletum propter risum, & cantũ*; Audis quẽ finẽ habeat ludicra saltatio? quàm infelix illius sit finis, qui tamen nullum vnquam finem est habiturus? æternum sibi fletum plerique risu pepererunt, æterna vincula liberiore membrorum motu, & à puritatis legibus alieniore; æternas sibi tenebras non pararunt tantùm, sed quod miserius etiam corporis labore, ac lassitudine compararunt; nimirum pro extra exitium habet saltus extra modestiæ, & pudicitiæ circulus formatus.

In chorea qui saltat, corpus quidem in Cœlum 172
erigit, sed animum mittit in profundum, saltat corpus, anima cadit, præiuit ille, qui dixit: *Quanto altius in* CHOREA SALTAVERITIS, *tanto profundiùs in* INFERNVM *cadetis*. Saltus non saltus est, est lapsus; fallitur ergo, qui à choreis lætitiam veram nasci credit, cùm per illas illò plerumque eatur, à quo lætitia omnis exulat, omne gaudium, nisi ita corpus exsiliat, vt grauius culpa mentem non subeat, nam à leui quoq; saltum eximere non erit leue; quod si demus, non damno iuxta patrium cuiusque gentis morẽ choreas; eas repudio, quę modestiam repudiant, repudiant, puritatem, puros, candidósque mores; contra choreas præcipuè hæc dicta volo, vt ferè solent esse, non vt deberent; ab omnibus tamen abesse gaudium statuo, licèt longiùs ab illis, quę iuxta Auctoris sui mentem, dum membra frangere iubent, frangunt etiam mentẽ.

Vis ostendam tibi saltum, qui probandus, & *lætitia* mentem impleat? ostendo, ille saltus hoc potest, quo mens à terrenis hisce in sublimia fertur,

in pe-

in perennatura; SPIRITALIS SALTVS est, inquit Richardus, *mente excedere, & infimis in imo relictis in inuisibilium contemplationem totum transire*; & vero lætitiæ fonti hærere, vera lætitia perfundi, vero gaudio; non frangit hic saltus corpus, mentem vnit sibi, & Deo, imo sibi, quia Deo. Placet saltus? hunc elige qui adeo pudicitiam non arietat, vt pudicitiam nutriat, foueat, & contra hostes muniat; bonus saltus, qui saltantem eò maiorem se facit, quò facit minorem sibi.

CAPVT XXII.

Camporum læta lætitiam non gignunt, nec pratorum risus risum gignit.

Agrorum amœnitas non causa veri gaudij, *sed* occasio mœroris.

Conscio sceleris, nec paradisi deliciæ *aliquid conferunt*.

Non est adeo impura lætitia, vt à rebus oriatur, *quæ oriuntur à terra*.

Flores, arborumque fructus lachrymas ab intuentium oculis *exprimere deberent*.

Quò terra vberior, eò ferè deteriores *homines, & à lætitia* alieniores.

Deliciæ, quæ à terra, non animæ *tantùm noxiæ, sed &* corpori.

Terræ amœnitas vt dolores, *&* amaritudines *parturiat*.

Metaphorica lætitia, *quæ in campis, & ex campis legitur*.

Terra inculta *est creata, vt nos eius amore* inculti *redderemur*.

Naturæ ordinem peruertit, qui terram diligit, *quam* pedibus calcandum *pedibus Deus subiecit*.

In corde terræ *infernus est situs, ne terræ amor* in corde *nobis hæreret*.

Qui verum gaudium quærit, mentem à terra in Deum *eleuet*.

Diuini amoris syngraphæ, *quæ pulchra in terra videntur*.

173 LArgus hîc mihi se se offert campus in camporum, pratorùmque lætitiam excurrendi, vt fictam eam probem, & probatam mecum improbet meus lector; pauca hîc tamen libabo, ne abeam extra limites, ne ne videar causæ merito diffidere, dum pluribus conor probare, quod seriò & vt res est rem expendenti, est manifestum.

Camporum lætitiâ captus, aut captum se simulans, ita quidam inclamabat: *Quem non inuitent læta hæc? quem non ager ille diffusus in Syluis, pictus in pratis, erectus in montibus, prostratus in vallibus, neglectus in nemoribus, cultus in hortis, luxuriosus in segetibus, lætus in floribus, gaudiosus in vuis?* Sed omnia externa, sed omnia peritura, sed omnia vero gaudio vidua, omnia amaritudinibus, & curis grauida; non inuitant hæc prudentem, prudens illa deuitabit, & vt possidere hæc possit contemnet, nolètque ab istis possideri.

Agrorum amœnitas non causa veri gaudij est, cùm occasio sæpè mœroris sit, quia & culpæ; flecte oculos in mundi ipsius infantiam, & videbis extra paradisum fuisse primum hominem conditum, verè felicem, verè beatum, vero gaudio plenum, quia & Deo, superaque Dei gratia; vix ingressus est paradisum, arborum, florum, fructuùmq; multitudine vernantem, cùm egressa ab ipso lætitia fuit, quia & lætitiæ causa, iustitia, & innocentia; nihil homini horti illius amœnitas profuit, nocuit potiùs, cùm lapsum eius etiam ab hac parte fœdiorem redderet ipsius paradisi pulchritudo, quæ ad Conditoris amorem spectatorem prouocabat; cecidit inter arbores Abraham, & in paradiso anima eius desertum facta est, quæ in deserto quidam fuerat paradisus; florum odor cadentis odorem fœtidiorem fecit; quis fidat deinceps camporum amœnitati, & ab illa verum gaudium speret, vnde orta tristitia, quæ non hominem primum tantùm affecit, sed & omnes illos, qui ab illo fuerunt, & afficiet etiam, qui futuri?

In paradiso peccauit Adam, sed non statim eiectus è paradiso; hoc quoque probat aliud esse vera lætitia perfundi, aliud camporum amœnitate oculos delectare, nam si lætitiam veram afferret terræ amœnitas, & pulchritudo, excludi statim à paradiso debebat, qui Deum læserat, & omnem gaudij materiam à se reiecerat, qui reiecerat Deũ; non excluditur statim è paradiso, quia iam lapso idem erat ac si non esset. Pulchrè Arnoldus Carnotensis; *Non statim*, inquit, *post prauaricationem eiectus est homo de paradiso voluptatis, sed* CONSCIO SCELERIS NIHIL DELICIÆ PARADISI CONFEREBANT; extra paradisi delicias paradisi cultor se fecerat, antequam extra paradisum fieret; tem ad alios etiam torqueamus, quorum conscientiam culpa torquet; ambiatur quis omnibus illis amœnitatibus, quas ferre terra potest, & offerre; inter illas voluptates sine illis voluptatibus est, quia intus habet, quo cruciatur, vel in paradiso desertum reperit, qui desertum reperitur, cùm antea fuerit paradisus. 174

Camporum deliciæ lætitiam veram non creant; non est adeo impura lætitia, vt à rebus oriatur, quę oriuntur à terra, puriorem originem habet; nimis citò flaccesceret, si à floribus, quæ flaccescunt erumperet; à terrenis arboribus non producitur gaudium, quod inter arbores non semel periit; quod radicem in cordis solo habet, nec extra coalescit. Hortorum amœnitates non lætitiæ causam præbent, sed lachrymarum; nullibi sanguineas lachrymas fudisse Christum legimus, nisi in horto; non erat ille, quid terrenæ deliciæ parturirent; sequere Conditoris tui vestigia, nec aberrabis, si sanguineas nõ potes lachrymas fundere, funde non sanguineas. Audi quæ cogitatio lachrymas istas à quodam expresserit. Pius quidam vir, Ioannes vocabatur, in religiosam familiam nomen dederat, vitæ sanctitate, & innocentiâ erat insignis; hoc in illo erat singulare; cùm hortum ingrederetur, vix egrediebatur, quin ab illius oculis lachrymæ egrederentur; obseruatum hoc ab alijs, à quibus cum interrogaretur, cur fleret. Respondit, quia video herbas, arbores, & arbusta, & terram cum suis fructibus obedire Deo, & homines, quibus in promptæ parentiæ præmium cœlum promissum 175

est, Dei sui præcepta temerare, hæc fletus mei causa, hæc occasio lachrymarum: Felix, quem sic excolere potuit cultus hortus, & quem nascentia è terra gemmina, hæc in eius mentis humo monita plantare, vt ita dicam, potuêre.

Etiam ex alio capite terræ amœnitatibus ad lachrymas prouocamur, quia scilicet ita ferè accidit, vt quò fertilior terra est, eò sterilinres in bono soleant esse cultores, & moribus magis inamœnis, qui agros incolunt amœniores: Firmat hoc illud, quod accidisse legimus Loth, huic enim cùm optio daretur, vt eam terræ partem eligeret, quam vellet, pulchritudine delinitus, & amœnitate eam elegit, quæ circa regionem Iordanis erat, & vniuersa irrigabatur, eratque sicut Dei Paradisus; deceptus est, quia oculis credidit, nam in illa regione erant Sodomitæ, qui pessimi dicuntur; nimirum quò pulchrior terra erat, eò moribus deformiores erant terræ illius habitatores. Peritè, & ad nostram mentem opportunè Oleaster; *Docet, inquit, locus iste,* QVO TERRA FVERIT VERIOR, EO FREQVANTIVS HOMINES IBI DETERIORES ESSE, *fallique eos, qui quod pulchrius, & amœnius est eligunt, & vt plurimum vbi terra deliciosior est, cultores vitiosi sunt,* non terræ ipsius vitio, sed colentium, qui nimirum eò minùs mentem suam excolunt, quò toti in terræ cultura sunt.

177 Quid? deliciæ illæ, quæ oriuntur ex terra, non animæ tantùm noxiæ sunt, sunt & corpori, vt celeriùs ad mortem vrgeant, quos sepiunt; & non istuc voluerunt exploratores, qui terræ cuiusdam vbertatem cùm vidissent, & narrassent, addiderunt statim: *Terra, quam lustrauimus, deuorat habitatores suos,* quia scilicet deliciarum copia ita illos obruebat, vt morti viciniores illos redderet, quò terræ illius delicijs nimium quàm par esset erant vicini: deuorabat eos terra, qui auidiùs terræ delicias deuorabant, hostis erat terra suorum amatorum; vitæ abscecant terminum camporum deliciæ, si temperantiæ terminos abscecet, qui in illas fertur: citiùs moritur qui terrenis amœnitatibus immoritur; fallitur itaque, qui veram, solidàmque lætitiam, & gaudium à campis, à camporum delicijs sperat; extra lætitiæ campum abit, qui à campis exprimere lætitiam quærit.

178 Rem seriò pende, & terræ amœnitatem fertiliorem amaritudine reperies, quàm illa ipsa lætitia ficta, quam parturire creduntur; terram hac maledictione percussam à Deo scimus; quòd spinas & tribulos homini post lapsum assiduè germinare deberet; Dei verba sunt, Deique preceptum temerari non potest; obsequitur terra Conditori, spinas germinat, & tribulos, non ex suo tantùm sinu, sed, quod grauius, in hominis etiam mente; dolores, & amaritudines, quas terræ amœnitates in hominibus peperere, dinumerare si quis vellet, si quis posset, vberior fors dolorum numerum reperiret, quam fructuum; ferè omnes dolores, omnesque amaritudines, quibus mortales corripiuntur, à terra oriuntur, terram spectant, aut nexum quendam cum terra, cum terrenis habent, vt non casu acciderit, quod in diuinis litteris doloris nomine terræ amœnitas circumscribatur; certè illud Micheæ: *Quæ habitat in amaritudinibus,* seu vt habent LXX. interpretes, *in doloribus,* Chaldæus Paraphrastes vertebat: *Quæ habitat in amœnitate terræ;* cohærent hæ versiones, quæ prima facie ita diuersæ inter se videntur, vt videantur aduersæ, nam terræ amœnitas tot doloribus est permixta, vt amaritudinis nomine potuerit insigniri.

179 Quod si hîc aliquis pro terrenis stet, quæ stare diù apud possessorem suum nequeunt; lætari florum, & fructuum vbertate, ridere campi dicuntur, ergo & lætitiam aliquam afferent spectatoribus. Siste, do tibi aliquid, vt des mihi totum; metaphoricè lætantur campi, metaphorica ergo ad summum lætitia illa erit, quam dum spectantur, gignunt, atque adeo non vera lætitia illa est, nec speciosum istum titulum meretur.

Pudeat cœlo natum hærere terræ; animaduertit errorem nostrum, qui nos condidit, terram primò creauit incultam, ne nos illius amore redderemur inculti; incompositam fecit, ne incompositi fieremus, inornatam formauit, ne terræ inquilini terræ amœnitate decepti virtutum ornatum amitterent; præterea post autumnalem ornatum exui terram suis fructibus, suis floribus, suis folijs iubet, vult totam Deus horrescere, totam squalere, vt squalor iste, & vultus iste horridus à terra, terræque pulchritudine, ac venustate amanda nos auocet; animæ nostræ faciem venustam esse vult Deus, dum terram deuenustat.

Et non etiam terræ situs à terræ amore nos ab-
strahit? abstrahit; in imo terra est, pedibus cal- 180
catur, ne in animo feras, quam cogeris pedibus
premere. Benè Beatus Vmbertus; NATVRÆ OR-
DINEM *hic peruertit, qui terram super omnia diligit,*
quam inter elementa Creator rerum INFIMAM *ordi-*
nauit; iniurius in naturam, iniurius in Deum est,
qui ordinem inuertit, & cœlum pedibus suis sub-
mittit, dum negligit; terram in cœlum effert, dum
cœlo præfert.

Qui à Deo præstitutum ordinem ita inuertit, euertetur, inque terræ visceribus æternùm cruciabitur, qui terræ, terrenorùmque amorem suis visceribus insepelit, dum hic viuit; in tui medio terram non teneas, ne æternùm terræ medio tenearis ad pœnam; in corde terræ amorem ne sustine, ne in terræ corde æternas flammas sustineas; fors etiam ab hac causa æternarum pœnarum locus terræ medium est, ne in cordis nostri medio locum terræ amor inueniret; voluit post mortem nostra corpora terræ viscera subire, ne noxius terræ amor subiret, dum viuimus, mentem nostram.

Vis verum gaudium? à terra mentem auoca,
auoca à terrenis, superno gaudio perfunditur, qui 181
in infimis non hæret. Dauid huc euaserat, hoc vo-
lebat, cùm diceret: *Lætifica animam serui tui, quo-*
niam ad te Domine animam meam leuaui, à terre-
nis omnibus animam auocat, & surripit, qui ad
Deum vocat, & erigit, eleuatam perfundi supera
lætitia postulat, sciens rebus immersam idoneam
minimè esse, quæ uero gaudio repleatur; ad Deum
leuata læta anima redditur, quia nempè solus Deus
animæ gaudium est, & aliunde quam ab ipso hau-
rire lætitiam non potest. Egregiè hîc, ut solet, S.
Augustinus ad nostram mentem: *Iucunda animā,*
quia ad te leuaui eam, in terrá enim erat, & in terrâ
AMARITVDINEM *sentiebat, ne in amaritudine contabesceret;* LEVAVI EAM AD TE; *iucunda eam apud te, solus enim tu es iucunditas, amaritudine plenus est mundus;* plena terra est, plena terrena omnia sunt; in hoc utilis terræ amœnitas erit, si nos ad eum efferat, qui eam condidit; ad Deum uocantis quædam sunt uoces, quæ in terrâ pulchra uidentur, ut bene spectes, ne spectes tantùm, etiam audi; numera pratorum flores, numera gramina, herbas numera, arbores, frutices, quicquid uenustum in terra spectatur, linguas hæc omnia cense, quæ Deum suum prædicant, Deum efferunt, Deum loquuntur, licet non loquantur; specta hæc omnia, ut ille ait, *vt tot* SYNGRAPHAS DIVINI AMORIS, *vt tot instrumenta diuinæ bonitatis;* à terræ pulchritudine ad terræ Conditorem ita ibis, ut abeas

à ter-

à terrenis, quæ ad Deum non ducunt mentem, nisi ab illorum amore abducatur; hærentem sibi non euehunt terrena, sed mergunt; & eò inamœniorem reddunt animam, quò plus amantur tanquam amœna.

CAPVT XXIII.

Venatio venando vero gaudio inepta.

Damnati *ad bestias* qui ferarum *venationi* se totos tradunt.
Venationis *discrimina* venationem à vero gaudio *discriminant*.
Suæ *mentis* neglector *venationis* cultor.
In Scripturis sanctis *venatorem sanctum* nullum legimus.
Venatio *cur viris sacris* interdicta.
Etiam *post venationem* venationis incommoda sentiant venatores.
Perstricti venatores qui *seruis* neglectis *canum* curam habent.
Laudabilis venatio, in qua pro *canibus* pauperes adhibentur.
Sapiens *canes venaticos* imitetur.
Hominum venatio probatur.
Deum venari quisque debet.

182 AD venationem quoq; se conferunt gaudij venatores? feras insequuntur, vt lætitiam assequantur; frustrà sunt qui venantur feras, vt venentur lætitiam; non in montibus gaudium degit, non in saltibus, non in syluis; nimis syluestre illis gaudium est, qui illud in syluis quærunt; euertendus hic error, ne errantes euertat, ad meliorem mentem reuocandi, qui gaudij cupiditate vocantur ad venationem, quæ illius potius hostis est, quàm patens.

Olim hoc etiam supplicij genus homines in homines excogitarunt, vt illos damnarent ad bestias, bestijs obijcerent, contra quas pugnarent; vix homines dixeris, qui vt hominem cruciarent, sæuiores bestijs bestiarum sæuitiem in auxilium sibi asciscebant; supplicium istuc sibi inferunt, qui feruntur in feras, venationi se totos sacrant; damnant se ad bestias, qui pugnam contra bestias sponte subeunt; & credam posse vero gaudio affici, qui feras vt conficiant se prius conficiunt? ego non credo; venatorum labor, & quæ laborem sequitur lassitudo, etiam me tacente loquitur, venationem nec parere lætitiam, nec posse; *quis prudens*, prudenter inquit ille auctor de venatione loquens, *gaudium in* FVGACISSIMIS REBVS *collocat?* in cursu, in fuga tota venationis peritia sita; puta, non minùs à venatione lætitia fugit, quàm fugiant feræ venatores.

183 Insequitur venator feras, non semper capit; venatoris mentem semper capit venatio, fera non semel se à venatoris ictu, à venantis canibus se subducit; non subducitur venatoris animus à venatione, semper capitur, tenetur semper, semper sternitur, & cum animo plerumque etiam corpus; præda nimirum fit qui fuerat prædator; euadit venationis præda prædator, dum artem venatoris exercet; plures legimus vitâ functos, dum venatoris munere fungerentur; hoc nimirum est venationis ludo animum lætitia perfundere, effundere animam in venatione, aut effundendi periculum subire; quot foueas incurrunt venatores, dum currunt, quot stagna, quot rupes, quot vepres sentiunt prius, quàm sentiant se inuenisse? hæc venationis discrimina à vero gaudio venationem discriminant, aliaque plura damna venationi iuncta venationem à lætitia vera seiungunt, à vero risu; & tanti refert post leuem, vilémque bestiolam currere, & dies integros perdere, vt feram consequaris? quam parui facis captam, tanti fugientem æstimas, vt grauiora negotia negligas, & quod grauius, animæ curam, atque salutem? & non amentis certa consignatio est, tot labores subire, vt ferâ, quæ nihil tibi nocet capias, nolléque eas feras venari, quæ in anima delitescunt, & tantò vilius capiuntur, quantò magis nocent, dum sinuntur liberè; & absque vllâ coercitione excurrere?

Ferè suæ mentis neglector est, qui venationis est cultor; nimirum eum, qui eas feras, quæ foris sunt insequitur, insequuntur feræ, quæ intus sunt, & mentis latebras inhabitant, & quicquid in animâ boni floret, & vernat, demoliuntur, & absumunt; cæteræ feræ ad canum latratum fugiunt, hæ cum canibus cognationem quandam habent, imò canum munus exercent, dum mordent, lacerántque venantis mentem, animum venatoris. 184

Obseruatio illa in rem nostram est, est contra venatores, in scripturis scilicet diuinis neminem reperiri, qui sanctitatem, & venationem in vnum copulauerit; scitè ille: *In Scripturis sanctis* NEMINEM SANCTVM VENATOREM *legimus*; istuc prius obseruauerat S. Ambrosius in hæc verba: NVLLVM *inuenimus in diuinarum serie scripturarum de* VENATORIBVS IVSTVM; Esau venator dicitur, sed non minus ferarum, quàm scelerum; Nembrot robustus venator audit coram Deo, sed contra Deum humsuum oppressor fuit, ac si à feris, quas venabatur, didicerit in homines sæuire, nisi quod sæuitie feras superauit, quæ in suæ speciei feras sæuire nesciunt, potuit ipse in homines homo; aut hominis nomine indignus, quia hoc potuit; venatio quæ ægrè cohæret cum sanctitate, poterit cum vera lætitia cohærere, quæ adnexam semper habet sanctitatem, semper innocentiam?

In eandem sententiam hæc quoque Blesensis afferebat: *Ab exordio mundi percurrite* SANCTORVM PATRVM *seriem, nullum eorum inuenietis* VENATIONI *studium impendisse*; vt aliud omnino sit, & iustitiam venari, & feras, inque venationis studium ferri, & in studium sanctitatis; addit statim ex sancti Hieronymi mente: *Piscatorem sanctum legi*, VENATOREM *non legi*; ægrè venatur sanctitatem qui ferarum venationi se totum sacrat. 185

Quid, quòd viris sacris venationem interdictam reperimus? quod scilicet *cum clamore fiat*, hominémque totum abripiat, omnes animi vires occupet, vt *nihil cogitare de diuinis possit*; totus in feras fertur: cogitabit de Deo, cogitabit de diuinis, qui totam mentem, animùmque post feras mittit? alienus ergo etiam ab hoc capite à vera lætitia venator est, qui lætitiæ veræ auctorem noxia obliuione insepelit: & ita sectatur feram, vt salutem suam insectetur, insectetur se.

Venationis incommodis non sunt tantùm obnoxij venatores, dum venantur, sed etiam cum non venantur: in hoc quoque infelices, quod mente

per prærupta post feras eunt, cum non eunt corpore, & venatione mentem occupant, cum non occupant corpus; & ita producunt venationis damna, licet canes in venationem non producant; sicque fit ut domi corpus dum quiescit, animus per syluas, per montes vagetur, Dei sui oblitus, oblitus sui.

186 Præterea post venationem canum cura corripiuntur, feræ canum morsibus plerumque patent, venatores licet à canibus non mordeantur, mordentur semper canum cura, quæ in illis assidua, imo & contra illos; mirum illud, & rei firmandæ aptum, quod accidisse cuidam venationi nimis addicto narrat Cantipratanus Thomas, nimirum natum ei filium, qui caput venatici canis haberet; tacitè inclamans, non integrè hominem patrem esse, qui totum venationi studio se dedisset; & quæ maior insania excogitari potest, quàm maiorem canum curam habere, quàm hominum, & in canes insumere, quod indigentibus erogandum erat? Verè mente indigent, qui indigentium obliti canum curæ mentem adijciunt.

Nec alienos tantùm negligit, qui canes venaticos alit, sed & suos; seruorum curam canibus postponit, qui venationi seruit; pungit hos Sanctus Ambrosius, *Sunt*, inquit, *plerique qui de* VENATIONIBVS *redeuntes magis* CANVM, *quàm* SERVORVM *curam gerunt, & faciunt eos iuxta se vel recumbere, vel dormire, quotidianum illis cibum sui præsentia ministrantes, qui utrum serui fame moriantur, ignorant, & quod est grauius, nisi diligenter his præparatum fuerit, pro cane seruus afficitur*; sicque canum sectus dominus canum cura, seruorum contéptu.

187 Sanius, sanctiusque Amadeus, qui à quibusdam oratoribus quondam rogatus, si quos haberet canes venaticos, ostenderet, annuit, addiditque se die postera ostensurum, si redirent; Amadeus verò ingentem ab ædium latere mendicorum multitudinem una discumbentium, illis obiecit; atque, *hi sunt*, inquit, CANES MEI, *quos alo quotidie, quibusque cœlestem gloriam me spero* VENATVRVM; qui his canibus vtitur, hos canes pascit, æternam venatur sibi gloriam; qui mendicos negligit, vt canes pascat, plerumque æterna sibi supplicia venatur dum venatur feras; simili ferè arte, ac Amadeus, vsus est & noster Paulus Aretius Cardinalis, qui cum à quodam suæ diœcesis presbytero ad venationem inuitaretur, & stata die presbyter aduenisset sanctum præsulem educturus, requisiuit ab eo quosnam canes venaticos haberet, eumque optimos, & venationi aptos se habere dixisset presbyter; Præsul reposuit meliores apud se esse, intetim in domus suæ atrium parochum duxit, & magnam pauperum multitudinem, qui aduenerant, ei ostendit, addens; *hi mei* CANES *sunt, his ego* VENOR; obstupuit Presbyter sanctissimi Præsulis sagacitatem, meliorisque venationis præda fieri potuit, spectator tantùm factus venationis. O multos haberemus, qui hanc eandem viam calcarent, eadem mente, sensu eodem!

188 Satius esset canes venaticos imitari, quàm alere; imitatur sapiens in rerum abditarum inuestigatione; Sancti Cyrilli Alexandrini hæc sunt verba; CANES VENATICOS *imitatur sapiens, huc illuc feras quærentes; ipse enim non intellectam rem sæpe, ac multum vestigans, tandem assequitur*; Venaticus quidam canis ad laudem esse potes, si pauperes quoque ueneris.

Placet venatio? uenare non feras, sed homines; uenatio ista non solùm melior, sed & facilior est; huc nos uocabat Sanctus Chrysostomus: *si homines*, inquit, VENATORES *loca prærupta, montes, & barathra, & inuia quæque loca peruadunt, seu dum leporem, aut capream, aut aliud quidpiam eiusmodi, seu volucres etiam istius plerumque syluestres venari velint, tu qui non bestiam vilem, sed fratrem spiritualem propter quem mortuus est Christus, à perditione reuocaturus es, non tam montes, & saltus, sed portam solum egredi refugis, & erubescis?* Probanda uenatio ista, qua homo hominem uenatur, ut Deo prædam offerat.

Vis ditiorem uenationem? post homines uenare & Deum: feliciùs Deum uenaris, si propter 189
Deum ueneris homines: Deum uenatur, qui Deo mente hæret, vbique eum inuestigat, qui ubique est, & quæri amat, amat amari. Macedonius Critophagus in monte cum esset, & à quodam Duce, qui canes secum ducebat ob uenationem repertus esset, inquisitus quid rerum illic ageret? Tu uerò, inquit, cuius rei gratia huc te contulisti? reposuit Dux, *ut feras venarer*? & Macedonius, DEVM MEVM, inquit, HIC VENOR, *& capere concupisco, & videre desidero, neque umquam ab huiusmodi venationis genere desistam*: captus hoc responso Dux, hominem supra hominem sapere admiratus salis abijt, ut ferior ille feras uenandi abire ab illo potuerit, tam festiuo Macedonij dicto, tam sublimi eiusdem mente.

CAPVT XXIV.

Nec corporis sanitas veram lætitiam efficit, nec animi gaudio corporis ægritudo officit.

Gaudium verum *in corpore* sedem suam non locat, nec *in corporis* sanitate.

Grande *spectaculum* hominem videre in lecto cum morbo pugnantem.

Carnis *imbecillitas vigorem* mentis exacuit.

Inter *corporis cruciatus* vera lætitia viget.

A corporis morbis *nouum spiritum* mens bibit.

Mens ferè periculosè *ægra* in corpore *sano*.

Corporis *vulnera* fenestræ sunt animæ, quibus *cœlum* respectat.

Corpus corporis morbi *premunt*, animam *euehunt*.

Qui *corporis* cruciatus sentit, ferè liber ab *animæ* morbis.

Exultat anima *læsa* corpore affecto.

Ægritudo *carnem* vulnerat, *mentem* curat.

Iacentis morbus *spectantium quoque* menti medetur.

Morbo affectus *propinquus Deo* fit, veræque lætitiæ.

Lætari mens debet, cum *corporei carceris parietes* debilitantur, cadunt.

In

190 IN corporis sanitate plerique mente non sani sunt; insaniunt, dum putant, ab ea verum gaudium exire, veràmque lætitiam, & infici illud, turbari istam à corporis morbis, & languore; medica huic errori admouenda est manus; feriendus est, ne dum fertur feriat, & perimat dum non perimitur; vtrumque falsum est; iniquus in ægritudinem est, qui hanc illi notam inurit, quòd lætitiæ solem veluti nubes à nobis eripiat; & sanitatem corporis non extollit tantùm, sed & tollit, qui hanc illi vim tribuit, vt possit verum gaudium creare; lætitiam veram ferre; quod nimis euehitur, & supra meritum, nocentiùs cadit, & citò incipit esse ludibrio, quod altius, quàm efferendi vires ferrent, & merita effertur; nec iniurij ægritudini esse debemus, nec sanitatis adulatores. Sanæ mentis est premere sanitatem, ne prematur à sanitate, & extollere valetudinem, vt valetudine valeat extolli; sequere me, qui in vtraque censione tibi præeo, & viam carpo.

Vt firmius stabiliam, quæ dicturus, fundamenti loco hoc loco fundam enim, gaudium verum in corpore suam sedem non habere; purius gaudium est, quàm vt impurum, & fæculentum fontem habeat; domicilium in mente habet, in hoc solo solùm nascitur, alibi non coalescit, alibi non germinat, syluestris, vt ita dicam, lætitia est, quæ aliunde quàm à mentis humo pullulat; cum igitur à corpore non exeat gaudium, consequens est, vt nec à peculiari corporis habitudine possit exire, nec sanitas gaudium parturiat, nec partum necet corporis ægritudo: si lætitiam gigneret sanitas, omnis sanus esset etiam lætus, imò semper lætus, qui semper sanus; hoc autem non esse, notius, & certius est, quàm vt plura sint argumenta huc conuehenda; eadem ratio currit & in ægritudine; si ægritudo lætitiam inficeret, inficeret in omnibus, semper inficeret; non inficit; sed plerumque perficit, non ergo hanc notam subire corporis ægritudo debet; quod lętitiæ nouerca sit, cum potius mater esse possit: si eo, quo par est animo excipiatur, ea, qua debet mente, feratur.

191 Ferunt dixisse Diogenem cum morbi cruciatibus torqueretur, videretque multos ad amphitheatrum ire, vt homines spectarent cum feris pugnaturos; *Qualis stultitia hominum, currunt spectare feris homines repugnantes, & me prætereunt cum naturali dolore* CERTANTEM; iustiùs hæc dicta, & modestiùs, si alius de Diogene dixisset, non Diogenes de Diogene: vim suis verbis ipse abstulit dũ se extulit; spectarique hoc minus debuit, quò se magis spectandum dixit, dum hæc dixit: iuxta christianæ modestiæ leges loquutus est Sanctus Augustinus, qui in lecto decumbentes cum illis pariauit qui in amphitheatro cum bestijs pugnabant: præstat hîc eius verba innectere, & sunt ista; *Multi coronati sunt in amphiteatro pugnantes ad bestias: multi* IN LECTO VINCENTES DIABOLVM CORONANTVR, *ac videntur non se mouere posse, & intus in corde tantas vires habent, tantam pugnam exercent. Sed vbi est occulta pugna, ibi occulta victoria.* Moueri ad magna potest, qui se nihil in lecto mouet, & adsurgere ad grandia, qui è lecto surgere non valet: tantùm animo non iaceat, qui iacet corpore; & mens vim acquirat, dum vires acquisitas amittit caro.

192 Infirma infirmitatibus caro redditur: firma infirmitas ista est, fortiores reddit imbecillitas, quos corripit, infimi plerumque essemus, nisi essemus infimi, & imbecilles nisi imbecilles; adeo fortis hęc infirmitas est, vt vires, ac robur in mentem, animamque transmittat: etiam Paulus huc euaserat, cum diceret: *cum infirmor, tunc potens sum*; & firmior quò infirmior, ac si ægritudo corporis in animæ virtutem robuřque conuertantur: Benè ille apud Saluianum: INFIRMITAS CARNIS VIGOREM MENTIS EXACVIT, *vt affectis artubus vires corporum in virtutes transferantur animarum*: adeo vt verè plerumque sit infirmus, qui infirmus non est, & infirmus non sit, qui esse creditur.

Cruciari potest corpus, lætitia non minuitur, nec lætitiæ causa: *Potest*, vt ille ait, *inter corporis cruciatus enatare alacritas mentis, & fluctus, quassatioque fortuna misera* SPVMARE LÆTITIAM; quæ tamen non sit spumea, sed solida, & diuturna; non est spumea licet ex varijs corporis morbis veluti fluctibus exiliat.

Adeo corporis dolor lętitiam in plerisque non inficit, vt ad illos illam aduehat: & non talis ille, de quo peritus in hac arte auctor hęc dixit: *Dolor pretium, aut* VADIMONIVM LÆTITIÆ *fuit*; dolor dolor esse non videtur, dum lætitiæ cõparatur, quę dolore comparatur; hoc firmarunt exemplo suo martyres; qui in summo cruciatu sũma lętitia tenebantur, vt uideretur gaudium per corporis uulnera intrare, & mentem ipsam subire.

193 Hęret minùs corporis anima, quod minus firmum reperit, sicque rerum diuinarum capacior, capacior sui fit, magis integra mens est, quò magis per morbum corporis franguntur uires; diceres in animam resilire, quicquid exilit à corpore. Pugnant inter se corpus, & anima, bellum anima corpus habet, nec bellum tantùm, habet prælium; si contingat corpus cadere, surgit fortior mens, & ab illius imbecillitate ista uires sumit, & *per ipsa vulnera*, ut ille de patientia dicebat, *nouos spiritus* NVTRIT, nouum robur excipit.

Lętari mens non potest, si ęgra sit, licet sit sanum corpus, nam ut ille ait: *Nusquam periculosior* MENS ÆGRA *quàm in corpore sano*; corporis sanitatem corporis ęgritudinem auget, & periculosiorem facit, cum contrà, sana mens corporis morbos minuat, aut leuiores reddat, utilioresque; corporis morbi uix morbi uidentur, si sana excipiantur mente, sano, firmoque animo.

194 Ille uerè ęger, qui ęgrè ęgritudinem corporis fert; libenter morbos ferre, est auferre morbis, ut in nobis morbi non sint, aut esse non uideantur, dum lęui feruntur; pręsentissimum habet quisque morbi remedium, libenter morbum excipere, & lęto mentis sinu aduenienti occurrere; tollis morbo uires, si sano morbum animo excipias, infirmitas tristem infirmitatis exuit titulum, si firma mente infirmitati obuiam eas.

Anima uelut in carcere undique obsepto est, & ferè caligat, si carcer iste integer, infractus, minimèque diductus; si contingat morbis frangi corpus, & percuti, ueluti per scissuras, & rimas lumen anima uidet, nam ut ille aiebat; *Corporis* VVLNERA FENESTRAE SVNT MENTIS, *quibus cœlum respectat*, cum priùs in tenebris esset; uidemus hæc quotidie, plerique magnis tenebris inuoluuntur; cum sani, integrique non uident diuina, non uident se, infelici peccatorum carceri mancipati; percutiantur morbis, infirmitate frangantur, uulneribus ueluti scindantur; quid fit? tanquam per rimas accipiunt lumen quasi per fenestras; in cœlum oculos dirigunt, ut rectiùs incipiant uiuere; lux menti per morbos pręstitit, ut mens extra se mitteret, quod cœpit displicere, cum lux affulsit, quodque nocentius uideri debet quò minus uidebatur.

195 Corpus corporis cruciatus premant, euehunt mentem, ut accidit in bilance, quò uergit magis ad

ima pars vna, eò sublimius alia fertur, vnius depressio, alterius eleuatio est; idem hîc fit: ima hęc deserit anima, sublimior euadit, quia corpus morbus inuadit; in sublime fertur mens, quia corpus fert infirmitates; anima animæ munus liberiùs exercet, quia libera à morbi vinculis non est caro.

Rem eandem ad eandem incudem voco, sed alijs ictibus tundo; alio malleo vtor: infirmitates, doloresque corporis domum inuadunt, vt flumina quæ extra alueum exilierint; vbi domum aquæ intrant, domus habitator, ne sepeliatur aquis, ad sublimiorem domûs partem ascendit: idem morbi faciunt, cùm corpus aggrediuntur, anima, quæ domûs huius inquilina, se confert ad excelsa; eò it, quò pertingere dolor nequeat, nequeat morbus; vrgetur ad sublimia mens, dum doloribus vrgetur caro. Peritè ille nobis subsignans, quin veritati: *Fluctuante isto nostro corpusculo; inuaso doloribus, alijs satellitibus mortalitatis, & iam penè domum ingressus velut in illuuie post magnos imbres, cum pauimenta vnda vestiunt, refugit habitator ad superiora domus, vbi naufragante solo; clementiori, minusque seuero vtitur die; sic anima super tecta se tota colligit ad mentem, post cuius limen laborem relinquit, dum* IMA CORPORIS *velut sua sola deserit;* ASCENDIT *quò non ascendit dolor*: non sublimior tantùm corpore facta, sed etiam se, adeò vt anima tota, vt dicam, in mentem videatur migrasse, quia totum corpus doloribus conficitur; & caro tota caro est facta, cum sana, & firma; verè anima spiritum se prodit, cum in sublime se recipit, quando in imo morbum accipit corpus, vel potius morbus corpus ipsum, vel ambo se inuicem recipiunt.

196 Corpus morbus aggreditur? vix aggredi audent mentem mentis morbi, vt vitiorum ægritudo ægritudo ipsa sit; sicut plerumque illorum sanitas sanitas est; iacent plerumque vitia, dum nos iacemus, & nobis cadentibus cadunt. Pulices, liceat rei explicandę, huc calamum demittere, vix in eũ insiliunt, in quem febris insilierit, nec ferè mordent, quos morbus momorderit; idem de vitijs, noxijsque affectibus dixeris; ad decumbentem vix audent accedere, ad quem accesserit ægritudo, non facilè affectus noxij mordent, quem ab infirmitate vident morderi; *Quem enim* INFIRMVM, verba sunt auctoris Christi scholam nescientis, *aut auaritia, aut libido solicitat, non amoribus seruit, non appetit honores, opes negligit, inuidet nemini, neminem despicit*; hisce morbis non tangitur, quia tangitur vno morbo; verè iaceret nisi iacuisset, & infirmus esset, nisi sanitatem amisisset.

Lætitiæ igitur materiam animæ admouet corporis ægritudo, quæ luctus materiam submouet, culpas arcet, affectus noxios ablegat, dum corpus ligat; gaudio erigi mens debet, cum corpus in nostri perniciem erectum subiugatum videt, hostili eius impetu retuso: scitè Saluianus: *Sola* EXVLTAT ANIMA LÆTA *corpore affecto, quasi aduersario, subiugato*, quod magis effertur, & tanquam hostis in animam fertur, animam premit, cum nullo infirmitatis iugo premitur.

197 Iniquè nos torquentes morbos torquemus; nos verè in illos iniqui, quia iniquos illos in nos censemus; non sunt: morbis si vti sapis, sunt ad sanitatem, sunt ad sanctitatem; vt sanctitatis titulo donentur. Beati Gregorij Nazianzeni hæc sunt verba: *Stultam sanitatem, cuius est peccatum aspernari, &* MORBVM SANCTVM *honore prosequi condiscamus*; sanctus est morbus qui sanctitatis affectum affectis morbo inhalat; insana sanitas est, dum ad pœnitenda nos vocat, nec post pœnitenda pœnitentiam cogitat; præstat hic morbus, vt nullus adeò emota mentis sit, qui correptus morbo ad resipiscentiam non moueatur, vitam corrigere non cogitet, ægritudine correptus; nimirum facilè à morbo corrigitur, qui morbo corripitur, & mens saniora consilia ebibit à corpore non sano.

Hoc quoque boni secum affert ęgritudo, vt licet indigere medico, indigere medicinâ videatur, dum corpus afficit, ipsa tamen & medicus, & medicina sit menti, dum mentem respicit; sanat nimirum vulnera dum vulnerat, & morbos curat, quæ tanquam morbus curatur; verum illud:

CVRAT *ægritudo mentem, corpus & si* VVLNERET.

Imò quia vulnerat curat, vulnus ipsum curatio quædam est. Benè Isidorus: *Aduersa corporis remedia sunt animæ*, ÆGRITVDO CARNEM VVLNERAT, MENTEM CVRAT remedia sunt, quæ remedia quærunt, & medicinas se exhibent, quæ exhiberi sibi petunt medicinam.

198 Adeò menti sana corporis ægritudo est, vt non decumbentis tantùm menti medeatur, sed, quod mireris, etiam spectantium. Centurionis seruus in lecto iacens huc nos ducit, hoc nos docet, dum suo morbo fecit, vt eius dominus ad Christũ iret, & sanaretur. Acutè sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus: *Puer membra dissolutus iacens domino ducatum prabet*; SERVI MORBVS HERO SANITATEM CONCILIAT; qui se erigere corpore vix poterat, erexit non iacentis mentem, sed iacentem, quia erigi potuit: viam alijs strauit, quem strauerat ægritudo; medicina in valetudine sua sano fuit; tantum decumbentis morbus etiam in non decumbentes potuit: quæ tam salutaris miserentibus ægritudo est, quid erit illis, qui miseri putantur, sed putantur tantùm; hoc minus sunt, quò peritiorem medicum sub iacentis habitu habent?

Verè sub infirmitate firmam reperiemus, solidamque lætitiam, si eâ mente excipiatur infirmitas, quâ exhibetur. Mittit illam Deus, vt ad se nos alleuet, nos à maculis depuret, quæ mentem à vero gaudio auocant; morbo affectus propinquus Deo fit, vt docebat etiam Sanctus Gregorius Nazianzenus, atque adeo pleniori quisque lætitia afficietur, quò grauiori afficitur morbo, si æquo animo ferat, quod Deus immittit, vt ad Deum pariter feratur.

199 Denique cum carceris loco caro ista animæ sit, lætitiæ materiam habet, dum squallentis carceris parietes morbis quodammodo diducuntur; casurus carcer est, & ruina aditum nobis ad illum faciet, qui nos fecit; & vnde potior, veriòrque lętitia, quàm ab illius infirmitate, quod quo firmius, robustiùsque, eo maiori viâ cœlo, cui nati sumus, & ad quod aspiramus, nos auocat? Vellem, eâdem mente corporis morbos, languorèsq; spectaremus, quâ spectasse legitur quidam leprâ infectus. Venator feram insequens, inuenit, quod non quærebat, venatione captus est, qui venabatur; nam cum audisset hominis vocem suaui, dulcique cantu aerem ferientem accessit, vt canere videret, qui audierat tantùm; fit homini proximus, vix homo videbatur, totus lepra perfusus, cui carnes ipsæ defluebant; admiratus venator, qui fieri potuerit, vt ab illo cantus in lætitię, & gaudij signum exierit, qui tam fœdo, & horrorem solo visu incutiente morbo laboraret. Reposuit opertus lepra, sed non tristitia; meritò se lętari; nam cum inter Deum, inquit, & me solus iste corporis paries interiaceat, hoc disiecto, ad illum euolabo, quem solum volo; videns igitur

meum

meum corpus quotidie debilitari, dissolui quotidie, præ lætitia in cantum exilio, in lætásque voces frequens erumpo, quia rumpi video istum parietem. Papè diues domicilium in pauperis istius mente virtus ædificauerat, quæ tam sublimem, tamque paucis notam philosophandi rationem axsculpserat ab illo! Audite qui sanitati tribuitis quod non babet, & à morbo surripitis quod possidet, si veræ fortitudinis possessorem reperiat. Potest igitur lætitiæ seges esse infirmitas, cuius non semel falx sanitas est, sanæ mentis sinu haud excepta; bona illa sanitas, quæ sanctitatem nutrit; sancta illa infirmitas, quæ firmat sanctitatem, perficitque.

CAPVT XXV.

Nec terrena felicitas, ac prosperitas verum gaudium inuehit, nec calamitas necat.

Aduersa *secunda*, secunda *aduersa* sunt.
Nec felicitas huius seculi *nos beatos* facit, nec aduersitas miseros.
Iusti sub aduersitatis *tegmine* veram lætitiam, ac felicitatem abscondunt.
Aduersa *veræ lætitiæ* non aduersantur.
Tribulatio omnis *euanescit* si in *animum* incidat benè sibi conscium.
Diuina *quædam lux* è plagis erumpit.
Gaudij materiam præbent aduersa, dum hominem homini sistunt.
Diuinus quidam *risus* aduersa pati.
Prosperitas magis æstimanda, quàm aduersitas.
Ad Deum *nos vrgent aduersa*, quæ à Deo immittuntur.
Gloria *abscondita nobis est* in tribulatione.
Gloriæ nexus, & *afflictionis*.
Temporalis felicitas *felicitatis larua*.
Qui *florent* falsis bonis, *pereunt* veris tormentis.
Non sunt felices, quos mundus felices putat.
Dies in *noctem* desinit, mundana prosperitas in *tribulationem*.
Successus *temporalium* futuræ *infelicitatis* indicium.
Felicitas peccatorum *fouea*.
Iudicij extremi *dies* terrenæ prosperitatis *vanitatem* ostendit.
Felicitas animum *frangit*, non verâ lætitiâ *implet*.
Fallitur qui *beatos illos putat*, qui sæculi felicitate perfruuntur.
Verus *laqueus* falsa malorum lætitia.
Ad se *redeat*, qui terrenâ felicitate deceptus est.

MAior mortalium pars hac mente fer- 200
tur, quin & abripitur, vt putet à terrena felicitate verum gaudium prodire, verum risum; lætitiam fouere quæ secunda, aduersari lætitiæ, quæ sunt aduersa; hæc pars signatè mihi maior dicta, non melior, meliùs sentiunt meliores, licet pauciores isti sint; sed calculos hîc non numeramus, expendimus; nec sententiarum multitudine pugnamus, sed pondere; vnius rectè sentientis dictum totius vulgi, fœdè sæpè labentis, sensui præponderat; illi igitur qui benè sentiunt, sentiunt aliter, nimirum nec veram lætitiam à mundana prosperitate prodire, nec aduersa vero gaudio officere; affici posse vero gaudio affectos aduersitate, si mentem benè affectam circumferant.

Imponunt non semel nobis nomina rebus imposita: aduersa sæpè secunda sunt, secunda sunt aduersa; illa regunt animum, & habena quadam coercent, ista agunt præcipitem; nec culpa hæc rerum est, nos inuadentium, est nostra; si vti nescias, prosperitas omnis aduersitas tibi sit; si ferre scias, aduersitas veram prosperitatem affert: culpa omnis reijcienda in illum est, qui tristitiæ suæ culpam in res aduersas reijcit; verè ipse sibi aduersus, qui aduersitati sic aduersatur; si rem ex vero pensemus, non excipimus ipsi aduersitates, sed facimus, dum non excipimus, & ægro animo illis occurrimus, imò non occurrimus illis, sed fugimus ab illis, vitamus illas, quæ mundi mente aduersa dicuntur; aduersa sunt, quia putantur, & tanquam verè sint, hostili spectantur animo. Verum illud Sancti Augustini: *Nec felicitas huius seculi nos* BEATOS FACIT, NEC ADVERSITAS MISEROS; nobis magis aduersamur, quàm aduersitas, dum aduersitatem spectamus, tanquam aduersam, & miseros nos facit aduersitas non ex sui natura, quia tunc omnes faceret, faceret semper, sed opinione nostra; miseros nos facit aduersitas, quia putamus nos ab aduersitate miseros fieri; armamus ipsi contra nos aduersitatem, dum putamus nobis esse aduersam. Munitior est humanus animus, occultiorque quàm vt fortunæ ictibus pareat, nisi ipse sui hostis sit, vt non obijciat se tantùm hostibus, sed hostes suos reddat, qui non erant; cur cæderent mentem aduersa, quæ veri gaudij domicilium est, quæ tangere non potest, nec cædendam vident?

Non tantùm tanquam occultus à rebus aduersis 201
hominis animus est, potest se ab illarum vi subducere, sed & tanquam sublimior; solem, cœlumque, iusti mens refert, nubibus obduci videatur, at nihil patitur sol, nihil cœlum, nubibus patiuntur spectatores, non quod spectatur; idem iustis accidit, fortibusque viris, & verè fortibus, quia verè iusti, dum videntur calamitatibus premi, verè non premuntur; oculorum nostrorum deceptio est, qui putamus calamitates pati, qui superiores calamitatibus sunt, & tristes esse, qui non sunt; Insinuauit hoc Apostolus, cum dixit, *quasi tristes, semper autem gaudentes*; tristitiæ nube obduci videntur, qui Deo seruiunt, sed videntur tantùm, non obducuntur; munit eorum lætitiam tristitiæ nebula, non tollit. Petitè Beatus Chrysostomus: *Cælum*, inquit, *altius est imbribus, ac pluuijs, cœlum quidem cum* NVBIBVS *obducitur, pati putatur, sed nihil patitur, idest*, TRISTITIA QVASI NVBIBVS OBDV-

OBDVCI *putamur*: plerumque quò densioribus nubibus obducuntur iusti, maioribusque aduersitatibus, hoc intus maioris lætitiæ luce splendent; nebula soli non officit, soli opposita, nec calamitas virtuti, virtutisque cultori; etiam Seneca huc euasit, cuius sunt ista verba: *Hoc aduersus virtutem possunt* CALAMITATES, *&* DAMNA *& iniuria, quod* ADVERSVS SOLEM POTEST NEBVLA, nihil ista in solem potest, quæ solem non tangit, nihil illa in virum probum, qui eò minus à calamitatibus tangitur, quò maiori amore ipsarum ipse tangitur.

202 Adeo vero risui non aduersantur aduersa, vt augeant potius, dum in fortis viri mentem, velut in suum centrum cogunt, & densant; idem hîc accidit ac in altis puteis, in quibus ambiens frigus calorem aquis affricat, vt eò maiori vapore caleat aquæ, quò maiori frigore obsepiuntur; similiter aduersitates, quæ nos circumstant, gaudium intus condensant; vt verus ille fuerit, qui dixit: *Calamitatum* FRIGVS *in cordis centrum* GAVDIVM *agit, vt ardentius incalescat, & velut ebulliat*; quod non accidebat, cùm rebus secundis dispergeretur.

Aduersa non impediunt lætitiam, sed creant, si æquo animo ferantur, gaudium afferunt; si hominum censionem spectes, quandonam Ionas à lætitia longius aberat, quàm cum in ventre ceti nauigabat? & tamen ibi lætus fundebat orationem Deo, qui extra illud discrimen mæstus fuerat: PSALLEBAT, verba sunt Sancti Ambrosij, *in visceo ceti, qui* MÆREBAT *in terris*: plus enim refert qualis ille sit, qui fert aduersa, quàm qualia, quæ fert.

Tribulatio omnis euanescit, euanescit omnis aduersitas, si in animum inciderit benè sibi conscium; scita hoc maris, & scintillæ similitudine explicat Sanctus Chrysostomus; nequeo hîc eius verba supprimere: sunt ista: *Nihil aliud graue, atque acerbum est, quàm in Dei offensionem incurrere: hoc sublato, non afflictio, non insidia, non aliud quidquam prudentem animam molestia afficere queat. Quin potius quemadmodum si exiguam* SCINTILLAM *in magnum Pelagus iniicias, eam protinus extinxeris: eodem modo molestia omnis quamlibet ingens, si in animum* BENE SIBI CONSCIVM INCIDERIT, *confestim perit, & euanescit*, nec euanescit tantùm, sed auget interitu suo excipientis cum gaudio gaudium: adeo verum est non officere lætitiæ aduersa quæ nos afficiunt, vt si lætitiæ sino excipiantur, esse desinant aduersa.

203 Aduersitatibus affligimur? non affligimur, si non putemus eas aduersitates; aduersitas non est aduersa, secunda est, commoda secum multa in mentem inuehit, & hoc præcipuum, vt supero lumine animam beet, quæ in tenebris erat, sine aduersitatibus. Chalybe silicem percutimus, vt exiliat ignis: idem præstat Deus: nos percutit, vt à percussione lux exiliat: venustè ille, & verè: *Subsiliunt è plagis quædam animo* DIVINAE LVCES VELVT SCINTILLAE E SILICE AFFLICTO: aufer horridum afflictionis nomen, aufer aduersitatis, afflictio non est afflictio, nec aduersitas aduersitas, quæ lumen vehit, & cum lumine, ea quæ lumen sequuntur: solum nescit incedare lumen, quod è cœlo: cœlestes secum diuitias portat, & animam, quam illustrat, ditat, vero gaudio implet, vera lætitia.

Gaudij materiam præbent aduersa, dum hominem homini sistunt: incipit se agnoscere, qui patitur; extra se vagabatur, ferebatur plerumque extra se, qui non ferebat aduersitates; aduenit calamitas, & hominem homini reddit, dum calamitate tactus redit ad se, videt se, semetitur, qui se ignorabat, ignorans calamitates: aquæ quæ nitidæ, & puræ, spectatores suos spectatoribus suis repræsentant, quæ turbidæ excurrunt, & lutulentæ spectantis imaginem spectanti non offerunt: aliter hîc fit, quo tentat turbidiores sunt, eò nitidiùs homini reddunt imaginem suam: benè se videt, qui mala videt circa se: & quàm copiosa lætitiæ seges à sui notitia, per quam ad Dei notitiam surgitur, qui veræ lætitiæ fons, & origo?

Bonus risus, &, vt ita dicam, diuinus, aduersa pati, non secundis decipi: bono auctori subsigno, tu quoque si sapis: *Pati cum virtute, & pro virtute quædam* ARRHA *est diuinæ dilectionis, quidam fauor, & inclinatio cœli*, QVIDAM DIVINVS RISVS; mundanos irride, qui hanc mentem mentem non capiunt, & irrident.

Rem vrgeo: vrgent nos ad Deum aduersa, quæ mittuntur à Deo: & viciniores lætitiæ faciunt, quia faciunt lætitiæ auctori: tempestates in mari ortæ portus appellendi cupidiores nautas reddunt: & mundi huius calamitates desiderium patriæ videndæ admouent visuris, nec desiderium tantùm tribuunt, sed & vim: ventis velociùs in portum nauis fertur, nobis aduersitates venti sunt, qui mentis nauem citissimè impellunt, à quo eam felicitatis malacia repellebat: non potest non gaudere, quæ in gaudij se sinum ferri aduersis videt. 204

Itaq; si rectè rem pensemus, prosperitas magis timenda est, quàm aduersitas, ab illa, quam ab ista maius nobis malum imminet. Audiendus Sanctus Augustinus: *Multi res aduersas timent, res prosperas non timent*. PERICVLOSIOR EST RES PROSPERA ANIMO, QVAM ADVERSA CORPORI, *prius corrumpit prospera, vt inueniat quod frangat aduersa: fratres mei aduersus felicitatem acrius vigilandum est*. Multum illi timendum, qui aduersitatem timet potius, quàm felicitatem.

Hoc boni habent, quæ putantur mala, vt ad boni auctorem vrgeant, dum nos vrgent: scitè Sanctus Augustinus: PVNCTVS TRIBVLATIONE *cœpi quærere* REFVGIVM, *quod in illa felicitate sæculari desieram quærere*: nescit refugium quærere, qui à tribulatione fugit, confugit ad felicitatem, quæ hoc infelicior, quò ardentiùs amatur, quæritur studiosiùs. Propiùs ad rem accedam, si propiorem gaudio aduersitatem ostendam; ipsa se ostendit, dum se exhibet; parum est in lætitię fontem suos ferre, ipsa sinus lętitię est, & quendam in se continet glorię, & beatitatis gustum; afflictio radix quędam cœlestis, & ęternum duraturi gaudij est; & potest à gaudij radice tristitia prodire, prodire luctus? non potest, non debet, nisi passionis imprudentis surculis, ut ita dicam, inoculetur; gloria grauida calamitas est, in aduersitatum uentre gloria delitescit, ut in eius mente gaudium parturiat, qui æquo animo fert aduersitates; Acutè Sanctus Bernardus; *Latet*, inquit, *gloria*, ABSCONDITA NOBIS EST IN TRIBVLATIONE; nullibi in huius mundi solo tutiùs, meliùsque gloria latet, quàm in tribulationibus, in aduersitatibus; latet gloria in aduersis, & mundi homines latet ibi latere, vt hinc nascatur, tanta eos tristitiâ premi, dum aduersitate premuntur. Diceres gloriam in tribulationibus abscondi, vt in terræ visceribus triticum, quæ suo erumpet tempore suos beatura, interim etiam nunc beat, licet non adeò plenè; nequit ergo lætitiæ nouerca esse tribulatio, quæ illâ gloriâ fœcunda est, à quâ lachrymæ exulât, exulat dolor, tristitia, mœror; quod à nobis tactum, tetigit & regius Propheta, dum lucem, lætitiam scilicet, satam iusto dixit, tanquam terra graui hyeme percussa lætitiæ in se cōtinet semē, quod ei qui iustus est, 205

ftus eft, & abfconfio ad augmentũ feruit, & ad
munimen; & verò & illud quod de gloria dixi-
mus in tribulatione latente firmare vifus eft, cum
dixit; *Satiabor cum apparuerit gloria tua*; quod alij
vertentes dixerunt; *Satiabor cum affluctus fuero fi-
militudine tua*; extimum corticem à calamitatibus
aufer, & aliud fub illis reperies, quàm calamita-
tes; gloriam tegunt, fub horrido aduerfitatis no-
mine, gaudium fub trifti tegmine triftitiæ.
Sed accedamus iam ad aliud communis erroris
206 caput: pungamus profperitatem, temporalifque
felicitatis laruam auferamus; verè lætitiam veram
non aduehit mundana felicitas, quia nec ipfa eft
vera: nam vt benè fentiebat Saluianus, *vbi non
eft vera honeftas, non eft vera felicitas*: alienam au-
tem ab honeftate mundanam felicitatem effe tam
eft verum, quàm verum mundanam effe, quæ
mundi eft; reliquum igitur eft, non effe veram fe-
licitatem, quę effe putatur; *perfonatam* dixit Ni-
colaus, vt fuperiùs diximus; eft, decipit æftimã
fui fpecie: fictus eius vultus eft, pictufque. Laruã
deceptoriæ huic felicitati auferebat Sanctus Au-
guftinus: illum tibi hîc fifto; *Nolite*, inquit, *feduci*
FELICITATE *iniquorum, nolite attendere florem fæni,
nolite attendere ad tempus beatos, in æternum miferos,
nec ifta beatitudo, quæ foris modò videtur, vera eft,
nec in corde beati funt, quia torquentur mala con-
fcientia*: verè feliciter contra non veram felicita-
tem: extra felicitatem eft, qui extra tantùm eft
felix, intus mifer eft.
Breuis felicitas fæculi eft, non eft breuis infeli-
citas, quæ breuem fequitur felicitatem; æterna eft;
& breui felicitate mercari nobis volumus æternos
cruciatus? Audi deceptos pungentem eundem
Sanctum Auguftinum: *Ifti florent* FELICITATE
SÆCVLI, PEREVNT IN VIRTVTE DEI: *non enim quan-
do florent, fic pereunt, florent enim ad tempus, pereũt
in æternum. Florent falfis bonis, pereunt veris tor-
mentis*. Perire meretur, qui deperit, quæ pereunt,
& iure ęternis tormentis torquebitur, qui ad mo-
mentanea bona mentem torquet.
Crede mentis oculis, non funt felices, quos in-
natare felicitati putas, fidei oculis rem fpecta, &
alia ac tibi videatur, videbitur. Pulchrè Sanctus
Auguftinus; *Fortè*, inquit, *dicturus es: Quare ergo
felices funt? ecce nec Deum colunt, & omnia mala
quotidie committunt, abundant rebus his quibus ego
egens laboro. Noli Zelare in peccatores. Quid acci-
piant vides: quid illis feruetur non vides. Et vnde,
inquit, video quod non video?* OMNINO HABET OCV-
LOS FIDES: ET MAIORES OCVLOS, ET POTENTIO-
RES, ET FORTIORES; HI OCVLI NEMINEM DECE-
PERVNT. Fide fidei oculis, ne fide, cum aliud vi-
dere tibi videris, quam fides videat, fides do-
ceat.
Finem mundanæ felicitatis fpecta, nec munda-
207 nam felicitatem fpectabis tanquam finem; in tri-
bulationem definit profperitas illa, quæ blanditur;
dies in noctem definit, diei terminus nox eft, quæ
diem omnem excipit, & infepelit; non aliter ter-
renæ omnis felicitatis, & ridentis fortunæ lux in
tribulationis noctem finit. Sancti Gregorij hæc
funt verba, hæc mens: *Quafi* DIES *quædam eft
cum mundi huius profperitas arridet*, SEU DIES ISTE
IN NOCTE DESINIT, QVIA SÆPE TEMPORALIS PRO-
SPERITAS AD TRIBVLATIONIS TENEBRAS PERDVCIT:
*Hunc profperitatis diem Propheta profpexerat cum
dicebat; Diem hominis non concupiui, tu fcis*; vix
hominis nomen meretur, qui diem iftum hominis
concupifcit; profperitatem fectatur, vt fit femper
infelix.
Superiùs tribulationem gloria grauidam dixi-
mus, felicitas è conuerfo æternarum pœnarum
quoddam in fe continet femen: *Succeffus tempo-
ralium*, inquit S. Ambrofius, FVTVRÆ *infelicita-
tis* INDICIVM EST; parum eft indicium effe, ma-
ter eft; aufer profperitatis nomen blandum, &
fub felicitate ifta quicquid aliud reperias, quàm
felicitatem. Infelicitatis æternæ prænuncia dicta
ifta felicitas eft; Sancti Bernardini Senenfis hæc
funt verba: *Sicut* FVLGVR *tonitrua portat, ita* PRO-
SPERITAS SVPPLICIA SEMPITERNA PRAENVNCIAT;
nec prænuntiat tantum illa, ducit etiam ad illa.
Interim flammarum illarum candidatos culto-
res fuos facit, & ne videretur diutius differre pœ- 208
nam, pœnis afficit, quos parat ad maiores, vt definit
aliæ, felicitas ipfa pœna eft, vt à vero non abierit
qui peccatorum foueam illam dixit: dixit Sanctus
Auguftinus: *Felicitas*, inquit, *peccatorum* FOVEA
ipforum eft, fouea eft, & ad tartaream foueam du-
cit; ita mifer eft, qui putatur felix, vt ad infelici-
tatem veram per felicitatem falfam ducatur.
Ad profperitatis finem oculos verte, & euertes
profperitatem; cogita iudicij diem, qui laruam à
deceptrice felicitate auferet, & nuda ifta cogita-
tio nudabit felicitatem, vt falfa appareat, quia fal-
fa eft, & deceptoria; implantanda hîc verba S. Pe-
tri Damiani: *Enimuero*, inquit, *vt taceamus nunc
de illis nunquam finiendis damnationis æterna suppli-
cijs, tantummodo fi folus ille vltimi diei terror, &
horror, vt dignum eft, ftudiosè difcutitur, tota mundi
huius deceptrix, &* FALSA FELICITAS, *ac fi lutum,
vel infructuofa litoris alga iudicatur*; extremum iu-
dicium non cogitat, qui talem non iudicat tem-
poralem felicitatem; tegit miferiam tecta ifta fe-
licitas, non tollit, imò auget, quia tegit; res in fuo
ftatu diutiùs feruantur, dum teguntur; in tecta
falfa felicitate miferia vera perennat, & conferua-
tur, & vim quandam acquirit, quia non euaporat,
denfatur infelicitas felicitatis nomine operta.
Falfam effe humanam felicitatem, & ab omnis
gaudij liquore exfuccam aliunde firmo, quia ni- 209
mirum hominis animum frangit, & infelicitati fe-
rendæ imparem reddit. Sancti Auguftini hoc di-
ctum eft: *Nulla* INFELICITAS *frangit, quem* FELI-
CITAS *nulla corrumpit*; cum igitur illius occurfu,
quin & adfpectu, quæ infelicitatis nomen circum-
fert illi frangantur, qui mundanę felicitatis cul-
tores funt, fit, vt vera felicitas non fuerit, quæ iam
imbecilles eos facit, quos afficit. Verus ille fuit,
qui humanam profperitatem, *lacerum inuolucrum
miferiæ*, dixit.
Non verè lætos, nec verè felices effe, qui terrena
felicitate fepiuntur, etiam Chriftus afferit, & in
Cruce præcipuè loquitur; veram lætitiam fuis of-
fert lætitiæ autor, & tamen à mundi felicitatibus
auocat, aliud ergo eft, felicitate frui, aliud læti-
tia, cum per illius fugam via fternatur ad iftam.
Audi falfæ felicitatis aduocatos pungentem Bea-
tum Hieronymum: *Vt de hominibus taceam, Dei
filius fuftinuit ignominiam Crucis, & tu putas bea-
tos, qui* FELICITATE *iftius feculi perfruuntur?* Chri-
fto credendum magis eft, qui felicitatem hanc e-
xemplo, verbifque damnauit, quàm mundi fe-
ctatoribus, qui decepti decipiunt.
Falfa felicitas mundanorum eft, fed verè deci-
pit, dum putatur vera; timendum eft, ne laqueus 210
nobis verus fit, quæ non eft vera. S. Auguftini
hæc verba funt: *Declinanti à Deo, cuius difcipli-
nam ferre noluit, fit illi per iudicium Dei verus* LA-
QVEVS FALSA MALORVM LAETITIA; à lætitiæ ve-
ræ fonte qui abit, in falfæ felicitatis, lætitięque
laqueum cadit, eo id iuftè permittente, à quo quis
non nifi iniuftè recedit; tam noxia falfa ifta felici-
tas eft,

tas est, vt ijs non tantùm noceat, quos corripit, sed etiam à quibus spectatur; alienat eorum mentes, qui illam in alijs suspiciunt, & parcet illis, quos suo sinu fouet, vt necet? non parcit, quin acriùs in illos sæuit, quò molliùs illis blanditur.

Decepit te prosperitas suis illecebris? si sapis ad te redi, ne redire tunc velis tantùm, cùm tibi hinc exeundum. Audi monentem omnes, & in omnibus te: *Redeant ad se, qui* PROSPERITATIBVS *pollent, dicantque quàm perniciosus sit suus status, quàm breuis lætitia, quàm inanis iactantia, quàm propinqua mors*; fecit istuc, quod alijs hortabatur Beatus Laurentius Iustinianus, licèt ad se redire à prosperitatibus non potuerit, qui à se ad prosperitates non exierat, illarum perpetuus hostis; breuis lætitia prosperitatis est, quia breuis est & prosperitas, & quia falsa prosperitas est, falsa est quoque lætitia, quam ostentat, non verè exhibet.

CAPVT XXVI.

Nec humana laus parturiendæ lætitiæ apta, nec aliena conuitia extinguendæ.

Solidum *gaudium* creare laus non potest, quæ nihil habet solidi.

Ligatur exhibitis laudibus mens, non verâ lætitiâ *perfunditur*.

Vulnerant laudes, quæ videntur *molles*.

Laus *elationis tempestatem* in mentem gignit.

Grauant laudes, non *erigunt*.

Qui laudibus humanis *inflatur*, à verâ gloriâ *inanescit*.

Laudum figuli *Diaboli nutrices*, & verę lætitiæ *hostes*.

Illata conuitia gaudium non *inficiunt*, aut *tollunt*, sed *afferunt*.

Remedium diuinitùs exhibitum, quò ferri cum letitiâ conuitia possint.

Conuitiorum *vtilitas*, quàm magna.

In maledicorum linguâ *thesaurum* reperire possumus.

Inaurant conuitia, dum æquo animo excipiuntur.

Singulare *ferendarum iniuriarum* exemplum.

Laudum amor *ferendis contumelijs* ineptos nos reddit.

Alienæ laudes nihil *prosunt* si criminis veritas conscientiam mordeat.

ALiunde gaudium homines mendicant,
scilicet ab hominum ore venantur hu- 211
manas laudes, vt lætitiam venentur; venatores isti venationis suæ prçda sũt; inani, irritóque labore delassantur; nec veram laudem consequuntur, nec lætitiam veram; humana laus hoc minus vera, quò ardentiùs quæritur; perit laus, si laudem depereas; & poterit solidum gaudium creare, quę nihil habet solidi, & solo cultoris sui voto, si prodeat in apertum, intereat?

Præterea laus non est opus nostrum, est alterius, ab alieno ore dependet, in alienis labijs insidet, in alienę lingua solo solùm germinat; non ergo veram lętitiam poterit in eius mentem, qui effertur, ferre: alienę à nobis sunt laudes, quę ab ore alieno, quod eadem facilitate auferre à nobis laudes oblatas potest, qua obtulit; non alienę tantùm sunt à nobis laudes, sed nos alienant, nos extra nos rapiunt; suus ampliùs non est, qui alienę laudis tenetur amore, est aliorum. Ligatur exhibitis laudibus, & ducitur laudantis arbitrio, ac lenitate; שבח *sabach* apud Hebręos laudibus afficere significat, quod verbũ, si inuertatur format חבש *chabas* quod est alligare, vt in laudibus funes, & vincula timeremus. Pręterea hoc verbum de obligatione vulnerum dicitur, transfertúrque ad eas fascias, quibus vulnera ligantur, & plagę; laudes plerumque has fascias referunt, tegunt vulnera, occultant vitia; nisi quòd vulnerum fascię vulneribus sanandis deseruiunt, laudum velamina fędiora vulnera reddunt, grandiores plagas, crimina noxiora, & sanatu difficiliora; nihil hîc agitur, quod veram lętitiam afferat, imò nihil quod non auferat.

Blanda videntur verba, quę laudem ad au- 212
dientium aures vehunt, verè non sunt, cum intus elationis tempestatem excitent. Pulchrè non minùs quàm verè Beatus Gregorius: *Sæpe*, inquit, *laus benè agentis auribus insolenter admota, dum foris sermonibus perstrepit, intus quandam mentis tacitam* ELATIONIS TEMPESTATAM *gignit*: nimirum verba quę foris malatiam quandam laudis ostendebant, intus malitię omnis fontem elationem, velut tempestatem non facile sedandam excitant; sęua tempestas ista est, & eò magis timenda, quò minus solet timeri.

Hinc fit, vt qui magis merentur laudes laudes magis vereantur, adeò inter illas non lętantur, vt tremiscant; qualis inter oblatas sibi laudes fuerit S. Augustinus, ab illius verbis discamus: *Laudes*, inquit, *istæ vestræ* GRAVANT *nos potius, & in periculum mittunt, toleramus illas, &* TREMIMVS *inter illas*; tremit ad laudes hęc columna, nec tremet folium? qui non timet illas, timendum illi est.

Malè cum illis agitur, qui laudibus humanis 213
inflari excipiẽdę diuinę glorię inceptos se reddunt, atque adeò ab omni veri gaudij gustu se eximunt; grauiter rem vrget Sanctus Gregorius laudum aucupes ita perstringens: *Dum laudibus humanis* INFLANTVR, *à vera gloria æterna retributionis* INANESCVNT; & non solius glorię ęternę amittendę timor retundere inanem lętitiam potest, qua corripiuntur, qui laudes amant; & placere illę laudes possunt, quarum amore excidimus ab illa gloria, quę ęterno gaudio perfundit, quos beat?

Sanius consilium bibe, laudes nec secreta negatas, nec oblatas recipias; non exhibent verum gaudium, dum habentur, quas iustiùs quis meretur cum spernit; à laudum potiùs fuga sperandus risus, quàm à laudum, vt ita dicam, aucupio. Laudum figulos, *Diaboli nutrices* dixit Carensis Vgo; sunt, dum iactant capiunt, suosque alumnos,

nos, suàque vbera sugentes nutriunt Diabolo, & infernalibus locis parant, à quibus gaudium exulat, in quibus tristitia sceptrum tenet? quis adeò fatuus, quis adeò emotæ mentis, qui in eius lactia potu nutriri vellet, & nutritus exiliret lætitia, quo aptus redderetur, vt non morituram Inferni ignem nutriret? hac insania laborant, qui adulantium vbera sugunt, qui cum nutrices Diaboli sint, Diabolo nutriunt quoscunque nutriunt, eòque longiùs ducunt à vero gaudio, quo tristitiæ auctori reddunt, auidè epoto laudum lacte, propinquiores.

214 Non parturiunt verum gaudium laudes oblatæ, nec gaudium partum enecant illata conuitia; etiã quo ad hanc partem informanda multorum est mens, & dirigenda: putant plerique lætitiam intus latentem à conuitijs aut infici, aut interfici; vtrumque falsum, cumulatur lætitia iustis, dum iniustè petuntur conuitijs; maledictis onusti hôc plus lætantur, quò plus illis gloriæ, lætitiæque segesangetur: quendam æterni gaudij gustum habet, qui conuitijs ad æternum gaudium vrgetur, & paratur. Voluit istuc Christus, cùm se illo tempore aperto Cœlo Stephano videndum obtulit, cum blasphemis verbis à Iudæis non minùs crudeliter, quàm lapidibus peteretur, vt innueret conuitijs adeo non infici bonorum lætitiam, vt potius patriæ, quæ veræ lætitiæ sedes est, viciniores fiant; Maccarij hæc sunt verba ad hanc mentem: *nisi blasphemia calumniam Stephanus obtinuisset, non vtique cœlis ipsis apertis* DOMINVM CONSPEXISSET; ac si conuitiantium voces cœlum aperuissent Stephano, quibus sibi ipsis ipsum claudebant Cœlum.

215 Sed rem propiùs attingamus: Lubet diuinitùs exhibita doctrina hîc philosophari; Virgo quæ Deum protulit, cum ferenda conuitia doceret, & aspera quæcumque verba, adiecit & modum, quo res factu facilis redderetur; conuitia omnia, omnes calumnias, si in vnum congerantur, conijciantur in vnum, nihil aliud esse, quàm motum quendam aeris, qui, vocis sonitu persoluto, esse desinit; & quis non lætus ferat, quod citius ferè incipit desinere, quàm sit? ex aere formatum est verbum, quod te ferit, aut potius quo te feriri putas, & quia putas feriris; aer cordis refrigerio seruit, tu cur feriris nisi quia ita vis? nimis delicatus est, quem mollis aer exasperat; nimis imbecillis, quem nudus aeris sonitus prosternit; verbum ferit, non fulmen; vox, non saxum; & non fortior, stabiliorque animus, quàm corpus est? est; cur igitur ad conuitiorum ictum cadat animus, cùm corpus stet? nos ipsi nos percellimus, non sermo alienus; sumus nobis infesti, quia infestari nos credimus alienis verbis; si patienter verbum feras, non ferit; ferit si ægrè, non sua vi, sed tua imbecillitate, opinione tua.

216 Conuitia ferre disce, disces auferre vitia, si quę habes; hoc boni mala verba habent, vt bonos meliores reddant; minùs malos, qui mali; incipiunt tibi displicere vitia, cum incipiunt tibi displicere conuitia, quibus impeteris, & de vitæ mutatione tunc cogitas, cum morderis; laudum blanditiæ à te hoc non possunt obtinere, laudibus dum efferris, efferaris; laudum pruritu laborans dum scalperis, dolorem tibi peperisti, & tristitiæ diuitem materiam.

Maledici, & conuitiorum artifices thesaurum in lingua habere dicebantur, quia quæstus, & lucri gratia putarent omnes onerare contumelijs, proscindere maledictis etiam innocentes; Plauti verba hæc sunt:

Istic est THESAVRVS *stultis in lingua situs* 217
Vt quæstus habeant male loqui melioribus.

Placet rem aliò flectere; verè thesaurum in lingua habet, cui prurit lingua, qui conuitia in omnes torquet, non vt possideat thesaurum, sed vt in alios aliò spectans deriuet; maledici nimirum eos ditant, quos vellicant, quos feriunt, quos mordent; hinc, vt Suidas ait, *inaurare aliquem* olim dicebantur, qui frustra conuitia in alios euomebant; si excipere scias aurum sunt à maledico ore proiecta verba. Mulier quædam cum à muliere quadam conuitijs peteretur, quæ huius sexus ferè arma sunt, expandit illa pallium, æquo animo colligens maledicta, & contumelias, tanquàm aurum, ac gemmas, quibus indigere se dicebat, debitis soluendis, quæ cum Deo contraxerat: supra suum sexum se extulerat, quæ protulerat hæc verba, tulerat hac mente conuitia; lætentur illi, qui thesaurum repererint; ditiorem thesaurum si volumus, in conuitiantis ore reperimus; putemus gemmas esse maledica verba, & gemmæ nobis fiunt; excipiamus illa vt aurum, & in aurum mutantur, quo ferentis mens inauretur; aurum, quod terra producit, si quis habeat, non illo inauratur, plerumque inficitur, si ardentiùs amet, artidiùs possideat; contra hîc fit; quò plus conuitiorum aurum amas, hoc perfectiùs inauraris; tanquam inuento thesauro, dum inuenis qui te carpit, admonitio tua sit alteriùs contumelia, & contumelia non erit, quia nulla est, nisi esse credatur.

Hoc quoque mali inuehit amor laudum, vt ferendæ contumeliæ ineptos reddat, quos corripit, conuitiorum ictus nocentiores faciat, in mentis lætitiam citiùs arietet contumelia; non cruentant illius mentem maledicta, qui laudum blanditija non tenetur; etiam ex hoc capite longiùs à vera lætitia laudes exhibitæ, & exceptæ sunt, quòd falsam quoque his discriminibus exponunt; vt vel leui conuitio pereat, vt in nudam tristitiam, mærorem que vel vnius verbuli ictu conuertatur. 218

Vis vera lętitia perfundi? laudes humanas ne secteris, sed insecteris; gloriam non putes laudatum esse, sed esse laudabilem; ille verè meretur laudem, qui mereri tantùm studet, non habere; ille maximè laudabilis est, qui quò minùs laudatus, eò euadit laudabilior; alienus à vera lætitia est, qui laudem in alieno ore quærit; conscientiam tuam adi, intus te collige, conscientiæ vulnera sana, alioquin parum ad gaudium erit, si extra laudibus ambiaris, intus te conscientia lancinet, & pungat, à crimine ipsa puncta; hac mente hæc efferebat Sanctus Augustinus: *si conscientiam*, inquit, MORDEAT *veritas criminis, quid mihi prodest si me continuis* LAVDIBVS *mundus extollat? hoc enim merè externum est, illud intimum*; ad conscientiæ morsus nihil iuuant oblatæ laudes, imò multum officiunt, cum plagas augeant, & vulnera, dum laudatus intumescit. Placent laudes? ne quęre, cùm incipis quærere, incipis non mereri; incipis mærere, si non assequaris, imò si ad eam mensuram, quam velles, non offerantur. Vis lætitiam veram, verum gaudium? à conscientia tua exsculpe, non ab ore alieno; incipis à te alienari, dum ab alieno incipis ore pendere; sanius consilium bibe; à tui contemptu lætitiæ liquorem preme, non à tui iactantia, à tua laude; hanc presserunt viam, qui æterno nunc gaudio fruuntur, eò lætiores, quò cautiùs lætitiam falsam sub laudis decipientis larua vitarunt, dum hîc viuerent: nimirùm meretur extolli qui se contemnit, contemni meretur qui se extollit.

CAPVT XXVII.

Scientia, & eruditio lætitiam veram non producit, si nuda illa sit, si sit prophana.

Vinum scientiæ secularis *inebriat* curiositate, non charitate.

Nulla menti *serenitas* à secularibus litteris.

Non *lætitia*, sed *tristitia* parens scientia.

Prophana eruditio si nuda, *à vera lætitia auctore* cultores suos sæpè abducit.

Lepor eloquentiæ ædificat *ad gehennam*.

Luctui, non *risui* parturiendo apta scientia.

Dolorem potius, quàm *gaudium* scientia parit.

Magnus *labor* ex libris, magnus ex doctrinâ *dolor*.

Agnita veritas multos *tristiores* reddit.

Dei verba *onerant*, non *erigunt*, dum contemnuntur.

Scientia sine *sanctitate* vitiorum scatet vermibus.

Humana scientia *vera ignorantia*.

Impura volumina veram puramque *lætitiam* non gignunt.

Prophana sua dulcedine ita aures *delectant*, vt animas *capiant*.

Venena plerumque sub *mellitis verbis* externi auctores tegunt.

Chartacei lenones repudiandi.

Impurorum librorum lectio *tineas* producit.

Impiorum auctorum volumina damnanda.

Scholarum *lupanaria* gignendæ veræ lætitiæ inepta.

A sacris libris *pura iucunditas*.

219 MInùs illi desipiunt, sed desipiunt tamen, qui lætitiæ, & gaudij causa ad scientiam se conferunt, studijs se addicunt, trahuntur ad libros, vt gaudium à libris trahant. Minor hic error est, & minùs crassus, quàm illorum fuerit, quos produximus, quos damnauimus, est tamen error, & à lectorum mentibus abstergendus: ex libris sumam, quod in libros iactem, vt lectores sanem, exque eruditionis fontibus eliciam, quod in nudam eruditionem torqueam, ne nimio eruditionis appetitu torqueatur, qui has paginas legit, nec inanis scientiæ cupiditate voluatur, qui ista voluit.

In eruditionem tela iacio, non in omnem, sed in nudam, quæque probæ vitæ vita destituatur, qualis ferè prophana est, quæ inflare suos solet, non nutrire; de hac ita sentit Sanctus Bernardus: *Vinum scientiæ secularis* INEBRIAT *quidem, sed curiositate, non charitate: implens, non nutriens; inflans, non ædificans; ingurgitans, non confortans*: cruciare possessores suos scientia hæc potest, eosque à se ipsis alienare, non verò vera lætitia implere, vero gaudio: sapientiam istam, & illam omnem, quæ in nuda non ria sistit, à vero risu exulare, exulare & risum ab illa euincent hæc, quæ hîc subijcio.

220 Eruditio nuda omnis rudis est, & ab omni lætitia tantùm aliena, quantùm à probitate: audio, & subsigno: *Ex hac vanâ studiorum ostentatione, ex his* NIHIL MEDENTIBVS, NIHIL SANANTIBVS *litteris, nulla menti* SERENITAS, *quæ sola nascitur ex virtutum conscientia, quam nunquam dabunt pulchra verba*; non sanus est, qui nihil sanantibus litteris totum se sacrat, & ad diurnas, nocturnasque chartas emedullator, paginis impallescit, quę meliorem suorum sanguinem videntur ebibere, excubatoresque suos generosiore spiritu siccare.

Colorille, quem coltoris sui vultui affricant paginę, omne aliud, quàm gaudium à paginis nasci facilè vel tacenes persuaserit; macie faciem pingit assidua librorum volutatio, & ferè qui studiosiores, macilentiores sunt, magis solliciti, & melancholia magis correpti, vt à lætitia eò longiùs distent, quò libris viciniores.

221 Lætitię verę parentem scientiam minimè esse discere & ex primis parentibus cuilibet erit procliue; hi scientię cupiditate magnarum sibi lachrymarum parentes exstitêre; exstitere & illis, qui post illos, qui ab illis; dum scire bonum, & malum cupiunt, pomi esu tanta sibi mala, tantanobis parturierunt, vt nobis non liceat, si sapimus aliquid, aliquid verę lętitię afferens à scientia esse, quum tot lachrymæ, tot causę lachrymarum à sola scientię cupiditate ortę fuerint; hostis veritatis est, qui lętitię matrem illam scientiam facit, quę hostis fuit.

Prophana eruditio, si nuda, ad veram lętitiam non ducit: nam amatores suos à verę lętitię vero fonte abducit; inflat scientia, & superbam mentem facit, in qua domicilium suum locat, atque adeò eò magis à lętitię auctore dissita est, quò propiores superbię cultores suos facit; Dauidis verba sunt: *In Diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt*; per aquas etiam doctrinam intellige, & rem habebis, quam indicabam; ferè ita accidit, vt copiosę doctrinarum aquę adeò ad Deum non vehant, vt auehant à Deo, dum in discentis mentem superbiam inuehunt, aliaq; vitia, quę superbiam sequuntur. Festiuè Carensis Vgo ad producta Regij Prophetæ verba: *In diluuio*, inquit, *aquarum multarum, id est, doctrinarum, ad eum non approximabunt, quia frequenter* LITTERATI A DOMINO SE ELONGANT PER SVPERBIAM, *& ambitionem, & alia vitia*; vermis enim doctrinę superbia solet esse, quę nisi caueatur, doctrina refertum ita erigit, vt deijciat, & perimat; in eruditione timendus est tumor, & timendus magis, quò minùs timetur, ex quo fit vt longiùs à lętitię auctore doctus abeat, quo proximior tumori doctrina est.

222 Abducit à gaudij veri vero fonte eruditio, cui agnata superbia sit, & quod inde sequitur, ad tristitię auctorem, tristitię domicilium ducit, ducit ad gehennam; prophanam eloquentiam, in quo prophana eruditio videtur precipuè sita, ad gehennam ędificare fuit, qui asseruit. Petri Blesensis hęc

sunt

sunt verba: *Abhorret Propheta aureum calicem Babylonis, vbi designatus est* LEPOR ELOQVENTIÆ ÆDIFICANS AD GEHENNAM, & gehennam ædificans, dum peccatum; quot nunc in gehennâ torquentur, qui cum hic essent superbiâ correpti, alijsque vitijs se inanis eloquentiæ, loquentiæ aptiùs dixerim, studio sacrarunt; & vt supra alios sermonis nitore essent, non curarunt non infra vitæ, morúmque sordibus essent! cultus fuit sermo, inculta vita.

Luctui potiùs, quàm risui parturiendo apta scientia est; nam vera scientia cognitionem sui claudit; verè sapere non videtur, qui se ignorat; extra scientiam est, qui scit ea, quæ extra se, se nescit; cum igitur scientia vera sine sui cognitione fit, sequitur verè sapientem luctûs potiùs amicum esse, quàm risus; nam vt ait Sanctus Ephræmus Syrus: *Initium* LVCTVS *est quempiam scire se ipsum:* nescire se videtur qui nescit luctum; aquæ solent litteras exaratas delere, hîc contra; lachrymarum aquæ litteras non delent, sed perficiunt; & licet inanis laboris, irritique sit in aquis scribere, in lachrymarum aquis si quis scribat, operam non ludit, ludit qui scientiam ab his fluentis subducere curat, inque risûs arcem, vt ita dicam, locat.

223 Dolori, curisque gignendis aptior scientia est, quàm gaudio, quàm risui; verè sapientis tribunal adeamus. Salomon litem soluet, illius hæc de sapientiâ mens est, in multa sapientiâ multam esse indignationem, eumque qui addit scientiam addere & dolorem; indignationis meminit, meminit laboris, dolorisque, non lætitiæ, non gaudij Indignatur sibi qui sapit, quod scilicet non præstet illa, quæ scit. Peritè Salonius: *Ideo in sapientia multa est indignatio, quia quanto quisque* MAIOREM SAPIENTIAM *percipit, tanto amplius sibi* INDIGNATVR, *&* DOLET, *vitijs, & peccatis subiacere, & non habere virtutes;* illius tortor, & carnifex scientia est, qui scientiam, sed scientiam tantùm, habet, illis rebus destituitur, quarum sapientia pulchritudinem ostendit. Pergit idem auctor: *Addit & laborem sapientia, quia quanto amplius cælestia, & æterna cognoscit, tanto magis* DOLENDO, *&* FLENDO *laborat, vt errorum laqueos euadere possit, & liberari valeat de huius seculi miseriâ.* Scientia illa, quæ cœlum, ac cœlestia cogitanda nobis manifestat, doloris, & lachrymarum materiam exhibet, & non exhibebit illa, quæ cœlum nobis surripit, ab æternarum rerum cogitatione homines auocat, quod præstat illa quæ inani tumore suos replet, sapientia vera, vera humilitate exinanit?

224 Expendamus, & dolores, quos sustinet, qui se litteris sacrat, & exulem à lætitia esse comperiemus, qui exulare nequit à libris, quos aut voluit, aut format, exque libris libros educit; fuit, qui Sisyphium hunc laborem vocauit; scitè ille,

— It sine meta

SISYPHIVS SINE FINE LABOR, *repetendaque rursus*
Scribentes atrâ recoquunt lolligine crambem,
Inficiunt chartam, atque animis fastidia miscent;
Nec finis scribendi vllus, nec meta legendi.

Fastidia miscent animis, qui chartis addicti, non gaudia, non lætitiam; dolorem à libris hauriunt, qui haurire à libris gaudium student.

Sed leuis omnis labor, leuis dolor omnis, qui è libris bibitur, si labori illi comparetur, illi dolori, quem librorum causâ, aut occasione librorum cultor patitur; post studiorum lassitudinem si quia librum aliquem laboris sui & testem, & fructum in lucem mittat; pro laude plerumque sannas reperit, & dicteria; & inglorius sæpe fit, qui scriptione sua sibi gloriam aucupabatur; Vnus laudat, multi damnant, & morosiorem aliorum calamum sentit, aut dentes inuidorum; vt nullus carpat, solus metus copiosam tristitiæ segetem fert, quo lætitia omnis tollitur, exsiccatur; demus omnes efferre opus, quod quis offert, lætitiam tamen veram afferre non possunt, quia possunt & pro libito non ferre, nec solum stabilius habet quàm paginam; leuior chartis ipsis est, qui à chartis, quas voluit, emungere gaudium verum quærit, aut à paginis, quas implet, impleri lætitia credit.

Dolorem parturit scientia, vt scientiam dolor; doloris partus doctrina est, doctrinæ fœtus dolor. Peritè ille cecinit, qui cecinit: 225

Doctrinàmque PARIT *dolor, & doctrina dolorē,*
Aeternumq; duo hi PARTVS *voluuntur in orbem.*

Quia voluunt etiam eos, qui in orbe se circa libros, circa volumina voluuntur.

Adeo cognata dolori scientia est; vt nihil aliud videatur, quàm dolor; certè vt scientiam circumscribat Sanctus Ambrosius, dolorem adhibet: *Quid est*, inquit, *ipsa scientia nisi* QVOTIDIANI DOLORIS *adiectio?* doloris, ait, non gaudij non lætitiæ, gaudij diminutio, scientiæ augmentum est, & dolor scientiam ambit, dolorem scientia.

Scientiam pro hoste habent, qui hostes illius sunt, quod scientia edocet, & veritatem ita sciũt, vt sciant tantùm, non opere compleant; ignorantia solamen aliquod non benè operantibus præbeat, non potest scientiâ præditis, vt etiam ab hoc capite tristitiæ materiam habeant, dum incipit esse magis culpabile, quod scientiæ auxilio sit magis notum. Audiendus Sanctus Bernardus: *Quantos*, inquit, *expertus sum agnitâ veritate* TRISTIORES, *quod iam confugere ad ignorantiæ excusationem non liceret, scientes, & non facientes, quod veritas hortaretur;* incipit veritas ferire, cum non amatur. Veritatem carnificem experitur, qui veritatis carnifex est, dum contemnit, & calcat.

Onus incipit esse notitia, dum notitia nuda est, & reijcitur illud, quod illa docet, vt perficiatur; 226 Dei verba sunt de Dei verbis; *Proiecisti sermones meos retrorsum;* meretur reijci à Deo, qui Dei sermones proijcit; sed cur addidit *retrorsum?* an quia dum post tergum reijciuntur Dei verba in contemptum incipiunt esse oneri, qui poterant esse leuamini? Festiuè S. Augustinus hîc: *Proiecisti*, inquit, *sermones meos retrorsum, vbi non videantur à te, sed* ONERANT TE; onerant dum proijciuntur, eleuant dum mentis sinu excipiuntur.

Sanctitatem ni scientiæ addas, cruciatum addis, dum scientiam, quæ vitiorum vermibus scatet, si sola. Benè Philippus Abbas: *Scientia sine sanctitudine*, VITIORVM SCATET VERMIBVS, *& sordescit;* & lætus animus esse potest, horum vermium morsibus eò magis expositus, quò scientia ditior, sanctitate pauperior est?

Sed demus lætitiam etiam à scientiæ sinu prodire, à prophana, ab humana verè prodire non poterit, quæ verè scientiæ titulum non meretur, nuda ignorantia est; nam, vt ait Beatus Laurentius Iustinianus; *Humana scientia, si diligenter examinetur, quid nesciat, non* SCIENTIA, *sed verissimè, potiusque* IGNORANTIA *vocabitur;* cum verè scientia non sit, verè verum gaudium parturire non poterit, quod nec à nuda scientia fit, licèt alioquin sit vera.

Ex his, quæ hucusq; produximus, dilucet, quàm alieni à vero risu, à vero gaudio sint, qui se ina- 227

nium librorum lectioni mancipiant, eorúmque volumina terunt, quæ sua impuritate omnem puritatis amorem à lectorum animis deterunt. Quis adeo fatuus, vt ab his, vt ita dicam, lupanaribus, lætitiam speret, quæ lætitiæ auctorem excludunt, hostem aduocant? impuritatis folles luxuriæ flabra hæc impura volumina voco, nequitiæ omnis ignem etiam in ijs pectoribus accendunt, quæ firma, & inconcussa contra alios arietes steterant; hostis ictus qui superauerat, incubuit chartaceis hisce insidijs, & cecidit; quot æternis flammis proscripsit impura, & flammis tradenda impuri auctoris scriptio? adire si tartareum possemus, multas ibi victimas reperiremus, quas eò adlegauit noxiorum librorum lectio.

Electis verbis res non eligendas, sed repudiandas nobis prophani auctores exhibent, & noxia suauitate ita muleent aures, vt mentem capiant, & sub honesto eruditionis velo venena euomunt, sub eloquentiæ pallio peremptura toxica tegunt, & lenocinantis, & ineruditæ eruditionis. Spongia nouaculam habent, qua lectorum mentem secant; iustè contra illos sæuiebat S. Hieronymus: *Suâ omnes suauitate delectant, & dum aures versibus dulci modulamine currentibus* CAPIVNT, *animum quoque penetrant, & pectoris interna* DEVINCIVNT; vinciunt vt pudicitiæ vinculum soluant, & castimoniæ.

228 Fuge, qui sapis, hæc sub mellitis verbis venena, sub festiuis salibus toxica, sub facetis leporibus aconita; reijce horum volumina, quæ lectores suos in mare mille amaritudinibus repletum voluunt, vt iustè hîc inclamarit S. Augustinus loquens de hoc more, qui mores inficit, quo scilicet puritatem verborum specie impura mens ab impuris prophanæ litteraturæ auctoribus bibit, quos ebrios doctores vocat: *Non accuso verba quasi electa, & speciosa; sed* VINVM ERRORIS, *quod cum illis propinatur ab* EBRIIS DOCTORIBVS. Ebrietate correpti corripere & alios possunt, eoq; faciliùs, quò auidiùs quæ scripsêre leguntur; pergit: *Væ tibi flumen moris humani quis resistet tibi? quamdiu non siccaberis? Quousque volues Euæ filios in mare magnum, & formidolosum, quod vix transeunt qui lignum conscenderint; nonne ego in te lego tonantem Iouem, & adulterantem, & vtique non posset hæc duo, sed actum est, vt haberet auctoritatem ad imitandum verum adulterium lenocinante falso tonitruo*; fabulas nobis offerunt, vt de nobis tragœdias struant; vellem verbis decipi, ne multò re ipsâ decepti nobis etiam nolentibus subsignarent; calculum suum adijciunt exitio suo, sententiam contra se tulerunt dum fauere putarunt sibi.

229 Qui puram mentem cupit circumferre, non fert his impuritatis lacunis incubare, non vertet hæc propudiosa volumina, quæ eos euertunt, à quibus vertuntur, & deuoluunt in impudicitiæ profundum, dum voluuntur, chartaceos lenones peritè quidam impuros libros vocabat, iustè irato calamo in eum inuehens; inseram hîc eius verba, vt mentis inserantur, serantúrque ad fructum; *Et non satis*, inquit, *litterarum est extra* HOS CHARTACEOS LENONES, *selectis versibus, verbisque pura adolescentia corda, ipsumque desuper incubantem aërem, cubiliaque impurarum* LIBIDINVM SCINTILLIS CONFLABELLANTES; quid nobis hæ litteræ, quæ puritatem oblitterant, atque adeò veri gaudij fontem exsiccant, succúmque omnem probitatis exprimunt, dum premuntur? Qui sapit non mouebit hanc impudicitiæ camarinam; amouens se ab impuris hisce cloacis, & ipsum aërem inficientibus, puritatis amator ab impuris libris se submouebit, submonebit à se impuros libros.

Solent libri tineas producere, tineas nutrire; hi libri non tineas tantum producunt, nutriúntque, sed tineæ quædam sunt, quæ puriore lectorum sanguine, & quod est grauius, vita, atque salute nutriri postulant, & ferè ita nutrit, qui illas fert; tineas hasce pascit, qui talium librorum lectione pascitur, quorum morsus hoc ipso noxior, nocentiórque est, quò lectio gratior, quò pastus dulcior; quis ferat tartareas hasce tineas, quę ad tartarum ferunt, dum feruntur, & æternis flammis nutriendis, quos emedullauerint, & ex quibus nutritæ fuerant, addicunt? I, & verum gaudium ab impuris libris hauri, qui meliorem succum ab illis exhauriunt, à quibus voluuntur, & lectores suos ita cruciant, & torquent, vt ad æternos cruciatus vrgeant, extorqueant ab illis quicquid in illis boni, cæliqué hæreditate priuent non morituri vermis hæredes factos; quia harum tinearum altores fuerunt, dum hîc fuerunt. 230

Quid de doctrina illa dicam, quæ solam impietatem spirat, sola falsitate consuta est? talis illa hæreticorum, quæ sub cultorum verborum melle venenum occultat; abite Lutheri, Caluini discipuli, abite parium ductorum sectatores, abite victimæ æternis iam flammis destinatę; nobis veritatis candidatis, & verę solidęq; fidei cultoribus vestra volumina sola impietate grauida placere nec possunt, nec debent, auersamur illa, damnamus illa, damnaremur nisi damnaremus; de salutis suggestu eiectus est, quin se deiecit, qui hisce impietatis, falsitatisque seminatoribus credit, qui non contenti soli perire cum pluribus perire volunt; multumque sibi nocent, quia & multis; dæmonis, cui famulantur plenè causam agunt, quia vacui veritate, impietate pleni ductorem suum ita sequuntur, vt alios etiam quærant qui illos tanquam duces sequantur; non sequetur qui veri gaudij amicus, amicus veritatis, suęque salutis; hos non consulet nisi qui non vult consultum sibi, nec hos adibit, nisi qui à se abijt. 231

Proh, quam non ferenda eorum insania est, qui malorum auctorum voluminibus incubantes, elicere se ab illis posse credunt aliquem lætitię verę succum, certum tristitię remedium, curarum auocamentum, & solamen? falluntur, sub adscitę eloquentiæ melle virus latet, time, qui inanem eloquentiam perditè amas, ne te eloquentia perdat, perdat tua; Digna sunt, quę hîc sistantur sancti Petri Chrysologi verba, qui ad prodigum filium respiciens, & impurarum sectarum sectatores eloquentię amore captos pungens, aiebat: *Luxuriosus per desiderium secularis eloquentiæ, per* SCHOLARVM LVPANARIA, *per triuia sectarum dissipauit Dei Patris clementis disputatione substantiam*; lupanaria sunt scholę, lenones sunt doctores, sunt & libri; & pura potest esse eloquentia, quę lupanar suum sapit? & in sectarum triuijs, in hęreticorum doctrinis gaudium colliget, qui in illis dissipat substantiam suam, & cum substantia sua etiam se? Vt veritatis hostes non credunt veritati, sic nec nos credemus hostes falsitatis falsitati. 232

Nolo plura in propudiosos hos auctores, plura in eorũ fucatam eloquentiam quę meretricem suã sapit, plura in illorum volumina sub emeritito nitore aut veritatem arietantia, aut incęstantia lectorum aures, producere; contra se satis exertè loquitur eloquentia hęc, verius dixeram, loquentia; ex se cadet impietas etiam nullo impellente, veritatem impugnat, pugnat contra se; se euertit quod euertere veram irrito conatu conatur: impuritas verò librorum, qui sub meretricio cusi sunt prelo, 233

prelium

prælium indicit sibi, indicit cultoribus puritatis, qui eos tanto studio vitabunt, quantâ insaniâ voluunt illi, qui sub Veneris vexillo militant, Christi castimoniæ ducis desertores.

A libris gaudium verum denexui, deneaui à vero gaudio libros, impuros damnaui, damnandos & ab alijs docui tanquam maximè damnosos; gaudij vati hostes illos dixi; alios libros indico, ea quibus legere gaudium poterit, qui ritè illos legerit; hi sunt sacri, qui cum lætitiæ auctorem auctorem habeant, inhalare lætitiam illorum animis possunt, qui eos ita voluunt, vt non voluant tantùm, sed legi in se student, dum boni fiunt, quod legunt in libris bonis, sanctitatem, ac puritatem in cordis sui membranâ scribi quærunt, quam legunt in membranis scriptam; quod de Christi Euangelio Sanctus Augustinus dixit, ad alios etiam libros, qui puritatem, ac sanctitatem spirent, possumus porrigere, ita tamen, vt Christi sermones omnibus præferamus; *Nos*, inquit Sanctus Pater, *qui conuenimus, pascamur epulis Dei*, & SIT GAVDIVM NOSTRVM SERMO IPSIVS; *inuitauit enim nos ad Euangelium suum, & ipse cibus noster est, quò nihil dulcius, sed si quis habeat palatum sanum in corde*; qui non est palatiis sani neque hîc gaudium sentiet, sentiet amaritudinem, qui amarus; fel euomat, qui sentit a mel quærit; denique qui ea libris, quos Dei manus scripsit, gaudium exculpere cupit, opus est vt verba Dei conuertat in opus, & in lectore legantur, quæ à lectore leguntur: non bonus lector est, qui bona quidem legit, sed legit tantùm.

CAPVT XXVIII.

Lætitiam, gaudiumque nec vita productior gignit, nec mors expectata occidit, & minùs expetita.

Lætitiæ materiam hæc vita non exhibet, sed *lachrymarum*.
Vita præsens tot sollicitudinibus grauida *gaudij veri expers*.
Diù *viuere* est diù *torqueri*.
Præsens vita *luctus* locus, non *lætitiæ*.
Lachrymis destinata hæc vita, non *risui*.
Risus *somnium quoddam*.
A vita ista verum *non esse gaudium* qui probetur.
Mortis infamia vt expietur.
Mors *suo decori* restituta.
Vita in corpore *vmbra* est vitæ.
Mors vicinior veræ *vitæ*, veræq; *lætitiæ*.
Vita ipsa *iucundior* quæ morti *similior*.
Non est *mala mors* nisi *mala vita* præcesserit.
Anima, quæ in morte *absoluitur*, gaudet.
Mors bonum est, quæ *à carnis contubernio* animam abducit.
Bonam faciunt mortem vitæ *malæ*.
Mors à terrenis, quæ nos decipiunt, *laruam* aufert.
Mortis *beneficia* qui cogitat, mortem non *abhorret*.
Etiam *malis* bona est mors, quæ *illorum malitiam* secat.
A morte totius mundi *salus*, & *gaudij* occasio, & causa.
Mortem non *timet*, qui nihil *in vita timendum* commisit.
Animam agentis imagine agimus vitam, vt mortis cogitatione *meliores* reddamur.
In Christo victuri, & *cum Christo*, mortis timorem ponere par est.

Parum erat homines decipi circa illa, quæ 234
circa vitam, nisi deciperentur, & in vita ipsa, in ipsa morte; decipiuntur, dum vitam lætitiæ matrem statuunt, mortem verò nouercam; nimis benè audit vita, &, quod grauius malum, etiam mala, vt putetur gaudium producere, quod productum potiùs extinguit, dũ timetur ipsa extingui; multum propitiæ famæ vitæ nomen debet, quæ in hoc verè non propitia, quia non solùm falsa, sed etiam, vt videbimus, noxia; in mortem quoque iniurij mortales sunt, dum eam à lætitia vera auocant, à qua euocantur ad veram vitam, creduntque mortem impedimentum lætitiæ esse, non alio fors argumento firmiore, nisi quia ita credunt; capianda hæc mortis infamia est, mortique obijciendus error, qui circa vitam mortales corripit, dum nimio vitæ huius mortalis amore corripiuntur.

In primis illi qui stant pro vita, quæ nunquam stat, vita ipsa, quæ mala, pondus censioni suæ auferunt, dum addunt pondus sceleribus; mali sunt qui mortem damnant, vitam diligunt; contra verò boni, & iusti mortem vitæ præferunt, vitã contemnunt, & docent contemnendam, mortem amant, quæ eos ad verã vitam transfert; nimirum qui mortui Deo, mortem horrent, & amant vitam, qui Deo viuunt, vitam horrent, & amant mortem, iniustorum suffragium auctoritate caret, quia mẽte ipsi carent, dum non carent culpa; non merentur ab hominibus fidem, qui fidem Deo fregerunt; malisque moribus mortem fidei dederunt; credamus iustis, credamus bonis, calculosque expendamus, non numeremus; malorum maior est numerus, maior pars meliorem non vincat, sed maiorẽ melior; mortem mali horrent, hoc ipso non vitanda, quod mali tantùm damnant, boni non exspectant dumtaxat, sed etiam expetunt. Sed rem pressiùs tractemus, ne vita supra meritum efferatur, & præter æquum contumelia inferatur morti.

Lætitię materiam non exhibet hæc vita; exhibet 235
lachrymarum, quocumque lubet oculos flecte, nullibi habes, quod lætitiam prouocet, vbique verò, quod fletum, quod mærorem; Verus etiam in hac re Sanctus Ambrosius; *Quid est*, inquit, *quò hæc* VITA DELECTET *plena ærumnarum, & sollicitudinum, in qua innumeræ calumniæ, & multæ molestiæ, & multæ lachrymæ eorum, qui afflictantur molestijs?* numera vitæ huius ærumnas, si potes, & tot argumenta numerabis, falsæ huic censioni euertendæ, qua vitæ isti miseræ inesse vera lætitia

creditur, verum gaudium.

Vt alteri non credas, à vita non eſſe verum riſum, crede ipſi vitæ, quæ tot ærumnis, tot calamitatibus, tot ſollicitudinibus exertè clamat, ſe non eſſe, quod eſſe creditur, ſe non habere, quod habere putatur à ſuis; benè de huius vitæ malis, vitam hanc extra gaudij limites trahentibus Beatus Laurentius Iuſtinianus; *Vita*, inquit, *hac iter eſt, per quod graditur ad patriam, via vtique laborioſa, anfractibus plena, referta doloribus, ſollicitudinibus anxia, inuoluta periculis, latronibus circumſepta, perturbationibus agitata, inquieta caſibus, fraudibus perfuſa, malis mixta, & liuore ſimulata*; NVNQVAM ENIM LÆTA EST, *nunquam ſecura, ſed ex emergentibus infortunijs ſemper formidoloſa, ſemper ſuſpecta, nulli ſanè rectè ſapienti permittitur in ea frui felicitate, nulli diu iucundari, quia delectationibus caret*; exulat à veritate qui à vitæ huius miſerijs exulare non credit lætitiam veram; niſi quis mente in cœlum migret, diuina cogitet, cogitet peren naturia, præſentique vitæ, vt ita dicam, ampliùs non ſit præſens.

236 Verè veram lætitiam non afferunt vitæ iſtius miſeri dies, qui nouas ſemper inferunt moleſtias, ſemper nouas calamitates; *Quid eſt*, inquit Sanctus Auguſtinus, *diu* VIVERE, *niſi diu* TORQVERI? *quid eſt aliud diu viuere, quàm malos dies malis diebus addere?* mali ſunt dies, & eo peiores, quia diliguntur; minùs mali nobis eſſent, ſi minùs diligerentur à nobis, amor noſter malis eos onerat onuſtos malis; & onerati à nobis onerant nos.

Obſeruatum hoc à plerisque & bonæ notæ auctoribus eſt, eos qui ab alia ad hanc vitam ſuſcitati rediere, ad riſum non rediiſſe, nec viſos riſum effundere, qui guſtata alia vita huic rurſus reſtituti; credo hac vita ſemel ſpoliatos, ſpoliatos & vitæ huius amore, & affectu eius miſerias perfectiùs cognouiſſe, & in tot calamitatibus ridere importunum, & ineptum eſſe iudicaſſe; nimirum vitæ diſcrimina vitam à vero riſu diſcriminant, ſi verè noſcantur; à guſtata ſemel morte didicerunt meliùs viuere, & à riſûs leuitate alieniores redduntur, infelici huic vitæ poſt mortem redditi.

237 Vitæ huius primitiæ lachrymæ ſunt, vix natus puer, naſcuntur à puero lachrymæ, primum lucis tributum, vectigal primum fletus eſt; rudis ad omnia prodeat, qui è ventre prodit, ſed non ad fletum; quia quod prius lachrymas fundere diſcit, clamant omnia iſta, lachrymis iſtam vitam potiùs deſtinatam, quàm riſui. *Poterat*, inquit Sanctus Auguſtinus, *ridere prius puer, qui naſcitur; quare à* FLETV INCIPIT *viuere? Ridere nondum nouit, quare plorare iam nouit? quia cæpit ire in iſtam vitam*, cui ſe flendo dedicat, lachrymarum lingua docens, lachrymis dicatam vitam iſtam eſſe, cui ſe lachrymis dicat, qui ab illa excipitur, præſagit miſerias vitæ, qui ad vitam venit.

Habeo aliud, quod de infantis fletu, riſo obſeruo obſeruatum ab alijs; infans qui naſcendo fleuit, dormiendo ridere diſcit, vt ait Odo, vt ſomnium quoddam riſum eſſe diſceres in ſomno natû; dolor, & miſeria naturalis eſt, nobiſcum oritur, naſcitur cum naſcimur, innatæ nobis lachrymæ, ad dolores nos natos eſſe teſtantur: niſi velimus quod & alij voluêre, infantem dormiendo riſum diſcere, vt innueretur mortem, cuius ſomnus imago eſt, riſui, lætitiæque parturiendæ aptiorem eſſe, quàm vitam, quæ exordium à lachrymis ſumit.

238 Aliunde quoque probo à vita lætitiam veram non eſſe; rem ita deduco; ſi lætitia à vita eſſet, quò longior, productiórque eſt vita, grandior, & cumulatior eſſet lætitia; hoc autem non ita ſe habere res ipſa etiam me tacente, clamat; quis enim non videat, quò annis grauior eſt vita, eſſe etiam ærumnis, doloribus, morbiſque grauiorem? nimirum quò magis ſeneſcunt mortales, hoc magis miſeriæ adoleſcunt; & vires dum amittunt qui viuit, vires acquirunt morbi, qui in ſenectute iuueneſcunt, & in ætatis hieme vernant; creſcit vita? miſeriæ vitæ creſcunt, decreſcit lætitia; non igitur comes lætitiæ veræ vita eſt, quia vita dum producitur, quæ creditur lætitiæ materia contrahitur, & coercetur.

Ipſe ſibi contrarius eſt, qui lætitiæ producendæ cauſa produci vitam quærit, horret mortem, nam quò magis vita producitur, eò propinquior & ætas fit, quæ morti propinqua; atque adeo qui longam vitam amat, mortem ipſam amare videtur, dum vitam illam quæ illi tam vicina; Benè Sanctus Ambroſius mortis notam hac ratione expiabat: *Si mors*, inquit, *malum, quomodo iuuenes non timent fieri ſenes, nec* FINITIMAM MORTI *verentur ætatem?* non longè ab alicuius rei amore eſt, qui amat illud, quod ab illa non eſt longè.

239 Habeo argumentum aliud, quo mortem ab omni infamia vindicem, ſuóque decori reſtituam; nullus eſt, qui præuiſam, & cogitatam mortem non libentior, lætiorque excipiat quàm inopinatam; ad ſolius mortis improuiſæ nomen expalleſcimus; gratior eſt mors, quæ ad nos venit, quàm illa quæ ex improuiſo nos inuadit: Benè melleus auctor: *Patientius deficit, qui præſumpta* MORTE *deficit, quàm qui inopinata*; quæ tamen mitius mortis ſenſum ſecum habet, igitur, vel eorum opinione qui mortem horrent, mors lętam faciem habet, dùm eam mortem mortales eligunt potiùs, quę cogitantibus aduenit, quàm illam quę accidit non cogitantibus; vix eſſe mors videtur quę non præuidetur, certè ita ſe coercet, & exinanit, vt ad punctum ſe redigat, vt plerumque quis prius moriatur, quàm cogitet ſe moriturum; timetur iſta mors, & huic illa mors pręfertur, quę in expectantis mente limites ſuos porrigit; ex quo fit, vt maximè mortem ament, qui maximè horrent, cum illam mortem optant, quę terminos ſuos in eorum cogitatione dilatat, illam expaueſcunt, quę cum inopinantibus adueniat curſum ſuum citiſſimè abſoluit, & ſi morientis mentem ſpectemus, mortua mors videtur, quę accidit non præuiſa.

240 Rem aliter verſo, & alia via ad eundem terminum pergo; demus à uita lętitiam eſſe, eò uerior lętitia erit, quò uerior & uita, vnde cum uita hęc noſtra imago tantum vitę ſit, & umbra non uita; nam, ut benè bonus ille auctor ait; *Vita iſta in corpore* VMBRA EST *vita, atque imago non veritas*, ſequitur nec ueram lętitiam eſſe, quam afferre creditur, ſed nudam lętitię umbram; nam qualis uita talis lętitia eſt, cum pręſens uita umbra uitę uerę ſit, & lętitia, quę ab umbra uitę umbra tantum erit lętitię, non lętitia uera.

Pręterea ſi uitam lętitiam ueram ferre concedamus, ab hoc capite mortem uitę pręferre debemus, nam mors uicinior uerę uitę eſt, eſt contigua, longius à uita uera umbratilis iſta uita eſt, quę per mortem ad illam pergit; eò igitur proximior lętitię mors eſt, quò proximior uerę uitæ eſt, quàm ſit mortalis iſta vita. Itaque ſi rectè rem penſemus, vitæ huius amor lætitiæ veræ mors eſt, mortis verò amor eſt veræ lętitiæ vita.

241 Vita ipſa hoc ipſo melior, iocundiórque quò morti ſimilior eſt, quæ bona vitæ bonæ idea, & imago eſt; qui mortem imitatur mentem à terrenis, corporeiſque auocatione hic lætior, hic melior eſt;

est, qui à carnis consortio si non contubernio se abstrahit hic pleniore iucunditate fruitur, qui animum à sensibus seiungit, iungit facilius Deo, hoc est veræ lætitiæ vero fonti, pleniorique gaudio fruitur, quò vicinior morti mortis quadam imagine fit.

Non est mors mala, nisi mala vita nos malam faciamus: non est mala mors, quæ malis finem ponit, ponit miserijs: vita non bona mala est, quæ spatium malis laxat: *Quomodo mors mala*, verba sunt sancti Ambrosij, *si aut secundum gentiles sensu caret, aut secundum Apostolum lucrum Christi est? Quid igitur* ACCVSAMVS MORTEM, *quæ aut vitæ pretium luit, aut abolet eius dolorem, atque cruciatum? illud specta; si vita oneri, mors absolutioni; si vita supplicio, mors remedio*; debemus hoc vitæ huius miserijs, quod mortem nobis alioquin suauem, suauiorem reddunt, & bonam meliorem, quia à malis nos liberat, eximit à miserijs, dum eximit ab hac vitâ, quæ miserijs referitissima; ligatur anima corpori alligata, gaudere debet, dum à vinculis eximitur; *in morte*, ait idem melleus auctor, *anima absoluitur, corpus resoluitur, quæ absoluitur* GAVDET, *quod resoluitur nihil sentit, quod nihil sentit, nihil agnoscit*; igitur mors gaudij vita est, vita gaudij est mors.

242 Anima dum in hoc corpore est, eò melior est, quò frequentior, quò altior se à corporis contubernio eleuat, & abducit, si in sublimia se efferat, in imis corpore relicto; erit igitur mors maximum bonum, quæ animam à corporis vinculis penitus absoluit, à carne omnino liberat, quâ vincta tenebatur; Pertinè Sanctus Ambrosius: *Si anima*, inquit *bona, quæ se eleuat, atque abducit à corporis contubernio, &* MORS VTIQVE EST BONVM, *quæ animam à societate carnis huius absoluit, & liberat*, & à carcere, quo tenetur, educit.

Vt aliunde bona mors non sit, bonam illam faciunt mala, quibus premitur vita; dum hîc viuimus in nobis viuunt ferocissimæ cupiditates, quæ nos suis votis dilacerant, mordent nos vndique variæ calamitates, miseriæ variæ; ab omnibus nos eripit mors, quæ quod malorum euasio bonum est: mors sola facit, ne æternæ miseriæ sint; sola mors à malis nos reddit securos, sola curat tot mala, sola illa euertit, dum euertere nos videtur; non est igitur timenda mors, quæ timenda tollit, nec putanda mala quæ mala amputat.

243 Præterea etiam ab hoc capite præferenda vitæ mors est, quod laruam ab illis mors auferat, quę in vita amatores suos deceperant; morti debemus quod diuitiarum fallacias in morte cognoscamus, quæ nos falsa quadam specie fefellerant; mortis est mentis oculos purgare, vt videant morituri quàm deceptoriæ sint mundi illecebræ, quàm vanæ terrenę voluptates, quàm inanes honorum tituli, quàm nuda rerum nomina, culmina, quàm nihil quicquid offerre suis mundus solet, vt eos fallat; felices mortales essent, si eâ mente terrena respicerent, qua respicienda mors docuit dum nudauit, cuiuslibet vita purior, & sanctior esset, si ea monita re perficeret, quæ aut vicina mors, aut seriò cogitata tanquam vicina morituris obtulit, dum se obtulit.

244 Mortis beneficia cogita, nec mortem abhorrebis, cogita quæ bona mors inuehat, nec malam audebis vocare; per mortem ad sepulturam imus, non istuc nos terreat, eleuet quod ante sepulturam corporis, mors nobis sepultura vitiorum est, & virtutum suscitatio; huc nos vocat Sanctus Ambrosius: *Mors*, inquit, *transitus vniuersorum est; opus est vt constanter transeas; transitus autem à corruptione ad incorruptionē, à mortalitate ad immortalitatem, à perturbatione ad tranquillitatem; non igitur nomen te mortis offendat, sed boni transitus* BENEFICIA DELECTENT; *quid est enim mors nisi sepultura vitiorum, virtutum suscitatio?* beneficia ista odit, odit se, qui odit mortem; vitia quodammodo amare videtur, qui vitiorum sepulturam non amat, non amat mortem, cupit, vt ita dicam, viuere vitia, qui mortem horret, & vitat.

Etiam malis ab hoc capite non mala mors est, 245
cessat in morte si non illorum miseria, saltem malitia, peccandi finem facit finis vitæ, peiores mali essent si diutius viuerent, scelerum filum mors secat, quæ vitam secat; debemus morti, quòd non sumus tàm mali, quàm essemus, si illa non esset; sola vitæ producendæ spes producit crimina, solus mortis timor mors vitiorum est: in morte meliores homines esse solent, abstinent à peccatis, nam vt dixit Saluianus: *nouum monstri genus est, esse aliquos etiam in* MORTE VITIOSOS; sequitur lætitiæ causam mortem esse, quæ tristitiæ causam peccatum tollit; mors igitur quæ scelerum notas aufert, hoc ab æquo lectore meretur, vt hanc infamiæ notam à morte auferat, quâ inficere lætitiam creditur, tristitiam parturire, cum verè auferat istam, & illam ferat.

Adeo non aliena à vera lætitia mors est, vt veræ 246
lætitiæ mater, & fons exstiterit; mors si rectè rem expendamus gaudium non occidit, sed gaudij vita est; & non per ipsam redemptus est mundus, tristitię causa abolita, hoc est peccato, innocentia restituta, quæ gaudium fert, quodcunque fertur. *Quid de bono mortis*, ait Sanctus Ambrosius, *plenius possumus dicere, quàm quod mors est*, QVAE MVNDVM REDEMIT, & dum redemit exemit à luctus occasione ac lachrymarum? Non igitur te mortis nomen terreat, sed delectent mortis beneficia.

Sed ægrè, inquit, excuti mortis metus potest, mors hoc habet, quod timeatur; ipse mortis timor, qui mortem offert tāquam malam non est ad mortem referendus, sed ad vitam; *non enim habemus*, vt ille ait, *quod* IN MORTE METVAMVS, *si nihil quod timendum sit vita commisit*; à vitijs immunis vita sit, & mors à metu erit immunis; timemus mortem, quia non ad vitam fuit, quod commisimus in vitâ.

Bona est mors, quæ bonos homines facit, dum 247
cogitatur; nullus malus est, qui non esset peior si non esset mors; sola mortis memoria à malis auocat. Imagine agendæ animæ agere nos vitam voluit auctor vitę, vt dum respiramus, nos cogitaremus exspiraturos, & sola hæc cogitatio ad bona nos vrgeret, à peccatis nos eximeret, nimirum qui ad memoriam expirationis spirat, adspirare ad magna debet, nec cum malis in mala conspirare.

Denique non solùm auocat à malis mors, sed & vocat ad bona, non abducit tantum ab ærumnis, sed ad felicitatem ducit; cœlum nos expectat, exspectant illi, qui in illo per mortem illuc ituri, quicumque ituri; & non ab isto solo capite horrorem omnem exuere mors debet, cum ad veram felicitatem transmittit, quos infelici huic vitæ eximit? Nos non spectamus illa, ad quæ nos vehit mors, & idcirco ægrè auehi à vita ista finimus; mors illi displiceat, cui non placet ire ad Christum, placeat cui placet, nos ab hac mortali vita deuectat mors, vt vitæ veræ auctor in æternùm nectat; quis non dissolui cum Apostolo cupiat, vt esse cum Christo possit, in Christo viuere, viuere Christo? sola hęc cogitatio omnem mortis amaritudinem tolleret, etiamsi aliunde esset amara; quis non lætitiam parturire mortem credat, quæ suos lætitiæ auctori si-

stit, & cœlo parturit? Verè læta mors; quæ ad æternam felicitatem æterno gaudio refectos suos fert. Bona commutatio breuium laborum in gaudium perennaturum; mors ad cælestem vitam iter est; quid exhorrescis iter, si terminum amas? Vis non timere mortem, mortem diu cogita? compone te ad mortem, vt mortis metum ponas; claudo, & obsigno:

Vt sibi mors felix contingat VIVERE DISCE,
Vt felix possis viuere, DISCE MORI.

CAPVT XXIX.

In solo cordis solo vera lætitia nascitur, & adolescit; falsa illa quæ extra illud.

Non foris, *sed* intus *quærenda lætitia est.*

Non sunt externæ res fœcundæ *lætitiæ.*

Nulli rei adnexum gaudium; ferax ipsa *sui gaudij mens.*

Terrena licet se exhibeant, ferre *gaudium non possunt, possunt* auferre.

Vera delectatio, & vera lætitia ex terrenis carnalibusque *rebus non trahitur.*

Per externorum amorem lætitia tota ex corde effluit, *non cor subit.*

Domi *nascitur lætitia, &* domi *quærenda, non* extra.

Terrenorum desideria melancholica, *&* corruptæ lætitiæ.

Acetum, *&* putrida vina *mundanorum gaudiorum.*

Diaboli venenum *mundiale gaudium.*

Pendens quò ducat *malorum lætitia, non sinit* ad illam duci.

Lætari potest, non qui terrena voluptate *capitur, sed* qui capitur *quod non capiatur.*

Qui nunc *cachinnantur* stridorem sustinebunt.

248 LIbet altiùs fodere, & magis profundè calamum demittere, vt quæ hucusque dixi firmiùs probem, & firmiùs probata lectoris menti vtiliùs inseram; eademque via aditum rebus alijs claudam, quæ gaudium parere dicuntur, cùm non pariant, vt non sit necesse ire per singula, cùm omnia excludantur per ea, quæ hîc claudentur. Docebo in quo solo radices risus agat, agat gaudium, ne in gaudij, & risûs inquisitione ridiculum se quis exhibeat, dum ibi risum quærit, vbi non est.

Verus risus, veraque lætitia in solo cordis solo radices agit; quæ cor non afficit, cor non pertingit, à corde non exit, non est vera; hinc illæ Regij Prophetæ voces, Deum suum alloquentis: *Dedisti lætitiam in corde meo*; signatè *in corde*, ne aliquis putaret foris quærendam lætitiam esse, à mundo, rebusque mundanis verum gaudium prodire; Pulchrè, & opportunè Sanctus Augustinus: *Dedisti lætitiam in corde meo*, NON ERGO FORIS QVÆRENDA LÆTITIA EST, SED INTVS; frustra est, qui foris quærit, quod nisi intus inueniatur, non inuenitur, extra lætitiam est, qui extra cor lætitiam quærit.

Quid casso labore mundani distenduntur, dum à rebus quæ pereunt exprimere gaudium student! emunge, vt ita loquar, terrena omnia, vix aut ne vix quidem, vnam veri gaudij guttam elicies; premi lassitudine poteris, non lassitudine risum à mundanis rebus exprimere, & vel tantillum lætitiæ, gaudiique liquorem.

Non sunt terrenæ res fœcundæ lætitiā, non sunt
gaudio vero grauidæ; parturire verum risum ne- 249
queunt, nequeunt verum gaudium gignere; citiùs ex marmore succum expresseris, quàm ex rebus perituris veram iucunditatem, lætitiam veram; cor est, quod gaudium parturit, risum gignit, corporea quæ cor nequeunt penetrare, verum gaudium non procreant, in corde lætitia vera domicilium locat, vt lætitia verè non sit, quæ extra cor; oculorum lætitia est, non est cordis, quę à rebus externis est; rem vrget, & loquendi modum, quo vsus Dauid supra productus, Sanctus Chrysostomus; præstat illum audire: *Non dixit simpliciter & absolutè, dedisti lætitiam, sed* IN CORDE MEO, *ostendens, quòd* NVLLA EST IN REBVS EXTERNIS LAETITIA; *hæc enim non est cordis, sed oculorum tantum lætitia*; verè externus lætitiæ veræ est, qui in externis eam rebus quærit externorum
inquisitione.

Non perit tantùm gaudium, quod à perituris 250
est, sed gaudium minimè est; fallitur vulgus, hoc titulo illud donans, imponit sibi, dum lætitiæ nomen imponit rei, quę à lætitia alienissima est. Audes negare quod dico? audi me, nec audebis. Nulli rei adnexum gaudiū esse hac sola ratione euinco, qua vinci aliter sentientis mens possit, ac ligari: mundanæ res, mundique illecebræ vero gaudio si refertæ essent, vero gaudio omnes eos perfunderent, à quibus possiderentur, nullus expers gaudij esset; qui res illas gaudij parentes haberet, quod tamen etiam ex multitudinis mente, nulli rei perituræ conuenit; nullus tam fatuus exstitit, & mundi, rerumque mundanarum tam cæcus aduocatus, qui hanc illi, hanc illis prærogatiuam ausus sit tribuere, vt mundus omnes amatores suos beet, & recreet, lætitiaque eorum mentem res terrenæ repleant, à quibus habentur. Placet illud illius: *Hederam non rupes alit, cui nectitur, sed proprius humor; ita nec mentem* RVPEA RERVM MOLES VERO GAVDIO NVTRIT, NISI FERAX IPSA SVI GAVDII SIT, illùdque non è terra, sed è cœlo trahat. Fallitur igitur qui gaudium per externa inquirit, quod in solo corde solium suum locat; cassus erit conatus, cruciatus certus lætitiam quęren-
tis à rebus lætitia viduis. 251

Quid exigis à terrenis rebus gaudium? frustraneus labor est à non habente petere; non habent mundanę res gaudium, stultitię igitur certa consignatio est, illud ab illis importuno voto flagitare; gaudium exhibere non possunt, licet se terrena exhibeant, quia gaudio carent, & sterilia omninò, & infęcunda, & non fateri cogimur, gaudium verum auferre terrena dum amantur? &
non res ipsa hoc clamat, licet mundani taceant, terrenarum rerum amorem lętitiam veram auferre? ferre ergo non possunt, quod auferunt; nec parturire quod partum suffocant, & interimunt.

Verè nil verius, quàm veram lętitiam, verum 252

risum in corde sedem habere, extra cor radices non figere; fictasque eas delectationes, & vero risui gignendo ineptas, quæ cor non tangunt; ludibria quædam sunt, & delectationum phantasmata, non delectationes; indiscussus hîc abire non debet Regij Prophetæ locus, quo ad hanc mentem indicat imaginarias esse omnes eas delectationes, quæ à terrenis, quæ à carnalibus rebus eliciuntur, veras quæ cordi insident, à corde sunt, eosque non rectos, qui decipi se non veris delectationibus sinunt: *Scrutans*, inquit, *corda, & renes Deus*; rectè qui omnia scrutatur, & corda scrutari perhibetur, sed postea cur adijcit: *Qui saluos facit rectos corde*; cùm esset consequens, vt etiam diceret, rectos renibus saluare? abstinuit ab hac phrasi, ne mundi risui, mundanis carnalibùsque delectationibus fauere videretur, renibus quippè terrena delectatio signata est ex carne sumpta, ex terrenis rebus exsculpta; quia igitur recti esse nequeunt, qui carnis delectatione irretiuntur, quæ vera non est, rectos renibus non dixit saluandos, sed rectos corde, cùm rectitudo cum illis non cohæreat, qui ea voluptate tenentur, quæ locum in corde non tenet, sed in renibus, qui illusionibus sunt expositi; mihi integrum minimè fuit hic integra Sancti Augustini verba non dare, qui locum hunc versans, ita philosophatur: *Non sicut scrutatur corda, & renes, ita saluos facit rectos corde, & renibus: quia cogitationes & mala sunt in prauo corde, & bona in recto corde. Delectationes autem non bona ad renes pertinent, quia inferiores sunt, atque terrena. Bona verò non ad renes, sed ad ipsum cor. Propterea non ita dici possunt recti renibus, sicut dicuntur recti corde, cum iam vbi cogitatio, ibi & delectatio est. Quod fieri non potest, nisi cùm diuina atque æterna cogitantur. Dedisti, inquit, lætitiam in corde meo, cùm dixisset, signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Nam phantasmata rerum temporalium quæ sibi animus fingit, cum spe vanâ, mortalisque iactatur, quamuis inanibus imaginationibus* AFFERANT SÆPE DELIRAM, INSANAMQVE LÆTITIAM, *non tamen cordis hæc delectatio, sed renibus tribuenda est; quia illa omnes imaginationes de inferioribus, hoc est, terrenis, carnalibusque rebus attracta sunt.* Addit statim: *Propter hoc delectatum est cor meum: vt renes eum* INCREPARE *potuerint non* DELECTARE. *Non itaque in renibus, sed ibi facta est delectatio, vbi aduersus rerum increpationem promisus est Deus à dextris esse, id est, in corde.* Poterat rem opportuniùs premere, & elegantiùs dare? Pluscula fuerint, elidi nihil potuit, nihil detrahi; qui cor habet, in corde voluptatem, & ex voluptate nascentem lætitiam, statuet, non in renibus.

Vera lætitia à rerum terrenarum contemptu est,
253 per istum illa in mentem aditum sibi parat, sicut per amorem tota effluit; vt ex vasis rima liquor exit, qui vase concluditur; Bene ille: *Vna sola cupiditas corrumpit plura gaudia, per illam omnis defluet lætitia; sit licet plena, & gaudens voluntas, insurgat vna cupido,* EVACVATVR OMNIS HILARITAS: *Vrceus plenus aquâ si* FISSVRAM FACIAS, *inanescit statim. Aret desiderio aliquo animus,* ILLA PROFVNDITVR LAETITIA; *miser eris si desit aliquid, etiam si omnia præter illud habeas; vt sit felix, nihil excipiendum est, omnia habere opus est, aut omnia contemnere; illud arduum est, istud suasibile.* Potes mentem explere si repleri nolis, potes rebus omnibus beari solo contemptu; quàm facilis ad lætitiam via, quàm breuis! ad lætitiam ire potes si ire ad ea, quæ læta putantur nolis; lætitiam feis, si ad illa mẽte non feratis, quæ lætitiã credũtur parere, & partã potius suffocãt, aut in suo vtero perimunt.

Vt vera lætitia sit, intra te sit; si extra te quæris, 254
iniustè quereris te illam non inuenisse, cùm vbi non est, nec esse solet, aut potest, eam quæris; etiam Stoicus huc euasit, & hæc illius sunt verba, quæ pudorem Christiano possunt affricare; *Nolo tibi vnquam deesse lætitiam, volo illam* TIBI DOMI NASCI; *nascitur si modo intra te ipsum sit; cætera hilaritates non implent pectus, sed frontem remittunt; leues sunt, nisi forte tu iudicas illum gaudere, qui ridet; animus debet esse alacer, & fidelis, & super omnia erectus*; rectè & non iam stoicè, sed Christianè; diceres ex Christiana, & veræ philosophiæ schola hæc prodijsse.

Quidquid extimè corpus mulcet corruptam lætitiam afferre possit, non potest sanam, integrámque; *Terrenorum desideria*, inquit ille, *aut* MELANCHOLICA *sunt, aut* CORRVPTAE LAETITIAE, *delectabilium non fideliter læta*; & desideria, & desiderata ab integra lætitia aliena sunt; corrupta lætitia est, & corrumpit etiam eos, quos corripit; vinum lætitia vera referri; non vera, & quæ à terrenis rebus vino par est, quod in acetum degenerauit; Præiuit Magnus Albertus in hæc verba: ACETVM, & PVTRIDA SVNT VINA GAVDIORVM *huius mundi*; nihil hîc integrum, nihil non infectum, atque corruptum; sed grauius, non corruptum tantùm gaudium est, sed corrumpit etiam à quibus quæritur, à quibus amatur; corrupti amore gaudij qui corripitur, gaudio verè corrumpitur, licet non vero, fige istuc menti: Extra verum gaudium erit, qui se neglecto extra se gaudium quærit. 255

Veneno gaudia terrena pario, non cuilibet, sed quod Diabolus parat, vt mortem hominibus inferat; Benè Sanctus Augustinus in cautionem: *Hæc gaudia velut* VENENVM DIABOLI *repudiare debemus, quia non solum corpus, sed etiam animam necare festinant*; venenum quod humana manu fabricatur vim in corpus exserit, exserere in animam non potest; potest istuc venenum, quod Diabolus miscet, vt bibentes perimat, eòque magis officit hoc venenum, quò magis placet, & quò minus putatur nocere, magis nocet. 256

Vis non ferri ad falsam exque rebus externis, quin & malis natam mundi lætitiam? cogita quò falsa hæc lætitia ferat; ad pœnam fert, & pœnam affert, eàmque æternam, si quod ferè mundi sectatoribus accidit, coroitem vitam improbam habeat: hic enim mundanorum character, vt eùm maximè malè faciunt, tunc maximè inani lætitia afficiantur, & tunc effundantur in risum, eom ea effundunt, quæ lachrymis essent luenda. Aliam mentem circumfer si mentem habes: pende quò ducat malorum hæc lætitia mala, vt te subducas ab illa: ad tormenta ducit, ducit ad cruciatus, sed ne cauere possis, per tenebras: nam vt ait Sanctus Hieronymus: *Ideo malè facientes exultant, quia per vias tenebrosas ambulant, & nesciunt, quo eunt, si enim quia* AD POENAM TENDVNT *aspicerent, mox* EANDEM LAETITIAM *salubri fletu castigarent*: nec fletûs materia fierent, dum fletûs materiam, materiam risûs faciunt.

Ridentes mundi sectatores vides, vide ne eorũ risum secteris; non facilè sectaberis, si quæ mundanorum risum facilè consequantur cogitaueris; ploratus sequitur, sequitur stridor; *Cum igitur*, verba sunt Sancti Chrysostomi, *eos ridentes videris, cogita, quod qui nunc* CACHINNANTVR PLORATVM, ET STRIDOREM *grauissimum sustinebunt*, & quod grauius, æternum. Cui placet stridor, qui risum sequitur, sequatur risum, qui post stridorem, & stridoris anteambulo, atque etiam pater. 257

Red-

Redde te tandem tibi, sanius aliquando disce sapere, ab externis rebus gaudium non postula, ne quære in externis rebus; quæ ab hoc solo capite lætitiam aliquam, aliquam voluptatem dare possunt; cùm scilicet aliquis ea voluptate capitur, quòd mundanarum voluptate non capiatur.

CAPVT XXX.

Veri gaudij verus opifex mundi opifex, non mundus.

Opifex est Deus *boni risus, & veri gaudij.*

Quicquid Deo minus, non explet *voluntatem, nec* satiat; *nec* lætam reddere *potest.*

Solus Conditor voluntati sufficit, *res aliæ quæ sibi satis non sunt,* sufficere *alijs nequeunt.*

Solatium verum in solo Deo est.

Vera lætitia mentis Creator *est.*

In solius mentis prima columna *gaudium figitur.*

Illud solum verum gaudium, quod non de creaturâ, *sed de* Creatore *concipitur.*

In Deo *quærenda lætitia, non* in rebus, *quæ extra Deum.*

Ex Dei amore *pura, & vera lætitia nascitur.*

Gaudij illius comparatione, quod ex Deo, omnis alia iucunditas mœror, *omnis suauitas dolor.*

Inexplicabiles *Dei deliciæ.*

Confert *in nos Deus sua gaudia, si ad Deum* nos conferamus *Dei solius causâ, non gaudiorum.*

258 IN quo solo lætitia vera germinet superiùs docui, docendum & à quo fonte exeat, vt etiam ab hoc capite magis illud diluceat, quod diximus, à mundo exspectandam non esse lætitiam veram, quæ à solo mundi Conditore est; verè solus gaudij veri opifex qui & mundi; spurium, & illegitimum est, quod alium parentem numerat, aliũ nouit, verè gaudere voluntas nequit nisi plena, si cauum aliquid demus voluntati, inquies est, & à gaudio aliena, quia contenta non est, dum continere aliquid quærit, quo caret, exprime ex rebus lætitiam si potes, cùm omnia præter Deũ exigua voluntati sint, quam replere solus Deus potest, solus satiare, alia infra Deum eam irritant, inquietam reddunt, reddunt impacatam; hinc solus Deus veri est risus verus opifex; scitè Philo ex Isaac diuinitus promissi natiuitate id deducebat: OPIFEX EST DEVS BONI RISVS, ET GAVDII; *itaque Isaac non vulgariter genitus, sed operante Deo credendus est, nam si risus Isaac intelligitur, risus autem factor est solus Deus:* atque adeo si ab alio quàm à Deo factus est, fictus statim est.

Ad diuinam, vt ita dicam, normam structa voluntas est, & fabricata, hanc omnia creata non implent, si sinum suum expandat: diuinis typis formata humana voluntas est, minus illi est quicquid est infra Deum, solus Deus illi quadrat, quia solus explet: quid ergo fluidis gaudij molem superstruimus? ædificat sibi ruinam, qui lætitiæ fabricam casuris inædificat: quiescere in rebus perituris animus non potest, quem Deus solus explere potest: audi monentem: *Frustra minora venamur solatia, animum* INFINITI DEI CAPACEM, *quicquid finitum est, Deique minus non explebit:* maior est humanæ voluntatis capacitas, quàm vt impleri rebus omnibus, quæ extra Deum possit, cùm vnus hoc Creator valeat. 259

Nullæ ex terrenis rebus voluntatem implent, nullæ satiant, non satiant, non implent omnes simul sumptæ, ab omnibus ablatæ concessæ vni, non ergo gaudium verum inuehere in mẽtem possunt, cùm voluntatis sinum non expleant, plenum autem gaudium cauum in voluntate non admittit: qui gaudet contentus dicitur, quia continet quicquid potest continere, idest quicquid exoptare, cum ergo omnia extra Deum exigua volũtati sint, & parua, fit, vt à solo Deo lętitia vera quærenda, quærenda in solo Deo: ad diuinam regulam fabricata humana voluntas est, explicent se omnia, se inflent, se porrigant, contracta semper erunt voluntati, solus Deus aptari voluntati potest, solus sua infinitate voluntatis cauitatem non explere tantùm, sed & implere, minus voluntati est quicquid minus est Deo.

Egenæ creaturæ sunt, nullæ sibi sufficiunt, nullæ satis sibi sunt, & sufficient alijs? egenus mente est, qui res egenas adit, vt inopiam illam auferat, quam auferre solus Deus potest: Peritè Sanctus Laurentius Iustinianus: *Quod satis sibi esse non potest,* ALIIS QVOMODO SVFFICIET? *Creaturarum inopiam insinuat hoc, atque vniuersa, non ad fruitionem, sed ad vsum fuisse condita manifestat: Porrò lex ista, lex est sapientiæ, quà naturale eruditur ingenium vt non aliunde sua velit capere peregrinationis* SOLATIVM, *quàm à suo, atque omnium* CONDITORE; clamant istud creaturæ etiam cum non clamant, hoc exertè loquuntur, licet non loquantur; creaturarum paupertas grandis, & stentorea quædam vox, qua auocamur à creaturis, vocamur ad Creatorem; nimirum in rerum egestate bonitatis diuinæ diuitiæ apparent, quæ tot stimulis homines ad se vrget, quot incommodis in rebus perituris homines vrgentur. 260

Verè gaudium verum à solo Deo est; ille solus mentis lætitia est, qui mentem condidit, & cor vero gaudio afficit, qui cordi illabitur; subsigno Beato Gregorio in hoc quoque Magno, subsignabit & qui sapit; illius hęc mens est, hæc verba sunt: *Vera* LAETITIA *mentis* CREATOR *est;* quicquid infra ipsum extra gaudij limites est; citius à pumice elicies aquam, quàm à terrenis rebus materiam risus, lætitiæque. In solius primæ mentis COLVMNA, vt ille ait, *figi* LAETITIA *potest,* sine illa statim cadit, & ruit, & secum suos amatores in exitium trahit. 261

Lætitia mentis vera Creator est, est & sola, solus Deus afficere vera lætitia mentem potest; cætera lætitiæ parturiendæ prorsus inepta; Benè Sanctus Bernardus: *Reuera illud verum, & solum est gaudium* QVOD NON DE CREATVRA, SED DE CREATORE CONCIPITVR. Quam fatui, quam deliri, qui gaudij amore ea amant, quæ adeo gaudium non afferunt, vt etiam auferant, dum amantur?

Ebibe

Ebibe saniorem mentem, gaudium à gaudij fonte quære; à summo bono petatur gaudium, vt non bonum tantum gaudium sit, sit etiam verum; scitè Sanctus Prosper:

Felices verò faciunt, semperque beatos
De vero, & summo GAVDIA *nata bono.*

Si aliunde nata sint gaodia, vera non sunt, sunt mærores.

262 In Deo quærenda lætitia, non in rebus, quæ extra Deum; Propheta Regius ita sentiebat, cum diceret Deum suum alloquens: *Lætabor, & exultabo in te*; signatè, *in te*, dixit, quia si in rebus extra Deum lætitiam quæreret, extra lætitiam esset; Opportunè Sanctus Augustinus hîc: *Non iam in hoc sæculo, non in voluptate contrectationis corporum, nec in palati, & linguæ saporibus, nec in suauitate odorum, nec in iucunditate honorum transeuntium, nec in formis corporum variè coloratis, nec in vanitatibus laudis humanæ, nec in coniugio, & prole moritura, nec in superfluis temporalium diuitiarum, nec in conquisitione huius sæculi, siue quæ locorum spatijs tenditur, siue quæ successione temporis voluitur, sed* LÆTABOR, ET EXVLTABO IN TE, *videlicet in occultis filij, vbi signatum est in nobis lumen vultus tui Domine.* Solus Deus parturire verum gaudium potest, alia omnia præter ipsum adeo non creant gaudium verum, vt verè impediant, & inficiant; quod creat gaudium creatum non tollit, nec factum inficit, sed auget, perficitque. Verè ille de veris gaudijs:

Vna salus seruire Deo, hæc GAVDIA *sola*
Vera putet, quorum gloria finis erit.

263 Gaodeo à solo Deo gaudium esse, lætor in Deo solo veram esse lætitiam, etiam ab hoc capite vrgemur ad Deum, vt gaudij amore tacti ad gaudij fontem Deum feramur, qui eò plenius lætitiæ veræ dulcedinem suis impertit, quò ardentius amatur à suis. Amas verum gaudium? veri gaudij auctorem ama. *Vis*, inquiebat ille, *in perpetuo* GAVDIO *esse? Deum reuerere, & ama, nulla æquari illis gaudia possunt, quæ diuinorum amor largitur, pura sunt, nulloque mærore permixta, timore nullo; ama, gaudebis; quamdiu amor, tamdiu gaudium; inenodabili hæc nexu iuncta*; amoris sinus gaudij centrum est, & gaudij sinus amoris domicilium, felix nexus amoris, & gaudij; felix qui vtriusque nexui totus innectitur.

Porrò tam magnum illud gaudium est, quod est à Deo, quod est in Deo, vt illius comparatione iucunditas omnis nec nudum iucunditatis nomen mereatur metus mæror sit, meta tristitia; Audiamus Sanctum Bernardum: *Gaudium, quod de Creatore, cum possederit, nemo tollet à te; cui* COMPARATA OMNIS ALIVNDE IVCVNDITAS MOEROR EST, *omnis suauitas dolor, omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne postremò quodcumque aliud delectare possit, molestum*; subsignabit facile, qui gaudij illius iucunditatem senserit, quod à Deo ipso est.

In testimonium cito omnes illas mentes, quæ
264 Deo suo sacræ, eò puriori gaudio refertæ sunt, quò purius Deo seruiunt; puro Dei gaudio perpluuntur, qui Deo obsequuntur non propter gaudium, sed propter Deum; Deus obsequij, & seruitutis finis est, est & causa; sibi seruire videtur, qui in Dei seruitio aliud extra Deum quærit, licet à Deo sit; Felices animæ, quæ vberius gaudio perfunduntor, quò minus Deo se mancipant propter gaudium; gaudium sequitur, quæ gaudium non sequuntur, & copiosius possident, quò minus illæ illius possidendi desiderio possidentur. Da purè amantem, & eò iam reperuenit, quò scriptione ista noster calamus vix euadit, aut ne vix quidem.

Deo ipsi nos ipsos demus, dabit ipse nobis suum gaudium, etiamsi non petamus; quærit illud qui non quærit illud, inuenit facilius, quia non quærit; vinci se à nobis non sinit Deus, confert in nos sua gaudia, si nos ad illum nos conferamus non gaudiorum causâ, quæ à Deo, sed ipsius Dei.

CAPVT XXXI.

Iustorum lachrymę lætitia grauidę, improborum risui præferendæ.

Lachrymæ *ob Deum* fusæ plenæ lætitia sunt.
Proborum fletus *animæ risus* dictus.
Lachrymæ Deo lætitiæ auctori *nos conglutinant.*
Dulces lachrymæ ab amara peccatorum recordatione fluunt.
Gaudij auctor Spiritus Sanctus lachrymarum aquis *incubat.*
Christus *laudabiles* reddit lachrymas, eas fundens.
Christus *fleuisse* legitur, non *risisse*, vt ad fletum nos inuitaret.
Cultores Christi *lachrymas fudisse* leguntur, non *in risum effusos.*
Temporali fletu *æterna lætitia* emitur.
Lachrymæ multam *seminant* voluptatem.
Iucundæ lachrymæ, quæ *gaudium immortalitatis emunt.*
Optima lachrymarum aqua, quæ *peccati amaritudinem, & æruginem aufert.*
Vnum proborum *suspirium* omnibus mundanorum *clamoribus* præferendum.
Amoris testes lachrymæ ab Amoris auctore postulandæ.
Mentis oppidum *lachrymarum* aquis muniendum.
Ridere, & *rideri* secularibus relinquatur.

A Risu incæpi, & in lachrymis desino, non 265
illas quas fictus mundi risus parturit, sed quæ risum verum parturiunt, lætitiam veram; mundanorum lætitia grauida lachrymis est, iustorum lachrymæ grauidæ lætitia sunt; illud probatum à nobis superiùs est, istuc hîc probabitur, vt mundi risus, quem huc vsque confodi, atque necaui, lachrymis mergatur, conuertatur in lachrymas; lachrymis insepultus; sed probationi iam manum admoueamus, vt iam à toto opere amoueamus.

A no-

A nomine ipso exordium sumo; apud Hebręos, vt Hebraicæ linguæ periti notauere idem nomen אח *ach* & de gemitu dicitur, & de lætitia, non solùm quia lachrymis referta mundi lætitia est, sed etiam quia lachrymæ ob Deum fusæ refertæ lætitia sunt; Illud Prophetæ Regij: *memor fui Dei, & delectatus sum*, aliqui ex Hebræo verterunt; *memor fui Dei, & ingemui*; vt hoc lectionum nexu colligeremus, cum lachrymis, quas quis ob Deum effundit, lætitiam veram necti, verum gaudium.

Peritè Ioannes Scholasticus fletum proborum *animæ risum* dixit, vt non nectantur gaudio lachrymæ, sed gaudium ipsum sint, ipsa lætitia; videatur probus flere, videtur tantum, intus videt; mundi cultores extra rident, & intus plorant, cultores Dei è conuerso, extra plorant, intus lætitia madent, in istis lachrymæ lætitiæ testes sunt, in illis risus tristitiæ indicium est.

Et cur non intus rideant, qui lachrymas foras emittunt, cum lachrymæ lætitiæ anctori Deo lachrymantes vniant, & conglutinent? nam ex Beati Chrysostomi mente, *nihil ita* CONGLVTINAT, *atque* VNIT DEO, *vt illæ* LACHRYMÆ, *quas, & peccati dolor, & amor virtutum effundit*, non potest à lætitia denecti, qui Deo nectitur, qui illam parit.

266 Dulces lachrymæ sunt, eòque dulciores, quò maiori peccatorum amaritudini iunctæ, mentem gaudio rigant, dum effluunt; & licet à culparum dolore ortæ de fonte suo nil referunt, dolore carent, voluptatem secum vehunt; scitè ille:

O ter beatum, qui dolore percitus,
Vsta turpiter acta
Labes fletibus abluit
Virtutis in regno! vel ipsis
*V*ERO REFERTA GAVDIO
E LACHRYMIS *oritur* VOLVPTAS.

Pisces amari amaris aquis obruti, ab illis nati, in illis viuentes sine amaritudine sunt; idem hîc accidit, inter peccatorum amaritudinem currunt lachrymæ, sed amaritudine non sunt refertæ, voluptate sunt. Bonus fletus, quem mala, quæ fecimus, faciunt, non pœnitendas lachrymas effundit qui lachrymas emittit pœnitentiæ indices.

267 Domini spiritus amare se lachrymas ostendit, & lætitiam se lachrymis affricare, ac dulcedinem, quamuis amaræ videantur; cum in primordio mũdi aquis superferebatur, cubabat aquas; non terram fouit, sed aquas, vt hoc quoque significaret lachrymarũ aquis se insidere, lachrymis sanctitatẽ se tribuere, ac lætitiam aquis permiscere; huc nos ducit bonus ille auctor Guilhelmus; *super* AQVAS LACHRYMARVM *fertur Spiritus Domini, idest, Spiritus Sanctus fertur super aquam per gratiã; ecce quantum placent* TALES AQVÆ *Spiritui Domini*; incubat, & fouet has quoque diuina Spiritus, ne superis donis viduæ sint, & præcipuè illo quod in illis præcipuum, gaudio; fletus iste non inficit verum gaudium, nec mentis serenitatem turbat; firmiorem facit, hilarioremque; non est turbidus, nec fœculentus iste torrens, purus est, & ab omni impuritate mentem purgat: fęlix qui arcana hilaritate lætus sibi est, licet vulgo esse non videatur

Etiam Christus sanctificare lachrymas voluit
268 dum illas fudit, laudemque illis conciliare ac voluptatem; *Lachrymas fudit*, inquit Sanctus Gregorius Nazianzenus, *vt* LACHRYMAS LAVDABILES *efficiat*; hanc laudem tribuere risui noluit, atque adeo fleuisse illum legimus, non risisse; quod notabat etiam Sanctus Bernardus, *Christum & super Lazarum, & super Ciuitatem* FLEVISSE, *& in orationibus pernoctasse legimus*, RISISSE *verò, aut iocasse nusquam*; ad lachrymas nos vocauit dum fleuit, à risu auocauit, dum aut non risit, vt risisse non legitur.

Christi exemplum deriuare in omnes studuit Saluianus, fletum risui præferens, cum ille animę punctio, atque adeo medicina animæ sit, iste disciplinæ corruptio, & ridentis; nequeo hic huius auctoria verba supprimere, quæ sunt ista: *Christus inquit scriptura pro nobis passus est nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius, videlicet vestigia Saluatoris sequimur in circis, vestigia Saluatoris sequimur in theatris. Tale nobis, scilicet, Christus reliquit exemplum, quem* FLEVISSE *legimus*, RISISSE *non legimus; & hoc vtrumque pro nobis, quia fletus punctio est animæ, risus corruptio disciplinæ*; nimirum fleuisse Christum legimus, vt fletum eligeremus, non legimus risisse, ne facile in risum effunderemur; effundit quod intus continet boni, quisquis leuiter in risum effunditur.

Hanc Christi mentem ebibere à Christo potuerunt, qui eius se obsequio manciparunt; præcipuè 269
bibit inter Christi seruos præcipuus Paulus, qui se fleuisse aliquando scripsit, non scripsit se risisse, rem egregiè vrget Sanctus Chrysostomus, cuius verba hic nolo desiderari: *Quod, & Paulus* FLEVERIT *quidem, & per triennium noctibus id fecerit, ac diebus & alij de illo & ipse de seipso testatur; quod verò* RISERIT, *neque ipse vsquam, nec de eo quisquam alius ostendit, sed nec vllus sanctorum vel de seipso, vel de alio quopiam tale quid aliquando significasse narratur; de sola sanè Sara legimus hoc dictum, sed illico Dei voce correpta est, & de filio Noe, sed propter illum risum seruus factus est ex libero*; risisse Abraham quoque legimus, nec reprehensum; sed ridens in faciem suam cecidit, ac si occultare risum vellet, & ob risum verecundia premeretur; ad lachrymas & Sanctorum exempla nos vocant, & monita, non ita ad risum, qui ferè Sanctorum auctoritate destituitur; quis non lubens lachrymas fundat, vt per has aquas animæ suæ ratẽ ad cœlum vehat: felix nauigatio cum animæ nauigium ad æternæ patriæ litus per lachrymarum fertur Oceanum, quod nulli pyratæ infestant, cui nullę tempestates nocent, nulli fluctus: felix qui *temporali* FLETV *perpetuam sibi* LÆTITIAM non parat tantum, sed etiam quod habet Sanctus Petrus Damianus, *comparat*. Spargamus hîc lachrymas, tanquam semen ęternę lętitię voluptatis ęternę messem collecturi: Ab aureo ore aureum hoc monitum est: LACHRYMAS FVNDAMVS, *multam* SEMINANTES *voluptatem*, inexplicabilem lętitiam, quę seminatores suos beate hîc incipit, æternum beatura: emittamus lachrymas, vt in veræ lętitię sinum admittamur.

Lętę lachrymę, ac iucundę sunt, quę lętitiam
veram vehunt, verùmque gaudium, vt ita dicam, 270
mercantur. Benè lachrymas efferebat Sanctus Petrus Chrysologus, dum hęc offerret: *Iucunda* LACHRYMÆ, *quæ* GAVDIVM *immortalitatis emerunt*, non alio pretio quàm sui exhibitione: tales illę, quas fudit Petrus, sed res ad eas omnes potest porrigi, quę à simili dolentis fonte fluunt.

Non possunt non esse dulces lachrymę, quę amaritudinis omnis fontem peccatum abstergunt, non possunt non ferre lætitiam, quę tristitiæ, mœrorisque causam culpam auferunt: *Optima ex* Athenæi mente, illa est AQVA, *quæ vasis argenteis, æneisque affusa nulla tingit* AERVGINE: melior lachrymarum est aqua, quæ mentium ærea, quin & lu-

tea

tes vasa in argentea, & aurea mutat, adeoque vasis æruginem non affricat, vt culparum auferat rubiginem.

271 Eant mundi sectatores, sibique de suo risu blandiantur; in rectè sentientis lance vnicum vnius viri iusti suspirium, vna vnius amantis animæ lachryma, cunctis cunctorum mundanorum risibus, clamoribus, exultationibus, inanibusque inanium gaudiorũ signis præponderat. Verus ille, & dignus cuius sensui ceteri subscribant: *Vnũ*, inquit, *proborum* SVSPIRIVM, *quo cœlum anhelant, præstat effusissimis theatrorum clamoribus, quibus prophani delectantur*; tanti ponderis suspirium est, quod cuncti delectationum fluenta, deliciarum montes, iucunditatum oceani, quibus ferendis vix par est anima, quæ illas fert? ô posset tantillum lætitiæ, quæ iustorum mentem afficit, ac tantum non obruit, in illos cadere, qui ab externis rebus lætitiam mendicant, mendici semper futuri, quia ab externis quærunt, quod in externis si esset, verè non esset.

272 Amoris testes ab Amore lachrymas postulemus; deleant aquę cętera quod chartis inscriptum, & exaratum est, hę quę ab oculis fluunt, amoris characteres qui in corde scripti perficiunt, & exornãt, exeant lachrymę quę Dei in nos amorem testentur, nostrumque in Deum: Posset quilibet ęstu amoris ad Deum verba dirigere, vt potest verba quibus has lachrymas à Deo suo postulabat Sanctus Anselmus: dabo illius verba, impetret ipse nobis, quod ipse impetrauit sibi; necte mentem menti illius, cuius & verba audis, & profers: *Da mihi euidens signum amoris tui, irriguum* LACHRYMARVM FONTEM *iugiter emanantem: vt ipsæ quoque lachrymæ tuũ in me testentur amorem, ipsæ prodant, ipsæ loquantur, quantum te diligit anima mea, dum præ nimia dulcedine amoris tui nequit se à lachrymis continere. Reminiscor ipse Domine, illius bonæ mulieris Annæ, quæ ad tabernaculum rogatura pro filio venit, de qua scriptura refert, quod vultus eius, post lachrymas, & preces non sunt amplius in diuersa mutati, sed memor tantæ virtutis, tantaque constantiæ dolore torqueor, & verecundia confundor: quia me miserum nimis deorsum iacere intueor.* Tantum lachrymæ potuere, supra sexum suum se mulier extulit dum sic lachrymas protulit; pergit, & rem vrget: *Si enim ita fleuit, vt in fletu perseuerauit mulier, quia quærebat filium, quomodo plangere, &* IN PLANCTV PERSISTERE DEBET ANIMA MEA, QVAE QVAERIT, & AMAT DEVM, ET AD EVM PERVENIRE DESIDERAT? *Quomodo gemere ac flere debet talis anima, quæ quærit Deum die ac nocte? quæ præter Christum nil vult amare?* Quàm lætæ lachrymæ, quæ ad lætitiæ auctorem lachrymantem ducunt, & vbi duxerint, iungunt, & vniunt; felices lachrymæ, quas Creatoris manus abstergit, insidere debent oculis, vt ab oculis abstergat illos Deus.

Muniri solent aquis oppida, solent Vrbes; mentis Vrbs, animæ oppidum lachrymis est muniendum, vt hostes qui nos obsident, arceantur, amemus lachrymas, vt nos ille amet, qui gaudium verum, veramque lætitiam affert, dum amat, & dum amatur; cæterum RIDERE, & RIDERI, vt monebat Sanctus Hieronymus, *sæcularibus derelinque*; irridebitur, qui ridet, & ad ęterna gaudia lætus feretur qui mundano risui lachrymas præfert, quæ Deum suum, vt ita loquar, redolent, & culparum dolori miscentur.

CAPVT XXXII.

Lætitia vera quærenda, verus risus.

Omnes gaudere quærunt, *pauci* sciunt.
Gaudium sanctum *amandum*.
In Domino *gaudere quisque studeat*.
Quæratur gaudium, quod tollere *externa nequeant, nec inficere*.
Lætitia spiritualis telum *contra Satanicum hostem*.
Illo gaudio quisque gaudeat, *quo* veluti stimulo *in Deum vrgeatur*.
Sola Dei lætitia possessores suos continet, & *totos* ambit.
Mentis gaudia *qui quærit*, inania *æstimat omnia alia*.
Magnum gaudium est esse *exoneratum* se ipso.
Vna spiritualis lætitiæ gutta *toti mundani gaudij* Oceano *præferenda*.
Bonorum *risus æterni risus* arrha.
Mentis gaudia sentiri *possunt, nequeunt* explicari.
Cum ridente mundo nemo rideat, nè cum lugente lugeat.

Gaudium hucusque damnaui, lætitiam 273
punxi, & expunxi; non omne, non omnem, in fictum tantum gaudium armaui calamum, & contra fictam lætitiam iui, & pictum risum; verum adeo non damno, vt ad illum omnes prouocem, omnes inuitem; Vetus, & verum dictum est;

GAVDERE *quærunt omnes, multi nesciunt*.

Vt scias; discendum est; etiam Seneca sic Luciliũ suum alloquebatur; *Ante omnia fac mi Lucili*, DISCE GAVDERE; in fictum illud gaudium, quod frontes remittit, non implet pectus, nec extra labiorum limites it, fertur quilibet etiam absque doctore; aliud ergo gaudium quærendum est; vocamur ad aliud, quod non ita obuium; hoc gaudium mentis est ex honesto amore nascens; quod inter virtutes pullulat, in solius innocentiæ solo coalescit, & in sanctitatis sinu sedet, vt sanctum quoque dicatur; hoc enim titulo illud insignis ille auctor insigniuit, dum dixit: *Si das pacem, &* GAVDIVM SANCTVM *infundis, erit anima serui tui plena modulatione, & deuota in laude tua*; mundi gaudium sanctitatẽ inficit, aut etiam penitus tollit, quia non verum; gaudium, quod à Deo, sanctitatem ipsam nutrit, & nutritur ab ipsâ.

Gaudeo si gaudium istuc quæras, neminem ab 274
isto abstraho, omnes traho; quære gaudia vera, lętitiam veram quære, & totum te in lætitię sinum abdere non sino tantum, sed cupio; vis veris gaudijs perfundi? in non vera ne effundaris; in Domino gaude, ne mundus te suis pictis gaudijs decipiat, & abstrahat à puris, & à veris; Sancti Chrysostomi hęc sunt verba ad vera nos gaudia inuitantis: *Si vultis vera solemnitate vti, si veris gaudijs frui, gaudete, vt Apostolus ait, sed gaudete in*

Domi-

Domino semper. Sicut enim quadam, ut scitis sunt TVRPIA GAVDIA; ITA QVI IN DOMINO VVLT GAVDERE, FLAGITIOSA OPORTET GAVDIA NON REQVIRAT; ab illis se surripit, qui rapitur istis, non miscentur hæc gaudia, non cohærent, si vera verè quæris, quæ non vera reijcias; non admittit illum in suum sinum lætitia vera, qui in suum fucatam admittit.

275 Quæramus gaudium, sed verum, quod huius vitę pericula non inficiant, in quod gladius, furor, innidia, insidię, morbi, curę, & quęcumque alia hostilem faciem pręseferentia, licet sęuiant, nulli tamen ab istis nequeat, sed istis soleat extolli; quęramus lętitiam, cui nec aduersa ipsa aduersa sint, surgatque altius, tanquam flamma, quò magis premitur; amemus illum risum, qui non in labijs domicilium suum locat, sed in corde; Mille discriminibus viros expositos alloquebatur Paulus cum diceret: *semper gaudete*, volebat nos terrenarum voluptatum hostes, mundanarum illecebrarum non sectatores, sed insectatores, ad illos hęc verba dirigebat, quibus mundus, quibus infernus bellum indixerat, imo & pręlium, ad gaudium vocat à terrenorum opum amore auocatos, probè sciens etiam inter miserię spinas gaudium germinare, si verum, inter fortunę tormenta, atq; ludibria, inter vitę huius calamitates benè adolescere gaudium, quod in animo radices habet; miserię adeo lętitiam animi non euertunt, vt illis velut quibusdam machinis auehatur; semper gaudere possunt, qui gaudium non à rebus mutuatur, sed rebus ipsis, vt ita dicam, mutuat, gaudioque quo intus perfunditur, gaudij materiam efficit etiam ea, quę extra, & quod magis, non solum extra gaudij limites, sed etiam contra gaudium.

276 Lętitiam probo, sed quę nutrit probitatem, illa, quam satanicus bustis abhorret, quęrenda à nobis est; ex Sancti Antonij mente spiritalis lętitia telum potentissimum contra Dęmonem est; lętitiā odit lętitię incapax; odit eò acrius, quò vniliorem nobis eam videt, terretur cum lętos nos in Dei obsequio conspicit; par est Philistęis, qui tristitia correpti fuere, cum exultationem per Hebręorum exercitum excurrisse auribus exceperunt, Pulchrè rem versat Carensis Vgo: *Lætitia*, inquit, *spiritualis* EST ARMATVRA CONTRA DIABOLVM, *& multum roborat hominem, & confortat; hanc lætitiam multum timent Dæmones; vnde & Philistei ingemuerunt dicentes: væ nobis, non enim fuit exultatio tanta ab heri nudius tertius, væ nobis*; nimirum hostes sibi potius timent ab hostium lętitia, & gaudio, quam à viribus, & ab armis; quia in Dei obsequio plus laborantis lætitia valet, quàm vires; multa, & magna forti animo facit, qui licet alioquin viribus imbecillis afficitur lętitia; hoc quoque boni secum spiritale gaudium affert, quod operantis bona grandiora facit, Deoque chariora cui sistuntur; nimirum gaudium, quod leniores labores reddit, laborum fructibus pondus adijcit.

277 Gaudium mentis sinu excipe, non omne, sed illud, quod Deum sapit, quod vera, solidàque gaudij materia parturit; gaudendum Dei seruo est, vt gaudio tanquam stimulo in Dei obsequium vrgeatur; Audi ad verum gaudium inhortantem. *Tibi Sacramentorum Cælestium Sacro-sancta mysteria committere, tibi iudiciariam dignitatem, & Vitam Æternam promittere, sua ineffabili bonitate dignatus est. Tibi iterum dico, qui talis es*, GAVDE IN DOMINO, *vt illi* ALACRIVS, ET ARDENTIVS VALEAS FAMVLARI, *vt per dilatationem iucundissimæ charitatis expeditius mandatorum eius viam currere queas, vt Sacrificium laudis & fragrantiam votorum tuorum purius illi offerre valeas, vt per iugem gratiarum actionem, & ignitum cordis amorem amabiliorem te illi exhibeas. Pro his causis securè & indubitanter gaude*; gaudio vero perfusus ad verum gaudium nos his vocibus vocabat Beatus Laurentius Iustinianus; gaude, & vt ex vero gaudeas, gaudium excute, quod non verum; nisi gaudium falsum euomueris, & gaudij falsi amorem, verè te gaudium verum euomet, & lętitia vera, ac pura à te abibit, nisi tu abieris à non pura, abieris à non verâ.

Falsa mundi lætitia est, est & manca; ab una 278
parte hominem tangit, reliquas mœrori, tristitięque ictibus exponit; sola Dei lętitia totum hominem ambit; ut uerè dixerit Propheta Regius; *Circumdedisti me lætitia*; non potest hoc mundus; Dei solius lętitia circumdare illos potest, quibus datur; huius uerbi uim expendens Carensis Vgo; *Dixit*, inquit, *circumdedisti, vt notes* MAGNITVDINEM LAETITIAE, *quæ potius continet suos possessores, quàm contineatur ab eis*, totos ambit, quos ambit, nec tristitię uulneribus nudum relinquit latus.

Mentis gaudia quęre, ubi hęc senseris, quàm inania alia sint, apertè cognosces; Pulchrè Bilius,

Sidere qui nunquam spectato sole, videret,
Aut etiam quæ dat lumina nocte soror:
Nusquam splendidius lumen, nec clarius orbi
Quæ præluceret, crederet esse facem.
Sic quoque qui sancta non sentit gaudia mentis
Hæc caro quæ sequitur, GAVDIA VERA PVTAT.
At qui LAETITIAM NOVIT, *sensitque piorum,*
Protinus huic mundi nil sapit omnis amor,

Hic error in errores magnos mundanos trahit, 279
quod de lętitia iudicant antequam illam gustent, quæ sancta, quæ diuina, quæ uera; inque errore suo radices agunt, quia mundana gaudia in suo uolunt sinu adolescere, non quærunt ea gustare, quæ mundum cum non sapiant, nihil habent non mundum, non purum, non defęcatum; si experientiæ libra res penderetur, uel unica spiritualis gaudij gutta præferenda toti mundani gaudij Oceano est; crede, & experiro, nec alienis testibus indigebis, tu tibi testis eris. Placent gaudia? quære quæ uera, amanti hoc gaudium, uel sola gaudij istius memoria suauissima est; spiritualis ista lætitia, ad quam te uoco, libatio quædam est lætitiæ, quę æternùm est Beatos beatura; gaude igitur, ut gaudere æternùm possis; amanda est pura mentis lætitia, non causa tantum sui, sed & illius æternæ, quæ lætitiæ ueræ terminus sine ullo termino erit.

Vis à uero gaudio non deseri? te desere; se exo- 280
neratus onerari gaudio potest, se oneratus exoneratur gaudio; ut non aliunde gaudium sit, grande est à sui exoneratione, à neglectu sui; scitè ille, ac uerè: *O quantum* GAVDIVM EST ESSE EXONERATVM SE IPSO, *& exemptum importuna, & molesta cura sui? Credo, eum qui se deposuit, & reliquit euasisse huius vitæ miserias, & angores*; fugit ergo gaudium, qui sequitur se, & extra lætitiæ ueræ fines est, qui sui curam pro fine habet.


Bona bonorum lætitia, quæ arrha quædam æterni est risus, puræ conscientiæ purus fœtus, nobile uirtutum germen, sanctitatis comes, innocentiæ fructus, in uitæ istius fluctibus anchora, in laborum æstibus ros, in aduersitatis tenebris Sol, in ridentis fortunæ illecebris frænum, contra omnes hostes fortissimus murus; omnia paucis claudam,

dam, si dicam; omnibus puram istam lætitiam omnia esse; manna quoddam est, quod omnes sapores continet, omnes suauitates; quid plura in gaudij istius commendationem adgero? si explicari posset, non esset illud, quod uerè est; quid casso labore uerbis gaudium effero, quod uerbis omnibus est maius? quid sermone commendo, lætitiam illam, cui non semel sermones officiunt? non fert extolli uerbis, quæ nimio uerborum fusu plerumque tollitur, aut minuitur; satis lętitiam ueram laudat, qui imparem se eius laudibus fatetur; silentio efferenda est, ut & ille à quo prodit.

31 Nolo plura de uero risu dare, nolo plura contra falsum adducere; mentem habenti sufficient ista, quæ de illo tetigi, in istum dixi, mentem non habenti, afferre plura, esset plura proijcere, diutius, sed inaniter laborare. Laruam, quod initio promisi, à personato mundi gaudio detraxi, ut personato gaudio deceptos à gaudio abstraherem; hoc cupio, sed sine te à te hoc nequeo obtinere, imo nec tu à te ipso, nisi ad te redeas, reddas te tibi, deceptumque te sentias hucusque, ne deinceps decipiaris; diù te ficto risu decepit mundus, deceptorem cognosce, & dum cognoscis, & fuge, & fuga; Irridentem irride, irrisionem eius, quod etiam initio dixeram, anteuerte, ne te euertat, & irrideat; à probo calamo probum monitum habes; Sanctus Anselmus perpetuus ubique mundi hostis hæc contra mundi illecebras exhibebat ad cautionem: *Si quando in aliquo sui generis fauore vobis* RIDET, *nolite illi* ARRIDERE; *vtique non ad hoc ridet, vt in fine rideatis, sed vt sub principe suo irridente* CVM IPSO LVGENTE LVGEATIS. Si mentem habes menti hæc ita inscribe, ut legantur in moribus; obsigno & altè inclamo:

Non moritura lætitiæ natus immori non debet moritura,
Nec ficto gaudio hærere, qui vero gaudij Auctori est adhæsurus.

Finis Risus Sardonici.



INSCRIPTIONVM
FRANCISCI POLAE
IVRISCONS. VERON.
LIBER SINGVLARIS.

IN QVO
Quingentæ plùs minùs inſcriptiones
EIVSDEM POLÆ
Super varijs rerum argumentis
Ad exemplum, & ſimilitudinem
Romanarum inſcriptionum
Compoſitæ,
Et ad capita quædam
Exactæ
Continentur, digeruntur.
Præpoſita itidem præfatione:
In qua
Peregrina de inſcriptionibus nonnulla
Explicantur.



Inlustrissimis Viris

ACADEMIAM PHILARMONICAM

Qui formant, & insigniunt.

Aloysius Nouarinus Clericus Regularis.




DEflecterem quippè, si aliò flecterem, & errori adscribi mihi posset, si Inscriptiones hasce alijs, quàm vobis, Inlustrissimi Viri, inscriptum irem. Debentur vobis; nam vester ille fuit, à quo istæ fuere. In vestrum fuit numerum ascitus Pola, Academiæ vestræ lumen dedit, dum dedit se, & nomen illi fecit, dum suum addidit. Sed & alio titulo ad vos ferebantur, quia nimirum auctor ipse eas editurus, vos cogitauerat, vobis dicauerat opus istuc; sicq; siue auctorem specto, siue eius mentem, vestrum est, quod vobis offero. Par igitur erat, vt vobis redderetur, quod non vno titulo vobis debebatur. Reddo; istuc idē facturus, etiamsi Pola non fecisset: cuius laboribus hoc quoque debeo, quòd per illos mihi datum vos adire, & sapientiæ vestræ alieno licet opere, non alienè tamen litare. Meum quodammodo feci, dùm ferè sepultum defodi, & luci publicę commisi, quam quærebat, & à qua quærebatur. Excipite, Patriæ nostræ lumina, has Inscriptiones, ad antiquarum formam ita formatas, vt no-

uam ſemper admirationis materiam ſint daturæ. Offero vobis quod vobis Pola obtulerat, & dico quod ille dicauerat. Ab illius ingenio opus habetis, à mea cura operis editionem. Vehet quocumque vehetur Polæ Inſcriptiones meum hoc volumen; & vos huic pectori inſcriptos ego feram quocumque ferar. Qui pro veſtra peritia ſimilium operum ſoletis ſedere arbitri huius deinceps patroni eritis. Interim Deum precor, vt & proſpera veſtra producat, & vos perducat ad ſe, regnoquè vos excipiat, quod beat quos recipit.



LEC-




LECTORI MEO.



VCTOR FRANCISCVS POLA *hasce Inscriptiones editioni parauerat; sed prius ille ab hac luce abijt, quàm hæ lucem viderent. Studui interitui, qui illis imminebat, occurrere, meisque opusculis inserui, ne Orbis hoc thesauro careret. Non est, quòd authorem, aut auctoris opus efferam, cum hanc sibi inuicem operam reddant, opusque auctor laudet, auctorem opus. Tantùm in formandis Inscriptionibus valere* POLAE *Ingenium, dum* POLA *viueret, est creditum, vt illum velut Antiquitatis promum condum omnes ab omnibus mundi partibus adirent, vnde si Inscriptio aliqua alicubi esset sculpenda, quæ antiquum saporem haberet, & veterem præseferret maiestatem, solus* POLA *quærebatur. Habe igitur, Lector, hoc tanti viri opus, dum alia, quæ ab eodem calamo fuere, studiosè venor, quæ si queant deprehendi, secundo opusculorum meorum volumini inserentur. O esset, qui Elogia quæ* POLA *in multorum laudem formauerat, aut indicaret, aut offerret, nec tàm insignem laborem Orbi inuideret. O possem has gemmas meis Operibus inoculare, & pondus meorum scriptorum leuitati hac industria adijcere! Dùm istuc, Lector, & à te, & tui quoque causa quæro, tu Elogium lege, quod in doctissimi viri laudem, & commendationem nobilis ex nostris auctor Bernardus Bruschus excudit; quod est huiusmodi.*





ELOGIVM FRANCISCI POLÆ IVRECONS. VERONENS.

AVCTORE

BERNARDO BRVSCHO.



HOmine Italo, solida Iuris intelligentia, & orationis elegantia claro, opus fuit, ad Romanam antiquitatem exornandam, atque illustrandam. Talem se in lata toga spectandum omnibus præbet FR. POLA, Veronensis litterariæ gloriæ pars maxima, optima; quem inter præclaros viros in vario genere laudis silentio inuoluere non putamus. Negat fieri debere eius virtus modis omnibus incomparabilis; quæ per varias fortunæ vicissitudines in patria exercita, & probata, tandem aliquando se se Patauij spectandam dedit, atque meritò admirandam. *Paruum etenim, malignumque est, non admirari hominem admiratione dignissimum; quia videre, alloqui, audire, complecti, nec laudare tantùm, verumetiam amare, contingit.* (Pli. lib. 1. Epist. 16.) Sed quàmquam Polæ nomen non ita lateat in angulis, aut tenebris inclusum, vt indigeat nostræ prædicationis lumine: attamen priuata animi causa, cupido magis, quàm valido affectu raptus, amaram desideratissimi amici memoriam debito Elogij honore dulcem reddere, & condire tentabimus. Cui si simplex, & facilis admirandis virtutibus contigisset antiquitas, ò quanta ipse ingeniorum certamine celebraretur! Vir igitur iste pusilli admodum corporis ex ingenua Polarum Familia, cuius mentio ab anno vsque M. CC. XXII. in publicis documentis, per quam nobilis habetur, Veronæ ad sui aliorumque immortalitatem exortus est. Cùmque à natura præaltum, & viuacissimum ingenium attulisset; dum se in florem ætatis induit, indefesso studio in præstantiores disciplinas incumbens, tantos progressus fecit, tantaq; acquisiuit incrementa; vt omnes ciues suos incredibilem sui expectationem, & admirationem excitauerit. Patauij sub Menochio, & Pancirolo, Viris præstantibus, & præcellentibus, iustis Iuris prudentiæ opibus instructus, de partis Doctoris insignibus feliciter triumphauit. Sed enim in patriam post liminiò reuersus, annos ipsos XXV. in foro ita versatus est, tum dictis, scriptisque consulendo

ſulendo, tum cauſas quà ciuiles, quà capitales agendo, vt in grauioribus quibuſque iudicijs probè cognitus, & commendatus, præcipuus inter probatos ſuæ patriæ patronos ei locus fuerit. Collecta inde excellentis in Iure præſtantiæ fama, ad Patauinam Pandectarum prælectionem, cum magna ad ordinarium palmarium acceſſione, perhonorifico S. C. Anteceſſor deſignatus, ſtudiosè amplexus eſt ſegetem, & materiam gloriæ ſibi oblatæ. Atque demandatam hanc ſibi prouinciam tanta alacritate adminiſtrare cæpit, vt Grecæ linguę non neſcius, Latinæ ſcientiſſimus, Dialecticam optimè callens, Philoſophiæ nec expers, peritus antiquitatis, forenſiq; vſu pollens legum textus, & Iuris quæſtiones pulchrè, ornateque explicando communem Patauinæ Academię applauſum proculdubiò reportaſſet, niſi importuna vi fati gymnaſijs præreptus eſſet. Et fuerunt fortaſsè, qui tanti Viri gloriæ, quorundam luminibus officiēti, vel detraherent occultè, vel inuiderent apertè. Age verò, POLÆ laus, pręclaris ingenij ſui monumentis poſteritatis prodita, quàm gloriosè terrarum orbem peruagatur? Nemo iàm neſcit, niſi qui ea quoque, quæ nota ſunt omnibus, neſcit, varias eius Inſcriptiones, per vniuerſam Europam amandatas, antiquam dignitatem, atq; adeò omnigenam elegantiam præſeferre; ad cuius gloriam aſpirare, aut ſe cum eo conferre ſi quis voluerit, eruditorum omnium conuicio vapulabit. Nemo libellum, cui Epitaphij nomen, rationem exarandarum Inſcriptionum aduerſus Equitem Guarinum validè propugnantem, & defendentem, inſpexit; qui non ſimul tàm doctum, & elaboratum opus ſuſpexit. Nemo carmina, & ex quouis Poeta conflatos centones, plena manu non laudauit: in quo ſanè argumento valebat plurimum.

interquè Helicona colentes.
Vberiùs nulli prouenit iſta ſeges. Ouid. de Pont. Eleg. 2.

Nihil magnificentius, aut grandius orationibus. Nihil demum magis ornatum, excultumque Elogijs, quibus virtutes Veronenſium hominum varijs nominibus clarorum peregregiè, perpoliteque expreſſit. Quid autem? non legum tantùm conſultationes, in quibus multa lectio elucet, ſeque priuati Iuris, & publici peritiſſimum profitetur, ſubtiliter, & ingeniosè ſcripſit, verùmetiam de honore pijſſimè conſuluit: qua quidem in re, quantum in Moralibus proceſſerit, ſatis ſuperque oſtendit. Decantatæ iam & confeſſæ veritatis eſt inter omnes; his litteris, quæ homines politiores reddunt, & humaniores, ſuprà quàm cuique credibile eſt, eum præſtitiſſe. Adeò vt propterea Doctorum, & clarorum hominum amicitias, & beneuolentiam quàm maximè promeruerit. Hos inter Auguſtinus Valerius, in cuius ſacra purpura morum ſanctitatem, & probatam litteraturam venerati ſumus: Marcus Velſerus, Duumuir Auguſtanus, ſeruandæ, docendæque antiquitatis exemplum: Io. Vincentius Pinellus, litteratorum cultor, & præmium: Lipſius rara doctrina, eloquentiaq; laconica Iuſtiſſimus, Polam, tanquam promum condum rerum omnium ſcitu dignarum, quàm plurimi ſemper fecerunt, mirumq; in modum adamarunt.


Gratiſ-

Gratiſſimus etiam fuit Filippo Fuggero, Dynaſtæ omni heroica virtute clariſſimo. Atqui re vera homo erat Pola non ſolùm præditus, ſed etiam affluentiſſimus virtutum omnium, & diſciplinarum copia; ad extemporaneas rerum tractationes ſemper, & vbique paratiſſimus; inuentione egregius, conſuetudine perurbanus, ſuauiſſimusque ſupra fortunam ſuam liberalis; dignuſque, cui nihil petenti negaretur, cùm ad aliorum ipſe petitiones promptum ſe cùm primis oſtenderet; à quo liuor omnis aberat, & malignitas; quàm cum Homero: *Æquè atquè Orci Portas* oderat. Iam quanta ſermonibus eius concinnitas? quàm preſſa, & decora cunctatio? quid eſt, quod non ſtatim ſciret? & tamen plerumq; hæſitabat, dubitabat diuerſitate rationum, quas acri, magnoq; iudicio ab origine, cauſſiſque primis repetebat, expendebat; grauesque & eleganter expreſſas ſententias colloquijs identidem aſpergebat. Harum è numero occurrunt iſtæ: *Sapientiſſimi artis ſuæ profeſſores ſunt, à quibus & propria ſtudia verecundè, & aliena callidè æſtimantur. Adduci non poſſum, vt credam vrbi vtilem, quem domui ſceleſtum cerno. Authore magno deſipere, penè ſapere eſt.* In eo ponere, & iſtas poſſumus: *Magnis viris magniloquentiam, vt ita dicam, indulgendam, quàm obijciendam, vel inuito Plutarcho, puto. Qui ad minora peccata interdum conniuere non vult, ſæpè ad maiora homines cogit. Non ſatis aptus eſt ad regendos homines, qui ab hominibus ea, quæ ſunt ſupra hominem, exigit.* Aſt tantæ dignationis virum, vt eſt hominum conditio lubrica, neſcio quę Veneris nubecula apud ſeueriores Catones paullulum obumbrauit. Quibus tamen illud perſuaſum eſſe volumus: *Optimum, & emendatiſſimum exiſtimari, qui cæteris ità ignoſcit, tanquàm ipſe quotidiè peccet; ita peccatis abſtinet, tanquàm nemini ignoſcat.* Mortalitati ceſſit immortalitate digniſſimus, myſterijs omnibus ſacris expiatus, Veronæ IV. Non. Auguſti, anno M. DC. XVI. ſuæ vero ætatis LIV. cum maxima reipublicæ litterariæ plaga. Funeri, Philarmonici omnes, mutatis veſtibus, officium pręſtitere: humatuſque eſt familiari monumento, quod ingredienti ædem Diui Thomæ Apoſtoli per anguſtiores valuas calcandum ſe primum offert. Septimo verò die, ex quo elatus eſt, memorabili rerum pompa ei parentatum fuit ad D. Sebaſtianum; quem Domitius Calderinus, latinis litteris legalique philoſophia ſatis eruditus, accommodata oratione meritis laudibus de ſuggeſtu exornauit, omnemque eius vitam perbellè delineauit. Æternam defuncti memoriam doctiores paſſim varijs ſcriptionibus ſunt proſecuti. Cozza verò Cottius, Archipresbyter Veronenſium, optimarum litterarum laude inſtructus, qui cum Bartholomæo fratre, redundantis eloquentiæ Iureconſ. pro ſalute Polæ ſpiritum ſimul deuouerat, ſupremum amicitiæ munus lapido Epigrammate exoluit.

Plin. libr. 8. Epi. 22.

MORTE DEFVNCTE POLA
ELEGANTIÆ ET ERVDITIONIS
ARBITER
HAVE PERPETVVM ET HABE
VIRTVTVM TVARVM
TESTINONIVM
ANTIQVITATI NOBIS POSTERIS
ERVBESCENDVM PRÆDICANDVM INVIDENDVM.

PRÆFA-



PRÆFATIO.



A Frequenti lapidum volutatione, in qua partem aliquam nostrorum subcesiuorum studiorum posuimus, extra quàm quòd Perrodicæa nostra, idest, lapidaria iura, excerpsimus, quibus præcipuam ingenij nostri curam, Iurisprudentiam scilicet, honestauimus: eam quoque opinionem collegimus, vt crederemur aliquid momenti habere ad faciendos titulos antiqui saporis; ex hoc accidit, vt, dùm satisfacere potiùs cæteris, quàm nobis, volumus, plurimas Inscriptiones conscripserimus: quarum nonnullæ à nobis, quasi per iocum, seruatæ, in hunc excreuerunt librum, qui nunc exit non sua prorsùs spontè, sed aura amicorum beneuolentissima præcipuè impellente; quòd vtinàm nobis, ipsisquè benè vertat. Veremur enim fanè, licèt singulæ separatim haud fortè displicuerint, ne vniuersæ tamen coniunctim maximè exsibilentur. Exempla nulla nobis in prospectu, quæ sequamur, præsertim in patria nostra. Nam tametsi in manibus sint complures Inscriptionum Libri; hæ tamen omnes antiquæ, venerandæ maiestatis Romanæ reliquiæ sunt: & si quas Clarissimi nonnulli viri elegantissimas fecerunt memorias, raræ illæ planè sunt: & denique ciues nostri, Iucundus Felicianus, Montanea, Panuinius, cùm multa Epigrammata in vnum compilauerint, non illa sedenim propria, sed à semessis Romulidum marmoribus descripta, Si qua verò ipsi fecerunt, paucissima illa mehercle sunt. Qui vni plurima Elogia propria Minerua simul fecerint, simul ediderint, nulli, quos sciamus, apparent: ergò nobis pudor est, & timor ire præ alijs, & viam cæteris munire in hoc scriptionis genere. Fortunet Deus vota nostra, quæ planè nec inhonesta, nec ambitiosa; & faciat, vt homines literati, & benè eruditi opusculum hoc nostrum benigno, & candido excipiant animo: &, si quid vitij inest, (inest autem plurimum) excusent, emendent: *Nemo nostrum non peccat; homines sumus, non Dij*, inquit Petronius. At enim interea arbitramur, non fore alienum à te præsenti, si quamuis olim multa, eaque, ni fallimur, minimè inerudita de Inscriptionibus scripsimus in libello illo nostro, cui EPITAPHIO nomen, quem Italica lingua exaratū, anno CIↃ. IↃ. C. Venetijs edidimus, cum titulum quemdam nostrum à notis, quas illi inconsiderat Baptista Guarinus, Vir literatissimus, expurgaremus; nonnulla tamen alia hic locorum ex ordine explicaremus, quæ nec negligenda sint illis, qui hoc liberaliori studio delectarentur.

Placet igitur declarare, quotuplex sit Inscriptionis significatio; quid sit hæc nostra, quæ nobis præ manibus; Quotuplex eius nomen; Quia ei propositus finis; Apud quos populos præcipuè vsitatæ fuerint: qua in materia scriberentur; Qui auctores ad eas benè scribendas conferant.

Quod attinet porrò ad variam Inscriptionis significationem, si vera est sententia Chrysippi, omne verbum esse ambiguum, verissima planè fit in hoc ipso, quo de agimus, verbo, quod plures habet significationes. Nàm primùm significat illam accusationis subscriptionem, qua se quis Talioni adstringit, nisi crimen dolosum probauerit: cuius rei frequens est in nostris Iuris Pandectis mentio, & præcipuè *Libro XLVIII. Tit. XI. Cap. III.* Brissonius quoque tractat in Lib. *De Verb. Signif.* & Cuiacius *Lib. I. obseruat. Cap. XX.* Inscriptio etiam refert titulos libris præfixos, de quibus latè, & bellè Plinius noster in præfatione Historiarum: Inscriptiones etiam dicebantur notæ turpes, quæ in fronte seruorum nequam describebantur, quarum exempla passim occurrunt apud Plautum; & meminit Petronius in Satyricis; Valerius Max. *Lib. VI. Cap. VIII.* & Cuiacius *Lib. VII. obseruationum Cap. XIII.* notaturquè etiam aliquid Pandectarum *Lib. XI. Tit. IV. Cap. II.* Quæ notæ quoquè reorum damnatorum vultu imprimebantur, illæ quoque Inscriptiones dicebantur; egregium earum exemplum est apud Senecam *Lib. IV. de Beneficijs Cap. XXXVII.* Hoc etiam nomine indicantur tabellæ illæ, quæ caussam supplicij significantes, vel reorum collo appendebantur, vel eis, dùm ducerentur, præferebantur; de quibus Rodulphus Fornerius *Lib. I. quotidianarum rerum Cap. XIII.*

Inscriptum quoque erat, quod non professum, nec à publicano libris scriptum, vt videre est

est apud Adrianum Turnebum *Lib. XXIX. Cap. XVII.* Inscriptiones etiam erant tituli illi, qui cellis meretricijs inscribebantur, vbi nomen meretricis, & precium libidinis; apparet apud Senecam *Lib. I. controuers. Cap. II.* qualis extat apud Apollonium Tirium in Historia. Inscriptio porrò, cuius tractatum id temporis habemus, est titulus operi alicui præfixus, vt bellè colligitur ex lib. L. Pandectarum *Tit. IX. Cap. II. & XXX.* Non immoramur in hac definitione explicanda, quia non hæc nobis cura est in præsentiarum: alio modo definiuimus in libello, quem diximus, nostro, & explicauimus. Hæc autem nostra Inscriptio à bonæ linguæ Latinæ authoribus passim legitur dicta titulus, Epigramma, Elogium, memoria, monimentum, scriptura, scriptio, subscriptio, proscriptum, Inscriptum; Authores recitare singulos nugatorium existimamus in re planè obuia. At, licet plurima nomina habeat, vnum tamen habet finem propositum; gloriam scilicet, & immortalitatem; Horatius apptimè docet Ode XXIV. lib. III.

„ *Si quæret*; PATER VRBIVM
„ INSCRIBI STATVIS; *indomitam audeat*
„ *Refrænare licentiam*
„ CLARVS POST GENITIS.

Et libro IV. Oda VIII.

„ *Non incisa notis marmora publicis*,
„ *Per quæ spiritus, & vita redit bonis*
„ *Post mortem Ducibus, clariùs indicant.*

Bellè etiam Cicero lib. 1. Tuscul. quæst.

„ *Quid ipsa sepulchrorum monimenta,*
„ *Quid Elogia significant, nisi nos etiam futura cogitare.*

Qua gloriæ, & immortalitatis cupiditate cùm nulla gens non ducta fuerit; nulla quoque fuit tàm barbara, quæ Inscriptionibus non fuerit vsa. De Assyrijs exemplum est apud Arrianum *Lib. II. de rebus gestis Alexandri*, vbi Sardanapali Epitaphium describitur. De Iudæis vestigia satis certa apparent, Genesi *Cap. XXVIII. & XXXV. Lib. I. Regum cap. VII. & Lib. II. cap. XVIII.* Manifestissimum certè apud Iosephum *Lib. VII. Antiq. Iudaicarum*, de titulo Absalonis. De Ægyptijs occurrit Tacitus *Lib. II. Annal.* de Tito loquens: „ *Mox visit veterum Thebarum magna vestigia: manebant structis molibus litteræ Ægyptiæ, priorem opulentiam complexæ.* Qui Tacitus & de Messenijs *Lib. 4. Annal.* testatur his verbis. *Contra Messenij, veterem inter Herculis posteros diuisionem Peloponesi protulere, suoque Regi Denthelıatem agrum, in quo id delubrum, cessisse: monumentaq; eius rei sculpta saxis, & ære prisco manere.* De Macedonibus fidem facit Cornelius Nepos noster in Pausania, & Alcibiade; & idemmet Arrianus *Lib. I.* dùm refert titulum, quem Alexander præfixit trecentis armaturis Persicis, quas miserat Athenas dono Palladi; & *Lib. II.* dùm narrat, Alexandrum memoriam inscripsisse Naui Tyriæ, quam Herculi sacrauit. De Persis Arrianus pariter scribit *Lib. IV.* vbi Epitaphium Cyri, Persicis litteris eius sepulchro inscriptum, apud Pasargadas extans, refert. De Mitylenæis ipse quoque Arrianus asserit *Lib. II.* quò loci Fœdus, ab illis ictum cum Alexandro, in tabulis ait exaratum, quæ publicè extollebantur. Liuius certè *Lib. VIII. III. Decadis* in fine de Pœnis testis, dùm Annibalem propter Iunonis Laciniæ Templum æstatem egisse, ibique aram condidisse, dedicasseque cum ingenti rerum à se gestarum titulo, Græcis, Punicisque litteris insculpto. De Syracusanis restatur Cicero *Lib. V. Tuscul. quæst.* dùm disertè scribit, ad portas eius ciuitatis, quas Agragianas dicebant, maximam sepulchrorum frequentiam fuisse, seque ibi sepulchrum Archimedis, & Epitaphium dumetis vndique, & vepribus obrutum, inuisisse, & indicasse, meritò gloriatur. Verùmenimuerò Romani, quemadmodùm rerum potentia, & Imperio, magnitudineque animi cæteras omnes gentes latè superarunt, ita amore gloriæ inflammati, & posteritati modis omnibus consulentes, in hoc genere primas obtinuerunt; nec vllus angulus Orbis fuit, vbi aliqua Romanorum inscriptio non extaret. Collecta iam sunt sexcenta millia lapidum à varijs hominibus nobilioris spiritus, quotidièque eruuntur. E ciuibus quidem nostris Ioannes Iucundus duo millia collegit, quæ, diù Venetijs apud Patritios Magnos seruata, mox consumpta: Onuphrius etiam Panuinius librum inscriptionum Romanarum fecit, qui euanuit. Felix Felicianus omnes lapides Romanos, qui Veronæ, atque adeò in Veronensi agro extabant, diligenter descripsit: sed hic liber, paucis ante mensibus Bibliotheca Nichesolana, vbi adseruabatur, sub hasta venundata, deperditus. Federicus Cerutus, auunculus noster, in libellum elegantem, qui apud me est, redegit ea omnia prisca marmora, quæ idem Cæsar Nichesola in Villa Pontina habebat, dùm viueret; quæque post eius mortem in Academia nostra Philarmonicorum beneficio Principia custodiuntur.

Neque

Neque verò Romani contenti erant Romane dumtaxat inscribere; omnibus etiam Barbarorum linguis titulos concipiebant, ad famam, & maiestatem imperij prolatandam; egregiè Iulius Capitolinus scribit in Gordiano Tertio: *Gordiano sepulchrum milites apud Circeium castrum fecisse in finibus Persidos, titulum huiusmodi addentes, & Græcis, & Latinis, & Persicis, & Iudaicis, & Ægyptiacis litteris, vt ab omnibus legerentur.* Adeò verò curæ erat studium huiusmodi Inscriptionum Romanis, vt existimauerint Nomothesiam illam suam amplissimā & propè diuinam, non omnibus numeris posse fieri absolutam, nisi & leges aliquas de Inscriptionibus tàm publicis, quàm priuatis sanxissent. De publicis illæ leges erant; nullis, qui liberalitate non necessitate debiti, reditus suos ad opera facienda impendebat, prohibebatur capere fructum munificentiæ suæ de Inscriptione sui nominis; Papinianus *Lib. L. Pandectarum tit. IX. cap. II.* Operi publico nomen tantùm Principis, aut eius, cuius pecunia opus factum esset, inscribi licebat; Marcellus *eodem Lib. eodem tit. Cap. XXXI.* Nonnulli tamen erant Principes, qui titulos non adamarent in operibus; qualem Adrianum testatur Spartianus. Præsidis certè nomen nec superscribi poterat; Modestinus *Cap. IV. eiusdem Tit. IX.* Ità verò is, qui opus aliquod fecisset, se poterat inscribere, vt, si opus ab alio factum adornaret aliquo modo, manerent priorum tituli; Callistratus *Cap. VII. eiusdem tit. & libri Pandectarum §. II.* eradere etenim nomina eorum, cuius pecunia opus extructum prius esset & aliorum nomina inscribi, planè vetitum; Papinianus ibidem, in operibus sacris, opifices se non inscribebant; Cicero in Tuscul. quæst. „ *Opifices etiam post mortem nobilitari volunt quid enim Phidias sui similem speciem inclusit in clypeo Mineruæ. cùm inscribi non liceret?* Præterea bellè obseruatum animaduerti, ne municipes Patronis, vel Imperatoribus titulos ponerent, nisi prius ●s illis ostendissent, & placuisse cognouissent. Exempla huius rei sunt apud Ianum Grutterum *pag. CDXVII. num. VI. & pag. CDXLIII. num. VI. & pag. CDXLIV. num. II.* Denique nemo poterat auferre vicino prospectus publicæ scripturæ, quatenus ea, quæ scripta erant, cognosci poterant: Harmenopolus bellè in Prochyro Iuris *Lib. II. tit. IV. cap. LXII. Tanto interuallo abesse oportet eum, qui ædificaturus sit, & publicæ scripturæ prospectum vicino prærepturus, quanto quippiam, exibi descriptis aut pictis historijs, percelebre, spectari potest, &, vt si quis ipsam spectans picturam agnoscit, & ex suis ædibus depictos videt, Achillem, Aiacem, aut eiusmodi quempiam. Tùm enim potest eum prohibere, qui se velit huius picturæ prospectu fraudare. Si verò neque eorum quæ ibi sunt depicta quicquam notum est ac celebra, neque quisquam eam videt historiam, quàm ex eius prospectu voluptatem capiat qui ædificantem prohibet?* Scripturas autem publicas prospici à cubitis non minus ducentis idemmet dixit *eodem in loco cap. LX●* Hæc de publicis inscriptionibus leges erant. De priuatis verò Inscriptionibus nulla fuisse lex videtur; & licuisse vnicuique operibus suis se inscribere, à declarant passim lapides, monimenta; & indicat apud nos Scæuola lib. XXXIV. Pandectarum, tit. II. cap. XLI. „ *Ab hæredibus meis fieri volo, iubeoque signum Dei ex libris centum in illa sacra æde, & in patria statui cum subscriptione mei nominis.* Imp. Honorius, & Theodosius tamen vetuerunt, ne priuati homines titulos patrimonijs suis, & domibus adhiberent; vt videre est *Lib. II. Cod. tit. XVI. cap. I.* At, claros viros fundos suos inscribere potuisse, arguunt idem Honorius & Arcadius *Lib. II. eiusdem Cod. Tit. XIV. cap. I.* vbi sanxerunt, ne titulā potentum inscriberentur alienis fundis ad terrendos illos, qui eos vendicare tentant. Sed & capitale fuit, titulos Imperatorum fundis suis inscribere priuatis ex Theod & Valent. *Cap. II. Tit. XVI.* iàm dicti, & ex Iustiniano *Constit. XVII de mandat. Princip.*

Vsus porrò inscriptionum quà publicè, quà priuatè in omnem rem paratus, & expositus. Nihil enim erat in vrbe, in prouincijs, nihil domi, forisque, vel pace, vel bello publicè fiebat, quod aliqua solerti Inscriptione non notaretur: Priuati itidem vbique res suas titulis insignibant. Patent vtriusque notæ vestigia apertissima in libris, qui circumferuntur; sed non tem pero mihi, quin ex Petronij Satyricis indicem, in postibus etiam Triclinij eas adhiberi dùm illam affingit, G. POMPEIO TRIMALCIONI VI VIRO; & ad postes ipsos, cum Dominus foris accumberet, dùm illam simulat; III. & PRID. KAL. IAN. G. NOSTER FORAS DORMIT. In lancibus quoque nomen domini inscribebatur, & argenti, aurique pondus; Sic quoque amphoris vinarijs pittacia esse affixa cum titulis; dum illa refert. „ *Falernum opimianum centum annorum.* Quid? nonnè & in parietibus Villarum? Submonet, ni fallor, Varro *Lib. III. de re rustica* in fine præfationis, ad Pinnium: „ *Cùm enim Villam haberes opere tectorio, & intestino, ac pauimentis nobilibus lithostrotis spectandam, parum putasses esse, ni tuis quoque litteris exornati parietes essent.* Sicvt admirabilis appareat Romanorum solertia, & voluptas in vsurpandis huiusmodi scripturis, & ad quasque res apposité & eleganter adhibendis. Inscribebant autem antiqui in marmore, in ære; declarat Horatius, & Tacitus locis præcitatis. Sed & in ligno; Plinius Nouocom. in paneg. ad Traianum: *Quod ego titulis omnibus speciosius reor, quando non trabibus, aut saxis nomen tuum. sed monumentis æternæ laudis inciditur.* Horatius in Poetica: *Et leges incidere ligno.* Sed & in ebore; Pomponius lib. 1. Pandect. tit. ij. cap. ij. „ *Et ciuitas fundaretur legibus. quas. in tabulis eboreis conscriptas, pro nostris composuerunt.* At in his materijs, & prætereà in auro, inscriptiones Minio perscribebantur, teste Plinio nostro lib. xxxiij. cap. vij. „ *Minium in voluminibus quo-*

que

que scriptura vsurpatur ; clarioresque litteras vel in auro , vel in marmore etiam in sepulchris facit :

Auctores sed enim quibus ratio benè inscribendi cõfici possit, non est facile decernere: nullus est latini sermonis auctor idoneus, e a quo aliquid ingeniosus homo eacerpere non possit ad inscriptiones formandas : Senecam tamen, Tacitum, Velleium, Val. Maximum præ cæteris magis accommodatos censeo; & Plautum, si bono accipiatur modo. At verò libri omnes Inscriptionum vetustatum, quas Mazzochius, Apianus, Lipsius, Grutterusque præcipuè, qui palmam cæteris eripuit, optimi erunt omnium magistri laudabiliter inscribendi : Si modò attentè, & diligenter manu versentur ; &, quicquid purioris elegantiæ in eis est, excerpatur, & aptè ad res, quæ in dies offeruntur, accommodentur : Si quid verò impuri, & inelegantis insit, vitio vel auctoris, vel æui id reijciatur, & amandetur longè ; nec enim omnes lapides antiqui sine discrimine sequendi sunt; iudicio & prudentia distinguendi sunt, quæ duo nonnisi assidua lectione acquiruntur. Perlegendi tamen omnes, & sæpè sæpius peruolutandi : incredibile enim dictu est, quæ, quamquè læta, & fœcunda rerum, & verborum, atque adeò omnis eruditionis seges ex lapidario isto studio colligi possit à messore laborioso, & industrio. Superest, vt paucissimis verbis rationem reddamus, cur inscriptiones nostras eo, qui videtur, modo, scripserimus; qvia nullam distinctionem facere contra rationem est; nec nisi rudioribus seculis factum : At, cùm variè distinctiones adhibitas videremus, vel ›, vel ▵, vel ⋏, vel ❟, vel ❞: vel ❧; hoc vltimum vsitatum meliore quoque seculo animaduertimus, & magis proprium duximus. Seneca certè in *Epist. XL.* cum celeritatem dicendi damnaret, eamquè à Romanis abesse doceret, scripsit ; „ *Nos etiam, cùm scribimus, interpungere consueuimus*. Quibus ex verbis Senecæ duo colliguntur notanda; & Romanos interpungere consueuisse ; & ideò interpunxisse, vt moderatam, gradariamque pronunciandi legendique rationem indicerent. Muretus etiam ad eandem Senecæ Epistolam comprobat nostram sententiam, dum ait : „ *Omnia scribebant veteres ijs litterarum formis, quas hodiè maiusculas vocamus* : neque vlla ferè erant inter singulas voces interualla : punctis interiectis vocem à voce distinguebant, hoc modo. QVANQVAM. TE. MARCE. FILI. quare videtint, qui Inscriptiones suas non interpungunt, an rectè faciant. Secundùm inscriptionibus nostris accentus, qua graues, qua circumflexos, adhibuimus ; non sine exemplo priscorum lapidum, quos hic collocare, & me piget, & alios tæderet. Qui versati sunt in marmoribus antiquis, non me falsi damnabunt : qui nec versati sunt, videant Aldi Manutij Ortographiam in verbo, *adgredior*, num. 2. in verbo *Attius*, num. 1. in verbo, *Cælum*, num. 1. in verbo, *Carus*, num. 1. in verbo, *Cetera*. num. 4. in verbo, *Epistola*, nu. 5. in verbo, *Heres*, nu. 5. in verbo, *Rati*. num. 2. in verbo, *Rufus*, num. 11. & in alijs compluribus locis. Notas exclamationis ¡, interrogationis ?, interclusionis, siue parenthesis, ( ), adhibuimus non quidem exemplo vllo lapidum antiquorum ; Sed quorundam imitamento librorum manuscriptorum non obolarium ; vt scilicet faciliorem inscriptionum intelligentiam nostris seculis, minimè Romanis, pararemus. Sæpè sæpius autem vsi sumus voce illa OBIIT, vt quo indulgeremus nostro, apud quod piaculum fit, diem mortis eius, cui inscriptio ponitur, non ponere; antiqui planè nusquam quod sciamus, dicebant in inscriptionibus, OBIIT, sed tantùm VIXIT ANNIS. Sed iam satis de nostra inscriptionum scribendarum ratione : imò & super de inscriptionibus in vniuersum, quod proposuimus. Vale quisquis es, & nos nostrasquè hasce Inscriptiones ama.



INSCRIPTIONES
DIVORVM.

Non positum adhuc.

LILIATA DEIPARA. MARIA.
HANC. TIBI. ÆDEM.
LIBERALITATE. VERONENSIVM. EXIMIA.
EXÆDIFICATAM.
DERELICTÆ. FOEMINÆ.
QVÆ. IN. HAC. PTOCHIA. AGVNT.
DICANT. DEDICANT.
DEVOTÆ. NVMINI. MAIESTATIQVE. TVÆ.
VTI. SIS. EIS. SEMPER. PROPITIATA.
ANNO. M. D. C. V. KAL. AVG.

Veronæ in angulo Pratorij Mercatorum, qui forum magnum respicit.

MARIÆ.
QVÆ EST. MAXIMA.
VIRGINI. CHRISTI. MATRI.
AVXILIATRICI. CONSERVATRICI.
PLACIDÆ. PROPITIÆ. SECVNDÆ.
QVAM. COTIDIE. STATA. HORA. PROSTRATI. HOMINES. ADORANTO.
CORPORATI. OMNES. NEGOTIATORES.
STIPE. COLLATA.
SIGNVM. HOC. MARMOREVM.
P. PAVLO. MALASPINA. MARCHIONE. PR.
INCHOATVM.
VINCENTIO. MANVELO. IVRISCON. PR.
PERFECTVM.
P.
REVERENTISSIMI.
CVRARVNT.
IO. BAPTISTA. AROLDVS. IO. BAPTISTA. TACHETVS.
IOANNES. PONA. FRANC. LVCIASCVS.
NATALIS. ROCCAIVS. LAVRENTIVS. TVDESCHINVS.
M. D C. V I.
KAL. AVGVSTI.

 Ibidem

Ibidem in maniano eiuſdem Pratorÿ.

2 QVISQVIS.
SACRAM. HANC. BEATÆ. MARIÆ. IMAGINEM.
SOLE. OCCIDENTE.
COMPRECATVS. FVERIT.
HVIC.
CENTVM. DIES.
EX. EA. POENITENTIA.
QVAM. ACTVRVS. ERAT.
INDVLGENTVR.
EX. DIPLOM. PAVLI. V. PON. M.
FRANCISCO. VERITATE COM.
PRÆTORE.
M. D. C. VII.

Vicetiæ, neſcio an poſita, nec vbi.

QVANTAM. RELIGIONEM. QVANTAM. VENERATIONEM.
SANCTA. HÆC. DEIPARÆ. VIRGINIS. IMAGO.
HABEAT.
AVDITO. HOSPES. AVDITO.
FLAMMA.
IMPROVISO. EXCITATA. CASV.
TERT. IDVS. DECEMBR. M. D. C. VI.
POLVLABATVR.
OMNIAQ. IAM. IAM. ERAT. HAVSTVRA.
QVVM.
DEÆ. NVMEN. SENTIENS.
REPENTE. CIRCA. EAM. RESEDIT.
SOPITA. SVA. SPONTE. ET. EXTINCTA.
EFFIGIA.
ILLIBATA. PRORSVS. INTEGRAQ.
INTER. INCENDIVM INTER. RVINAM.
MIRACVLO. STETIT. COELESTI.
MVNICIPES. VICETINI.
RESTAVRARVNT.
M. D. C. VII.
FLAMINIO. NIGRO. CVRANTE.

Veronæ ad D. Anaſtaſiæ.

3 MATRI. DEI. MAGNÆ.
QVÆ. EST. VIRGO.
PRÆSTITI. ALMÆ.
ROSARIÆ.
S.
M. D. C. VII.
HANC. CELLAM. HANC. ARAM.
A. SOLO. FIERI. CVRARVNT.
PRÆFECTI.
SACRÆ. ROSARII. SOCIETATIS.
EX. PIA. STIPE.
QVAM. POPVLVS. VERONEN. CONTVLIT.

Vicetiæ

Vicetia, non memini vbi.

DIVA. VIRGO. MATER.
FACITO. QVÆSO. FACITO.
VTI. TVTILINA. SIES. PROPITIA.
RELIGIOSÆ. HVIC. MEÆ. SOCIETATI.
ILLIQVE. MAXIMO. VIRO.
QVI. TIBI. TVOQVE. NVMINI. PRÆSENTISSIMO,
HANC. ARAM. TACITVS. FECIT. DICAVIT.
POSTERISQVE. EIVS.
DIVVS. BONAVENTVRA.
TE. SVPPLEX. OBTESTOR.
DIVA. VIRGO. MATER.
ANNO. CIↃ. IↃ. C. IX.
P.

Albari, qui eſt Veronenſis agri pagus, in familiari Zancorum cellâ.

ASSVMPTÆ. DEIPARÆ.
QVÆ. MAGNI. PROPITIATIQVE. NVMINIS. EST. 4
DELVBRVM. HOC.
DICATVM. SIET.
XIIX. KAL. SEP.
CIↃ. IↃ. C. X.

Ibidem.

LÆLIVS. ZANCVS.
RETIMENSIS. EPISCOPVS.
T. F. I.
BERNARDINVS. PAVLVS. ALEXANDER.
EX. FRATRE. NEPOTES.
F. C.

Veronæ in æde Theatinorum ad Glaream.

O. QVI. PIVS. ADES.
SVSPICE. PELLEGE.
HOCCE. TEMPLVM. HANCCE. ARAM.
MAXIMÆ. DEI. MATRI.
DICAVIT. DEDICAVIT. SACRAVIT.
THEOBALDVS. MONACHVS. EREMITANVS.
EPISCOPVS. CIVISQVE. VERONEN.
SANCTISSIMVS.
XVII. KAL. IAN. CIↃ. C C. I I.
ORES. ADORES.
O. QVI. PIVS. ADES.

Ad privatam ædiculam Villæ meæ in Nigrarienſi.

MARIA. VIRGO. FRANCISCE. SERAPHICE.
TVTELARES. MEI.
HANC. VOBIS. ÆDEM. ARAMQVE. DICO. DEDICOQVE.
VTI. PLACATI. PROPITIATI.
ME. FAMILIAMQVE. MEAM.
ET. POSTEROS.
FOVEATIS. SERVETIS. PROTEGATIS.
DED. SEXTO. ID. SEPT. ET. IV. NON. OCT.
CIↃ. IↃ. C. I V.
QVI. DIES. ANNIVERSARII. SVNTO.

Ibidem.

HÆRES. TESTATO. INTESTATO. QVISQVIS. ESTO.
TRES. FRVMENTI. MODIOS. SEX. VVARVM. DIOTAS.
NIGRARIENSI. ECCLESIÆ.
EX. CONDITIONE.
VTI. SACERDOTES. EIVS. SINGVLIS. DIEBVS. FESTIS.
REM. SACRAM. HIC. PATRENT.
SOLVITO. PENDITO.

Ibidem.

NI. HÆRES. SACERDOTESQVE.
VTI. DIXI. FAXINT.
MANES. MEI.
AD. IMPIETATEM. CONTRA. HÆREDES. SACERDOTESQ. VLCISCENDAM.
DEO. OPT. MAX.
OPEM. IMPLORANTO.

Vicetiæ ad Fanum Theatinorum.

DVORVM. NVMINVM. PRIMARIORVM.
IN. FIDE.
HOC. TEMPLVM. ESTO.
PROTOVIRGINIS. PROTOMARTYRIS.
MARIÆ. CONCEPTÆ. STEPHANI. LAPIDATI.
TEMPLVM. SEDENIM. IPSVM.
MAIOREMQ. SIMVL. ARAM.
CLERICI. QVAM. REGVLARES.
EX. LARGA. PIENTISSIMORVM. HOMINVM. MVNIFICENTIA.
ORNARVNT. ILLVSTRARVNT.
LVDOVICVS. GRIGIVS. EPISCOPVS.
PROPONTIFEXQ. VICETINVS.
RITE. CONSECRAVIT.
III. ID. IVLIAS. M. D. C. IIX.
QVI. DIES. ANNIVERSARIA. INDVLGITATE. SACER. SIET.

Verona

Veronæ ad D. Firmi, variata tamen à neſcioquo.

CONSENTIBVS. DIIS. TVTELARIBVS. 6
DEIPARÆ. MARIÆ. VIRGINI.
IOSEPHOQ.
FIDVCIARIO. EIVS. MARITO.
ET. HIERONYMO. ET. ANTONIO.
CORPORATI. FABRI. LIGNARII.
DEDICARVNT.
M. D. C. VII.

Roboreti, quod eſt Tridentinæ oppidum ditionis, ad D. Caroli.

DIVO. CAROLO. PONTIFICI.
NOVO. COELI. INCREMENTO. ET. MAGNO.
PRÆSENTISSIMVM. CVIVS. NVMEN.
ÆTAS. VIDIT. NOSTRA.
PAVLVS. TRENTINIVS.
VIR. NOBILIS.
HOC. DELVBRVM.
EX. VOTO. EXTRVXIT. A. SOLO.
ANNO. CIↃ. IↃ. C. XII.

Ratisbonæ in æde Saluatoris.

VERENDÆ. TRIADI. INDISCRETÆ.
DIÆ. VIRGINI. MARIÆ.
INVENTÆQ. CRVCI. EXALTATÆQ.
HANC. ARAM.
DICAT. DEDICAT.
PIVS. SVPPLEX.
ALEXANDER. NORIVS. VERONA.
CIↃ. IↃ. C. XI.

Venetijs ad edem D. Georgij Maiorem.

DIVIS.
PRÆSTITIBVS. IVVANTIBVS. 7
GEORGIO. STEPHANOQ.
QVI. EST. PROTOMARTYR.
CVM. DEO. OPT. MAX.
DICATVM. DEDICATVM. ESTO. HOC. TEMPLVM.
QVOD.
SANCTVS. MONACHORVM. ORDO.
DE. SVA. IMPENDIA.
OPERE. CVLTVQ. OMNI.
AMPLIAVIT.
EXEQVENTE. DOMINICO. COLONIEN.
ARCHIMANDRITA.
M. D. C. X.
LEONARDO. DONATO. PRINCIPE.
MAXIMO. FELICI. PERENNI.

Cremonæ, in Viridario Clericorum Reg. Theatinorum.

DIÆ MARIÆ.
QVÆ. MATER. QVÆ. VIRGO.
SACRATI. NVNC. HI. SVNT. LAPIDES.
IN. HOC. ALTARI. SVB. DIO. EXTRVCTO.
QVI. OLIM. FVERANT.
SEPVLCRALIBVS. PROFANATI. MOLIBVS.
CIƆ. IƆ. C. XIII.

Veronæ ad D. Cæcilia.

PAVLI. BELLII. FLAMINEI.
VOTIS.
ANNVANT. FELICITER.
DIVVS. PAVLLVS. DIVVS. FRANCISCVS.
QVORVM. NVMINIBVS.
HANC. ILLE. ARAM. HODIE. DAT. DEDICATQVE.
VTI. SINT. VOLENTES. PROPITII.
SIBI. VIVO. MORTVO.
ET. SVIS.

HVIC. ARÆ. HÆCE. LEGES. PALAM. DICTÆ.
SACRA. HOSTIA. SINGVLIS. HEBDOMADIS. IMMOLATOR.
AD. MANES. BELLII. SVORVMQ. EXPIANDOS.
ICCIRCO.
QVISQVIS. TEMPLO. HVIC. RITE. PRÆFVERIT.
QVOTANNIS. DVODENOS. DVCATOS. HABETO.
HAC. PRÆSTATIONE. PERPETVA.
ÆDES. EIVS. ONERATÆ. SVNTO.
DED. QVINCT. KAL. IVN.
CIƆ. IƆ. IC.

ACTVARIVM. PETRVM. LAVORIVM.
SI. PLACET.
DE. ISTHAC. DEDICATIONE.
CONSVLITO.

Veronæ in Arcu ligneo quodam ad tempus poſito.

HISCE. KALENDIS. MAIIS.
CIƆ. IƆ. CV.
MAIO. SPIRITVI. PARACLETO.
MAIIS. DIVIS.
PHILIPPO. IACOBO.
TVTANIS. SVIS.
ACADEMICI. PHILARMONICI.
ANNIVERSARIAM. REM. SACRAM.
F.
ADESTE. AVDITE. ADORATE. GAVDETE.
CIVES. O. CIVES.

Vene-

Venetijs ad ædem Diui Georgij Maiorem.

DIVIS.
PRÆSTITIBVS. IVVANTIBVS. 9
GEORGIO. STEPHANOQVE.
QVI. EST. PROTOMARTYR.
CVM. DEO. OPT. MAX.
DICATVM. DEDICATVM. ESTO. HOC. TEMPLVM.
QVOD.
SANCTVS. MONACHORVM. ORDO.
DE. SVA. INPENDIA.
OPERE. CVLTVQVE. OMNI.
AMPLIAVIT.
EXEQVENTE. DOMINICO. COLONIEN.
ARCHIMANDRITA.
M. D C. X.
LEONARDO. DONATO. PRINCIPE.
MAXIMO. FELICI. PERENNI.

Veronæ ad D. Georgij.

NVMINI. SANCTO. PROPITIATO.
DIVI. GEORGII.
POLLENTIS. POTENTIS. INVICTI.
PIE. RITE. SOLEMNITVS.
SACRVM. DICATVM. ESTO.
M. D. C. II.

Neapoli ad ædem Theatinorum.

O. SACRAM. MVTATIONEM. O. SANCTAM.
CASTOREM. POLLVCEM.
DIOSCVROS.
HOCCE. OLIM. IN. TEMPLO.
VANI. COLEBANT. ETHNICI.
PETRVM. PAVLVM.
CHRISTI. DISCIPVLOS.
HOCCE. NVNC. IN. TEMPLO.
VERI. COLVNT. CHRISTIANI.
O. SACRAM. MVTATIONEM. O. SANCTAM.

Ibidem.

ANNO. CIↃ. IↃ. C. III. 10
XIV. KAL. NOVEMB.
QVOD. HÆC. IPSA. ÆDIS. SACRA. SIET.
SACRIS. ACCEPTVM. REFERTO. MANIBVS.
IO: BAPTISTÆ. TVPHI. PONTIFICIS.
QVI.
IN. HAC. NOSTRA. FAMILIA.
SACRAM. CONFECIT. PROFESSIONEM.

Ibidem.

Ibidem.

MARMOREAS. STATVAS.
TYNDARIDARVM. FRATRVM.
IGNARA. QVOS. ANTIQVITAS.
ALTERNA. IMMORTALES. MORTE.
CREDEBAT.
DIVVS. PETRVS.
SIGNO. CRVCIS. FACTO.
DEIECIT. DETVRBAVIT. PROSTRAVIT.
IPSOSQVE. ÆTERNA. MORTVOS. MORTE.
PROBAVIT.
MIRA. DICTV. AIO. VERA. DICTV.

Scripta, & non Sculpta.

DIVE. PETRE. DIVE. MARCE.
11 MAGISTER. DISCIPVLE.
VNANIMES.
PRÆSTITES. CVSTODES. TVTANI.
SANCTÆ. DITIONIS. ROMANÆ.
PIÆ. DITIONIS. VENETÆ.
VTRVMQVE. ISTHOC. VOSTRVM. IMPERIVM.
BINVM. ITALICÆ. LIBERTATIS. PROPVGNACVLVM.
PRINCIPESQVE. EORVM. ET. INCOLAS.
LVMINE. CONSENTI. ET. NVMINE.
ASPICITE.
PACIFERI. ET. SALVTARES.
HVNC. RERVM. STATVM. HANC. GENTIVM. PACEM.
HANC. TEMPORVM. INCOLVMITATEM.
SERVATE. CVSTODITE. PROTEGITE.
ÆSTVANTES. REGNATORVM. ANIMOS.
SEDATE. PACATE.
MINACES. HOSCE. MOTVS.
COMPRIMITE.
NEVE. IN. BELLA. ERVMPANT. DIRA.
FACITOTE.
ITALIA. TOTA.
VOCE. HAC. PVBLICA.
VOTO. HOC. PVBLICO.
SVPPLEX. TRISTIS.
PRECATVR. OBTESTATVR.
VOBIS. ETIAM. DIVIS.
MAGNA. FVAT. GLORIA.
ITALIAM. IPSAM. ET. ORBEM.
IMMINENTIVM. METV. PERICVLORVM.
LIBERASSE.
DIVE. PETRE. DIVE. MARCE.
P.
IN. IPSO. DIE. D. MARCI. FESTO.
VII. KAL. MAII. M. DC. VI.

Ad effigiem D. Tuſcanæ ære inciſam.

IOANNI. FRANCISCO. SACRAMOSIO. 12
NOBILISSIMO. CVIVS. IN. NOMINE.
PRÆTER.
INSIGNEM. NATALIVM. HONOREM.
MAGNIFICENTIA. ET GENEROSITAS.
AMBÆ. PRVDENTIA. CONIVNCTÆ.
HABITANT.
HIERONYMVS. VISCARDVS.
HANC. DIVÆ. TVSCANÆ. EFFIGIEM.
D. L. M. D.
PATRONO. BENEMERENTI.
ET. IN. GEBETO. OPPIDO.
EX. QVO. DIVA. IPSA. ORIVNDA. EST.
PRÆPOTENTI.

Mantuæ in Fundamentis Fani Theatinorum.

ANNO. CIↃ. IↃ. C. IX. IDIB. QVINCT.
PAVLO. V. P. M. RVDVLPHO. IMP.
VINCENTIO. DVCE.
LAPIS. HIC. PROBE. AVSPICATVS.
A. FRANCISCO. GONSAGA.
PONTIF. MANTVANO.
SOLEMNI. CVM. PRECATIONE.
CONIECTVS. FVIT.
IN. FVNDAMENTO. HVIVSCE. TEMPLI.
QVOD. EST. SACRVM.
MAVRITIO. SANCTO. MARGARITÆ. SANCTÆ.
PROVIDENTIA. ADMINISTRAVIT. DIVINA.
MARGARITA. GONSAGA. FERRARIÆ. DVX. MAXVME. FAVIT.

Veronæ ad D. Ceciliæ.

TIBI. ALTARE. HOC. TIBI.
LECTISSIME. PAVLE. APOSTOLE.
POSVIT. DICAVIT. 13
PAVLVS. STRATA.
HISCE. LEGIBVS. DICTIS.
IN. VLTIMA. SVÆ. MENTIS. TESTATIONE.
QVAM. EMISIT.
PRIDIE. IDVS. IANVARII. CIↃ. IↃ. C. XII.
APVD. IO. ANTONIVM. FERRVM. TABVLARIVM.
VNO. ALIQVO. DIE. EX. FERIATIS.
QVOLIBETQVE. ETIAM. FESTO. SOLEMNIQVE.
IN. HONOREM.
CHRISTI. GENITRICISQVE. EIVS. APOSTOLORVMQVE.
HOSTIA. SACRVM. FAXITO. VERENDA.
OB. HANC. REM. XXV. AVREI. QVOTANNIS. PRÆSTANTOR.
SACERDOTIS. ELIGVNDI.
POTESTATEM. OMNEM.
SANCTA. CLERICORVM. VRBANORVM. CONGREGATIO.
HABETO.

Placentiæ ad D. Vincentij.

VINCENTII.
MARTYRIS. SANCTI. MARTYRIS. DIVI.
FANVM. HOC. EST. NOVVM.
CLERICI. THEATINI. COLLEGIATI.
A. SOLO. EXTRVXERVNT.
CLAVDIVS. RANGONVS. ANTISTES.
SOLEMNI. SACRAVIT. RITV.
RAINVTIO. FARNESIO. DVCE.
CIƆ. IƆ. C. X I I.
INTEREA.
ÆDES. COELICOLÆ. EIVSDEM. VETVSTA.
NEC. SINE. NVMINE. ESTO. NEC. SINE. NOMINE.
QVAM.
IPSI. OLIM. PATRES.
VTENDAM. ACCEPERANT. FRVENDAMQVE.
A.
PAVLO. ARETIO.
EIVSDEM. CLERICO. COLLEGII.
PLACENTINOQVE. EPISCOPO. ET. CARDINALI.
QVEM.
IN. SACRA. VTRAQVE. DIGNITATE.
EX. EADEMQVE. FAMILIA.
ANTECESSERAT.
BERNARDINVS. SCOTVS.



INSCRIP-

INSCRIPTIONES
DEORVM.

In ligneo Cippo, egregiè depicto, in cuius vertice priscum marmoreum Iani bifrontis caput conspiciendum posuit Fr. India Medicus intra suum Musaeum Veronae.

PROCVL. ESTO. 15
QVISQVIS. ES. NI. PRVDENS. ES.
IANVS. SVM.
IMPRVDENTES. ODI. NON. ODI.
SI. IMPRVDENS. ES. ACCEDITO.
BELLE. TE. PRVDENTEM.
MEA. HAEC. FACIES.
FACIET.

Ibidem.

IANVS. SVM.
BIFRONTEM. ME. PRVDENS.
FECIT. ARTIFEX.
TV.
SI. PRVDENS. ME. VISIS.
HABET.

Ibidem.

IANVM.
SVPPLEX. ADORATO.
PRVDENS.
PRVDENTIAM. DISCITO.

Scriptum.

DEO. / APOLLINI.
OPIFERO. SALVTARI. 16
SI. FAXIT. PROPITIVS.
VTI.
IO: BAPTISTAE. MARINO.
ETRVSCO. ORPHEO. ETRVSCO. LINO.
MORBVS. LEVETVR. BIMESTRIS.
SECVNDAQVE. CITO. CONTINGAT. VALETVDO.
FRANC. POLA.
SOLENNITVS. VOVET.
QVOD. VNIVS. VOTVM.
POETAE. SOLVENT. OMNES,
L. A.
PRO. CAPITE. BENEMERENTI.
PRID. NON. IANVA. CIↃ. IↃ. C I I X.

Scrip-

Scriptum.

IANE. BIFRONS.
17 OMNIVM. IMPERATOR. MENSIVM.
INCLVTE. SVPPREME.
TE. VENEROR. APPROPINQVANTEM.
VTI.
SI. NON. PROPTER. MALITIAM.
IAMPRIDEM.
EXANIMALES. MEO. IN. PECTORE. MANTANT. CVRÆ.
SI. COR. SEMPER. HABVI.
SI. DESIDIA. NVLLIBI. SPEM. DESERVI.
SI. NVNQVAM. ERGA. DEVM. ERGA. HOMINES. IMPIAVI.
SI. DEVS. SI. HOMINES.
SERVATVM. ME. VOLVNT. NON. PERDITVM.
IANVARIÆ. TVÆ. QVÆ. PROPE. SVNT. KALENDÆ.
MIHI. ILLVCEANT. CVPIENTI.
SALVÆ. SOSPITES. LVCRIFICABILES.
PRÆTERITORVM. ÆRVMNAS. ANNORVM.
TOTO. INITVRO. ANNO.
SVAVI. AMOENO. HILARO.
SEDES. EXIMAS.
SI. QVID. INSTAT. MALI.
PROPITIVS. AVERRVNCATO.
SPES. MIHI. BONAS. COMMODATO. ET. COPIAS.
VTI. EX. VIRTVTE. MIHI. ALIQVANDO. FORTVNA. OBTINGAT.
EFFICITO.
NISI. ISTHÆC. VELIS.
QVOD. ABOMINOR.
ÆQVVM. DATO. ANIMVM.
OPTIMVM. MISERIARVM. CONDIMENTVM.
FR. POLA.
P.
ANNO. EXEVNTE. CIↃ. IↃ. C. V.

Scriptum.

DII. OMNES. NVPTIALES.
NVNC. ADESTE. SI. QVANDO. CONSENTES.
HILARI. PROPITIATI.
IVLIA. FARNESIA. MARII. FILIA.
DATVR.
IOANNI. ALBRITIO. TOPARCHÆ. VETERANÆ.
O. FACITE. O.
VTI. FELICI. SVCCESSV.
PROSPERITAS. HONOR. FOECVNDITAS.
CONIVGIO. HVIC. AVGEANTVR.
GENERE. FORMA.
MORIBVS.
MEMORABILI:
NVPTIÆ. FACTÆ.
M. D. C. V.
REGALI. APPARATV.

Scriptum

Scriptum.

COMPOTENTES. 18

DII. MARITI. DEÆQVE.
QVID. APVD. VOS. ALIVD. HABETIS.
QVI.
VOS. MAGE. PVTEM. IMMORTALES.
QVAM.
REGALES. HASCE. NOVAS. NVPTIAS.
IACOBI. AVRIÆ. ET. BRIGIDÆ. SPINVLÆ.
HEROVM. GENVATIVM.
O. FAXITIS.
VTI. FOECVNDÆ. SIENT.
GENVA. LÆTABVNDA.
P.
BENEMERENTIBVS.

Scriptum.

IO. HYMENÆE. IO. THALASSI.
O. QVAM. LÆTIS. AVSPICIIS. O. QVAM. FAVSTIS.
NVPTIÆ. HÆ. HEROICÆ.
ALEXANDRI. NOGAROLÆ. LVDOVICÆ. VERITATIS.
GENIALI. HOC. DIE. ET. AVSPICATO,
IV. KAL. MAII. M. D C. X.
MAGNIFICIS. CELEBRANTVR. MODIS.
IN. EXIMIAM. AMPLITVDINEM.
DVARVM. CLARISSIMARVM. GENTIVM.
IN. INGENTEM. MAGNANIMÆ. PROLIS. SPEM.
IN. HONOREM. VRBIS. MAXVMVM,
DII. IVGATINI. OMNES.
VOTIS.
NOVI. MARITI. NOVÆ. MARITÆ.
FAMILIARVM. TAM. INSIGNIVM.
CIVITATIS. TAM. INCLVTÆ.
VOLENTES. LVBENTES. PROPITIATI.
FAVENTO. SATISFACIVNTO.
IO. HYMENÆE. IO. THALASSI.

Scriptum.

BONO. EVENTVI. ET. FELICI.
S.
PRO. ITV, ET. REDITV. 19
AVGVSTINI. DELBENII. ET. HIERONYMI. VERITATIS.
MAGNIFICENTISS. LEGATORVM.
QVI.
A. RE. VERONENSIVM. PVBLICA.
VENETIAS. MISSI. GRATVLATVM.
SERENISSIMO. OMNIVM. PRINCIPI.
LEONARDO. DONATO.
SE. IN. VIAM. DEDERE.
QVARTO. NONAS. MAII. M. D C. V I.
MAXIMA. PRINCIPVM. CIVIVM. CATERVA.
SOMPTVOSO. APPARATV. ET. REGIO.
FRANC. POLA.
LEGATORVM. PATRIÆ. PRINCIPIS.
AMANTISSIMVS.
P

INSCRIPTIONES
RERVM SACRARVM.

Albiciani, qui est pagus Veronensis, in cellula Io. Andreæ Bonis.

QVÆ. BENEFICIA. QVÆ. PRIVILEGIA.
20 VBIQVE. GENTIVM. HABET.
PERSANCTA. ROSARII, D. MARIÆ. VIRG. SODALITAS.
EADEM. RITE. OMNIA.
HVIC. ÆDICVLÆ. HVIC. ARÆ,
FAMILIÆQVE. BONÆ.
SVNTO.
CONSANGVINEIS. AFFINIBVSQVE. EIVS.
ET. COLONIS. ET. INCOLIS.
EX. RESCRIPTO.
XV. KAL. APRILIS. M. D C. I I I.

Scriptum.

CAPVCCINI. CONCIONATORES. SACRI.
QVOD. VOS. COMPELLO. PAVLVLVM.
MAGNIFICENTIOR. IN. PANNO. SERMO. VESTER. EST.
NEC. TANTVM. DICITIS. SED. PROBATIS.
NEC. MINVS. TESTES. ET. EXEMPLA.
QVAM. PRÆCEPTORES. ESTIS.
SCILICET.
HVNC. IN. MODVM. NON. ORANT. HOMINES.
SED. IMMORTALES. DOCENT. NVNCII.
F.
FRANC. POLA.
QVI. NEC. IN. HONOREM. VESTRVM. MENTIOR.
PIVS. VERAX.
IN. TEMPLO. VERONÆ. MAXIMO.
VII. KAL. MAII. M. D C. I I I.

Scriptum ad effigiem depictam.

21 X X. ANNOS.
EHEV.
IMPRVDENS. ERRO.
PERDIDI. HAVD. VIXI.
IN. ISTHOC. AMENTI. SECVLO.
IAM. CATVS. VERE. VIVAM.
MVNDI. DESERTOR. CHRISTI. MILES.
SVB. VEXILLO.
CLERICORVM. REGVLARIVM. THEAT.
F.
PIO. IN. PROCINCTV.
M. D C. I V.

Scriptum.

Scriptum.

CAPVCCINE. MICHAEL. CAPVCCINE. ANGELE.
SERMO. CVIVS. PERSANCTVS.
CVM. VITA. CONCORDAT. PERSANCTA. 22
QVI. CVM. AVDIRIS. QVI. CVM. VIDERIS.
IDEM. ES. ET. VNVS.
SIC. AGITATO. NOS. VERONENSES. SIC. TERRITO.
VIL. BENE. FACIS.
ELOQVENTIA. ISTHAC. TVA.
NEC. ACCERSITA. NEC. FICTA.
ACTVOSA. SEDENIM. ET. EFFICACI.
ET. QVÆ. INGENIO. NEC. RENVNTIAT.
HEV. QVANTVM. PRIVATIM. PVBLICE. PECCATVR.
VRITO. SECATO. ABSCINDITO.
NEGOTIVM. HIC. ANIMÆ. AGITVR.
QVÆ. IN. LVBRICO. STAT. NI. ERIPIATVR.
CAPVCCINE. MICHAEL. CAPVCCINE. ANGELE.
P.
FRANC. POLA.
PECCATOR.
IN. MAIORE. TEMPLO.
AB. ORE. TVO. PENDENS. CONCIONALI.
IIX. KAL. APRIL.
QVI. DIES. ANNVNTIATIONI. B. M. V. SACER. EST.
M. DC. VIII.

Scriptum.

CATHARINA. DIA. SENENSIS.
CAPE. TIBI. CAPE. CHRISTO.
HANC. VIRGINEM. PVRAM. PVTAM. 23
IOANNAM. PONAM. PRIMIGENIAM.
CVIVS.
SANCTIMONIAM. MORVMQVE. DISCIPLINAM.
PEREGREGIAM.
NOMEN. QVOQVE. TVVM. IN. FVTVRO. COMPROBABIT.
VTI. CIRCA. SE. BREVI. SENSERVNT.
PARENTES.
QVI.
LVBENTEM. VOLENTEM.
OFFERVNT. TIBI. OFFERVNT. CHRISTO.
RELIGIOSISSIMI.
IOANNES. PONA. CAMILLA. GESSIA.
SACRA. ENDOGRESSA. EST. PENETRALIA.
VIII. KAL. IVNII. M. DC. V.
CVM. ESSET. ANNORVM. X V.
SOLENNI. POMPA.
FRANC. POLA. IVRISC.
F.
AFFINI. MERENTI. MERENTI.
AMORIS. HONORISQVE. CAVSSA.

Verona in Noſocomeo Miſericordia ponendum.

INAVDITVM. SINE. EXEMPLO. FACTVM.
24 NON. SINE. MEMORIA. ÆTERNA. ESTO.
NOSOCOMEVM. HOC. MEMORANDVM.
QVVM.
OB. HÆC. PVBLICÆ. REI. TVRBAMENTA.
HOMINIBVS. PAVPERVM. NEGLIGENTIBVS. FACTIS.
INDICTOQVE. ELEEMOSYNÆ. ODIO.
EXTREMA. PREMERETVR. INOPIA.
PAVCIQVE. INTERFVTVRI. ESSENT. DIES.
INTER. IPSVM. MAXIMVM. ET. NVLLVM.
DEVS. EFFICAX.
MILLE. SCVTATIS.
TEMPESTINA. IGNOTI. HOMINIS. MANV.
VLTRO. OBLATIS.
ARCAM. EX. OCCVLTO. IMPLEVIT.
VOS. AST. O. CAVSSARII. PAVPERTINI.
POSTHAC. SEMPER.
SEXTA. QVAQVE. FERIA.
SVPPLICASSITIS.
VTI. DEVS. IPSE. MISERICORS.
PLACATVS. SIET. ET. PROPITIATVS.
IGNOTO. ILLI. HOMINI.
MVNIFICENTIAM. CVIVS. SENSISTIS. INCOMPARABILEM.
NOSOCOMII.
SIC. EDICVNT.
CIↃ. IↃ. C. V I I.
I V. KAL. FEBRVAR.
QVO. IPSO. DIERVM. OPTIMO.
LARGITIO. FACTA. EST. INOPINATA.

Mantua in æde Theatinorum.

ANNO. CIↃ. IↃ. C. I X. IDIBVS. QVINCT.
PAVLO. V. P. M. RVDVLPHO. IMP.
VINCENTIO. DVCE.
LAPIS. HIC. PROBE. AVSPICATVS.
A. FRANCISCO. GONSAGA.
PONTIF. MANTVANO.
SOLEMNI. CVM. PRECATIONE.
CONIECTVS. FVIT.
IN. FVNDAMENTO. HVIVSCE. TEMPLI.
QVOD. EST. SACRVM.
MAVRITIO. SANCTO. MARGARITÆ. SANCTÆ.
PROVIDENTIA. ADMINISTRAVIT. DIVINA.
MARGARITA. GONSAGA. FERRARIÆ. DVX. MAXVME. FAVIT.

Verona in Templo D. Euphemia ad Odæum. Ex vno latere.

25 LEONARDVS. CATHANEVS.
EX. VOTO.
QVOD. ET.
ELISABETH. GEORGIA. VXOR.
VIVENS. SVSCEPERAT.
P. C.
ANNO. M. D C. I.

Ex ali

Ex altero latere.

VTI. DEVS. SIT. VOLENS. PROPITIVS.
CONIVGI. DEFVNCTE.
SIBIQVE. SVPERSTITI.
ET. SVIS.

Rauenna ad ædem Theatinorum.

SANCTA. AVRA. FLAMMA. SANCTA.
AMOR. PARACLETVS.
QVI.
CANDENTIS. IN. FACIEM. COLVMBÆ.
MVTATVS.
COELO. VENIENS. ALTO.
PRINCIPES. PRISCOS. DVODECIM. PONTIFICES.
HVMERIS. CVIVSQVE. INSIDENS.
VOBIS. RAVENNATES. VOBIS.
INDICAVIT. DELEGIT. DEDIT.
HOC. IN. MARMORE. PERSANCTO.
ALIS. NITENS. PARIBVS.
SEMPER. CONSISTEBAT. PRIMVM.
IAM. SI. SAPITIS. SCITIS.
QVAM. DEBEATIS. RELIGIONEM.
FRAGMENTO. HVIC. FELICISSIMO.
IN. QVO.
SPIRAT. ARDET. FLAGRAT.
AMOR. PARACLETVS.
SANCTA. AVRA. FLAMMA. SANCTA.

Venetijs ad D. Georgij Maioris.

VIDES. O. VIDES.
TEMPLVM. VNDIQVE. AVGVSTVM.
QVOD.
MONACHI. BENEDICTIANI.
MVTATA. AMPLATAQVE. FORMA.
MIRABILIVS. MAGNIFICENTIVSQVE.
RENOVARVNT. REFFECERVNT. EXORNARVNT.
QVVM. VETVS. ILLVD. TEMPLVM.
QVOD. ANNIS. AB. HINC. SEXCENTIS.
CVRARE. CÆPERVNT. COLEREQVE.
EX. LIBERALITATE. VENETIANÆ. REIP.
COLLAPSVM. VETVSTATE. ESSET.
ANDREAS. PALLADIVS.
ARCHITECTVS. EXIMIVS.
STITIT. DESCRIPSIT.
FRANCISCVS. VENDRAMINVS. PATRIARCHA.
INAVGVRAVIT. SACRAVIT.
X. KAL. FEBR. CIↃ. IↃ. C X.
DOMINICO. PEROTIO. GENER. MONACHORVM. PRÆS.
CVRANTE.

Ibidem.

COELESTIVM. AMATOR. MVNERVM.
SI. RITE. EXPIATVS. SI. PIVS. SI. SVPPLEX.
STATAS. PRECANS. PRECES.
AD. XII. KAL. APRIL.
HANC. INDVGREDIERIS. ÆDEM.
DEBITAS. SCELERVM. POENAS.
EFFVGITO. NEVE. DEPENDITO.
GREGORIVS. XIII. PONTIF. MAX.
VENIAM. OMNINO. MAXIMAM.
DEDIT. TRIBVIT.
SACRO. DIPLOMATE.

Venetijs ad D. Mariæ Formosæ.

TESTIMONIVM. HIC. ESTO. IMMORTALE.
PROPENSI. HVIC. DOMVI. COELI.
27 IN. HAC. PARIETIS. PARTE.
DEPICTVM. MARIÆ. VIRGINIS. MARIÆ. MATRIS. SIMVLACRVM.
SVVM. PRÆSENTISSIMVM. NVMEN.
VARIIS. EXVMIIS. MIRACVLIS.
SIGNIFICAVIT. PROBAVIT.
QVOD. VTI. RELIGIOSIVS. COLERETVR. ET. SANCTIVS.
FRANCISCVS. VENDRAMINVS. PATRIARCHA.
CIRCVMSPECTISSIMA. SANCTIONE.
EX. HISCE. PRIVATIS. PROFANIS. ÆDIBVS.
AD. ILLAM. PVBLICAM. SACRAM. ÆDEM.
QVÆ. FORMOSÆ. MARIÆ. DICATA. EST.
RITE. TRANSFERRI. CVRAVIT.
AD. ARAMQVE. DONATAM. COLLOCARI.
CIƆ. IƆ. C.
ALOYSIVS. DONATVS.
HVNC. F. TITVLVM.
MEMORIÆ. CAVSSA. ET. VENERATIONIS.

Veronæ in æde S. Elisabeth ad D. Petri ad Monasterium.

MENSE. OCTOBRI.
ANNO. CIƆ. IƆ. C. X I V.
ALBERTO. VALERIO. ANTISTITE.
DVM. HÆC. RESTAVRARETVR. ÆDES.
QVÆ. E. REGIONE. LEGVNTVR. RELIQVIÆ. SACRÆ.
EX. MAIORE. ERVTÆ. SVNT. ARA.
IN. QVA. OLIM. CONDITÆ.
BERNARDO. VERONENSI. ANTISTITE.
ANNO. CIƆ. C. X X X. MENSE. DECEMBRI.
CVRA. ET. PIETATE.
COZZÆ. COTTII. P. A.
QVI.
HVIVSCE. ÆDITVVS. CELLÆ.
ET.
CATHEDRALIS. ARCHIPRESBYTER. ECCLESIÆ.

INSCRIP.

INSCRIPTIONES
PONTIFICVM,

Ad libellum Medicum Indiæ.

28

QVIBVS. TE. NVNC. LITTERARVM. MONVMENTIS.
CLEMENS. OCTAVO.
PONTIFEX. OMNIVM. MAXVME. FORTVNATISSIME.
APPELLARE. AVDEAM.
NESCIO.
NAM. MAIESTATEM. NOMINIS. SANCTITATISQVE. TVÆ.
QVÆ. OMNES. TERRAS.
ET.
MARIA. OMNIA.
SPLENDORE. OCCVPAVIT. SVO.
CONTEMPLOR.
ET. RES. A. TE. DIVINITVS. GESTAS.
MAIORES. OMNINO. ESSE.
QVAM. MORTALI. MANV. ATTENTARI. DEBEANT.
COGNOSCO.
TANTOQVE. NVMINE. MEOQVE. PVDORE.
DETERRITVS. CONTICESCO.
FRANCISCVS. INDIA. M: PH.
AD. TVOS. SANCTISSIMOS. PEDES.
PROIECTVS.
D. D.
KAL. SEXTIL. CIƆ. IƆ. C.
ANNO. PONT: TVI. VIII.
QVI. VTINAM. ÆTERNVS. FVAT.

Romæ.

DIVINO. NON. SINE. NVMINE.
OSSA.
PII. SECVNDI. PONT. OPT. MAX.
EX. VATICANO. D. PETRI. TEMPLO.
TRANSPORTATA. SVNT.
SACRAM. IN. HANC. ÆDEM.
QVÆ.
PROPHANÆ. GENTIS. EIVS. FVERE. ÆDES.
VTI.
SVOS. INTRA. LARES. SVOS. INTRA. PENATES.
MIRA. VITÆ. CVNABVLA. ET. VENERATIONIS.
HABERET.
ALEXANDER. MONTALTVS. CARD. VICECANCELL.
MAGNANIMA. F. IMPENDIA.
CIƆ. IƆ. C. XIV.

Cum

Cùm Pontifex, Venetique inter ſe pacem fecerunt.

PAVLE. QVINTE. PONTIFEX.
VICINAM. DEO. POTENTIAM.
29 SORTITE.
SALVE. IO. SALVE.
QVI.
QVVM. LENITER. SÆVIRE. MAGIS. SAPERE. ESSE. SCIRES.
PROPITIATVM. TVVM. NVMEN.
VT. ESSET. ITALIÆ.
IN. TEMPORE. FECISTI.
PER. QVEM.
SVMMA. FOELICITAS.
AD. ORBEM. ADVENIT. TOTVM.
TE.
FRANC: POLA. IVRISC: VERON:
VTCVMQVE. IN. OCCVLTO. LATENS.
GENIBVS. NIXVS.
PROSTRATVS.
ADORO. VENEROR.
OB. DATAM. ITALIÆ. PACEM.
SALVE. IO. SALVE.
PAVLE. QVINTE. PONTIFEX.



INSCRI-

INSCRIPTIONES
CARDINALIVM.

Scriptum sponte, antequam inter Divos scriberetur.

BEATIS. MANIBVS.
CAROLI. BORROMÆI. CARDINALIS. 30
QVO.
NVLLVM. SANCTIOREM. ANTISTITEM.
TEMPESTATE. HAC. NOSTRA.
DIVINITAS. POTVIT. INVENIRE.
PER. QVEM.
HVMANO. GENERI.
NON. PRÆCIPERET. SED. CONVICIVM. FACERET.
P.

Scriptum.

AVGVSTINO. VAL. CARDINALI
QVEM.
ROMA. TOTVSQVE. ORBIS.
PONT. OPT. MAX.
A. CERTIS. DIVINIS. MERITIS.
EXPECTAT.
VERONA. D. N. M. Q. E.
PATRI. PIENTISSIMO.
CIↃ. IↃ. IC.

Ad Ecclesiastem versu Horratiano Heroico donatum à nobis, nec editum.

AVGVSTINO. VALERIO.
CARDINALI. AMPLISSIMO.
QVEM. NASCI. DEVS. IMMORTALIS. VOLVIT. 31.
VT. ESSET.
IN. QVO. S. R. E. MAIESTAS.
VERA. IN. COELVM. PIETAS.
OMNES. OMNIVM. VIRTVTVM. IMAGINES.
HVMANO. GENERI.
SE. SE.
PER. OMNES. NVMEROS. EFFICACITER.
OSTENTARENT.
FRANC. POLA. AMPLITVDINI. EIVS. DEVOTISSIMVS.
L. D.

Hæ omnes Inscriptiones erectæ fuerunt, cùm Valerius Defensor Academiæ crearetur.

In Porta Academiæ.

ACADEMICI. PHILARMONICI.
AVGVSTINO. VALERIO. CARDINALI.
PATROCINIO. ACADEMIÆ. SVSCEPTO.
SAC. P.
CIↃ. IↃ. C I I.

Super

Super Oſtio Aulæ Academicæ.

AVDI. PATER. AVDITE. HOSPITES.
32 AVDIAT. FAS.
QVOD. BONVM. FAVSTVM. FELIXQVE. SIT.
TIBI. NOBISQVE.
QVANDO. HODIE. PRIMVM.
ACADEMIÆ. PHILARMONICÆ.
CLIENTELAM. AVSPICARIS.
IPSAMET.
AMPLITVDINI. TVÆ. IN. PERPETVVM. COLENDÆ.
SE. SANCTE. OBLIGAT. VENERABVNDA.
INGREDITOR.
TVTELA. NOSTRA. ET. GLORIA.

Super eodem Oſtio interiùs.

AVGVSTINO. VALERIO. CARD.
NATO. AD. ÆTERNITATEM. ECCL. ROM.
CLIENTES. PHILARM.
TVTELARIO. MAXIMO. AMPLISSIMO.
IN. BENEFICII. MEMORIAM.

Supra Ianuam Penetralium.

VIRTVS. VALERIA.
QVID. NON. PROTEGIT ?
IN. CLIENTELAM. EIVS. ECCE.
ACADEMIA. PHILARMONICA.
RECIPITVR.

In Cippis depictis circa Aulam.

LÆTITIA.
ACADEM. PHILAR.



SECVRITAS.
33 VALERIA.



TVTELA.
ACADEM. PHILAR.



FELICITAS.
PHILARMONICORVM.



OB. PATROCINIVM.
SVSCEPTVM.



IO. PATRONE. IO.
CVSTOS.
ACADEM. PHILAR.



HILARITAS.
GENII. PHILAR.

In Fu-

In Funeralibus Card. Val. quę Albertus Val. Episcopus fecit.

Ad Valuas maiores maioris Templi.

EXEQVIÆ. 34
CARDINALI VALERIO.

Ad minores Valuas,

IVSTA.
CARDINALI VALERIO.

Hæ, quæ sequuntur, solo columnis Templi affixæ fuerunt.

OPTIMO. ANTISTITI.
RERVM. DIVINARVM.



OPTIMO. PRINCIPI.
RERVM. HVMANARVM.



NATO.
CHRISTIANÆ. RELIGIONIS.
BONO.



CONSERVATORI.
CEREMONIARVM. SACRARVM.



PROPAGATORI.
PIETATIS. IN. DEVM.



PAVPERVM.
PATRONO. LARGISSIMO.



VERONENSIS. CIVITATIS.
PACATORI.



MVNICIPVM. VERONENSIVM.
PARENTI.

In Fronte superioris pyræ.

ANIMÆ.
MAXVMÆ. SANCTISSIMÆ. 35
AVGVSTINI. VALERII. CARDINALIS.
ALBERTVS. VALERIVS.
FRATRESQVE. EIVS.
FACIVNT.
ÆTERNO. AFFLICTI. DOLORE.
SEPT. IDVS. IVNII. M. D C. V I.

A dex-

A dextro latere.

HVNC
INTER. OMNES. VERONÆ. EPISCOP.
QVVM.
CENTESIMVM. VIGESIMVM. QVINTVM.
A. DIVO. EVPREPIO.
POSVERIS.
INTER. IPSOS. SOLOS. VENETOS.
DVODECIMVM. REPERIES.
SED. ET.
CARDINALEM. SEPTIMVM.
PONTIFICVM. VERONENSIVM.
CENSITO.

A latere ſiniſtro.

36 ANNIS. VIXIT. L X X V I.
M. I. D. X V. H. I X.
EX. HIS.
VERONENSIS. ANTISTES.
X L I.
CARDINALIS.
X X I I I.

In poſteriore pyra parte.

ÆVI. PLENISSIMVS. ET. GLORIÆ.
OBIIT. ROMÆ.
X. KAL. IVNII. M. D C. V I.
HORA. NONA.

A latere extra inferioris pyra.

VBI. ES. DEVS. VBI. ES.
IAM. NIHIL. EHEV. ABEST.
37 QVIN. VERONA. LVGEAT. ÆTERNVM.
AVGVSTINVS. VALERIVS. CARDINALIS.
DIEM. FINITIONIS. CLVSIT.
VEH. NOBIS. VERONENSES. VEH. NOBIS.
MISERABILI. DAMNATI. VLVLATIONI.
HIC. SIES. DEVS. HIC. SIES.

A latere ſiniſtro.

VIXI. BENE. SANCTE. VIXI.
ET. QVOD. MAGIS. ESTO.
ANNOS. L X X V I.
BENE. VIXI. SANCTE. VIXI.
QVID. O. LACRVMATIS. QVID. O. FLETIS?

A la-

A latere dextro poſteriore.

QVANDOQVIDEM.
IN. LONGÆVA. ISTHAC. TVA. VITA.
NIHIL. DE. TE. VNQVAM.
DOLITI. SVMVS.
NEQVE. MORTEM. HANC. DOLEMVS. TVAM.
MAXIME. DOLENDAM.
TV. ITA. VELIS. ETIAM. TV. ITA. IVBES.

A latere ſiniſtro poſteriore.

VALERI. PATER.
BENE. QVIESCAS.
FILIA. TVA. ROGAT. TE. VERONA.
VTI. AD. SE. SÆPIVS. RESPICIAS.
DE. CÆLO.
O. ET. PROSPICIAS. EIDEM.
VALE. HAVE. VALE.
VALERI. PATER.

In fronte pyra.

PROTECTORI. 38
CARDINALI. VALERIO.
OMNIVM. FOECVNDISSIMARVM. VIRTVTVM.
ACADEMIA. PHILARMONICA.
P.
AD. LVCTVM. AD. GEMITVM.
RELICTA.

A latere dextro.

HAVE. PERPETVVM.
PATRONE. VALERI. PATRONE. CARDINALIS.
NOBIS. O. QVOQVE.
PATRONVS. IN. COELIS. SIES. OPTVMVS.
PHILARMONICI.
F.
PERPETVIS. DAMNATI. TENEBRIS.

A latere ſiniſtro.

TVTANE.
CARDINALIS. VALERI.
DELICIVM. NOSTRVM.
RELIQVISTI. EHEV. RELIQVISTI.
DELICIAM. TVAM.
PHILARMONICAM. ACADEMIAM.
GEMENTEM. PLORANTEM. PLANGENTEM.
VEH. EHEV. VEH.

In tergo.

PATRI.
VALERIO. CARDINALI.
QVO. VIVENTE.
HOMINIBVS. NIHIL. INVIDIMVS. DIIS. VIX. NEC. INVIDIMVS.
QVO. MORTVO.
DIIS. ETIAM. INVIDEMVS.
PHILARMONICI.
DOLENTES. ANIMO.

In Parentalibus, quæ Acad. Philarm. eidem Card. fecerunt.

39 *Ad maiores Valuas Ædis Diuæ Euphemiæ.*

PARENTALIA. PHILARMONICA.
AVGVSTINO. VALERIO. CARDINALI.
TVTANO.

Ad minores Valuas.

FERALIA. PHILARMONICA.
CARDINALI. VALERIO. PATRONO.
QVIBVS. COMMODVM. ST. IRE. TEMPVS. ESTO.

In Basibus Pyramidum.

PLANCTVS. ACADEMIÆ.
PHILARMONICÆ.

CVRA.
ACADEMIÆ. PHILARMONICÆ.

MOEROR.
PHILARMONICORVM.

INFELICIA. TEMPORA.
PHILARMONICORVM.

VASTITAS. PHILARMONICA.

MOESTITIA. PHILARMONICA.

INFELICITAS.
REI. PHILARMONICÆ.

DESPERATIO.
REI. PHILARMONICÆ.

Nonnullis

Nonnullis in aliis Molis spatijs.

SIRENA. MOERET. 40

SIRENA. DEFLET.

SIRENA. DOLET.

SIRENA. LVGET.

PROTECTOR. FIT.
X V. KAL. IAN. M. DC. III.

PROTECTOR. DEFIT.
X. KAL. IVN. M. DC. VI.

Vt ponerentur in maiore templo Veron. facti hi tres tituli iussu Bernardi Valerij V. C. nec positi.

BERNARDVS. NAVGERIVS. CARDINALIS. 41
VIRTVTE. SPECTATISSIMVS. ET. SANCTITATE.
HIC. POSITVS. EST.
V. ANNIS. LIIX. M. IV. D. XIIX.
EX. IIS. EPISC. VERON. II.
OBIIT. VII. KAL. IVL. M. D. LXV.

OSSA.
AVGVSTINI. VALERII. CARDINALIS.
SEMPER. MEMORABILIS. ET. VBIQVE.
ROMA. HVC. TRANSPORTATA. IACENT.
V. ANNIS. LXXV. M. VNO. D. XVII.
EX. QVIBVS. XLI. IN. HOC. EPISCOP.
OBIIT. IX. KAL. IVNII. M. DC. VI.

ALBERTVS. VALERIVS. EPISCOPVS. VRBIS. HVIVSCE.
NAVGERIO. CARDINALI. VALERIO. CARDINALI.
PROAVVNCVLO. PATRVO.
QVOS. DEVS. AMAVIT. VNVS.
MVNDVS. COLVIT. OMNIS.
HOCCE. FECIT. MONIMENTVM.
MERENTISSIMIS.
M. DC. IX.

Iussu Decurionum Veron. factum, nondum tamen positum.

ACCEDE. VIATOR. ACCEDE.
42 SPECTACVLVM. ECCE. DIGNVM.
AD. QVOD. TVO. INTENTVS. OPERI. RESPICIAS.
AVGVSTINO. VALER. CARDIN.
EPISCOPOQVE. VERONENSI.
INTER. QVEM. ET. DEVM.
VIRTVTE. CONCILIANTE. OMNI.
SVMMA. NECESSITVDO. FVIT. SVMMA. SIMILITVDO.
MAGNO. BONO. SVO. ET. DIVTVRNO.
PATRONO. SVO. ET. PARENTI.
SPLENDIDISSIMVS. VERONENSIVM. ORDO.
IDEMQVE. GRATISSIMVS.
DECRETO. SVMPTVQVE. PVBLICO.
P.

Scriptum sponte.

PRINCIPI. MAGNO. CARDINALI. MAGNO.
AD. PACEM. ITALIÆ.
NATO. FACTO.
FRANCISCO. LOYSIO.
FVNDATORI. PACIS. PVBLICÆ. INCLVTO.
GLORIOSISSIMO. ITALIÆ. PACATORI.
PALMAM. HANC. IMMORTALEM.
LVBENTISSIMO. CORDE.
POPVLI. OMNES. ITALI.
EX. DONO. DANT.
MERENTISSIMO.
CVI. DECERET. STATVAM. STATVI. AVREAM.
OB. INFATIGABILEM. EIVS. PIETATEM.
ET. INDVSTRIAM.

Scriptum quadam de causa, nec missum.

43 CARDINALI.
MAGNO. MAGNO.
FEDERICO. BORROMÆO.
LAVDES. CVIVS. INNVMERALES.
TANTÆ VNDIQVE. EFFVLGENT. TAMQVE. INGENTES.
VTI.
QVÆ. SVMMA. ESSE. DECERET. ET. MAXVMA.
PROXIMVS. ET. COELESTIS. FVLGOR.
DIVI. CAROLI. PATRVELIS.
NEC. SVMMA. ESSE. POSSIT. NEC. MAXVMA.
FRANC. POLA. VERON.
P.
PRINCIPI. ARCHIEPISCOPO.
MAGNANIMO. SANCTISSIMO.
CVLTOR. REVERENTISSIMVS.

Ad

Ad insigne gentilitium Delphini Cardinalis.

44

QVICVMQVE. SIET.
VIRTVTE. OPTIMVS. FELICITATE. MAXIMVS.
FACILE. MERITO.
OPTIMVS. MAXIMVS.
POTESTATE. IS. ESTO.
TV. DELPHINE. TV. CARDINALIS.
ILLE. ES. IS. ESTO.

Ad centonem nostrum Ouidianum de nuptijs Gonsagis.

AVSPICIIS. TVIS. AVGVSTIS.
FERDINANDE. GONSAGA.
PRINCEPS. MANTVANE. CARDINALIS. ROMANE.
ÆTAS. CVIVS. ET. VIRTVS.
ADVLESCIT. ADEO. INSIGNITER.
VTI.
CVM. PRISCIS. MAIORIBVS. TVIS. MAGNANIMIS.
PONENDVS. SIES.
QVID? QVOD. ET. EISDEM. PRÆPONENDVS?
NVPTIALEM. HVNC. CENTONEM.
CONFARCINAVI.
FRANC. POLA. VERONEN.
IMMANIBVS. ATTONITVS. SPECTACVLIS.
QVÆ.
MAXIMVS. TVVS. EDIT. GENITOR.
HVMANI. DELICIÆ. GENERIS.
TIBIQVE.
DEVOTISSIMVS.

M. DC. IIX.
TERTIO. NONAS. IVNII.
MANTVÆ.



INSCRIPTIONES
PRÆLATORVM.

Scriptum obseruantia caussa.

45 RARVM. HONORIS. SPECIMEN.
A. BARTHOLOMÆO. COTTIO,
SVPREMO. LATERAN. CONGREGAT. ANTISTITE.
ECCLESIASTE. IN. PRIMIS. MAGNO.
GENTI. SVÆ. PATRIÆ. SVÆ.
OBORITVR.
QVI. A. NICOLAO. V. PONTIFICE. OMNIVM. MAXVMO.
IV. KAL. APRIL. M. CCCC. LIV.
MEDIOLANENSIVM. ARCHIEPISCOPVS. DECLARATVS.
SANCTA. INTRA. CLAVSTRA.
LATERANENSIVM. CANONICORVM.
VOLENS. VIVERE. MORI. VOLENS.
BENE. ET. BEATE.
QVAM. POTVIT. CONSTANTER. QVAM. POTVIT. SANCTE.
FASCES. SIBI. SACROS. DETRAXIT.
O. INAVDITVM. SINE. EXEMPLO. FACTVM.
DIGNO. ELOGII. HONORE.
PRO. VIRIBVS. CELEBRANDVM.
FRANCISCVS. POLA.
GENTI. COTTIÆ. DICATISSIMVS.
VIRO. BENEMERENTISSVMO.
ÆTERNAM. COMPARAVIT. MEMORIAM.

Padua.

VIVAT.
ANNIBAL. ORICELLARIVS.
EPISCOPVS. CARCASENSIS.
46 PRO. MERITIS. VIRTVTVM. OMNIVM.
QVARVM. FÆCVNDISSIMVS. FLORVIT.
AGENS. PER. GALLIAS.
PAVLI. IV. [illegible] PII. V.
P. [illegible] M. M.
APVD. HEN[illegible] ET. CAROLVM. IX.
BONONIÆ. [illegible] ROMA.
ADMIRANDAM. EIVS. ADMINISTRATIONEM.
SENSERE.
CLEMENTE. VIII. PONT. MAX.
CVIVS. ET. DOMVS. PONTIFICIÆ. PRÆPOSITVS. QVOQVE. FVIT.
HORATIVS. ORICELLARIVS.
P.
FRATRI. PIISSIMO. MEMORABILI.

Scriptum amoris cauſſa.

NEC. TE. PRÆTEREO. 47
COZZA. COTTH.
VERONENSIVM. ARCHIPRESBYTER. DESIGNATE.
QVI.
IVRISPRVDENTIÆ. LAVREA.
PATAVII. GLORIOSE. REPORTATA.
VETVSTI. GENERIS. CLARITATEM.
PERPETVA. INTEMERATÆ. NOBILITATIS. SERIE.
IN. TE. DERIVATAM.
AVCTIOREM. AMPLIOREM.
EGREGIIS. ANIMI. DOTIBVS.
VSQVE. ADEO. REDDIS.
VT. ANNONÆ. PRÆFECTVS.
ET. CIVILIVM. AVDITOR. CAVSSARVM.
IN. GRAVIORIBVS. QVIBVSQVE. IVDICIIS.
PERVSIÆ.
PROBE. COGNITVS. COMMENDATVS. SVSPECTVS.
A. PAVLO. V. PONT. OPT. MAX.
PROTHONOTARIVS. APOSTOLICVS.
MERENS. IVPPITER. MERENS.
RENVNCIATVS. SIS.
P.
FRANCISCVS. POLA.
NON. GRATIA. NON. AMBITIONE.
VERÆ. TANTVM. ÆSTIMATIONIS. CONTVITV.

Ad effigiem Reuerendiſſimi Grilli.

INSERITO. OCVLOS. INSERITO. 48
INGENTI. HVIC. MIRACVLO.
ADMIRANDÆ. HVIC. IMAGINI.
ANGELI. GRILLI.
SANCTÆ. CONGREGATIONIS. CASSIN.
PRÆSIDIS. GENERALIS.
SCIES. PROFECTO. SCIES.
HVNCCINE. ILLVM. ESSE.
ANIMI. CVIVS. ET. CARMINIS.
DIVINITAS.
NON. OPINIONE. COLLIGITVR. AVT. MENTE.
SED. PRÆSENTI. FIDE. GLORIAQVE. TESTATA.
VIDETVR. IAMPRIDEM. SPECTATVR.
SALVE. GRILLE. GRILLE. SALVE.
HOMO. MAIOR. HOMINE.
VIRTVTI. SIMILLIME. OMNI.
COELICOLIS. PROPIOR.
FRANC. POLA.
EX. ANIMO.
M. DC. X I.

Ad

Ad Librum quemdam Musicum Bernardij.

HEROS. SACRATE.

49 IVVANIENSIS.

VOLPHANGE. THEODORICE.

POLLENS. PRINCEPS. POLLENS. ANTISTES.

LEGATE. NATIVE. APOSTOLICE.

SALVOS. SIS. PERENNE. ET. FELIX.

HILARVS. PATERE. ET. GRATVS.

VTI

SACRAM. HANC. SYMPHONIACAM. MODVLATIONEM.

AMPLITVDINI. TVÆ. ET. SANCTIMONIÆ.

SVPPLEX.

DICET. DEDICET.

STEPHANVS. BERNARDIVS. VERONENSIS.

PHONASCVS.

M. D C. V.

Ad Librum quemdam Theologicum Manzonij.

TE. IO. TE.

MARIA. ANGELE.

MEDIOLANO.

PRINCEPS. MONACHORVM. OLIVETANORVM. ARCHIMANDRITA.

CREATE.

SANCTITAS. CVIVS. ET. DOCTRINA.

AGENDISQVE. IN. REBVS. ADMIRABILITAS.

EO. MAGIS. POSTHAC. INTELLIGI. ET. SVSPICI. POTERVNT.

QVO. MAGIS. NVNC. EMINENT.

HILARVS. APPELLO. ET. LÆTVS.

SVMMAMQVE. ISTHANC. SACRAM. DIGNITATEM.

TIBI. MERENTI.

8 DELATAM.

I V. KAL. MAII. M. D C. I I X.

GRATVLOR.

FABIVS. MANZONVS.

VERON. MON.

Ad Librum quemdam Bernardi editum.

VALERI. ALBERTE.

PONTIFEX.

OPTIME. SI. NON. MAXIME.

50 VERONENSES. COLLEGIATI. FLAMINES.

DIGNITATE. VIRTVTE.

SACRI. VERENDI.

SANCTOS. HOSCE. PSALMOS.

MODIS. MODVLATOS. ROMANIS.

QVOS.

STEPHANVS. BERNARDIVS.

MAIORIS. VESTRI. TEMPLI.

PHONASCVS.

DAT. DONAT. DICAT.

LVBENTES. EXCIPITE. ET. BENIGNI.

M. D C. X I I I.

FESTIS. NATALITIIS.

Scriptum

Scriptum honoris caussa.

LVDOVICE, SEREGI.
NATALIBVS. DITIONE. DIVITIIS.
VIRTVTEQVE. OMNI. CLARIORE.
INLVSTRIS. INLVSTRIS.
TIBI. EVAX. TIBI.
ET. PROPTER. TE.
GENTI. TVÆ. PATRIÆ. TVÆ.
VRBIQVE. ET. ORBI.
VENERANTI. VOCE. ET. GRATANTI.
GRATVLOR. SERO. SERIO. GRATVLOR.
QVOD. ALIQVANDO. TANDEM.
PONTIFEX. ADRIANVS. DECLARATVS. ES.
MERITISSIMO.
MAIOR. IAM. HVIC. PROXIMAT. AMPLITVDO.
SPERANT. AVGVRANTVR. PRÆSAGIVNT.
MORTALES. OMNES. BONI.
FRANC. FOLA.
FECI.
DOMINO. ET. PATRONO.
QVI. MIHI. FVAT. MAXIMVS.
PRID. KAL. NOVEMB. M. D C. X I I.

Romæ.

LVCAS. DVCCIVS.
DOMO. BITVRA. 58
H. S. E.
QVANTVS. FVERIT. QVANTVS. FVISSETQVE.
NISI. MORS. EVM. PRÆVERTISSET.
HINC. VELIM. INTELLIGAS.
MAXVMORVM. CARDINALIVM.
FERDINANDI. MEDICES. ALEX. MONTALTI.
ET. VTRIVSQVE. REFERENDARIVS. SIGNATVRÆ.
IN. MAIORE. PRÆSIDENTIA.
LEONE. XI. P. M.
SVBDATARIVS. COMMENSALISQVE. PERPETVVS.
FELICITER. FVIT. ET. GLORIOSE.
QVÆ. DVO. MVNERA.
PAVLVS. V. P. M.
APPROBAVIT. AVXITQVE.
NOVO. ABBREVIATORIS. IN. CVRIA. MVNERE.
VIR. HIC. PROBVS. VIR. HIC. PROBATVS.
SPIRITVM. POSVIT. ROMÆ. A
ANNO. M. D C. X I.
BERNARDINVS. DVCCIVS.
B. C.
PATRONO. BONO. BONO.
ET. B. M.
MÆSTISSIMVS.

Populi.

Populi, quæ est Vrbs Aprutij, in æde Minoritarum.

POPVLANI. CIVES.
IACTATE. VOS. IACTATE.
52 GLORIA. IVLII. IORNATÆ. IMMORTALI.
EXQVISITAM. CVIVS. DOCTRINAM.
INTER. PRÆCIPVOS. SCOTI. SECTATORES.
POSVIT. PROBAVIT.
PATAVIVM. NEAPOLIS.
CIVITASQVE. EXINDE. OMNIS.
QVÆ.
AVT. DE. FACIE. VIDIT. AVT. DE. SCRIPTIS. NOVIT.
AVT. DE. SANCTO. AVDIVIT. SVGGESTV.
GALLICANI. HÆRETICI.
HORRVERVNT. ILLVM. HORRVERVNT.
QVVM.
VICECOMES. CARDINALIS.
PONTIFICIVS. IN. GALLIAM. LEGATVS. DESIGNATVS.
CONCIONARIA. EIVS. OPERA.
VTI. STATVISSET.
SED. EHEV. SED.
IN. PROVINCIALI. APVD. SAMNITES. ADMINISTRATIONE.
CVM. IAM. TRIENNIVM. ESSET.
MORTE. DELETVS. EST.
QVINQVAGENARIO. PAVLLO. MAIOR.
BONI. DOLVERE. OMNES. OMNES. LVXERE. BONI.
MERITO. ET. IVRE.
LVCAS. ANTONIVS. GREGORIVS.
EX. SACRA. MINORITANA. FAMILIA.
P.
MAGISTRO. BONO. BONO. PARENTI.
M. D C. X I I I.

Ad orationem nostram Valerianam.

PONTIFEX. VERONENSIS.
ALBERTE. VALERI.
QVICVM. EX. ÆQVO. SIMVL. VIVVNT.
AMPLITVDO. ET. BENEFICENTIA.
QVI. VNDIQVE. OCCVRRIS. INGENS. COLENTIBVS.
FRANCISCVS. POLA. IVRISC.
HÆC. TIBI. DICAT. DEDICAT. SCRIPTA.
QVÆ. IDEO. TE. DIGNA. SVNTO.
QVIA. DE. TVO. AGVNT. PATRVO.
QVO. TV. DIGNVS. NEPOS.
ACCIPIAS. BENIGNVS. ACCIPIAS.
MAIOR. LICET. SIES. QVAM. VT. HVC. DESCENDAS.
SIC.
AVCTORITATEM. LVCEM. GRATIAM.
NOVIS. OBSCVRIS. FASTIDIENDIS.
DABIS. IMPERTIBIS.
M. D C. X I I I.
KAL. MAII.

Scriptum

Scriptum rogatu Amici.

IN.
ALOYSIO. ZVPHIO. 53
GENERALI. CASSINENSIS. CONGREGATIONIS. PRÆSIDI.
RARVM. HVNC. MODERATIONIS. EFFECTVM.
RECOGNOSCITO.
QVVM.
GRANDE. BENEDICTIANÆ. FAMILIÆ. IMPERIVM.
QVOD. ANNALE. ERAT.
BIMVM. ESSE. FACTVM.
PROROGATVMQVE. IDEO. SIBI. IN. PROXVMVM. ANNVM.
NONNVLLO. MONACHORVM. SVASV.
PONTIFICALIQVE. ETIAM. ORACVLO.
COGNOVISSET.
QVAM. POTVIT. CONSTANTER. QVAM. POTVIT. SANCTE.
CVM. MONACHIS. EGIT. CVM. PONTIFICE.
NE. TANTA. ISTHÆC. POTESTAS.
CVIVS. TEMPVS.
PRISCI. OLIM. PATRES.
COARCTAVERANT.
QVIA. NIMIS. MAGNA. ERAT.
VLTRA. ANNVM. NEC. PRODVCERETVR.
FASCES. SCILICET. SACROS.
SIBI. DETRAXIT.
VTI. CONDITIO. RELIGIONIS. LIBERIOR. ESSET.

Scriptum iussu Academico.

IN. FASTIS. PHILARMONICIS.
FESTVS. HIC. DIES. ESTO. ET. SOLENNIS.
QVO.
LVDOVICVS. SEREGIVS.
AD. VETVSTATEM. SVÆ. FAMILIÆ. DIGNISSIMVS.
IN. CVIVS. VIRTVTIS.
ÆSTIMATIONEM. ET. HONESTAMENTVM.
MAXIMI. IVDICIA. PONTIFICIS.
TOTA. SVNT. ET. PROPITIATA.
NOSTROS. INVISIT. PENATES.
ÆQVALEM. AGENS. MAGIS. CIVEM.
QVAM.
ANTISTITEM. HADRIANVM.
QVAM.
PONTIFICALEM. AD. HELVETIOS. NVNCIVM.
O. SACRATVM. HEROEM. EXIMIVM.
PHILARMONICI. ACADEMICI.
VOCE. PVBLICA. ET. VNISONA.
TESTANTVR. ITA. ET. PROFITENTVR.
VENERABVNDI.

Præfixum Libro cuidam Muſico.

54 CANTIVNCVLAS. HASCE. SACRAS.
STEPHANVS. BERNARDIVS.
DATAS. VVLT. ET. DICATAS.
VIRO.
CLARO. CLARO.
VIRO.
REVERENDO. REVERENDO.
SYLVANO. COCCONIO.
QVI. EST.
PROTHONOTARIVS. APOSTOLICVS.
INSVLÆQVE. SCALIGERÆ
ARCHIPRESBYTER. DIGNISSIMVS.
OB. INSIGNE. MERITVM.
PIETATIS, SAPIENTIÆ. LARGITATIS.
M. DC. XIII.

Scriptum alieno nomine.

NEGES. SI. POTIS. SIS. NEGES.
DIVINI. HEROEM. SPIRITVS.
ESSE.
MARCVM. SITICHVM. ALTEMPSIVM.
ARCHIEPISCOPVM. SALIBVRGENSEM.
IN. QVO. VNO.
VIRTVTES. OMNES. BEATIORES.
ERRVPISSE.
PRÆSENTI. CONSTAT. FIDE.
NEGES. SI. POTIS. SIS. NEGES.

Scriptum.

EREMITÆ. AVGVSTINIANO.
SANCTISSVMO. EIDEM. ET. DOCTISSVMO.
55 IVLIO. CÆSARI. BRVSCHIO.
IN. SACRA. SVA. FAMILIA.
MAGNI. NOMINIS. MAGNI. MERITI.
QVI.
VLTIMA. EXTINCTVS. ÆTATE.
DESIDERIVM. SVI. ET. EXEMPLVM.
RELIQVIT.
INCOMPARABILE.
POSVERVNT.
FRATRES. AVGVSTINIANI. OMNES.
MOESTI. MOESTI.
MAGISTRO. PARENTI.
MERENTISSIMO.
M. DC. XIV.
KAL. MARTIIS.

Scriptum.

Scriptum.

ADMIRATIONI
GASPARIS. PANNII.
ROMA.
AVGVSTINIANO. EREMITÆ.
ECCLESIASTI. IN. PRIMIS. MAGNO.
NON. OBSTAT.
QVOD. HOC. NOSTRO. SIET. NATVS. SECVLO.
DICENDO. TANTVM. ILLE. POTEST. ET. DOCENDO.
FECERVNT.
QVI. DICTORVM. EIVS. QVI. DICTIS. EIVS.
AVDIENTES. FVERVNT. VERONENSES.
DVM. IN. SACRO. DIVÆ. EVPHEMIÆ. TEMPLO.
CONCIONATVS. EST.
ANNO. M. D C. X I V.
MERENTI.

56

Coniliani.

SACRATA. OSSA.
MELCHIORIS. NANII.
PROTHONOTARII. APOSTOLICI.
QVEM. ANNOS. X X X V I. AGENTEM.
CVM.
PERITIA. IVRIS. SVMMA.
EXCELLENSQVE. RERVM. DIVINARVM. SAPIENTIA.
EFFICAXQVE. SACRÆ. ELOQVENTIÆ. VIS.
OMNIVM. EXPOSVISSET. OCVLIS.
SVSPICIENDVM.
MORS. TANTVM. NON. REPENTINA.
AB. OCVLIS. SEPOSVIT. OMNIVM.
MEMORANDVM.
FECIT.
QVOD. MISERRVMVM. EST.
MATER. FILIO.
AMISSIONE. EIVS. ORBA. FACTA.
M. D C. X I V.

Scriptum editum: non sculptum.

HAVE. ET. HABE.
LAVANI. CLAVDI.
OLIVETANE. ARCHIMANDRITA.
RELIGIOSISSIME.
SACRAS. HASCE. MISSAS.
I A.
STEPHANO. BERNARDIO.
QVI.
ILLAS. FECI. MVSICAS.
QVI.
DO. EAS. TIBI. ET. DICO.
DOCTRINÆ. TVÆ. ET. SANCTITATI.
DEVOTVS.
M. D C. X V I.

Non meminit vbi .

SITVS. EST.
57 CINERARIO. IN. HOC. LVGVBRI.
HERMOLAVS. MAVROCENVS.
HIERONYMI.
QVI.
PATRITIO. ORIVNDVS. GENERE.
GRÆCEQVE. DOCTVS. ET. LATINE.
QVVM. BIS. SYRIAM. LVSTRASSET. TOTAM.
SACRVM. CRVCIFERORVM. ORDINEM.
ENDOGRESSVS. EST.
COMPLVRIBVSQVE. SANCTIS. FVNCTVS. MAGISTRATIBVS.
HOC. IPSO. ANNO. M. D C. X I.
FEBRE. CORREPTVS. A. VITA. ABIVIT.
MAGNA. ORDINIS. VLVLATIONE.
VIXIT. ANNIS. L X I I I. MEN. I I. DIES. V.

Editum , areque incisum .

ASTENSIS IO. BAPTISTA.
EREMITARVM. AVGVSTIANORVM.
PRIMVS. PRINCEPS.
DOCTRINA. ELOQVENTIA. PIETATE.
VENERANDE. VENERANDE.
AD. SACRAM. PVRPVRAM.
VERIS. EXPECTATE. MERITIS.
ASPICE. LÆTVS. ET. HILARVS. ASPICE.
HOC. STEMMA. SACRVM.
PRIORVM. GENERALIVM.
BEATORVMQVE. OMNIVM.
EX. SANCTA. NOSTRA. FAMILIA.
POSTQVAM. ILLA. IN. VNVM. COACTA.
QVOD.
FR. CAROLVS. REALDVS. VERONENSIS.
COMPEGI.
TIBIQVE. ADDICTISSIMVS. DICO.
AVSPICIIS.
CARDINALIS. SANCTISSIMI.
ANTONII. SAVLII.
QVI.
ORDINIS. NOSTRI. RELIGIOSISSIMI.
TVTANVS. EST.
M. D C. X I V.



INSCRI-

INSCRIPTIONES
REGVM, ET PRINCIPVM.

Vt poneretur Venetijs in Armamentario Duumuirali, sed aliud positum.

HISCE. IN. ARMIS.
STETIT. ACCERRIMVS.
HENRICVS. QVARTVS. GALLORVM. REX. 58
QVVM.
HÆREDITARIVM. GALLIÆ. REGNVM.
PER. HOSTES. PER. TELA.
ADEPTVS. EST. FELICISSVME.
IAM. SATIS. HOSPES. NOVISTI.
QVI. CVLTVS. QVÆ. RELIGIO.
HVIC. DEBEATVR. TROPHÆO.
EX. LIBERALITATE. REGIA.
HIC. POSITO.
S. C.
M. DC. III.

In Transitu Reginæ per Agrum Veronensem.

Dulceti in fronte lignei Pontis supra Athesim extructi.

MARGARITÆ. AVSTRIACÆ.
CVIVS.
AVGVSTÆ. NVPTIÆ. 59
TOTVM. TERRARVM. ORBEM.
IN. SE. CONVERTVNT.
RESPVB. VENET.
DEVOTA. NVMINI. MAIESTATIQVE. EIVS.

Bussolenghi supra Portam Palatij in quo Regina recepta fuit.

IO. MARGARITA. IO. AVSTRIACA.
O. QVÆ. INCOMPARABILIS. RERVM. MAIESTAS.
TE. AMBIT.
FORTVNATISSIMAM.
I. FELIX. PER. TVA. GAVDIA.

Ad Insulam Scaligeram ubi tertiò se recepit.

MARGARITAM. VIDES. AVSTRIACAM.
O. ITALIA.
NVNQVAM. TALE. NVSQVAM. TALE.

Buſſolenghi in ædibus Bonanominum in tabula Æneâ.

MARGARITA. AVSTRIACA.
TRIDVANVM. HABVIT. HIC. HOSPITIVM.
V I I. IDVS. NOVEMB.
M. D. I I C.
QVVM. ILLA. IN. NVPTIAS.
PHILIPPI. TERTIO. HISPANIARVM. REGIS.
AVSPICATO. PROPERARET.

Venetijs vt poneretur ad Saluatoris.

QVÆRIS. HOSPES. SENTIO. QVÆRIS. CIVIS.
60 CVIVS. OSSA. HIC. SIENT. SITA.
NIL. TE. MOROR. SIC. HABETO
QVI.
SVMMVS. R. P. V. PRINCEPS.
PATAVINAM. VRBEM.
FORMIDABILI. MAXIMIL. IMPERAT. OBSIDIONE.
HORRIBILEMQVE. IMPRESSIONEM.
A. CAMERACENSIBVS. CONIVRATIS.
IN. OMNE. VENETVM. IMPERIVM.
FACTA.
ORE. ÆRE.
PROPRIIS. FILIIS.
PERICVLOSÆ. VRBIS. PROPVGNATIONI.
OBIECTATIS.
EXEMIT. REPRESSIT.
ILLE. IPSVS.
H. S. E.
IAM. SCIS. HOSPES. IAM. SCIS. CIVIS.
CVIVS. OSSA. HIC. SIENT. SITA.
GLORIOSOS. MANES.
LEONARDI. LAVRETANI. PRINCIPIS.
IVBE. SALVERE. ET. ABI.

Scriptum ſponte.

LEONARDO. DONATO.
QVEM.
SENATVS. VENETVS.
INTER. PRIMVM. PRINCIPEM. REIP. ELIGENDVM.
DVM. INTVETVR.
NEMINEM. IN. CIVITATE. HABET.
QVEM.
SI. VOCETVR. IN. SVFFRAGIVM.
EI. VELIT. PRÆLATVM.
FRANC. POLA.
RERVM. SVMMATVM.
VIRTVTIS. CAVSSA.
OPTAT. AVGVRATVR. PRÆDICIT.
NOMINI. AMPLITVDINIQVE. EIVS.
D.

Venetijs

Venetijs vt poneretur.

VESTRA. FIT. GLORIA. 61
VENETI. PATRES. VENETI. CIVES.
VENETVM. IMPERIVM.
MARINI. GRIMANI.
PRINCIPIS.
MEMORIA. MEMORANDA.
CVIVS.
RELIQVIÆ. VTI. HIC. HEV. INTVS. IACENT. CONDITÆ.
VIRTVTES. ITA. HINC. IO. FORIS. STANT. MANIFESTARIÆ.
IN. DEVM. PIETAS. IN. PATRIAM.
PRVDENTIA. PROVIDENTIA.
IVSTITIA. LARGITAS.
FORTITVDO. CONSTANTIA.
QVIBVS. ILLE. SVMMIS.
ANNONAM. ADLEVAVIT. ÆRARIVM. AVCTAVIT.
VRBEM. EXORNAVIT.
AB. IPSAQVE. NOXIA. AVERTIT. FLVMINA.
PALMAM. OPPIDVM. EXTRVXIT.
VTI. TIMOR. PERICVLVMQVE. A. BARBARIS. ABESSET.
MOTAM. GALLIAM. CISALPINAM.
COMPRESSIT.
SALVTARE. REIPVB. FOEDVS. OPPORTVNE. ICIT.
PACEM. ITALIÆ. SVAVISS.
CONFIRMAVIT. PROTVLIT.
FELICISSIMVS.
OBIIT. ANNO. M. D C.
V. A. M. D.
EX. HIS. . . . IMPERABVNDVS.

Scriptum ſponte.

LEONARDE. DONATE. 62
PRINCEPS. VENETIARVM. SALVTARIS.
CONSERVATOR. LIBERTATIS. VENETÆ. ET. CVSTOS.
PVBLICÆ. SECVRITATIS.
AVCTOR.
PROPTER. QVEM.
REIPVBL. VENETÆ.
BENE. EST. ERITQVE ET. GLORIOSE.
TIBI.
OPTATISSIMAM. HANC. PACEM.
QVÆ. BONIS. GRAVIDA. EST. MAXVMIS.
FRANC. POLA. IVRISCONS. VERON.
GRATVLATVR. VERECVNDISSIMVS.

Ad opus quoddam legale Delbenij.

SERENISSIMO.
63 PRINCIPI. SENATVIQVE.
REIPVB. VENETÆ.
AVGVSTINVS. DELBENIVS.
QVALEMCVMQVE. HVNC. TRACTATVM.
QVEM. VERITATI. CONSECRAVIT.
DICAT. DEDICAT.
D. N. M. Q. E.

Scriptum, editum,

O. VENETIÆ. O. ROMA.
O. ITALIA. O. EVROPA.
QVÆ. HAVD. LONGE. FVISTIS. AB. INFORTVNIO.
QVAM. VOS. DEO. PACIFERO. PIVSQVAM. PLACVISTIS.
DVO. ECCE. VESTRI.
OPTIMI. RERVM. HVMANARVM. PRINCIPES.
ROMANVS. PONT. RESP. VENETA.
DELINITI. PACATI.
MVLTIPOTENTI. PECTORE. LINGVAQVE.
SACRI. HEROIS. GALLI.
REDIERVNT. IN. GRATIAM.
BONO. IVRE. ET. HONORE.
QVOD. SEMPITERNVM. ILLIS. VOBISQVE. SIET. SALVTARE.
TRANQVILLATE. ERGO. ANIMOS.
QVOS. DVELLI. TIMOR. INCERTAVIT. HACTENVS.
ARASQVE.
DIVI. PETRI. DIVI. MARCI.
CANDIDATÆ. HOSTIATÆ.
TENETE. AMPLECTIMINOR.
IANVM. BIFRONTEM. IANVM. CLVSIVM.
SALVTATE. VENERAMINOR.
VTI. CONCORDIORES. ILLI. POSTHAC. FIANT.
VOBISQVE. FACE. HAC. FESTA. DIVTINE. LICEAT. VTI.

Venetijs ad D. Georgij Maioris.

MONIMENTVM.
IN. QVO. OLIM. FVERAT. POSITVS.
SEBASTIANVS. ZIANVS.
64 INVICTVS. PRINCEPS. ET. INCLVTVS.
QVI.
FRIDER: ÆNOBARBO. IMPERATORI.
ARMA. CONTRA. ALEX. III. PONT. NOTA.
EXCVSSIT.
PACEMQVE. EXTORSIT. SALVTAREM.
RENOVAMVS. HIC. ET. RESTITVIMVS.
SACRATI. ÆDIS. CVSTODES.
MVNIFICENTIÆ. EIVS. ERGA. NOS. TESTIFICANDÆ. GRATIA.
ET. NOMINIS. EIVS. IN. PERPETVVM. CELEBRANDI.
M. D C. X.

In eadem

In eadem Ecclesia.

MEMORIÆ. ÆTERNÆ.
TRIBVNI. MEMMII. 65
QVI.
REMPVB. VENETAM,
INTESTINIS. CIVIVM. CONTENTIONIEVS,
EXTERNO. OTHONIS. IMPER. BELLO.
VEXATAM. EXAGITATAM.
CVM. ANNOS. X I V. ADMINISTRASSET.
SOLERTIA. HAVD. FORTVNATA,
MONASTERIVM. HOCCE. SACRVM.
ABDICATO. PRÆTVLIT. PRINCIPATVI.
PERMAGNISQVE. AVXIT. LEGATIS.
OBIIT. ANNO. D. C C C C X C I I.
MONACHI. VNANIMES.
F.
GRATIAS. AGENTES.
PIETATI. EIVS. EXIMIÆ.
M. D C. X.

Vicetia in ædibus Leonardi Valmarana Com.

POSTERI. SCIANT. POSTERI. NARRENT.
QVOD. MVTVS. HIC. LAPIS. DICIT. EDICIT.
MAGNVS. HOSPES. MAGNVS.
ARCHIDVX. MAXIMILIAN. ERNESTVS. AVSTRIACVS.
FLORENTIA. DIGRESSVS.
QVO.
MARIAM. MAGDALENAM. SOROREM. NOVAM. NVPTAM.
AD. COSMVM. PRINCIPEM. ETRVRIÆ. MAGNVM.
AVSPICATO. TRANSDVXERAT.
PATRIAMQVE. REPETENS.
TERTIO. IDVS. NOVEMBRIS. M. D C. I I X.
IN. HANC. RECEPTVS. EST. DOMVM.
A. LEONARDO. VALMARANA. COMITE,
QVICVM.
AVSTRIACA. DOMVS. AVGVSTA.
TESSERAM. IAMPRIDEM. FECIT. HOSPITALEM.
QVEM. ET. ABANTE. PAVLLO.
ARCHIDVX. FERDINANDVS. AVSTRIACVS.
MANTVAM. LEGAVERAT.
VTI. SVA. SACRA. VICE.
REGALIBVS. MANTVANI. PRINCIPIS. FRANC: NVPTIIS.
INTERESSET.
AFFINITATIS. CAVSSA. ET. HONORIS.

In fine

In fine Orationis cuiusdam, gentium, quæ infra, nomine scripta.

SERENISSIMO.
LEONARDO. DONATO.
66 PRINCIPI. VENETIARVM. CREATO.
QVI.
PROPTER. MERITVM.
SANCTIMONIÆ. PRVDENTIÆ. ELOQVENTIÆ.
CÆTERARVMQVE. OMNIVM. VIRTVTVM.
QVIBVS. DOMI. FORISQVE. INCLARVIT.
PRINCIPALI. IPSA. MAIESTATE.
MAIOR. EMICAT. ET. EXCELSIOR.
GENTES.
BEVILAQVÆ. CANOSSÆ. VERITATES. DELBENIÆ.
IN. PVBLICA. FELICI. LÆTITIA.
PROPRIO. NOMINE.
LÆTISCENTES.
POSVERE.
PATRONO. IMMORTALI.
BENEMERENTISSIMO.

Ad descriptionem Pontariæ, de qua infra.

AVSPICIIS.
LEONARDI. DONATI.
SERENISSIMI. VENETIARVM. PRINCIPIS.

Sub insigne, & nomine Serenissimi Donati ab Alphonso Morando affixa.

HOCCE. PRINCIPE. TVTANTE.
ILLÆSA. VIRTVS. ILLÆSA. FELICITAS.
NVLLVM. FERT. ICTVM.

In Pyramide quadam lignea.

Quæ à Veronensibus erecta, & artifice igne publicè combusta.

IO. TRIVMPHE. IO. TRIVMPHE.
67 PRINCIPATVS.
M. ANTONII. MEMMII.
CVIVS. NEC. SIET. LÆTITIÆ.
DATOR.
VERONENSIBVS.
IO. TRIVMPHE. IO. TRIVMPHE.

Vt ante.

GENIVS. VERONENSIS.
LÆTABVNDVS.
OB. MEMMIVM. PRINCIPEM.
DELECTVM.

Vt supra

Vt supra.

HILARITAS.

MVNICIPII. VERONENS.

CIRCA.

MEMMIVM. PRINCIPEM. CREATVM.

Vt ante.

LÆTITIA.

PVBLICA. VERONENSIS.

PROPTER.

MEMMIVM. PRINCIPEM. FACTVM.

M. D C. X I I.

Vt incideretur ad aneam Regis Statuam, qua Parisijs ponenda.

QVID. STAS? VIATOR. QVID. STVPES?
HANC. NONNE. AGNOSCIS. STATVAM. 68
HENRICI. QVARTI. GALLORVM. REGIS?
REGIS. ILLIVS.
QVAM. QVI. FVIT. VNQVAM.
MAXVMI. FORTISSVMI?
ILLE. EST. O. ILLE. EST.
QVI.
CVM. PER. VIRTVTEM. VIXERIT. ANNIS. L V I I.
PERPETVA. IO. LAVDIS. MATERIA. SIET. ET. GLORIÆ.
GALLIÆ. OMNI. ORBI. OMNI.
DIIS. HOMINIBVSQVE. ADMIRANTIBVS.
QVI.
CVM. PER. SCELVS. OCCIDERIT. ANNO. M. D C. X.
PERPETVA. EHEV. MOESTITIÆ. MATERIA. FVAT. ET. DOLORIS.
GALLIÆ. OMNI. ORBI. OMNI.
DIIS. HOMINIBVSQVE. INDIGNANTIBVS.
QVID. STAS? VIATOR. QVID. STVPES?

Ad insignem quamdam Tabellam depictam ab ipso Farinato.

M. ANTONIO. MEMMIO.

PRINCIPI. VENET. CREATO.

HORATIVS. FARINATVS.

DAT. DICAT.

HONORIS. ET. CONGRATVLATIONIS.

CAVSSA.

M. D C. X I V.

Interamna.

Interamne.

69 DIVIS. FRATRIBVS.
TACITO. ET. FLORIANO.
IMPP. AVGG.
FELICIS. NOMINIS. ÆVI. INFELICIS.
MVNICIP. INTERAMNAT.
HASCE. REPOSVIT. STATVAS.
CVM. QVÆ. OLIM. HIC. POSITÆ.
ANNIS. IAM. M. C C C. X X X V I I.
DEIECTÆ. FVLMINE. ET. DISSIPATÆ.
PROCIDISSENT.
AD. MEMORIAM. CIVIVM. REPARANDAM.
M. D C. X I V.

Abbatia, quod est Oppidum in Agro Rhodigino.

IOANNI. BEMBO.
VENETIARVM.
PRINCIPI. SERENISSIMO.
VIRTVTIS. NOMINE. HAVD. HOMINIS.
IN. QVO. VNO.
HEROES. OMNES. BEMBI.
DOMI. CLARI. MILITIÆQVE.
INSVNT.
GLORIOSISSIME.
MVNICIPES. ABBATIANI.
PATRONO. TVTELARIO. PARENTI.
BENEMERENTISSIMO.
GRATANTES. GRATI.
VENERANTES.
POSVERE.
EX. DECRETO. PVBLICO.
M. D C. X V I.



INSCRI-

INSCRIPTIONES MAGISTRATVVM.

Verona in Ædibus Propretorÿs super Cornice cuiusdam Ostÿ.

M. S.
INGRATVS. SIEM.
VERONA. OPTIMA. MAXIMA. 70
QVÆ. OLIM.
MATHÆO. FORCATVRA. PARENTE.
V. C.
PRIMVM. LEONÆ. SECVNDVM. QVÆSTIONIS. IVDICE.
QVINTVM. VICARIO. GAVISA. ES.
NISI. TE. DIGREDIENS. IN. PROCINCTV. SALVTE.
VTINAM. ET. ME. IAM. PRIMVM. LEONÆ. QVÆSTIONISQVE.
IVDICEM. NVNCQVE. PRIMVM. VICARIATVS.
MVNERE. FVNCTVM.
SÆPIVS. LÆTA. POSTHAC. VIDEAS.
HAVE. VERONA. BENEM.
HERMES. FORCATVRA. PHILARMONICVS.
ANNOS. AGENS. XXXVIII.
P.
DED. KAL. SEXTIL.
M. D. IVC.

In Agro Veronensi ad Curiam Vallis Pulicella.

HIERONYMVS. BONIVS.
BONIS. MALIS.
SEMPER. BONVS.

Scriptum, non sculptum.

DELPHINE. PRÆTOR.
VERIS. CONDONATE. LAVDIBVS. 71
ET. MAIORA. MERITA.
ABI. FOELIX. TRIVMPHANS. P. P.
BENE. VALEAS. QVI. ME. SALVTAS.
CVM. VERONA. MEA. GLORIA.
F. P. I. C. V. P. C. KAL. QVIN.
M. Q. N. I.

Verona in Palatio Mercatorum.

MEMOR. ÆTER.
SERTORIVS. MINISCALCVS. EQVES. PR.
CVI. ASSIDERVNT.
IO. BAPTISTA. MONA. ÆDIL. BEN. MEZARIVS.
IOSEPHVS. TVRCVS. ANTONIVS. FONDRIVS. COSS.
SEMESTRE. HOC.
IVSTITIA. INCOMPARABILI.
ILLVSTRAVIT.
M. DC. PRID. KAL. SEPT.

Virtuti

Virtuni in Pretorio.

72 M: ANTONIO. CORRARIO.
OB. INSIGNIA. NOMINIS. ET. VIRTVTIS. MERITA.
DOCVMENTO. ETIAM. POSTERIS.
RELINQVENDA.
CONLOC.
MVNICIP; VIRTVNENSE.
PRÆTOR; INCOMPAR;
IDIBVS. OCTOB. M. D C.

In eodem loco.

S.
GLORIÆ. INVIDENDÆ.
M: ANTONII. CORRARII.
QVOD,
EFFICACI. EIVS. ASSIDVITATE.
DILIGENTIA. CONSILIIS. PRÆCEPTIS.
IN. SVMMA. ANNONÆ. CHARITATE.
SVMMAM. REI. FRVMENTARIÆ. VILITATEM.
LÆTABVNDI. SENSERINT.
DECVR. ET. PLEBS. VIRTVNENSIVM.
DED.
IO. PATER. IO. PATER.
ID. OCTOB. M. D C.

Feltrij.

MVNICIPES. FELTRIENSES.
IOANNI. MEMMIO.
73 P.
OB. INSTAVRATA. MVLTA. ÆDIFICIA.
TEMPLAQVE. EXTRVCTA.
OB. MERITVM. IVSTITIÆ. ET. MAGNIFICENTIÆ.
DECRETO. SVMPTVQVE. PVBLICO.
AD. PERPETVITATEM. NOMINIS. EIVS.
KAL. QVINCT. M. D C. I.
PATRONO. INCOMPARABILI.

Crema.

MONVMENTVM. HOC. ÆTER.
ANDREÆ. AMVLIO.
PRÆT. PRÆFECT.
EXEMPLO. SERVANDÆ. DOCENDÆQVE. IVSTITIÆ. SINGVLARI.
PROPAGATORI. ANNONÆ. LIBERALISSIMO.
CONSERVATORI. QVIETIS. VRBANÆ. PERPETVO.
VINDICI. PRAVORVM. OMNIVM. EFFICACI.
PROPVGNATORI. VRBIS. ADVERS; TACITOS. HOSTES. PERVIGILI.
RESPVBL. CREMENS.
P.
PATRONO. PRÆSTANTISSIMO.
GRATIAS. AGENS.
M. D C. I. ID. DECEMBR.

Verona

Verona. Sed non poſitum penitentia Thrai.

CONTESTOR. 74
VOS. MVNICIPES. VERONENSES.
PRÆFEC. COLL. IVRISC. VTINEN. FVI.
IN. SEPTEMVIROSQVE. VRBIS. LECTVS.
DEFENSOREM. FOROIVLIENSIS. PROV. EGI.
IVDICIVM. QVÆSTIONIS.
TARVISII. PATAVII.
EXERCVI.
AST. GRATÆ. INSIGNIVM. HORVM. MVNERVM. GLORIÆ.
PROPRÆTVRA. HÆC. VERONEN.
TRIVMPHI. CAPAX. SPECIOSISSIMI.
QVA. NVNC. MOERENS. ABEO.
ÆTERNVM. ANTISTABIT.
HOC. MONVMENTO. POSITO.
VALETE. CIVES. OPTVMI. NOBILISS.
SERVILIVS. THRÆVS.
ENDO. PROCINCTV.
KAL. MARTIIS.
M. D C. I I.

Cremæ vt poneretur : neſcio tamen an poſitum.

GENIO.
IOANNIS. NANII.
QVI.
AD. VRBEM. CREMENSEM. MVNIENDAM. TVTANDAM.
IN. MINACI. RERVM. MOTV.
LEGATVS.
MILITARI. OMNI. PROVIDENTIA.
INDVSTRIVS. IMPIGER. LABORIOSVS.
EXPECTATIONI. OMNIVM. ET. VOTIS.
SATISFECIT.
HOSTILESQVE. CONATVS.
ELVSIT.
MVNICIPES. CREMENSES. SERVATI.
P.
B. M.

Piſcheria in Prætorio.

M. D C. I I I.
VINCENTIVS. MANVELLVS. IVRISC. V.
PRÆTVRAM. HANC. 75
ASPIRANTE. BINA. PATRONORVM. AVRA.
SYLVEST. VALERII. FRANC. QVIRINI.
PROVISORVM.
INIVI. GESSI.
M. D C. I I I.

Veronæ ponendum erat; nec porrò poſitum.

HERMOLAO. ZANIO.
PRÆTORI. ADMIRATIONE. DIGNISSIMO.
CVI. GNAVAM. PRÆSTARE. OPERAM.
CERTVM. ÆTERNVMQVE. FAMÆ. INCREMENTVM. EST.
SERVILIVS. THRÆVS. IVRISCONS. VTIN.
VICE. PRÆTORIA. IVDICANS.
QVAM. IPSE. DIGNITATEM.
CVM. TARVISII. SEMEL. ATQVE. ITERVM. VICETIÆQVE. SEMEL.
PROPRÆTOR. FVISSET.
AC. PATAVII. QVÆSTIONIS. MVNERE. DEFVNCTVS. ESSET.
ET. IN. BRIXIENSEM. PROPRÆTVRAM. EVOCARETVR.
LVBENS. INIVIT. FORTVNATVS. GESSIT.
TANTO. SENATORIS. OMINE.
P.
PATRONO. BENEMERENTI.
KAL. MARTIIS.
M. D C. I I.

Vt Brixiæ poneretur; an poſitum ignoro.

FRANCISCVS. MOLINVS.
P. P.
79 QVAM. VRBEM. QVAM. ARCEM.
QVÆ. OPIDA.
BRIXIENSIS. DITIONIS.
ILLVBITA. PACIS. PERPETVÆ. INIVRIA.
NEGLECTA. IMMVNITA. NVDA.
ENDOGRESSVS. INVENIT.
HÆC. OMNIA.
MVRIS. INSTAVRATIS. FOSSIS. EXCAVATIS. VINEIS. FACTIS.
ARMIS. OMNIBVS. TVTATORIIS. AC. REPVLSORIIS.
LARGISSIMA. PROVISIONE.
PARATIS. EXPOLITIS.
VTI.
A. CÆCA. IMMINENTI. OCCVPATIONE.
VINDICAVIT.
ITA. DIGREDIENS. RELIQVIT.
INEXPVGNANDA. FORMIDANDA.

Taruiſij.

MEMORIÆ. IVCVNDISSIMÆ.
IO. BAPTISTÆ. ZENI. PRÆTORIS.
CVIVS. PRÆTVRA.
INSIGNE. PROBITATIS. OMNIS. SPECIMEN.
TARVISANIS. OSTENTAVIT. CIVIBVS.
P. C.
MVNICIPES. IPSI. TARVISANI.
MAXIMIS. TANTI. PRÆTORIS. MERITIS.
DEVINCTISSIMI.
M. D C. I V.
KAL. APR.

Verona

Veronæ in Arce Feliciana.

ANDREAS. CONTARENVS.
HVIC. ARCI. PRÆSIDIO. IMPOSITVS. 77
FELICITER.
MVNVS. IMPLEVIT. SVVM.
AVSPICIIS.
DANIELIS. DELPHINI. P. F.
FIDE. ET. VIRTVTE.
P. ROSARII.
ACHILLIS. VRSINI.
HANNIBALIS. PVLEONIS.
TRIB. MILIT.
M. D C. I I I.

Scriptum non ſcalptum.

DANIELI. DELPHINO.
IN. CVIVS.
INCRVENTA. PRÆFECTVRA. VERONEN.
SIMPLEX. ILLA. ET. HILARIS.
PRISCORVM. ROMANORVM.
BONITAS. INTEGRITAS. IVSTITIA. CLEMENTIA.
EFFVLSIT.
TEMPERAMENTO. MIRABILI.
FRANC. POLA. IVRISC. VERON.
MERITISSIMO. DEVOTVS.
NOMINI. AMPLITVDINIQVE. EIVS.
F.
KAL. FEBRVAR.
M. D C. I V.

Vtini.

MVNICIPIBVS. VTINENSIBVS.
CHRISTOPHORI. VALERII.
V. CL. 78
MEMORIA. ÆTERNVM. SANCTA. ESTO.
QVI.
SPLENDIDA. HVIVSCE. PROVINCIÆ. ADMINISTRATIONE.
EFFVLGENTES. LATE. FACES.
ELOQVENTIÆ. PRVDENTIÆ. INTEGRITATIS.
QVIBVS. OMNIBVS.
IAMPRIDEM. IN. VEN. REPVB. INCLARVIT.
PRÆSTINGVERE. VNDIQVE. POTVIT.
ORDO. DECVRIONVM. VTINENSIVM.
P.
DEVOTI. AMPLITVDINI. EIVS.
M. D C. I V.

Veronæ in Aula Mercatorum.

GRATA. AD. RECORDATIONEM. PRÆTVRA. SIET.
79 OB. LAVDABILE. IVSTITIÆ. MODERATIONISQVE. PROPOSITVM.
QVAM. GESSIT.
P. PAVLVS. MALASPINA. MARCHIO.
MAXIMILIANO. TVRCO. ÆDILE.
IO: BAPTISTA. TACHETO. CONS.
NATALI. ROCHAIO. CONS.
LAVRENT. TVDESCHINO. CONS.
PRID. KAL. MARTII. M. D C. V I.

Ibidem.

DIGNE. NVNC. ET. POSTHAC. SEMPER.
LAVDETVR.
VINCENTIVS. MANVELVS. IVRISCONS. COLLEGIATVS. PRÆTOR.
ALOYSIVS. PAITONVS. SEPLASIARIVS. ÆDILIS.
IO. MARIA. VENTVRINVS. CONS.
IACOBVS. LENIVS. CONS.
ALEX. BVTVRINVS. CONS.
OB. IVSTITIAM. ET. ÆQVITATEM.
PRID. KAL. SEPTEMB. M. D C. V I.

Iuſtinopoli.

NICOLAE. DONATE. PRÆTOR.
AVCTOR. CVSTOS.
PRISCÆ. NOSTRÆ. LIBERTATIS.
IVSTINOPOLITANI. DECVRIONES.
HANC. TIBI. HIC. STATVAM. COLLOCAMVS.
DECRETO. ÆREQVE. PVBLICO.
CONTVITV.
ADMIRABILIS. TVÆ. VIRTVTIS.
INSIGNES. CVIVS. CIRCA. NOS. EFFECTVS.
IN. DIFFICILLVMO. RERVM. STATV.
FELICITER. SENSIMVS.

Brixiæ.

80 VINCENTIO. GVSSONO.
PRÆTORI.
VIRTVTE. CVIVS. ET. AVSPICIO.
EFFERATI. BRIXIANORVM. HEROVM. ANIMI.
IN. PACE. QVIESCVNT. COMPOSITA.
MANSVEFACTI.
INSPERATO. MODO. MODO. INSPERABILI.
BELLATRIX. BRIXIA. IAM. NON. BELLATRIX.
P
TITVLVM. HVNC.
RE. MAGNVM. NOVITATE. MAXIMVM.
PATRONO. PACIFERO.
M. D C. V I I.

Alieniati.

Alieniati.

PRÆTORI.
IOANNI. DANDVLO. AL. F.
PRÆFECTI.
FRVMENTO. DIVIDVNDO.
F.
QVOD. ANNONÆ. VILITATEM. FECERIT. PERPETVAM.
M. DC. VII.

Ad Inſigne Militare.

HIERONYMO. VENERIO. 81
FELICIANÆ. ARCI.
P. F.
IO: MONOPOLVS. MVTIVS.
PRÆSIDIARII. CENTVRIONES.
VICTORIOSVM. HOC. INSIGNE.
MANV. VNANIMI.
DANT. DONANT. DICANT.
PATRONO. BENEMERENTI.
M. DC. VIII.

Verona ad Pratorium Mercatorum.

FRANCISCVS. VERITAS. COMES.
VTI. IVSTITIA. QVOQVE. DICATVR.
IN. HAC. MERVIT. PRÆTVRA.
PRID. KAL. MAR.
M. D C. VIII.
VESPASIANO. GROTTO. ÆDILE.
IOANNE. PONA. CONS.
GASP. BELFANTO. CONS.
IO. PETRO. TIRABOSCO. CONS.

Vicetia in Palatio Forenſi.

VIRTVTI. ATQVE. AVSPICIO. 82
EVSTACHII. BALBI. PRÆTORIS.
POSVERVNT.
SCIPIO. CLERICATVS.
ACHILLES. MALELAVELLVS.
PETRVS. CALIDONIVS.
FABIVS. FERAMVSCA.
ÆDILES. IIII. VIRI.
GRATIARVM. CAVSSA. AGENDARVM.
PATRONO. DIGNO. DIGNISSIMO.
M. D C. IIX.

Veronæ in Palatio Mercatorum.

MEMORABILIS. HIC. MAGISTRATVS. ESTO.
HIERONYMO. VERITATE. COM. PR.
HIERONYMO. SANTANNA. ÆDILI.
ANTONIO. FONDRIO. CONS.
ALOYSIO. PALTONIO. CONS.
ROCHO. PALTONO. CONS.
PRID. KAL. SEPTEMBRIS.
M. DC. VII.

Ibidem.

83 PAVLVS. CAMILLVS. IVSTVS. COM.
PRÆTVRAM. IVSTE. GESTAM.
PRID. KAL. SEPT. M. DC. IIX.
EGREDITVR.
IACOBO. MARANO. ÆDILE.
ALOYSIO. PALTONO. CONS.
IOANNE. GERARDO. CONS.
IO: BAPTISTA. MERLO. CONS.

Scriptum non scalptum.

ADMINISTRATIO.
IVRISDICTIONIS. VERONENSIS.
CVM. SIMVL. IN. IVLIO. CONTAR. PR. SIMVL. IN. HIER. PRIVLO. P. F.
ADMIRABILITER.
QVATVOR. STETISSET. MENSES.
SEX. AMPLIVS. MENSES.
EXCELLENTER.
IN. VNO. CONSTITIT. CONTARENO.
PACIFICATORE.
O. QVAM. GRANDE. DEDIT. DOCVMENTVM.
INGENII. CONSILII. IVDICII.
INTEGRITATIS. IVSTITIÆ. MAGNANIMITATIS.
ILLE. ABIVIT. HIC. ABIVIT.
. . . .
M. DC. IX. M. DC. IX.

Editum ad quosdam Libros Musices.

MAGNIFICENTIÆ.
DECVRIONVM. MONTANIENSIVM.
FRANCISCVS. STIVORIVS.
ORGANICVS.
LIBERALITATI. EORVM. DEVOTVS.
D. D.
NOSTRVM. HOC. MVNVSCVLVM.
NE. TEMNITOR.

Scriptum.

GENIO. 84
PRÆSTANTI. DIVINO.
IVLII. CONTARENI.
GEORGII.
MAGNANIMI. SALVTARIS.
PACIFICATIONIS. POMPEIANÆ.
AVCTORIS.
IVSTI. POTENTIS.
PATRIS. PATRIÆ.
O. QVAM. SPLENDIDE. O. QVAM. REGIE.
INLVSTRI. PRÆTVRÆ. ADMIRATIONE.
VOTIS. SATISFECIT. OMNIVM.
VADE. FELICITER. VADE. GLORIOSE.

Vtini.

ANTONIO. GRIMANO.
NATALIBVS. ELOQVENTIA. VIRTVTE.
PRIVATIM. PVBLICE.
AD. EXEMPLVM.
PRÆCIPVO.
VINDICI. PRAVORVM. HOMINVM. INSIGNI.
ANNONARIÆ. NECESSITATIS.
SVBVENTORI. LIBERALISSIMO.
DEFENSORI. PAGANORVM. PRÆSENTISSIMO.
OMNIA. DENIQVE. PRÆSTANTISSIMO.
...PROVINCIA. FOROIVLIENS.
F.
BENE. DE. SE. SEMPER. MERENTI.
M. D C. X.

Scriptum non scalptum.

SPLENDIDISSIMO.
VERONENSIVM. DECVRIONVM.
ORDINI. 85
DVVMVIRISQVE. EIVS. DIGNISSIMIS.
IVL. CÆSARI. NOGAROLÆ. P. PAVLO. MALASPINÆ.
QVI. COMES. QVI. MARCHIO.
FRANCISCVS. POLA.
HVNC. ELOGIORVM. LIBRVM.
DAT. DICAT. DEDICAT.
GRATIA.
TESTIFICANDÆ. SVÆ. EXIMIÆ. OBSERVANTIÆ.
ERGA. SINGVLOS. VNIVERSOSQVE.
ANNO. M. D C. X V.
KAL. IANVARIIS.

Inscri-

Inscriptum orationi nostræ editæ.

86 DOMINO. NOSTRO.
IOANNI. CORNELIO.
PRÆFECTVRA. VERON. ABEVNTI.
MAXIMO. OPTIMO. PIO. IVSTO.
FORTVNATISSIMO.
FRANCISCVS. POLA. IVRECONS.
D. N. M. Q. E.
PRIVATE.
QVARTO. KAL. MAII. M. DVIC.

Incisum ensi donato.

CONTARENO. IVLIO.
PRÆTORI. TOTIVS. PRÆSTANTIÆ. B. M.
CORPVS. BOMBARDIORVM. VERON. F.
III. KAL. FEB. M. DC. IX.

Vt ante.

HIERONYMO. PRIVLO.
PRÆFECTO.
D. D.
BOMBARDARII. VERONENSES.
HONORIS. CAVSSA. ET. MERITI.
M. DC. IIX.

Ad ligneam quamdam descriptionem.

87 TIBI. MAVRE. TIBI. BENEDICTE.
INVICTIS. VENETI. EXERCITVS. LEGATE.
IN. QVO.
OMNES. BELLI. ARTES.
OMNEM. HVMANÆ. ADMIRATIONIS. MODVM.
EXCEDVNT.
APTISSIMVM. HVNC. VERONÆ. TYPVM.
TVVM. ELABORATVM. IMPERIO.
DAT. DICAT.
HIERONYMVS. PONTARA.
AMPLITVDINI. DEVOTVS. TVÆ.
M. DC. VII.

Veronæ in Prætorio Mercatorum.

M. DC. XIV.
HOC. IPSO. DIE. KAL. MART.
PRÆTVRA. EGREGIE. ABIVIT.
IO. THOMAS. CANOSSÆ. COMES.
MARCHIO. CALIANI. II.
EQVES. REDEMPTORIS.

Non

Non positum incerta de caussa.

HONORI. ET. FELICITATI.
PETRI. DVODI. EQV. FRANCISCI. D. M. PROCVR. F. 88
QVEM.
AD. ALLOBROGES. SARMATASQVE. ET. GALLOS.
A. REPVB. VENETA.
LEGATVM. OLIM. MISSVM.
CÆSAREA. NVNC. LEGATIONE. FVNCTVM.
VERONA. OMNIS. LÆTABVNDA.
IN. TRANSITV.
EXCIPIT. SVSCIPIT. COLIT.
V. KAL. DECEMB. M. DC. I I.
P.
BOMBARDELLVS. BAPTISTA.
IN. PVBLICA. HILARITATE.
VARIIS. IGNIFERIS. MACHINIS. TELISQVE.
EXTRVCTIS. EIACVLATIS.
PATRONO, MAXIMO.
FAMILIÆQVE. EIVS. CLARISSIMÆ.
DEVOTISSIMVS.

Inscriptum Topographia cuidam eleganti.

DVVMVIRIS. CLARISS.
REIP. VERON.
OMNIQVE: DECVRIONVM. ORDINI.
HIERONYMVS. SIGISMVNDVS.
D. D. D.
HANC. TOPOGRAPHIAM.
QVAM. IVSSV. EORVM.
F.
DILIGENTER. DESCRIPTE.
M. D C. X I I.

Vt ante.

REI. VERONENSIS. PVBLICÆ.
DVVMVIRI. OPT. MAX. 89
DECVRIONESQVE. OMNES.
LVBENTES. ACCIPITE. ET. GRATI.
HANC. ATHESIS. DESCRIPTIONEM.
QVAM. FECI. IVSSVS.
HIERONYMVS. SIGISMVNDVS.
X V I. KAL. FEBR. M. D C. X I I I.
QVVM. FLVMEN. IPSVM.
DECESSIONEM. FECISSET.
VALDE. SICCATVM.

Vexillo

Vexillo cuidam inscriptum.

ADMIRANDÆ. MEMORIÆ.
NICOLAI. CORNELII.
PRÆFECTI. VERONÆ. DECESSORIS.
CVI. DII. DENT. QVANTVM. MERETVR.
CORPVS.
MERCATORVM. VERONENSIVM.
VNANIME.
F.
OB. PLVRIMA. ERGA. SE. MERITA.
PATRONO. MAGNANIMO.
KAL. SEPT.
M. D C. V.

Vt ante.

PRÆFECTE.
NICOLAE. CORNELI.
ABI. FELIX. HABE. FELIX.
HOC. IPSVM.
MERITORVM. TVORVM.
TESTIMONIVM.
A. MERCATORIBVS. VERONENS.
V. KAL. SEXT. M. D C. V.

In Villa P. Pellegrinij, Senatus Ven. à secretis.

QVI. QVATVOR. SENATORES. AMPLISSIMI.
90 ROMAM. IERVNT. ANNO. M. D. X X I I.
BELLO. GLISCENTE. TVRCICO.
PONTIFICATVM. GREG. X I I I. GRATVLATVRI.
IS. A. SECRETIS.
PETRVS. PELLEGRINIVS.
DATVS. A. SENATV. SVM.

ANNO. M. D X C.
APVD. DVOS. HEROS. MAXVMOS.
QVI. MEDIOLANENSI. PRÆERANT. DITIONI.
CAROLVM. ARAGONIVM. DVCEM. TERRINOVANVM.
IO. FERD. VELASCIVM. COMESTABILEM. CASTELLÆ.
RESEDI.
PRO. SERENISS. REPVB. VENET.

IVSSV. PATRVM.
MEAM. NAVAVI. OPERAM. ORATORIBVS.
QVOS. AD. HENRICVM. QVARTVM.
DE. ADEPTO. GALLIARVM. REGNO,
GRATANTES.
MISERVNT. ANNO. M. D. X C I V.

PHI-

PHILIPPVS. TERTIVS. HISPANIARVM. REX.
QVVM. 91
LEGATOS. VENETOS.
REGALEM. EI. SVCCESSIONEM. GRATVLANTES.
BENIGNE. ACCEPISSET.
ME. AVREO. DONAVIT. TORQVE.
QVO. AB. ANTE. NEMO. MEI. ORDINIS. DONATVS.
ANNO. M. D. X C I I X.

IN. ILLA. FVI. LEGATIONE. VENETIANA.
QVÆ.
CLEM: V I I I. PONT: MAX:
DE. FERRARIENSIBVS. RECVPERATIS. TRIVMPHANTEM.
VENERATA. EST.
ANNO. M. D. I C.

Pischeria in Pratorio.

ALOYSIVS. MARCELLVS. ALEXANDER. VICOMERCATVS.
PROVISOR. PRÆTOR.
VNANIMES.
SVVM. QVISQVE. CVRABANT. MVNVS.
M. D C. X I V.

Editum, & affixum.

IMMORTALE. ESTO. ET. ÆTERNVM.
APVD. VERONENSES.
HERMOLAI. NANII. 92
PRÆTORIS.
QVI. NVNC. ABIT. GLORIANDVS.
NOMEN. NVMEN.
OB. DIVINA. MERITA.
PRVDENTIÆ. IVSTITIÆ. CONTINENTIÆ.
QVÆ. SI. QVIS.
NEVE. COLAT. NEVE. VENERETVR.
NEVE. PRÆDICET.
IMPIVS. SIET. NEFARIVS. SIET.
FRANC. POLA. IVRISCONS.
F.
PATRONO. DOMINO. HEROI.
BENEVOLO. BENIGNO. BENEFICO.
FELICI. FELICI.
GRATI. CAVSSA. ANIMI.
GRATIARVMQVE. AGENDARVM.
QVARTO. NON. IVNII.
M. D. C. X I I I.

Cremę.

Crema.

FAMA. MAGNA. SIET. FAMA. LATA.
PRÆTVRÆ.
QVAM.
PETRVS. CAPELLIVS.
INLVSTRI. GESSIT. MODO.
EXIMIIS. CVIVS. DE. LAVDIBVS.
CREMENSES. CERTANT. OMNES.

Scriptum, editum.

FESTVS. HIC. DIES. ET. SOLENNIS.
SECVNDVS. NONARVM. IVNII.
93 M. D C. X I I I.
PROPTER. HONESTISSIMVM. TRIVMPHVM.
QVEM.
HERMOLAVS. NANIVS.
DE. PRÆTVRA. VERONENSI. GLORIOSE. GESTA.
AGIT.
TESTIMONIVM. SCILICET. EGREGIVM.
AB. ACCLAMANTIS. CONSENSV. CIVITATIS.
ACCIPIENS.
BENE. DE. IPSA. MERENTISS.
QVO. TRIVMPHO.
NEC. VLLVS. IVSTIOR. VERIOR. NEC. VLLVS.
SEMPRONIVS. LANCIONVS.
F.
DOMINO. MAGNO. MAXVMO.
D. N. M. Q. E.

Verona in domo Mercatorum.

QVOD. BENE. MEMORANDVM. SIET.
FRANCISCVS. CALDERINVS.
IVRISCONS. COLLEG.
PRÆTOR.
IVDICIA. HIC. DICTAVIT.
FRANC. ALBANESIO. ÆDILI.
CAMILLO. VENTVRINO.
IOANNE. PONA.
NATALE ROCCAIO.
SEXTILI. MENSE. EXEVNTE.
M. D. G. X I I I.

Mediolani.

Mediolani.

MONVMENTVM. 94
VBI.
OSSA. QVIESCVNT. ET. CINERES.
CÆSARI. GALLARATO.
SVMMO. HONORE. SVMMO. CVLTV.
DIGNVM. DIGNISSIMVM. EST.
OB. EGREGIAM. IVRISPRVDENTIÆ. INTEGRITATISQVE. LAVDEM.
QVAM.
IN. FORO. IN. TRIBVNALI. IN. SENATV.
IN, PRÆTVRAQVE. TICINENSI. TRIPLICI.
ADEPTVS. EST.
MERITISSIMO.
F.
ALEXANDER. FILIVS.
PARENTI.
QVI.
BENE. MEMORANDVS. ET. SEMPER.

Cum lapis titulum iam poſitum non caperet, hic alter factus eſt.

CÆSAR. GALLARATVS.
H. S. E.
QVEM.
VITÆ. INTEGERRIMVM. IVRIS. SCIENTISSIMVM.
FORVM. PVTEAL. SENATVS.
PRÆTVRAQVE. TICINENSIS. TRIPLEX.
IVDICARVNT. PROBARVNT.
ALEXANDER. GALLARATVS.
FILIVS. PARENTI.
MOERENS. MERENTI.

Veronæ vt poneretur in Mercatu Vetere.

BENEFICIO. INCOMPARABILI.
IO. ALOYSII. BERNARDI. PRÆTORIS.
QVI. HOC. TABERNACVLVM. FIERI. CVRAVIT.
ANNO. M. D C. X V.
POPVLE. POSTHAC. VERONENSIS.
SINE. IMBRIVM. MOLESTIA.
FRVMENTVM. EMITO.
VTI. ET. SINE. CHARITATE.
EO. SEMPER. PRÆTORE.
DEMANDATVM. FVIT. ET. DISTRIBVTVM.

Cremæ in Prætorio.

95 MEMORIÆ
INCOMPARABILI. ÆTERNÆ.
FEDERICI. CABALLI.
PRÆTORIAS. CVIVS. VIRTVTES. ET. HEROICAS.
MVNICIPES. CREMENSES.
HOC. IPSO. CONTESTANDAS. MARMORE.
PVBLICO. SANXERVNT. DECRETO.
M. D. C. X V.
GRATI. ADDICTI. DEVOTI.
MAGNANIMITATI. EIVS. ET. AMPLITVDINI.

Scriptum, editum.

AVGET. MERITISSIMO. AVGET.
SVPERBOS. VARIÆ. TVÆ. VIRTVTIS. TITVLOS.
IVLI. CONTARENE.
PRÆTOR.
PACIFER. MAGNANIME. IVSTISSIME.
CONSILIVM. ISTHOC. TVVM. ET. FACTVM.
VRBI. NOSTRÆ. REIP. TVÆ.
COMMODISSIMVM.
POSTERITATI. NEC. IGNORANDVM.
QVOD.
POMPEI. PROCERES.
TVA. FELICI. OPERA.
MVTVI. PERTINACIÆ. ODII.
OBLITI.
AD. TRANQVILLVMQVE. INCLINATI. HABITVM.
IN. TVO. IVDICIO. IN. TVO. SINV.
DIVTINAS. SVAS. LITES.
VEHEMENTESQVE. SIMVLTATES.
LVBENTISSIME.
DEPOSVERINT. FINIERINT.
QVINTO. IDVS. SEPTEMBRIS.
M. D C. I I X.
QVI. DIES. SEMPER. FVAT. INSIGNIS.



INSCRI-

INSCRIPTIONES
OPERVM PVBLICORVM.

Verona in Prætorio, sed perperàm.

M. Æ.
IOANNIS. MARIPETRI. PF. INCOMPARABILIS. 96
S.
QVOD. ACCESSVM. PRÆTORIIS. OLIM. INACESSVM.
HOC. AMBITV. ADAPERTO. EXPVRGATOQVE.
EX. AVCTORITATE. SENATVS.
PERVIVM. FECERIT.
CVLTIOREMQVE. REDDIDERIT.

Scriptum, non sculptum negligentia aliena.

QVI. ISTHVC. PRÆTERFLVIS.
ATHESIS.
LIBERIORE. POSTHAC. PEDE.
CVRRITO.
IOANNES. MARIPETRVS. PF. VERONÆ
SIC. IVBEO.

In Agro Veronensi ad Villam Ronchiam.

ÆTERNÆ. MEMORIÆ. SACRVM.
QVAS. LITES. QVASVE. ACTIONES. VENETÆ. MONIALES.
ZACHARIANÆ. PRO. FABVLOSO. MILONIS.
MARCHIONIS. TESTAMENTO. ADVERSVS.
HVIVSCE. PAGI. INCOLAS. VERONAMQVE.
ADEO. TOTAM. SEMEL. ATQVE. ITERVM.
TENTARVNT. EAS. NVLLAS. IRRITAS.
RVPTAS. PERPETVOQVE. SILENTIO. ABOLITAS.
EX. VENETI. SENATVSCONSVLTO.
QVARTO. KAL. IVLII.
M. D. X I C.
QVIS. QVIS. O. ES.
EX. HAC. TABVLA. DISCITO. RECORDATOR.
POSTEROSQVE. IDEM. DOCETO.
ACTA. S. C. CANCELLARIÆ. PRÆTORIÆ. SACRÆ.
PIETATIS. ÆDI. FAMILIÆQVE.
POLFRANCISCIÆ.
COMMENDATA. SVNT.

Veronæ, non procul à Bursarea Porta, è regione valuarum S. Michaelis.

CORPVS. LANARIORVM.
COLVMNAM. HANC. ELEGANTEM.
QVÆ.
CERTOS. SVI. SOLI. FINES. HVCVSQVE.
PROPAGARI. ÆTERNVM. TESTARETVR.
EX. SVA. PECVNIA.
FRIGENDAM. CENSVIT.
MEMORIÆ. HONORISQVE. CAVSSA.
DED. KAL. QVINCT.
M. D. I I C.

Adfixa Patauij in ædibus nostris, vbi celebris Academia habetur à nostris Auditoribus Pandectarijs.

HÆC. ACADEMIÆ. PRÆSCRIPTA. SINGVLIS. ACADEMICIS.
IVSTA. RATA. SANCTAQVE. SVNTO.

97

I PRINCEPS ACADEMIÆ SORTE ELIGITVR: HVIC IN COMICIIS SVFFRAGIA BINA SVNTO: MAGISTRATVM MENSTRVVM HABETO: EAQVE POTESTAS SEMPER ESTO; HVIC ACADEMICI MODESTE, AC SINE RECVSATIONE PARENTO.

II IS, MAGISTRATVM INDVGRESSVS, SANCTISSIMO SPIRITVI RITE, SANCTE, LITARI CVRATO: SACRIS ACADEMICI ADSVNTO.

III SCRIBAM SIBI IS SVO ARBITRATV ASCISCITO: CVIVS OPERA OMNIA PROMVLGATA, PROPOSITA FIDE IN KALENDARIO COGNITA SVNTO.

IV QVICQVID REI FVERIT, PVBLICE IN MEDIVM ILLE PRIMVM PROMVLGATO.

V ROGATIONEM VLLAM NE QVIS FERTO, SVFFRAGIISVE COMPROBATO, NI ANTEA PRO CONCIONE FVERIT ACADEMICIS DECLARATA: QVI VTI EAM PROBASSINT, IMPROBAVESSINT, ITA FERTOR, ANTIQVATORVE.

VI EVNDEM PRINCIPATVM, NI SINGVLI ACADEMICI EAM DIGNITATEM SEMEL CAPESSERINT, NE QVIS CAPITO.

VII ACADEMIÆ COGENDÆ SINGVLI DIES DOMINICI POST MERIDIEM IVSTI SVNTO.

VIII ACADEMICVS QVI NEC ADERIT, AVT CAVSSA, AVT OCTO SOLIDORVM ÆRIS MVLCTA ESTO.

IX VTI QVISQVE SCHOLAS, TRACTATVSVE HABVERIT, ITA IVS, RATVM: PRÆTERQVE DIES TRES VLLVM IN EIVSDEM REI PERTRACTATIONE CONTERERE CAVETO: QVI SECVS FAXIT, PRINCEPS IPSE VINDEX ESTO.

X ACTIONIS SVÆ TEMPVS, ORDINEM SORTITIONI QVISQVE DEBETO: AST SI QVIS ABSQVE CAVSSA ORDINE NON STETERIT, ACTIONISVE DIEM, QVEM IN SE RECEPERIT, FEFELLERIT, TVM VIGINTI SOLIDI ÆRIS POENÆ SVNTO.

XI PER PRINCIPEM, ASSESSOREMQVE MVLCTÆ, POENÆ CERTATIO ESTO: AB IIS NVLLA PROVOCATIO ESTO: II SIMVL NVMARIAM MVLCTAM CVSTODIVNTO: EAMVE SINE ACADEMIÆ ARBITRATV NE QVIS EROGATO.

XII NVLLI, CVM AB ACADEMICIS DISCESSERIS, SINE PRINCIPIS, ILLIVSQVE, QVI TVNC AGET, VOLVNTATE, ACADEMIÆ VALVAS ADEVNTO.

SANCITA IN ACADEMIA ID. DECEMB. M. D. X V C.
NICOLAO STHVTIO DALMATO PRIMO PRINCIPE.

Veronæ

Veronæ ponendum erat ad Ghetum: sed posthabitum, aliudque, quod extat, positum.

HABES. POSTERITAS. 98
QVOD. PER. TVA. SÆCVLA. GLORIOSE. NARRES.
MVNICIPES. VERONENSES.
EX. VSV. PVBLICÆ. REI. DIVINÆQVE. DIGNITATE.
IVDÆOS. PER. VRBEM. PALANTES.
NVNC. IN. LOCVM. CONSEPTVM.
CERTIS. LEGIBVS. SANCTIONIBVS.
CONCLVSERVNT.
HAVD. ILLVBENTES.
ANNO. M. D. I. C.
IVLIO. CÆSARE. NOGAROLA. COMITE.
M. ANT. FONTELLA. IVRISCONS. CVRANT.
GRATIADEO. RAMBALDIO.
FACTVM. HOC. IMMORTALE.
AVSPICIIS. CONSILIIS. PRÆSENTIAQVE.
AVGVSTINI. VALERII. CARDINALIS.
PATRIS. VERONÆ.
ACCEPTVM. REFERTO.

Ibidem, sed immutatum à scioli.

AVCTORE. DOMINO. NOSTRO. PIISSIMO.
AVGVSTINO. VALERIO. CARDINALI. PERSANCTO.
IVDÆI. HVC. VOLENTES.
PVBLICO. MVNICIPVM. PRINCIPISQVE. DECRETO.
CONCLVSI. SVNT.
CVRANTIBVS.
IVLIO. CÆSARE. NOGAROLA. COMITE.
M. ANTONIO. FONTANELLA. IVRISCONSVLT.
GRATIADEO. RAMBALDIO.
M. D. I C.
ZENIO. CATHERINO. PR.
BRAGADENO. ANDREA. P. F.

Veronæ in Prætorio Mercatorum.

TABVLARIVM. HOC. 99
IN. QVO.
ACTA. FORI. NEGOTIATORVM. CIVILIA.
CVSTODIANTVR.
SACRVM. TABELLIONVM. COLLEGIVM.
F. C.

Verona ad Pontem Navium, sed corruptum alieno more, & manu.

VIATORES.
GRATIAM. SECVRITATI. PERPETVÆ. HABEATIS.
QVOD. PONTEM. VETVSTATE. CORRVPTVM. DIRVPTVM.
EX. AVCTORITATE. PECVNIAQVE. PVBLICA.
INSTAVRATVM.
RESTITVTA. ADAVCTAQVE. FORMA.
CALCATIS.
CVRAVERVNT. IIDEMQVE. PROBAVERVNT.
CATHERINVS. ZENO. PR.
HERMOLAVS. ZANIVS. PR.
PETRVS. MAVROCENVS. PF.
MARINO. GRIMANO. PRINCIPE.
M. D C.

Verona in Pratorio Mercatorum.

MERCATORES. CIVES. HOSPITES.
100 ADESTE.
IN. VSVM. VESTRVM. ET. SECVRITATEM.
IN. HONOREM. NVMINVM. TVTELARIVM. MVNICIP.
ET. DOMVS. HVIVSCE.
LAQVEARIA. HÆC. VNDIQVE. LAXATA. LABEFACTATA.
VSQVE. AD. LABEM. RVINÆ.
HOC. ADIECTO. ORNAMENTO.
IIDEM. QVI. SVPRA. I I I. VIRI.
REFICI. RESTAVRARIQVE. CVRARVNT.
PRID. KAL. SEPTEMB. M. D C. I V.

Extra Veronam ad Diua Maria Campestris.

LARIBVS. PVBLICIS. VERONENSIBVS.
CIVIBVSQVE. TEMPLI. HVIVSCE. ADMINISTRATIONI. PRÆPOSITIS.
MANSIONEM. HANC. AB. SOLO. EXTRVCTAM.
QVA. EX. ÆRE. PVBLICO. QVA. EX. PIA. STIPE. COLLATA.
ORDO. DECVRIONVM. VERONEN. DESTINAVIT. DED.
CVRANTIBVS.
ANDREA. BVRRIO.
HIERONYMO. VERITATE. VIRO. PERNOB. M. D C. I V.
99 M. ANTONIO. MADIO. IVRISC. ET. EQV. M. D C. V.
TEMPLI PATRONIS.
NE. VLLO. ABALIENETVR. MODO.
NEVE. VNQVAM. DE. NOMINE. CIVITATIS. EXEAT.
DECRETO. EIVSDEM. ORDINIS. EXCEPTVM. ESSE.
POSTERI. SCIVNTO.

Verona

Veronæ ponendum ad Amphitheatrum.

MONIMENTVM. HOC. ADMIRANDVM. 101
ROMANÆ. MAIESTATIS. VERONENSISQVE.
STABVLIS. CIRCVM. PROMINENTIBVS.
DEFORMATVM. LABEFACTATVM.
DEIECTIS. ILLIS. DISTVRBATISQVE.
ET. INTERIORIBVS. STATIONIBVS. INSTITVTIS.
AD. VTILITATEM. PVBLICAM.
MVNICIPES. VERONEN.
PRO. DIGNITATE. TANTÆ. MOLIS.
RESTAVRARVNT.
QVOD. OPVS. IAMPRIDEM. INCHOATVM.
AD. SVMMAM. MANVM. PERDVXIT.
AVRELIVS. PRANDINVS. I I. VIR. R. P. C.
QVI. ETIAM.
VNA. CVM. FABIO. NICHESOLA. V. CL.
M. D. L. X X X V I.
AVCTOR. FVIT.
DECRETI. HOC. DE. OPERE. FIVNDI.
AVGVSTINO. VALERIO. CARD. VRBIS. EPISC.
THOMA. CONTARENO. RECTORE.
DANIELE. DELPHINO. RECTORE.
PRANDINO. EODEM.
MARCO. VERITATE. I I. VIRIS. R. P. C.

Alieniaci.

AVLAM. HANC. PRÆTORIAM.
LACVNARE. REFECTO.
AVRO. COLORIBVS. BELLE. EXORNATAM.
A. DOMINICO. MARIPETRO. PROV. ET. PRÆF.
QVI.
ET. PLVRES. VIAS. LAPIDIBVS. CONSTRAVIT.
ET. PLVRES. VIRGINES. NVPTVI. COLLOCAVIT.
PROPRIO. VBIQVE. ÆRE.
TV. IPSVS. SCITO. POSTERIS. TRADITO.

Veronæ ad Officium Maleficiorum.

ACCVSATORVM. REORVM.
PROCVRATOR. DEFENSOR.
PATRONE. 102
HINC. EXITO. EFFERTO. TE. ET. ELIMINATO.
NEVE. HVC. VSQVAM. VNQVAM. INDVGREDITOR.
EXLEX. QVISQVIS. FVAS.
EXAVCTORATVS. IDEM. FVAS.
STAT. PRÆTORIS. DECVRIONVMQVE. DECRETVM.
NONIS. SEPTEMB.
M. D C. V.

Verona

Veronæ in fundamentis Palatij Academici obrutum.

ANNO. M. D C. V.
DIE. SABBATHI. X X I I I. APRILIS.
ACADEMICI. PHILARMONICI.
ÆDIFICIVM. HOC. INCHOARVNT.
LEONE. X I.
PONTIFICE. MAX. COMMODVM. CREATO.
ALBERTVS. VALERIVS.
PROANTISTES. VERONENSIS.
MANV. SACRA.
PRIORES. FVNDAMENTORVM. LAPIDES. IECIT.
PRÆFECTIS. ACADEMIÆ.
ALEXANDRO. VIMERCATO.
IO; PAVLO. BECELLO.
GASPARE. ROMANO.
FRANCISCO. MANVELLO.
HORIO. MONTENARIO. COMITE.
BARTHOLOMÆO. MAPHÆO. IVRISCONS.

Veronæ ad D. Georgij.

PVLLATI. SODALES.
CRVCIFIXI. CHRISTI. PIENTISSIMI.
HOC. SIBI. CONDITORIVM.
HABENTO.
IOSEPHVS. AVRIFEX. FLAMINIVS. PADVANVS.
MAGISTRI. SODALITATIS.
FECERVNT.
ET. SIBI.
M. D C V.

In Agro Rhodigienſi.

103 SECVRITATI. PERPETVÆ.
RHODIGINI. CHERONESI.
HASCE. PILAS. HASCE. STRVCTVRAS.
SVPERBVS. QVAS. ATHESIS.
OLIM. IRRISIT. LIGNEAS. NVNC. INDIGNATVR. LAPIDEAS.
AB. ACCOLIS.
ÆRE. MVNICIPATIM. CONLATO.
LOCARI. EXTRVIQVE.
FECERVNT.
THOMAS. MAVROCENVS. IOANNES. DANDVLVS. HIERONYMVS. PRIVLVS
TRIVMVIRI. MOLI. FACIVNDÆ.
EX. VENETI. S. C.
CVRANTIBVS.
ANDREA. STIPICINO. RHODIGIO. IACOBO. CATHAN. LENDEN.
LVDOVICO. RECAMATO. IVRISC. ABBATIA.
TRIVM. PENINSVLÆ. MANICIPIORVM.
ACTORIBVS.
M. D C V I.

Patauij

Patavij ponendam erat in Prætorio, sed abiectam, aliud positum.

HANC. IPSAM. AVLAM.
QVÆ TENEBRICOSA. OLIM. ET. GREGALI. INDVCTA. TECTO. 104
CÆTERO. AVGVSTALI.
HAVD. RESPONDEAT. VSQVAM.
IOANNES. MARIPETRVS. PRÆF.
PATAVINIS.
SEMPER. ET. FELICITER.
MEMORANDVS.
AD. FACIEM. HANCCE. REDVXIT. ET. SPLENDOREM.
OSTIO. ADDITO. ET. VESTIBVLO.
OB. HONOREM. PRÆFECTVRÆ.
ANNO. M. D C. V I I.

Venetijs in Aula Auditorum.

APVD. HOSCE. MAGISTRATVS.
INNOCENTAIA. SEMPER. FVAT. TVTA.
SIVE. POTESTAS. SANCIAT. SIVE. CONCORDIA. COMPONAT.
SIVE. ÆQVITAS.
VANA. REPELLAT. REFERAT. DVBIA.

Verona in Præfectorio.

IOANNIS. MOCENICI. 105
PRÆFECTI.
GENIO. INGENIO.
HÆ. PLENÆ. DIGNITATIS. DOMVS.
EXTRVCTÆ. SVNT. EXORNATÆQVE.
ANNO. M. D C. X.
COMMODO. QVÆSTORVM. MAXIMO.
EX. S. C.

Verona ad Bradaum super maiore Palatij Reip. Veneta Porta, sed variatum alieno ingenio.

DESSIGNAVIT. FVNDAVITQVE.
ÆDIFICIVM. HOC. AMPLVM.
IOANNES. MOCENICVS. PRÆFECTVS.
M. D C. X.
CONSILIO. CVIVS. ET. SVASV.
SENATVS. VENETVS.
OPVS. IPSVM. CONSVLTO. FIERI. IVSSIT.
IN. VARIOS. MARTIS. VSVS.

Vt pone.

Vt poneretur ibidem in Porta Academiam respiciente; sed explosum.

MAGNVM. OPERIS. OMEN. !
QVOD. SECVNDA. ÆDIFICANDI. CVRA;
IN. PRÆFECTVM.
FAVSTI. NOMINIS. ET. FORTVNATI.
HIERONYMVM. CORNELIVM.
S. C.
COLLATA. SIET.
HOC IPSO. ANNO.
M. D C. X I.

---

106 *Quomodo ante.*

HIERONYMVS. CORNELIVS.
PF.
AMPLISS. IN. REP. VENETA. SENATOR.
NATALIBVS. MAGNANIMITATE. IVSTITIA;
INCOMPARABILIS.
ARCVM. HVNC. FORNICESQVE. ALIOS. QVINQVE. DEXTRORSVM.
SECVNDVM. ANGVLVM. PROXIMVM.
AB. SOLO. FELICITER. EREXIT.
EX. SENTENTIA. SENATVS,
M. D C. X I.

Hic titulus ponendus erat sub illustri quadam pictura; sed cum tabella eum non caperet, alter, qui sequetur, factus, positus.

MARINE; QVÆ IAM TE MANVS PVELLVLVM
E FONTE SACRO PROSPERO OMINE EXTVLIT.
ILLA IPSA VERONENSIVM FOELIX MANVS,
HOC TE POLITO, NOBILIQVE MVNERE
HONESTAT, IN TVI PARENTIS GRATIAM,
HINC QVÆSTOR OPTIMVS QVI ABIRE COGITAT.*



MARINO. INFANTI.
DECVRIONES. VERONENSES.
DONO. DANT. LVSTRICO.
HONORIS. ERGO.
CIRCA. IPSVM. CIRCA. PARENTEM.
M. D. C. X I.

In Agro

In Agro Veronensi ad Villam Scaligeram in æde maiore.

AVGVSTINVS. VALERIVS. CARDINALIS.
EPISCOP. VERON.
III. ID. NOVEMB. M. D. I I C. 107
SACRAM. HIC. IMMOLAVIT. HOSTIAM.
MARGARITA. AVSTRIACA.
AD. NOVVM. NVPTVM.
CATHOLICVM. HISPANIARVM. REGEM.
PHILIPPVM. TERTIO.
NOVA. TRANSMIGRANS. NVPTA.
CLEMENTEMQVE. OCTAVO. PONTIF. MAXIMVM.
FERRARIÆ. RECEPTÆ.
TRIVMPHANTEM.
PETESSENS.
VTI. PRONVBA. EIVSCE. MANV.
FIDVCIARIO. SPONSORE. REGIS. ADHIBITO.
SACRIS. INITIARETVR. NVPTIALIBVS.
MARIA. MATER.
ALBERTVS. AVSTRIACVS.
BELGARVM. PRINCEPS.
INTERFVERE.
MAXIMA. PRINCIPVM. VIRORVM. FREQVENTIA.
INCOLÆ. PAGI. SCALIGERI.
HOC. FEC. MONIM.
CVRANTE. SILVANO. COCCONIO. POLITIANO. I. V. C.
ARCHIPRESBYTERO.

Verona in Aula Prætorij.

QVAM. CERNIS. AVLAM. 108
AVGVSTINVS. AMVLIVS. PR.
HOC. PICTVRÆ. DECORE.
EXORNAVIT.
VERONENSIBVS. SVIS.
ANNO. M. D. XC.
PER. SYLV. VALERIO. A.
QVICVM. MIHI.
CONIVNCTISSIMVS.

Ibidem ex alio latere.

SCIN'. QVÆ. VIRTVTES.
MAXVMVM. FACIANT. MAGISTRATVM.
LAQVEARIVM. INDICAT. PICTVM.
SCIN'. QVOS. FRVCTVS.
MAXVMVS. PARIAT. MAGISTRATVS.
PARIETES. INDICANT. PICTI.
SPECTATO. DISCITO. FRVITOR.

Verona

Veronæ in Aula Philarmonica.

109 MVNIFICENTIAM. EXVMIAM.
AVGVSTINI. AMVLII.
PRÆTORIS. VNDIQVE. INCOMPARABILIS.
GRATI. TESTAMVR. PHILARMONICI.
QVOD.
X. KAL. NOVEMB. M. D C. X I V.
ACADEMIAM. LOCVPLETAVERIT. NOSTRAM.
MAGNANIMVS.
AD. HANC. IPSAM. AVLAM. EXORNANDAM.

Feltrij in Aula Episcopali.

MVNICIPES. FELTRIENSES.
QVOD.
HAC. IN. AVLA.
SACRAS. SPECTETIS. EFFIGIAS.
PONTIFICVM. VESTRORVM.
DEPICTAS. BELLE. ET. DIGESTAS.
CONSILIO. ET. IMPENDIA.
AVGVSTINI. GRADENICI.
QVI.
EPISCOPALI. IN. AMPLITVDINE.
VNDIQVE. EMINET. NVNC. VNDIQVE. EMICAT.
ACCEPTVM. GRATI. REFERTOTE.
M. D C. X I I I.

Cremæ.

HOC. IN. TABVLARIVM.
FEDERICVS. CABALLIVS. PRÆTOR.
SCRIPTVRAS. OMNES. PVBLICAS.
VARIIS. DISSIPATAS. LOCIS.
LONGO. CONSVMPTAS. ÆVO.
CONTVLIT. CONLOCAVIT.
SOLERTIA. INDVSTRIA.
ADMIRABILI.
M. D C. X V.



LEGES

LEGES DE AMICITIA.

I Amicitia omnibus rebus humanis anteponitor. 110

II Virtuti, ſine quà amicitiam conſequi nemo poteſt, incumbito.

III Natura amicitiæ genitrix, virtus conciliatrix dicitor.

IV Amicitia nihil aliud eſto, niſi omnium diuinarum, humanarumq́ue rerum cum beneuolentia, & charitate ſumma conſenſio.

V Amicitia, niſi in bonis, eſſe ne poteſſit.

VI Qui ità viuunt, vt eorum probetur fidei, integritas, æqualitas, liberalitas, continentia, modeſtia, conſtantia, hi boni ſunto.

VII Primùm ipſe vir bonus eſto: tùm alios ſimiles tui quærito.

VIII In amicitijs præparandis eam adhibito diligentiam, ne amare incipias eum, quem aliquando odiſſe poſſis, beneuolentiæq́ue impetum ſuſtineto, donicum mores amicorum periclitaueris.

IX Nè nimis citò diligere incipias, neuè indignos, prouideto.

X In quibus ipſis inſit cauſſa, cur diligantur, digni amicitia ſunto.

XI In amicitia nè quid fictum, neuè ſimulatum eſto.

XII In amicitia niſi apertum pectus videas, tuumq́ue oſtendas, nihil fidum, nihil exploratum habeto.

XIII In obſequio amicorum comitas adeſto, aſſentatio amouetor.

XIV Suauitas ſermonis, & morum condimentum amicitiæ eſto: triſtitia ſeueritas procul abeſto.

XV Quid poſtules ab amico, quiduè patiaris abs te impetrari, conſiderato.

XVI Res turpes ab amico nè rogato; rogatus nè facito.

XVII Si amici cauſſa peccaueris, nulla peccati excuſatio eſto.

XVIII Dum rogeris nè expectato, ſtudiumq́ue ſemper adſit, cunctatio ſemper abſit.

XIX In amicitiæ neceſſitudine, ſi ſuperior fies, cum inferioribus te æquato; ſi inferior ſuas, te ab amicis tuis re aliqua ſuperari, nè doleto.

XX Inter amicos, qui moribus ſiunt emendatis, omnium rerum, conſiliorum, & voluntatum ſine vlla exceptione in omni fortuna communitas eſto, modò ne ſumma ſequatur turpitudo.

XXI Amicitias corroborata iam ætate, confirmatóque ingenio omninò iudicato.

XXII Nouas amicitias ne repudiato, vetuſtas conſeruato.

XXIII Amicitiarum veterum nullæ ſocietates ſunto.

XXIV Veræ Amicitiæ ſempiternæ ſunto.

XXV Familiaritates ætate mutata, contentione honoris, conditione luxuriæ, commodi cura, ſtudiorum diſtantia ſæpiùs, labefactari, dirimi, extingui ſcito.

XXVI Ne qua Amicorum diſſidia tibi fiant, primùm operam dato; deinde, ſi tale quid eueniat, vt extincta potiùs amicitia, quàm oppreſſa, videatur, curato.

XXVII Eorum, qui tibi Amicos eſſe deſierint, iniurias ferto, eumq́ue honorem veteri amicitiæ tribuito, vt is in culpa ſiet, qui faciat, non qui patiatur iniuriam.

XXVIII Quæ res in toto Mundo conſtant, eas res amicitia contrahito, diſſipato diſcordia.

XXIX Vtilitates amicorum intemperata beneuolentia nè impendito.

XXX Amicitia ſemper, & vbiq́ue, opportuna, vtilis, tempeſtiuaq́ue ſiuat.



Inſcri-

INSCRIPTIONES
OPERVM PRIVATORVM,

Veronæ in ædibus Andreæ Bonis.

QVAM. DIV. TAM. BENE. 111

Supra Ostium Villæ nostræ Nigrariensis:

IVRA. HÆC. HOSPITI. PERMISSA. EX. DOMINO. SVNTO.
VRBIS. LASSITVDINEM. PONITO.
FRONTEM. ERVGATO.
TOGAM. SAGVMVE. SVCCINGITO.
PRO. ARBITRIO. AMBVLATO. GESTATOR.
LIBERALIVS. SINE. AMBITIONE. POTATO. EDITO.
VIRILEM. IN. MODVM. TRIPVDIATO.
CARMINA. LEGITO. PANGITO.
AMOENIORA. STVDIA. EXERCETO.
ANIMVM. OMNINO. REMITTITO. NE. SOLVITO.
IN. HOSPITIO. CASTE. TE. AGITO.
POST. BIDVVM. NE. MANETO.

Ibidem duabus in Pyramidibus ad primam Portam:
in dextera Pyramide.

DII.
QVORVM. NVTV. RES. POLA. NATA. AVCTA. EST.
PRECOR. VENEROR. HVNC. ADITVM.
HASCE. ÆDES. HOSCE. AGROS.
DOMINOSQVE. EORVM.
SALVOS. ESSE. SINATIS.
INSVLTANTES. PER. HORAS. DIVRNAS. NOCTVRNAS.
FVGA. FORMIDINE. TERRORE. COMPLEATIS.
SI. ITA. HÆC. FAXITIS. VT. EGO. SCIAM. SENTIAM.
INTELLIGAMQVE.
VOS. QVOTANNIS. SACRIS. OBTESTOR.

In altera Pyramide.

QVI. ADVERSVS. ADITVM. HORTOS. AGROS. DOMINOS. 112
ARMA. TELA. CLAM. PALAM. EXLEGES. FERENT.
EOS. HOMINES. QVOS. ME. SENTIO. DICERE.
EORVMQVE. AGROS. BONA. CAPITA. ÆTATESQVE.
DEVOTAS. ET. CONSECRATAS. HABEATIS.
OLLIS. LEGIBVS. QVIBVS. QVANDOCVMQVE.
HOSTES. SVNT. MAXIME. DEVOTI. SACRI.

Ad ſecundam Portam.

ABITE. HINC. SEQVACES. CVRÆ. VOS.
ABITE. HINC. LITIGATORES. ITE. VOS.
QVID. VOSTRIS. VOLTIS. CVM. MOLLIBVS. PAPYRACEIS.
ABITE. HINC. VOSTRO. CVM. CATONE. SERIOSO.
TETRICI. QVOTQVOT. ESTIS.
RIDENTES. ISTAS. SEDES. HORTVLOSQVE.
FRANCISCVS. GENIO. SACRAS. FECIT. POLA.

Ad aditum Viridarij in duabus Pyramidibus. In dextra.

ANTEQVAM. INDVGREDIARIS.
NVMINA. LOCI. COLITO.
ENDOGRESSVS. MANVS. CONTINETO.
FLORES. POMA. NE. CONTINGITO. NEVE. RAPITO.
NASVM. ATQVE. OCVLOS. TOTVM. TE. FACITO.
DE. ASPECTV. NON. DE. PRÆDA. PROVINCIAM. HABETO.

In ſiniſtra.

PLANTAS. NE. DEFRVNDATO. ARBORES. NE. DEGLABRATO.
NEVE. CINGITO. NEVE. SVBSECATO.
VIRIDARIVM. OMNE. NE. INCANTATO. NEVE. FINDITO. NEVE. DEVRITO.
NEVE. QVEM. INCANTARE. FINDERE. VRERE. SINITO.

Poſitum iampridem eſſet Veronæ ad ædificium Ferrariam, quod à D. Luca extructum, ni mors præripuiſſet Flaminium Burgetum.

113 MALE. ABI. BONE. ADI.
QVISQVIS. ES.
NOLO. TE. VOLO. TE.
PATRIA. OPTIMA. PRINCEPS. OPTIME.
SI. QVID. HIC. POSSVNT.
MALLES. SPHYRÆ. FOLLES. FOCVLI.
INCVDES. COTES.
ÆTNÆIQVE. ISTI. TOROSI. CYCLOPES.
VOBIS.
BELLVM. PAX. FVAT.
POSSVNT. VOLVNT.
ÆDIFIC. KAL. DECEMB. M. D. V I I C.
MAGNO. SVMPTV. IVPITER. MAGNO. COMMODO.

In Palatio Mercatorum Veronæ.

LEONARDVS. CATHANEVS.
MONVMENTVM. HOC. VETVSTATE. CORRVPTVM.
QVOD. ANN. M. D. I I X. POSITVM.
NICOLAO. CATHANEO. IVRECONS.
OB. PRÆT. BENE. GESTAM.
PROPRIA. IMPENSA. RESTITVIT. EXORNAVIT.
M. D. C.
AVE. PIVMQVE. NEPOTIS. STVDIVM. NE. TEMNITO.

Ad

Ad centonem noſtrum Vigilianum.

Ex Virgilio.

LECTOR. 114
QVISQVIS. ES. SI. QVIS. ES.
SALVVS. SIS. PIVS. SIS.
PIE. SCRIPSI. PIE. LEGITO.
SI.
QVA. PAVCA. VERBA. NON. PIA. A. NON. PIO. VATE.
EX. INVIOLABILI. CENTONIS. LEGE.
INVITVS. SVMPSI.
MENS. TVA. FACITO. PIISSIMA.
VTI. IAM. FECIT. MEA.

Verona ad D. Petri in Carnario ad ædes Caballinas.

M. S.
HASCE. ÆDES.
QVÆ.
NICOLAVS. CABALLIVS. IVRECONS. CLARISSIMVS.
NE. DE. NOMINE. SVO. EXIRENT.
NEVE. QVACVMQVE. CAVSSA. CVI. ABALIENARENTVR.
VOLVERAT.
HÆREDES. NEFAS. ABALIENAVERANT.
OCTAVIVS. CABALLIVS. FR. F.
MAGNO. SVMPTV.
RECVPERAVI. INSTAVRAVI.
SED. NEQVE. VENIENT. NEQVE. DONABVNTVR.
NEQVE. VLLO. MODO. ALIENABVNTVR.
NEQVE. DE. NOMINE. EXIBVNT. FAMILIÆ. MEÆ.
SIC. ET. IPSVS. EDICO.
KAL. OCTOB. M. D Ç. I.

Ad Librum M. Antonij Peregrini de Fideicommiſſis.

LECTOR.
HABEO. QVOD. TE. GNARVS. MONEAM. 115
VTI. TV. IGNARVS. NE. SIES.
IN. HOC. IPSO. LIBRO.
QVEM.
M. ANTONIVS. PEREGRINVS. IVRECONS.
RARI. EXEMPLI.
ETIAM. SI. OLIM. FVISSET.
F.
IVRISPRVDENTIA.
NON. PEREGRINATVR. SED. HABITAT.
FRANC. POLA. IVRECONS. VERON.
P.
DEVOTVS. NOMINI. BENEVOLENTIÆQVE. EIVS.

Veronæ in ædibus Morandi, quæ in via Cursoria, malè immutatum.

RES. FORTVNÆQVE. MEÆ.
CENSVM. GENVS.
NEC. SEQVVNTOR.
NVDVM. HOMINEM.
IN. QVO. VIRTVS.
QVÆ. EO. CONTENTA. ESSE. SOLET.
SEQVVNTOR.
HOC. VTI. TESTOR, ITA. RATVM. SEMPER. ESTO.
ALPHONSVS. MORANDVS.
EQVES.
P.
KAL. MARTII. M. D C.

Ad effigiem ære incisam Isabellæ Andreinæ Comœdæ.

HOC. HISTRICÆ. ELOQVENTIÆ. CAPVT.
116 LECTOR. ADMIRARIS?
BENE. HABET.
QVID. SI. AVDITOR. SIES!

Lauanei ad Portam Villæ Veritatum.

GENIO.
DOMVS. VERITATVM.
D.
AMICVS. INIMICVS.
ACCEDITO. RECEDITO.
M. D C. I V.

Ibidem in Arcu maiori Viridarij.

HOSPES. SIES. SOSPES.
QVID. HISCE. STVPES. MOLIBVS.
VIRTVS. VERITAS.
SVSCITAVIT.
HOC. IVCVNDITATVM. ILLICIVM.
GAVDE. HOSPES. GAVDE.
ET. FELIX. ABITO.

Ad Mappam trium Veterum orbis partium manu factam dono mihi datam.

M. ANTONIVS. MONTANVS. VIR. CLAR.
KAL. IVLIIS. M. D C. I V.
HOC. ME. BEAVIT. MVNERE.
QVO. OLIM. M. C D. X X X V I.
IO. BAPTISTA. PATER. EIVS. DONATVS.
AB. AVCTORE. GRÆCO. NOMINE.
FRANC. POLA. GRATVS.
P.

Vt pone-

Vt poneretur in Villa Thadei Tirabosci.

GENIO. ET. IVCVNDITATI. 117
SECESSVM. HVNC.
QVO. IN. REMISSIONIBVS. VTERETVR.
THADEVS. TIRABOSCVS.
EX. COMMODO.
POSTHABITA. PROPINQVITATI. AMOENITATE.

Veronæ in Templo inferiore Diui Firmi.

HVNC. QVIETIS. LOCVM.
ANNO. M. C C C X L V I.
CONSTRVCTVM.
A. FRANCISCO. MERCATANTIO.
NEGLECTVM. LONGANIMITATE. DIRVPTVMQVE.
HOC. IPSO. ANNO. M. D C. V I.
BARTHOLOMÆVS. MERCATANTIVS.
FRATRESQVE. EIVS.
REPARAVERVNT.
PARENTIBVS. SIBI. POSTERISQVE.
IN. MEMORIAM.
GENTIS. MERCATANTÆ.
QVÆ. EADEM. CVM. BARVLLA. OLIM. FVIT.
NATIVITATE. VERONENSIS. SCRIPTO. PRINCIPIS. VENETA.

Vt poneretur ad Archiuum Congregationis Cleri vrbani Veron.

EFFIGIES.
BAPTISTÆ. PERETTI.
VIRI. SANCTI. VIRI. DOCTI.
QVI.
SVMMO. LABORE. SVMMA. DILIGENTIA.
OMNIA. SACRÆ. CONGREGATIONIS. IVRA.
IN. HOC. DIGESSIT. TABVLARIO.
FRANCISCVS. BONELLVS.
DVM. ESSET. ARCHIPRESBYTER.
F.
B. M.
PROPRIO. SVMPTV.
M. D. C. X.

Super Arcu quodam ligneo extructo à Fr. Calceolario Iuniore Pharmacopola, dum Theriacam publicè componeret.

NERO. 118
MAXVMVS. VENENARIVS.
MAXVMVM. HOCCE. ANTIDOTVM.
F. C.
BENE. ERGO. ILLI. QVIQVE. PRECATOR.

Ibidem,

Ibidem.

ANDROMACHVS. HIC. EST. CRETENSIS.
THEARICES. MAGNÆ.
SALVTARIS. AVCTOR.
IN. SVMMO. ERGO. ILLE. HABETOR. CVLTV.

Verona in Museo Benedicti Ceruti Medici.

119 VIRTVTI. NON. IGNAVÆ.
QVICQVID. FRVOR.
QVICQVID. SPERO.
SACRVM. DICATVM.

Ibidem.

DELITIÆ. CERVTIANÆ.

ADVENTOR. HIC. TIBI. VOLVPE. FACITO.

ANIMVS. RECREATOR.

CORPVS. NEC. OCIATOR.

Non scio ubi positum.

HAC. IN. VILLA.
QVAM.
AMOENITAS. IPSA. INSIDET. BEATA.
OBLECTENT. SE. ET. RECREENT.
AMICI. OMNES. ET. ADVENTORES.
SIC. SANCIO.
ANTONIVS. . . . .
OCTAVIANI.
MEORVM. MORE. MAIORVM.
M. D C. X I V.

Verona in Bibliotheca Theatina.

CLERICI. COLLEGIATI. THEATINI.
BIBLIOTHECAM. HANC. INSIGNEM.
LEGATVM. PIVM. GRANDE. LEGATVM.
FLORII. PINDEMONTII. PROANTISTITIS. VERON.
MAGNANIMI. VIRI. ET. OPTVMI.
LÆTA. MANV. FRONTE. LÆTA.
SVSCIPIVNT. SVSPICIVNT.
ÆTERNOQVE. DONANT. TITVLO.
GRATI. ANIMI.
CAVSSA.
M. D C. X I I.

Ibidem.

Ibidem.

THEATINI. PATRES. 120
HAC. DE. BIBLIOTHECA.
SCIVERVNT. SCRIPSERVNT.
HASCE. NOVEM. LEGES.
KAL. IANVARIIS. M. DC. XII.

I POTESTAS. BIBLIOTHECÆ. IN. PRÆPOSITO. COENOBII. ESTO.

II SODALES. QVI. HVIVS. COLLEGII. VT. LVBET. INGREDIVNTOR. LIBRISQVE. COMMODE. VTVNTOR.

III EXTERVS. QVISQVIS. FVAT. COENOBIARCHA. INSCIO, NE. INGREDITOR. VNVS. EX. NOSTRIS. COMES. SEMPER. ESTO.

IV INDVGRESSIS. LIBROS. VISVNDI. LEGVNDI. TRACTANDI. IVS. ESTO.

V CODICES. NVSQVAM. VNGVE. SECATO. CALAMOVE. NOTATO. NEVE. PAGINAS. VEL. NILVM. PLICATO. STRINGITO.

VI NEMO. CLAM. PALAM. VOLVMINA. ILLVBENTE. PRÆPOSITO. ASPORTATO.

VII LIBRIS. QVOS. COMMODASSIT. REDDVNDIS. DIES. TRES. CERTI. SVNTO. DEINDE. REPETVNTOR. REFLAGITANTOR. CONDICVNTOR.

VIII LIBROS. CODICES. VOLVMINA. PARTEMVE. EORVM. NE. CLEPITO. RAPSITO. CONCERPITO. NEVE. CLEPERE. RAPSERE. CONCERPERE. CORRVMPEREVE. SINITO.

IX QVI. SECVS. FAXIT. EXECRABILIS. DETESTABILISQVE. ESTO.

Portia, quod est oppidum Foroiulienfe in Palatio com.

PRISCI. LARES. PORTIANI.
QVI. HANC. DOMVM.
QVAM. QVINGENTIS. ABHINC. ANNIS. 121
A. VETERIBVS. MEIS. EXCITARENTVR. PARENTIBVS.
FELICES. INTRASTIS. FELICES. INSEDISTIS.
QVI. HANC. DOMVM.
CENTVM. ABHINC. ANNIS.
QVA. TERRÆ. TREMORE. LAPSAM. QVA. SENECTVTE. SOLVTAM.
NOLENTES. DESERVISTIS. NOLENTES. RELIQVISTIS.
NVNC. O. EANDEM. NVNC.
REPETITE. VOLENTES. PROPITII. INHABITATE.
HIERONYMVS. PORTIÆ. COMES.
ROGO. SVPPLEX. VENERORQVE.
QVI. EAM. A. SOLO. REPARAVI. AMPLIAVIQVE.
M. DC. X.

Ibidem.

QVICQVID. IN. HIS. TECTIS. POSITVM. EST. AD. GENTIS HONOREM.
ÆTERNA. HOC. SERVET. PACE. BEETQVE. DEVS.

Ibidem.

Ibidem.

AD. PERPETVITATEM. FAMILIÆ.
HIERONYMVS. IN. PORTIA. COMES.
HASCE. ÆDES.
QVÆ. QVINGENTOS. IAM. ANNOS.
EXTRVCTÆ. A. MAIORIBVS.
TERRÆMOTV. DECIDERANT. ET. VETVSTATE.
RESTITVI. ET. REDEGI.
IN. NITIDIOREM. HANC. FORMAM.
M. D C. X.

Veronæ in Horto Michaelis Sacramosij Equ.

SACRAMOSIORVM.
122 HORTVS. HIC. EST.
AN.
SACER. MVSIS?
AN.
VTRVMQVE?

In principio Libri Elogiorum nostrorum.

VOBIS.
PARENTES. PRIMITVS. PRÆCEPTORESQVE.
VOBIS. SECVNDO.
CIVES. OMNES. VERONENSES.
PER. OMNE. ÆVVM.
LITTERIS. ARMIS.
INSIGNES.
VOBIS. AD. POSTREMVM.
EXTERI. NONNVLLI.
VARII. ORDINIS. VARII. GENERIS.
AFFECTV. MEOPTE. ET. CVLTV.
PROBATI. LECTI.
ELOGIVM. A. ME. QVOSQVE. INSTAT. PROMERITVM.
SI. DEVS.
VITAM. MIHI. FACIAT. BONAM.
TVRBARVMQVE. PAVSAM. STVDIORVMQVE. QVIETEM.
DVIT.
AST. HEVS. VOS. OMNES.
INGENVAM. MEAM. HANC. OPERAM. LABORIOSAMQVE.
MEMORES. SVLTIS. AMPLECTAMINI. ET. GRATI.
PER. GENIVM. FAMÆ.
OBTESTOR.
FRANCISCVS. POLA. VERON.
ANNO. M. D C. EXEVNTE.

Belvederij

Beluederij, qui est pagus Agri Patauini in Aula Villa Latini Cantij.

MEA. HAC. VILLA. MEVS. HIC. FVNDVS. 1831
VTRVMQVE.
POSITVM. AMOENISSIMVM. ET. NOMINE.
HONESTISSIMIS. ELOQVENTIÆ LABORIBVS.
IN. FORO. EXANTLATIS. VENETO.
ACCEPTA. VELIM. REFERANTVR.
A. POSTERIS. MEIS.
EXEMPLVM. QVOS. VTINAM. EXCITET. VTI. SEQVETVR. COMMODVM.
LATINVS. CAVTIVS.
F.
M. D C. X I.

Ad effigiem depictam.

HAC. IN. TABVLA.
VVENICA. DESPOTHA.
EX. IANICO. VAYVODA.
PRINCIPE.
MOLDAVIÆ. VALACHIÆ.
NATA.
AD. VIVAM. REPRÆSENTATVR. EFFIGIEM.
ADMIRABILI. VENERABVNDI. AMANTIS. MEMORIA.
ARTIFICEM. PICTORIS. MANVM.
DVCENTE.
DEPICTA. EXPRESSA.
M. D C. I X.

Verona ad D. Mariæ antiqua olim positum; sed noua ædificatione abolitum.

VIATOR.
QVAM. ASPICIS. PORTVLAM. NVPER. EXTRVCTAM.
NE. FORTEAN. DESPICITO.
NICOLAVS. CORNELIVS. PF. VERONÆ.
F. C.
PIETATIS. GRATIA. ET. LIBERALITATIS.
IAM. SENTIO.
ILLA. A. TANTO. AVCTORE. TIBI. APPARET.
ARCVS. TRIVMPHALIS.
MERITISSIMO.
I. FELIX. IN. TEMPLVM. AD. DEVM.
M. D C. I V.
P. PAVLVS. VENTVRINVS. ARCHIPRESBYTER.
F.
GRAT. CAVSSA.
PATRONO. MAXIMO.

Bergomi

Bergomi in æde Theatinorum.

124 VINCENTIVS. BAROTIVS. PR.
VIR. PRÆSENTISSIMÆ. PIETATIS.
MVNIFICENTIÆQVE. EXIMIÆ.
INCHOATVM. HOCCE. LAQVEARE.
CONSVMMAVIT.
TANTÆ. GRATIAM. REI.
REGVLARES. CLERICI. THEATINI.
ACCIPIVNT. HABENT.
DEVS. QVI. MAXIMVS. EST. REDDAT.
M. D C. I X.

Veronæ in publica columna non procul à Bursarea Porta.

CORPVS. LANARIORVM.
COLVMNAM. HANC. ELEGANTEM.
QVÆ.
CERTOS. SVI. SOLI. FINES. HVCVSQVE.
PROPAGARI. ÆTERNVM. TESTARETVR.
EX. SVA. PECVNIA.
ERIGENDAM. CENSVIT.
MEMORIÆ. HONORISQVE. CAVSSA.
DED. KAL. QVINCT.
M. D C. I I X.

Ex alio latere.

EA. LEX. HVIC. SOLO. ESTO.
QVATENVS. ID.
CONTINVQ. VIÆ. ANFRACTV.
CIRCVMSCRIBITVR.
PROPRIVM. LANARIORVM. SIAT.
VIÆ. IPSÆ. PVBLICÆ. MANENTO.

In Agro Brixiano.

125 CAMILLVS. CAPREOLVS.
DE. HAC. VILLA. MEA.
SIC. SANCIO.
IVRE. MEA. ESTO. ET. DOMINIO.
VSV. AMICORVM. ESTO. ET. FRVCTV.
SIVE. ILLI. MARTIS. VIRI. SIENT. SIVE. PALLADIS.
TESSERAM. HIC. HOSPITALEM.
TOGATIS. SAGATIS.
INDISCRETAM.
DABO.
SED. SI. BONI. SED. SI. BENE.
M. D C. X I V.

Addi-

Ad Librum quemdam Rubei.

LECTOR. O. LECTOR.
NE. PERLEGAS. NISI. PRÆSCIAS. 126
QVÆ. REVERENTIA. QVÆ. RELIGIO.
HVIC. DEBEATVR. LIBELLO.
RE. ET. NOVITATE.
MAXVMO. OPTVMO.
HIEROGLYPHICA. CONTINET. EXPLICATQVE. EVANGELICA.
PIE. DOCTE. ELEGANTER.
CONCINNATA. EXPOSITA.
BARTHOLOMÆVS. RVBEVS.
PLENO. SAPIENS. PECTORE.
F.
BONO. CHRISTIANO.
IAM. LICET. PERLEGAS.
LECTOR. O. LECTOR.
FRANC. POLA. IVRISCONS.
SIC. EDICO. SIC. PRÆDICO.
HONORIS. CAVSSA. ET. AMORIS.
CIRCA.
AVCTOREM. BENEMERENTEM.

Scriptum editum ad Librum ipsum.

ARCHITECTORI.
SECLI. SVI. ÆVI. OMNIS.
MAXVMO. OPTVMO.
VINCENTIO. SCAMVTIO.
ARCHITECTONES. OMNES.
SITE. GRÆCI. FVANT. SIVE. LATINI. FVANT.
IPSAQVE. ADEO. ARCHITECTONICE.
FASCES. SVBMITTERE. DEBEANT. SVOS.
FIDES. SIET. FIDA.
GRANDE. HOCCE. OPVS. ET. LABORIOSVM.
ÆTERNA. NOMINIS. EIVS. ARCHITECTIO,
P.
FRANC. POLA.
AMORIS. CAVSSA. ET. HONORIS.

Ad quamdam Tabellam.

ARRANVM.
QVI. EST. VICVS.
AD. CELLVLAS. ILLASIANAS.
HIERONYMVS. SIGISMVNDVS.
F.
VT.
VERAM. LOCI. IMAGINEM.
IN. CAPITALI. IVDICIO.
REPRESENTARET.
M. DC. XIV.

Scriptum.

VERONAM.
127 ITALIÆ. OCELLVM. VENETORVM. DELITIVM.
ELABORATA. HAC. SCIOGRAPHIA.
DESCRIBI. IVSSIT. ET. DIMETIRI.
AVGVSTINVS. AMVLIVS.
AD. FRVENDAM. OCVLIS. VRBEM.
EX. QVA.
INGENTEM. ILLE. FAMAM. ET. ÆTERNAM.
PRÆTOR. VNDIQVE. INCOMPARABILIS.
COLLEGERAT.
GLORIOSISSIMVS.
F.
FRANCISCVS. POLA.
DOMINO.
QVI. MAXVMVS. QVI. PIENTISSIMVS.
ANNO.
M. D C. X I V.

Montaurei, qui eſt pagus Veronenſis ad Villam Cottiorum.

VIATOR.
QVOD. TE. VOLO. PAVLVLVM. EST.
COTTII. FRATRES.
VNANIMITATIS. INCOMPARABILIS.
BARTHOLOMÆVS. COTTIVS. IVL. CÆSAR.
HASCE. HABENT. ÆDES.
IAM. LICET. TIBI.
VEL. IRE. VEL. INGREDI.

Ibidem.

HOSPES.
HVMILIOR. HÆC. VILLA.
QVAM. TV. QVAM. FVNDVS. QVAM. DOMINI.
VELIS. QVÆRAT. OPTENT.
NE. TIBI. SIT. DESPECTVI.
AMOENA. EST. HILARA. EST.
ET. VSV. TVA. NON. ABVSV.
ASCENDE. FELIX.

Ibidem.

SI. VALES. NI. VALES.
CIRCVMSPICE.
AQVÆ. COLLES. MONTES. AER.
AVREA. OMNIA.
VALENTEM.
SERVANT. REDDVNT.

Ibidem.

Ibidem.

HOSPES.
AMPLIORIS. FVNDAMENTA. VILLÆ. 129
HAVD. HINC. SVRGVNT. PROCVL.
EXVRGENT. ILLA. EXCRESCENT.
SI.
QVÆ. HVNC. DOMINIS. SVRGIT. FORTVNA.
EXVRGAT. ILLA. ET. EXCRESCAT.
DESCENDE. FELIX.

Ibidem.

SI. FRVGI. ES. NI. FRVGI. ES.
DESPICE.
DAPES. IN. PLANO. HABES. INEMPTAS.
SED. LAVTAS.

Ibidem.

SI. AMAS. NI. AMAS.
SVSPICE.
COLVMBÆ. IN. SVBLIMI. LVDENTES.
AMOREM.
EXCITANT. IMMITTVNT.



INSCRIPTIONES
VIRORVM CLARORVM.

Adfixam olim Valuis Collegij Patauini.

SCIPIONI. PAVESIO. SABATIENSI.
130 NOBILITATE. HVMANITATE. DOCTRINA.
OMNIBVS. MEMORABILI.
STVDIOSI. TVM. BRIXIANI. TVM. VERONENSES.
VNANIMES. PATAVII. AGENTES.
QVO. ILLE. DIE. IN. ALBVM. IVRECONSVLT.
MAXIMA. FREQVENTIA.
COOPTATVS. EST.
HONORIS. ET. OBSERVANTIÆ. CAVSSA.
D. D.
VII. ID. DECEMB. M. Q. R. IIIO.

Scriptum.

SINGVLARE. EXEMPLVM.
FORTITVDINIS. FORTVNÆ. CHARITATIS.
HIC. IACET.
IVL. CÆSAR. FRECAVALLIVS. I. C.
PROH. QVANTVM. FVIT.
INGENIO. CORPORE. AMICIS. OPIBVS.
VALIDE. POTENS.
PRO. PATRE. SÆPIVS. PRO. PATRIA.
HONESTE. PVGNAX. VICTOR.
CREMENSES. DEFVNCTVM. LVXERVNT.

Scriptum grandi merito, & luctu.

DIIS. MANIBVS. CRVENTIS.
IMMANITATEM. HOSPES. HORRENDAM.
PELLEGE.
TRIA. CORPORA. TRES. ANIMAS.
VNVM. CORPVS. VNAM. ANIMAM.
TRIVM. FRATRVM.
CYRI. BONIFACII. ALBERTI. CANOSSARVM.
IN. IPSO. ÆTATIS. FORTVNÆQVE. FLORE.
FERRVM. MVLTIPLEX. MOMENTO. HORÆ. TRVCIDAVIT.
ET. NE. PVTES. HOC. IN. SCYTHIA. FACTVM.
VERONÆ. FACTVM. SCITO.
AH. SCELVS. AH. SECVLA.
P.
KAL. IVN. M. D C.

Scri-

Scriptum in vero, & maximo dolore.

AH. INTEMPESTIVVM. HISCE. SÆCVLIS. FVNVS.
PHILIPPI. FVGGERI. 131
TOPARCHÆ. CLARISSIMI.
IN. QVO.
HOC. VNVM. RESTAT. SOLATII.
QVOD.
QVAM. ILLE. VITAM. A. NATVRA. BREVEM. ACCEPIT.
VIRTVTE. OMNI. PRINCIPALI.
LONGISSIMAM. FECIT.
HAVE. ÆTERNVM. MÆCENAS.
FRANC. POLA. IVRECONS. VERON.
P.
MÆSTISSIMVS.
PATRONO. LIBERALISSIMO.
ET. B. M.
PRIDIE. IDVS. APRIL. M. D C. X I.

Scriptum proprio motu, & integerrimo.

CRVENTI. MANES. CANOSSII.
ACCIPITE. EHEV. ACCIPITE.
INGENTEM. EHEV. ANIMAM.
AD. VOS. CONVOLANTEM.
CLAVDII. BEVILAQVÆ. COMITIS.
QVI.
DIRÆ. VESTRÆ. CÆDIS.
TEMPVS. LOCVM.
EFFVGIT.
NON. FATVM.
VNANIMIS. CONSANGVINEVS.
EADEM. MANV. EODEM. FERRO.
VENETIIS.
IN. TVTISSIMO. ORBIS. ASYLO.
X X I I I. VVLNERIBVS.
CONFOSSVS.
VEH. MISERÆ. VERONENSES. IRÆ. VEH.
QVID. NON. VBIQVE. MOLIVNTVR. AVDENT?
DEVS. PRINCEPS.
SANGVINARIAM. AMENTIAM.
AVERRVNCASSIT.
CÆSVS. EST. X I I I. KAL. OCTOB. M. D C. I V.
AD. GRADVS. TEMPLI. REDEMPTORIS.

Ingratus herclè sim, si Heroicam eiusdem inscriptionis versionem, quam fecit perelеganter M. Publius Fontana, vir doctissimus, hic nec ponam.

132 Canossi Manes, consparsi sanguine Manes,
Ingentem Biuilaquæ animam, ad vos ecce volantem,
Claudi animam accipite; infandæ qui tempora cædis,
Atque locum vestræ effugit, non tempora fati,
Ipsa namque manu, ferroque petitus eodem,
Vnanimis pariter consanguineusque supremum
Occubuit, medio Venetum confossus Asylo.
Veh miseræ Veronensum iræ, veh, quid vbique
Iam non triste audent? quæ iàm non impia tractant
Consilia? At Deus, at læso pro numine Princeps
Immanes animos, insana cæde furentes,
Perdat, auerruncet, totoque eliminet orbe.

Scriptum obseruantiæ caussa.

HIC. EST. POSITVS.
HIERONYMVS. IVSTVS.
COMES. GAZII.
V. C.
SINGVLARE. EXEMPLVM.
BONITATIS. INNOCENTIÆ. FACILITATIS.
PATRIÆ. FAMILIÆ. FILIIS.
ELATVS. X I. KAL. APRIL. M. D C. I I I.
FREQVENTIA. PHILARMONICORVM. MAXIMA.
P.
FRANC. POLA.
GENTI. IVSTÆ.
DICATISSIMVS.
VALE. ÆTERNVM. HAVE.

Scriptum.

INTRA. HOC. MARMOR.
133 TERMINATA. EHEV. EST. VIRTVS.
ANTONII. QVIRINI.
SINCERI. SENATORIS. ET. PVBL.
INGENTI. CVIVS. AVCTORITATE.
ACCVRATISQVE. SCRIPTIS.
IMPERTVRBATA. REIP. VEN. LIBERTAS.
SECVRVMQVE. IMPERII. EIVS. ARBITRIVM.
STETIT.
OBIIT. . . . . . . M. D C. V I I I.

In Germania certè: sed vbi non memini.

MALA. EHEV. FATA.
QVAM. MALE. IVDICANT. QVAM. MALE. FACIVNT.
FEDERICVS. MAGNVS.
COMES. SVLMENSIS.
DOMO. GERMANIA.
IN. IPSO. ÆTATIS. FORTITVDINISQVE. FLORE.
DIRO. SCLOPETTI. ICTV.
PRÆRIPITVR.
ACERRIMVS. TVRCARVM. DEBELLATOR.
IN. PANNONIA.
ANNO. M. D C. I V.
QVAM. MALE. IVDICANT. QVAM. MALE. FACIVNT.
MALA. EHEV. FATA.

Vbinàm, non recordor.

BENE. HABET.
SCIENS. VOLENS. HILARVS. 134
MIHI. IPSI. VIVO.
CONDITORIVM. HOC. PRÆPARAVI
VBI.
OSSA. CINERESQVE. MEI. QVIESCANT.
HORATIVS. ORICELLARIVS.
QVVM. ESSEM. ANNORVM. L X I I.
VALETE. O. OMNIA. MORTALIA.
QVIBVS. ET. IPSE. EMICVI.
QVÆ. IAM. HABEO. DESPICATVI.
FIXVS. IN. MORTE. VNA.

Vt ante.

REDITE. IN. PATRIAM. REDITE.
GLORIOSE.
POMPEII. MARTES.
ALEXANDER. PATER. ALBERTE. FILI.
STRENVE. BELLATORVM. FLOS.
QVI. DVO.
PRÆSENTI. ANIMO. INFATIGABILI. MANV.
FEROCEM. HOSTIVM. MVLTITVDINEM.
SVSTINVISTIS.
O. MAGNI. PVGNA. O. FORTITVDINE. MAGNI.
O. PIETATE. MAXVMI.
PLVS. GLORIÆ. MEHERCVLES. QVAM. SANGVINIS.
EX. VOSTRIS. EGREGIIS. MANAVIT. PLAGIS.
IPSI. HOSTES. IPSI.
STVPENTES. ADMIRATIONE. OCVLOS.
IN. VOS. IAM. CONVERTENDO.
PROCLAMANT.
NOS. NEC. INCRVENTI.
VVLNERAVIMVS. POMPEIOS. NON. VICIMVS.

Scri-

Scriptum honoris ergò.

135 REM. EXVMIAM. REM. NOVAM.
O. VERONA. O. PATRIA.
O. MVNICIPES.
VOBIS. LÆTABVNDVS. VOBIS.
APPORTO. ANNVNTIO.
AVGVSTINVS. DELBENIVS.
NOBILITATE. INCLYTVS. ET. DIVITIIS.
SERENISS. REIPVB. VENET.
CONSVLTOR. IN. IVRE.
QVARTO. ID. APRILIS. M. DC. VII.
DECLARATVS. EST.
NEC. ROGANS. NEC. AMBIENS.
MERENS. CERTE. MERENS.
QVOD.
IN. SVMMA. EIVS. FIDE. ET. DOCTRINA.
PLVRIMVM. MOMENTI. ESSE.
PATRES. CONSCRIPTI.
RE. COGNORINT. IPSA.
O. BENEFICIVM. EVAX. O. MVNVS.
VTI. VLTRO. OBLATVM.
AMPLVM. ITA. ET. GLORIOSVM.
DANTI. ACCIPIENTI.
FRANCIS. POLA. IVRISCONS.
P.
PATRONO. BENEMERENTI.

Scriptum.

FORTITVDINI. ET. FELICITATI.
POMPEIÆ.
INVICTÆ. PROPITIÆ.
FVISTIS. IO. DII. IO. FVISTIS.
ADMIRATIQVE.
ALEXANDRIQVE. PATRIS. ALBERTI. FILII.
VIRTVTEM. PIETATEM.
VTRIQVE.
INCOLVMITATEM. PRÆSTITIS. GLORIANDAM.
VIVVNT. AMBO. VIGENT. AMBO.
ALTERNIS. ARMIS. ALTERNIS. CORPORIBVS.
PROTECTI. SE. INVICEM. ET. SERVATI.
VEH. VOBIS. POMPEIANI. HOSTES. VEH.

Scriptum.

Scriptum.

HORREO. IAM. HEV. HORREO.
FVNESTAM. CANOSSARVM. FORTVNAM. 136
TRES. OCTONIS. AB. HINC. ANNIS. FRATRES.
PROPRIO. OBRVTI. SVNT. CRVORE.
NVNC. ECCE. NVNC.
QVOD. EXPRIMENS. DOLORE. FVGIT. ANIMA.
QVARTVS. EHEV. FRATER.
ADRIATICO. DEMERGITVR. MARI.
SCIPIO. SCILICET. CANOSSA.
ÆTATIS. HAVDQVAQVE. MATVRÆ.
INDOLIS. PLANE. MIRABILIS.
DOMI. PROBATÆ. FORISQVE.
HEV. REM. FATV. INFELICEM. HEV.
DIE. LVNÆ. V. KAL. SEXT. M. D C. V I I I.
HORA. NOCTIS. QVARTA.
MORS. EI. CONTIGIT. FORTVITA.
V. AN. X X I X. M. I I I. D. V.

Scriptum in gratiam Iusti Riexij. viri benè docti.

RELIQVIÆ. MAXVMÆ.
MAGNANIMI. CORPORIS.
IOANNIS. RICHARDOTI.
ATREBATO.
VIRI. VNDIQVE. C.
QVEM. OCTVAGENARIVM. DEMORTVVM.
ANNO. M. D C. I X. MENSE. SEXTILI.
VNIVERSVM. BELGIVM.
TOGATA. EIVS. OPERA.
A. SVMMIS. SÆPIVS. DIFFICVLTATIBVS.
DOMI. PEREGRIQVE.
EXPEDITVM. CONSERVATVM.
MISERABILI. LVGET. VLVLATIONE.
HAVE. PATER. PATRIÆ. HAVE.

Scriptum.

VERONÆ.
FELICITATIQVE. PVBLICÆ. 137
OB. HONOREM. DECVRIONATVS. DELATVM.
ALBERTO. POMPEIO.
AD. AMPLITVDINEM.
GENTIS. SVÆ. VRBIS. SVÆ.
NATO.
FRANC. POLA.
I. M. P.

Roma

Roma vt poneretur, sed nec positum in sacra Cella Clementina.

TE. HOSPES. TE.
CVM. STVPORE. DEFIGAT. ET. MIRACVLO.
GLORIOSA. HÆC. IMAGO.
SYLVESTRI. ALDOBRANDINI.
FLORENTIA.
QVI.
FORTVNA. OFFENSVS. LICET. SEMPER. ET. INOPIA.
EXTORRISQVE. ET. PEREGRINABVNDVS.
NOBILITATE. INGENIO. ATTAMEN. ANIMO. INDVSTRIAQVE.
INCLYTVS. EXIMIVS. INGENS. MIRABILIS.
SVMMAQVE. PATRIÆ. INCENSVS. CHARITATE.
ET. PROLE. QVAM. CIRCVMSPICIS. GLORIOSA.
FELICISSVMVS.
FAMAM. CONCILIAVIT. ÆTERNAM.
HAVE. SYLVESTER. HAVE. ALDOBRANDINE.
DEMORTVE.
ANNO. M. D. L V I I I. I I X. IDVS. IVNII.
QVVM. ESSES. ANNORVM. L I X.

Vt ante.

MAXVMVM. FVAT. NOMEN.
138 LÆSA. DETA.
ETIAM. SI. SECVM. AD. VIRVM. NIHIL. ATTVLISSET.
PRÆTER. FÆCVNDITATEM.
QVANTA. VEL. REGALI. DOMO. FACIENDÆ.
SATIS. SVPERQVE. ESSE. POSSET.
O. RARI. EXEMPLI. FOEMINAM.
V. AN. L I I I. MEN. I X. DIES. X I V.
ABIIT. PRID. NON. MARTII.
M. D. L V I I.

In Aula Barbadicorum.

PHILIPPVS. HIC. BARBADICVS.
OBSIDIONI. TERGESTINORVM. INTERFVIT.
ADVERSVS. AVSTRIACOS. DVCES. AQVILEIENSEMQVE. ANTISTITEM.
BELLO. QVINETIAM. CLODIANO. ARDENTE.
SIMVL. SE. SIMVL. NON. PARVAM. MILITVM. MANVM.
DE. SVA. IMPENDIA.
GENEROSE. REIPVB. OBTVLIT.
ANNO. M. C C C L X X X.

Vt ante.

NICOLAVS. BARBADICVS.
ANNO. QVVM. M. C C C C I I.
FRANCISCVM. CARRARIVM. PRINCIPEM. PATAVINVM. OPPVGNASSET.
IDEM. DECEM. POST. ANNOS.
MARITIMO. DVCTV. METAM. PORTVMQVE. BVFALVM.
PRÆSIDIIS. SPOLIAVIT. PANNONICIS.
MVLTAQVE. ALIBI. FORTITER. PROSPEREQVE. FECIT.

Vt ante

Vt ante.

ANGELVM. BARBADICVM.
A. VERONENSI. EPISCOPATV. AD. CARDINALATVM.
EVOCAVIT.
GREGORIVS. X I I. PONTIFEX.
AVVNCVLVS.
M. C C C C V I I.

Vt ante.

IOANNES. BARBADICVS.
PROCVRATORIA. EQVESTRIQVE. INSIGNITVS. DIGNITATE. 139
EXERCITVI. VENETO. DVM. CLODIA. RECIPERETVR. PROVIDET.
TRAGVRIVMQVE. ET. EPETIVM. SEBENICVMQVE.
QVÆ. OPIDA. ILLI.
MARIA. PANNONIÆ. REGINA.
PRO. LIBERTATE. OFFEREBAT.
MAGNANIME. RECVSAVIT.
M. C C C C I X.

Vt ante.

FRANCISCVS. BARBADICVS.
COGNOMENTO. DIVES. PROCVRATOR. D. M.
PONTIFICIA. LEGATIONE.
OMNIBVSQVE. SENATORIIS. HONORIBVS.
PERFVNCTVS.

Vt ante.

FAMAM. TVMVLVMQVE.
IACOBI. BARBADICI.
PATRÆ. HABENT.
QVAM. ILLE. VRBEM.
TERRA. MARIQVE. PRÆFECTVS. MILITIÆ.
HOSTIBVS. VITA. REDEMIT.
M. C C C C L X V I.

Vt ante.

HIERONYMVS. BARBADICVS.
FRANCISCO. NATVS. DIVITE. DVORVM. FRAT. DVCVM.
TER. PONTIFICIAM. SVSCEPIT. LEGATIONEM.
PROCVRATORIAM. ADEPTVS. EST. DIGNITATEM.
COMEATVM. IN. EXERCITV. CVRAVIT.
RAVENNÆ. ETIAM. PRÆFVIT.
ANNO. M. C C C C L X V I I.

Vt ante.

Vt ante.

AVGVSTINVS. BARBBDICVS.
DVCATVM. A. FRATRE. MORTVO. VACANTEM.
140 INIVIT. FELICISSIMEQVE. GESSIT.
M. CCCCLXXXXV.

Vt ante.

BERNARDVS. BARBADICVS.
MARCI. FILIVS. PRINCIPIS.
CREMENSIBVS. QVOS. REGEBAT. CIVIBVS.
PERSVASIT.
VTI. OPIDVM. COMMVNIRENT.
MVNITIONIQVE. PRÆFVIT. IPSI.
M. CCCCLXXXXVII.

Vt ante.

HIERONYMVS. BARBADICVS.
CVBICVLARIVS. PAVLI. III. PONTIF.
PROTHONOTARIVSQVE. APOSTOLICVS.
ET. PRIMICERIVS. SANCTI. MARCI.
EPISCOPVSQVE.

Vt ante.

ANDREAS. BARBADICVS.
141 NE. DVX. VENETIARVM. BIS. RENVNTIARETVR.
DVO. TANTVM. ADVERSA. SVFFRAGIA. QVÆ. NON. COLLEGIT. FECERVNT.
REXIT. TAMEN. PATAVIVM. CONSILIARIVSQVE. FVIT.
ANNO. M. D. LXX.

Vt ante.

CRVENTA. MORS. GLORIOSA.
AVGVSTINI. BARBADICI.
IN. NAVALI. NAVPACTENSI. PRÆLIO.
SAGITTIS. CONFIXI. TVRCICIS.
QVVM. GENERALIS. CLASSIS. PROVISOR. ESSET.
CÆTERAM. EIVS. VITAM. CLARISSIMAM.
DOMIQVE. ET. FORIS.
APVD. HISPANOS. GALLOSQVE. ET. GERMANOS.
SPECTATAM.
ÆTERNITATE. DONAVIT.
HAVE. HEROS. AVGVSTE. HAVE.

Scriptum.

Scriptum,

MATTHÆO. ZANIO.
EQV. CLARISS. 142
CVIVS. VITA. ET. ORATIO.
DIFFICILIMAM. IVPPITER. SOCIETATEM.
GRAVITATIS. CVM. HVMANITATE.
LAVDABILITER.
CONSECVTA. EST.
FRANCISCVS. POLA. D. D.

Vt ante.

LEONARDO. DONATO.
D. M. PROCVRAT.
QVEM.
RESPVB. VENETA.
AB. INCOMPARABILI. FACVNDIÆ. GLORIA,
ATHENIS. ERVBESCENDVM. ROMÆQVE.
OSTENTA.
FRANCISCVS. POLA. D.

Vt ante.

CAROLO. BELLENIO.
PATRIA. NATALIBVS. ELOQVENTIA. HVMANITATE.
CLARISSIMO.

In Aula Villa Amuliorum.

CHRISTOPHORO. AMVLIO. 143
IMMORTALEM. CVIVS. VIRTVTEM.
RHODIGINA. CHERONESVS.
ANNO. M. CCCCXLII.
VENETO. ADIECTA. IMPERIO.
TESTATVR. ÆTERNVM.

Vt ante.

PAVLVS. AMVLIVS.
EXIMII. IN. REPVB. VENETA. NOMINIS.
ANNIS. AB. HINC. L. SVPRA. C.
FLORVIT. FLORET. FLOREBIT.

Vt ante.

HIC. EST. IOANNES. HIC. EST. AMVLIVS,
QVEM. CREMONÆ. PRÆFECTVM.
FALLAX. CREMONENSIS. ARCIS. CVSTOS.
GALLIS. TRADIDIT. HOSTIBVS.
ANNO. M. D. I X.
APVD. QVOS. EHEV. CAPTIVVS.
OBIIT.

Vt ante.

ALOYSIVS. AMVLIVS.
144 QVVM. PLVRIES. X. VIR. CONSILIARIVSQVE. FVISSET.
ANNO. EODEM. M. D. I X.
FERRARIÆ.
VENETI. VICES. DOMINII.
GEREBAT.

Vt ante.

MEMORENT. MEMORENT.
AVGVSTINVM. AMVLIVM.
MARI. FORTISSIMVM. ET. TERRA.
OPPIDA. APPVLIÆ. CAPTA.
ITER. DVCI. BRVSVICENSIVM. IMPEDITVM.
CÆSARIANOQVE. EXERCITVI.
ITALIAM. PETENTI.
ANNO. M. D. X X V I I.

Vt ante.

ANTONII. OSSA. AMVLII.
VIRI. DOCTISSIMI. VIRI. HONORATISSIMI.
IN. SINV. CRETÆ. SVNT. INSVLÆ.
VBI. LOCORVM. PRÆSES. PERIIT.
M. D. X X X V I I.
DE. REPVB. VENET.
BENEMERENTISSIMVS.

Vt ante.

MAXIMVM. AMVLIÆ. GENTIS. CAPVT.
LAVRENTIVS. AMVLIVS.
145 MARCII. TEMPLI.
PROCVRATOR.
MILITARI. CVIVS. MANV.
SABAS. TVRCARVM. ARCHIPYRATA.
DISIECTVS. FVGATVS. OCCISVS.
CYPRVM. NOVIT. CRETA. NOVIT.
BELLICOSVM. HVNCCE. IMPERATOREM.

Vt ante.

IN.
M. ANTONIO. AMVLIO.
OMNIBVS. IN. REPVB. SVA. HONORIBVS.
LEGATIONIBVSQVE.
AD. CAROLVM. V. IMPERAT. AD. PHILIPPVM. II. HISPAN. REGEM.
PERFVNCTO.
PIVS. I V. PONT. MAX.
TANTVM. LITTERARVM. TANTVM. VIRTVTIS.
AGNOVIT.
DVM. APVD. SE. AGERET. LEGATIONEM.
VT. EVM. FACERET. CARDINALEM.

Scriptum

Scriptum.

POMPEII. HEROES.
ALEXANDER. HIERONYME.
VIRI. MARTIS. MAXVMI. 146
VOSQVE. FILII. EORVM. INCLYTI.
O. QVAM. HILARIS. OMNIVM. ANIMIS.
SENTITVR.
SALVTARIS. ISTE. VESTER. DEFFLEXVS.
AB. ODIO. AD. GRATIAM.
A. BELLO. AD. PACEM.
NVNQVAM. LÆTIORE. ADSPECTV. NVNQVAM.
MARE. EX. ASPERO. PLACIDVM.
COELVM. EX. NVBILO. SERENVM.
SPECTATVM. FVIT.
DVRATE. O. ÆTERNVM. DVRATE.
BEATISSIMI.
FESTA. ISTHAC. AMICITIA.
CANDIDO. QVAM. STYLO.
PROSEQVOR. CELEBRO.
FRANCISCVS. POLA.
VOBIS. OMNIBVS,
DEVOTVS.

Scriptum nomine alieno.

MEMORIÆ.
MAGNÆ. COLENDÆ.
FORTVNATI. MADRVTII.
IMPERIALIS. TOPARCHÆ.
QVI.
VETVSTVM. SVVM. DOMINATVM.
BENEFICIIS. NON. INIVRIIS.
TENVIT.
QVI.
POPVLOS. SIBI. SVBIECTOS.
ÆQVITATE. ET. FIDE.
DEFENDENS.
IN. TVTELA. NON. IN. SERVITIO.
HABVIT.
P. P.
MVNICIPES. ALANS.
MOESTISSVMI.
DOMINO. GRATISSIMO.
M. D C. V I.

147

Ad Centonem nostrum Ouidianum Lauretanum.

MARCE. O. MARCE.
COMES. INCLVTE.
QVI.
NOMINE. VERITAS. HOMINE. VIRTVS.
VITA. HONOR. MORIBVS. HVMANITAS.
VERONÆ. ITALIÆ. EVROPÆ.
EMICAS. ELVCES. EFFVLGES.
ACCIPITO.
HOC. SACRVM. PRECARIVM. CARMEN.
QVOD. EGO. POLA. FRANCISCVS.
TIBI. DO. TIBI. DICO.
PATRONO.
MERENTI. MERENTI.
M. D C. V.
FERIIS. VINDEMIALIBVS.

Ad Commentarium nostrum de gratulatoria Veronensi legatione ad Serenissimum Principem Venetiarum.

AVGVSTINO. DELBENIO.
IVRISCONS. COMITI. EQVITI.
HIERONYMO. VERITATI.
COMITI. EQVITI.
DVOBVS. MAXIMÆ. FAMÆ. VIRIS.
ET. INTER. MIRANDA.
VERONÆ.
PROPOSITIS.
FRANCISCVS. POLA. IVRISCONS.
COMMENTARIVM. HVNC.
L. M. D. D.
PATRONIS. MAGNANIMIS.
B. M.
KAL. IVN. M. D C. V I.

Scriptum honoris caussa.

FESTO. HOC. DIE. ET. SOLENNI.
PRIDIE. NON. IVNII. M. D C. X I I.
MAGNÆ. IO. NVPTIÆ. IO. MAGNÆ.
BIVILAQVÆ. IOANNIS. SALERNÆ. LVCRETIÆ.
REGALI. FIVNT. APPARATV.
FAVETE. VERONENSES. FAVETE.
ANIMIS. LINGVIS. VOTIS.
CONIVGALI. HVIC. FOEDERI. MEMORABILI.
CVI.
DII. OMNES. IVGATINI.
FELICIA. OMNIA. OMNIA. BEATA.
AVGVRANTVR. SPONDENT. EDICVNT.
NOVE. MARITE. NOVA. MARITA.
AMATE. POTIMINI. VIVITE.

Adfixum

Adfixum Pyra imaginariæ.

SALVE. ÆTERNVM. ÆTERNVM. VALE. 148
GALEACI. FREGOSI
ALEXANDRI. FILI. IANI. NEPOS.
HEROS. BELLICOSISSIME.
EQVES. MICHAELIANE. COMES. MAVRETINE.
EXIMIAM. CVIVS. FORTITVDINEM.
SEX. ET. OCTVAGINTA. EXTINXERE. ANNI.
QVAM. NVNQVAM. VICERE.
NEC. DIRA. GALLICA. BELLA.
QVIBVS.
AVSPICIIS. TRIVM. REGVM. VALESIORVM. MAXIMIS.
PER. ANNOS. X X X X.
PEDES. EQVES.
PRÆFECTVS. PEDITVM. TRIBVNVSQVE.
ALARVMQVE. EQVESTRIVM.
LEVIS. ARMATVRÆ. GRAVISQVE.
DVCTOR.
STRENVAM. DEDIT. OPERAM.
NEC. QVINQVE. FERA. PRÆLIA.
COLLATIS. GESTA. SIGNIS.
VIGINTIQVE. ALIA. MINVTA.
INTERFVIT. QVIBVS. ET. PRÆFVIT.
NEC. X X I I. IMMANIA. VOLNERA.
QVÆ. ADVERSA.
NEC. INVLTVS.
IN. ACIE. PRO. MOENIBVS. CONTRA. MVROS.
ACCEPIT.
OBIIT. ID. DECEMBR. M. D C. X I I.
F.
FRANCISCVS. POLA.
GENTI. FREGOSIÆ.
DEVOTVS.

Scriptum.

SEPTIMVS. HIC. EST. DIES. FVNESTVS. 149
EX. QVO.
AVGVSTINVS. DELBENIVS.
V. A.
CONCLAMATVS. CONLOCATVS. ELATVS. EST.
LVGE. VERONA. LVGE.
CIVEM. PATREM.
ADEMPTVM.
QVO.
MAIOR. NVLLVS. TIBI. FVIT. ET. CLARIOR.
FECI.
PATRONO. INCOMPARABILI.
FRANCISCVS. POLA.
TRISTITIÆ. CAVSSA. EXPRIMENDÆ.
QVAM. NVNQVAM. PONAM.

Brixiæ.

LEGITO. VIATOR. LVBENS. HAVD. LVBENS. LVGETO.
DVX. HIC. SITVS. EST. MAGNANIMVS.
CONSTANTIVS. CAPREOLVS.
SPLENDIDISSIMVM. CVIVS. NOMEN.
VARIIS. BELLI. CASIBVS.
PROBATVM.
BELGIVM. ADHVC. MEMORAT. TCTVM.
ANTVERPIANAQVE. PRÆCIPVE. NAVALIS. OBSIDIO.
STRENVA. CVIVS. PARS. FVIT. ET. GLORIOSA.
ALEXANDRO. FARNESIO.
ADMIRATIONE. VIRTVTIS. NON. REMVNERATIONIS. CAVSSA.
COMMENDANTE. ET. DONANTE.
MAGNIFICO. PROPRIÆ. TORQVIS. DONO.
MILITARIBVSQVE. ALIIS. PRÆROGATIVIS. INCLVTIS.
VENETA. EVNDEM. EXCÆPIT. RESPVBLICA.
HONORIFICENTISSIME.
MARITIMIS. CVIVS. OPPIDIS. ET. TERRESTRIBVS.
DIV. PRÆFVIT. ET. INSIGNITER.
ET. IN. MINACI. PONTIFICALIS. EXECRATIONIS. TREPIDATIONE.
RHODIGINÆ. MILITIÆ.
PRÆFECTVRA. ORNATVS. EST. GENERALI.
TALIS. SED. EHEV. HEROS.
VERONENSI. CVM. ESSET. IN. PRÆSIDIO.
ANIMAM. POSVIT. GENEROSAM.
TERTIO. NONAS. AVGVSTI. M. D C. X I I.
BRIXIÆ.
MAGNO. REIPVB. VRBIS. MILITVM. MOERORE.

Scriptum.

150 RVBERTVS. PAPIFAVIVS.
MAXVMI. HEROS. NOMINIS.
EXTINCTVS. EST.
SI. MODO. EXTINGVITVR.
QVI.
IN. VALIDA. EXPIRANS. SENECTVTE.
IMMORTALES. REPETIT. SEDES.
VIRTVTIBVS. DEBITAS. SVIS. INGENTIBVS.
QVIBVS.
GLORIAM. SIBI. VIVENS. COMPARAVIT. INCOMPARABILEM.
FRANCISCVS. F. POLA.
MAGNANIMITATI. EIVS. MEMORANDÆ.
FILIISQVE. EIVS. INLVSTRIBVS.
DEVOTVS.
HONORIS. CAVSSA. NON. LVCTVS.
QVI.
A. VIRI. FINITIONE. EXCELLENTISSIMI.
PROCVL. ESTO.

Ts ante.

Fa...

IN

THOMA. CAPREOLO.

EX. COMITIBVS. ET. C. 151

VERO. MARTIS. VIRO.

MAIT. GLORIA. OMNIS. ERVPISSET. MILITARIS.

INTEMPESTIVA. NISI. MORS. MALEFICA. NISI. FORTVNA.

ANNIS. X X X I I. FLORENTEM. ET. FACTIS.

TERTIO. NON. AVGVST. M. D C. I I X.

ERIPVISSET. EHEV. CASVRGI.

HONORES. EIVS. GESTAQVE.

FIDEM. FACIANT. FIDAM.

IN. PANNONIA. IN. DACIA.

APVD. GEORGIVM. BASTAM.

SVMMVS. COPIARVM. INSTRVCTOR.

TRIBVNVS. MILITVM.

PRÆFECTVS. CASTRORVM.

A. CONSILIIS. BELLICIS.

SECVNDVM. IMPERII. LOCVM. GRADVM. TENVIT.

IN. PLVRIBVS. DIMICATIONIBVS. PRÆLIISQVE.

FORTITER. VERSATVS. ET. FELICITER.

BACTOREO. SIGISMVNDO. VAIVODÆ. MICHAELI.

OCCVRRIT. ACIE. ET. OBSTITIT.

HIEREMIAM. SIMEONEMQVE.

MOLDAVOS. FRATRES.

HAMVM. ETIAM. SCYTHAM.

FORTISSIMOS. TRES. DVCES.

IMPARIBVS. LICET. ARMIS.

FVDIT. FVGAVIT. DEVICIT.

RADVLVM. IN. MOESIA. VAIVODAM.

REDVXIT. IN. STATVM. ET. RESTITVIT.

CONSTANTIVS. PATER. CAMILLVS. FRATER.

MÆRENTES. MÆRENTES.

POSVERE.

FILIO. PATRI.

INVSITATA. VIRTVTIS. INDOLE.

EXCELLENTI.

MIRABILE. CVIVS. SPECIMEN.

BELGIVM. HABVIT. ANTE. ET. GALLIA.

Scriptum.

Scriptum.

152 SALVE. ÆTERNVM. SALVE.
DELBENI.
AVGVSTISSIME.
INNOCENTIAM. CVIVS. ET. IVSTITIAM.
NON. VLLVS. SIET. QVI. ARGVAT.
IVRISPRVDENTIAM. CVIVS. ET. ELOQVENTIAM.
NON. VLLVS. SIET. QVI. NON. SVSPICIAT.
STRENVAM. CVIVS. OPERAM. ET. FELICEM.
PATRIA. SÆPIVS. SENSIT. ET. PRINCEPS.
AVCTORITAS. CVIVS. ET. AMPLITVDO.
EO. EXTINCTO.
MAIOR. APPARET. ET. AVGVSTIOR.
FECI.
MOESTISSIMVS.
FRANCISCVS. POLA.
DOMINO. PARENTI.
MERITA. CVIVS. IN. ME. FVLGENT. IMMANIA.
M. D C. X I V.

Scriptum,

CONSCRIPTI. PATRES. VENETI.
VOSQVE.
AMVLI. PRÆCIPVE. ET. VALERI.
VNANIMIS. QVI. HABENIS.
HANC. MODERAMINE. VRBEM.
QVOS. CVM. INTVEOR.
TOTVM. IPSVM. INTVEOR. SENATVM.
ANIMIS. VERBIS.
DECORATE. HONORATE.
MONIMENTVM. HOC. FVNESTVM.
IN. QVO. EHEV.
AVGVSTINVS. IACET. DELBENIVS.
CVIVS. IN. VIVENTIS.
CONSILIO. LINGVA. MANV.
MAIESTAS. ET. LIBERTAS.
SERENISSIMÆ. REIPVB. VESTRÆ.
HÆSIT. EMICVIT. STETIT.
QVANTVM. IN. SVBDITO. POTVIT.
ILLÆSA. ILLIBATA.
MAXVMVM. SIC. EIVS. MERITVM.
POSTVLAT.
MAXVMA. SIC. VESTRA. HVMANITAS.
EFFLAGITAT.

Scriptum.

MERITISSIMO. 153
ÆTERNA. SIET. IN. MEMORIA.
AVGVSTINVS. IVSTVS.
COMES. GADII. PRÆCLARVS.
CVI.
SPLENDIDA. VITÆ. INNOXIÆ. MAGNIFICENTIA.
APVD. CIVES. SVOS.
APVD. OMNES. FERE. EVROPÆ. REGES.
APVD. VENETOS. DOMINOS.
CLARITATEM. FECIT. HONORIFICENTISSIMAM.
FRANC. POLA.
DOLENS. DOLENS.
P.
TERTIO. NONAS. APRILIS. M. D C. X V.
QVO. ILLE. DIE. AD. OCCASVM. PERVENIT.
SEPTVAGENARIO. MAIOR.
MOESTITIÆ. CAVSSA. ET. HONORIS.

Vt ponitur Veronæ ad D. Anastasiæ.

FRANC. MARIA. ORNANVS.
DOMO. CORSICA. GENTE. INLVSTRIS.
VIXIT. ANNIS. X X X I X.
MILITAVIT. ANNIS. V I.
APVD. GENVENSES. APVD. ROMANOS.
MILITAVIT. ANNIS. X V.
APVD. VENETOS.
EX. IIS. ANNIS. V I.
MILITVM. TRIBVNVS. CORSICORVM.
DOMINICVS. ORNANVS.
ANNO. M. D C. X I V.
DVM. STATIVO. HVIVSCE. VRBIS. PRÆSIDIO. PRÆPOSITVS. ESSET.
FRATRIS. OSSA. INCOMPARABILIS.
VICETIA. DELATA. VERONAM.
CONDI. HIC. CVRAVIT.
OPTIMA. PIETATE.
ET. OB. MIRIFICAM. CIRCA. VERONENSES. AFFECTVM.

Scriptum

Scriptum editum ad Librum Centonum nostrorum.

SENATORI.
TOTIVS. ADMIRATIONIS.
154 EXVMIA. DE. CVIVS. VIRTVTE. ET. OMNIFARIA.
CONSTANS. EA. EST. OMNIVM. OPINIO. ET. VERA.
VTI.
SE. IPSE. MAIOR. ESSE. POSSIT.
NEMO. IPSO. ALIVS.
FRANCISCVS. POLA.
HOSCE. CENTONES. SVOS.
DATOS. VVLT. DICATOSQVE.
ET. IN. HIS.
ADFECTVM. SVVM. ERGA. ILLVM. REVERENTISSIMVM.
PATRONO.
QVI. MAXIMVS. SIBI. SEMPER. SIET.
M. D C. X V.
QVINTO. IDVS. FEBR.
QVO. ILLE. DIE.
VERONENSI. PRÆTVRA.
GLORIOSE. GESTA. GLORIOSE. ABIVIT.

Scriptum, editum in agnitione fidei DD. Lichtenstani.

HABES. HIC. HOSPES.
GRANDE. MORÆ. PRECIVM.
QVO.
GERMANIA. EXVRGIT.
ITALIA. GAVDET.
ROMA. TRIVMPHAT.
DII. EXVLTANT. SVPERI.
MANES. TREMVNT. INFERI.
VAH. QVID. HOCCE. FVAT. MONSTRI.
CAROLVS. SCILICET. ET. MAXIMILIANVS.
FRATRES. LICHTENSTANI.
PROH. QVI. QVALES. PROCERES. DYNASTÆ.
OMNI. ABIECTA. SVPERSTITIONE.
AD. VERVM. CHRISTI. CVLTVM.
SE. CONVERTERVNT.
ETIAMNE. ATTONITVS. STVPES. VIATOR.
ABI. FOELIX.
HOC. NVNTIO. EXOPTABILI.
FRANC. POLA. IVRECONS. VERON. LVBENS.
P.
NEOPHYTIS. PRINCIPIBVS. RELIGIOSISSIMIS.

In aula

In Aula Cottiorum Veronensium Patritiorum.

COZZAM. COTTIVM. 155
PRÆCLARVM. SVÆ. GENTIS. CAPVT.
SPECTATO.
MAGNANIMA. SINE. CVIVS. IMPENDIA.
MILITARIQVE. INDVSTRIA.
GOTTIFREDVS. IMPERATOR.
HIEROSOLYMITANVM. REGNVM.
HOSTIBVS. HAVD. REDEMIT.
ANNO. M. I C.



QVANTVM. SPLENDORIS.
QVA. A. PATRIA. QVA. A. GENTE.
IVLIVS. CÆSAR. COTTIVS. ACCEPIT.
TANTVNDEM.
A. LOTHARIO. I I. IMPERATOR.
EQVESTRI. ORDINI. ADSCRIPTVS.
VTRIQVE. FACILLIME. RETRIBVIT.
M. C. X X I I X.



NVLLVS. IGNORAT.
GISLARDI. COTTII. NOMEN.
ÆTERNÆ. MEMORIÆ. TRADENDVM.
EGREGIA. CVIVS. VIRTVS.
PRO. FEDERICO. CÆS.
GVELFOS. GRAVITER. DIVEXANTE.
MAXVMOPERE. INCLARVIT.
M. C. L X I I.



CAPAX. GENEROSI. SPIRITVS. PRÆSENTIA.
VITALIS. COTTII.
ATTENTO. CONSPICIATVR. ANIMO. 156
QVI.
GIBELINI. NOMINIS. STVDIOSISSIMI.
FEDERICO. I I. IMPERATOR.
ADVERSANTIS. FORTVNÆ. TVRBINE.
PERPETVO. ADHÆSIT.
M. C C. X X X V I.

INCERIT



INGERIT. SE,
FVMOSIS. MAIORVM. IMAGINIBVS.
COZZA. COTTIVS. VITALIS. F.
VARIIS, BELLI. CASIBVS.
PROBALVS.
MILITARIBVSQVE. PRÆROGATIVIS.
A. CAROLO. I I. SICILIÆ. REGE.
PERHONORIFICE. EXCEPTVS.
M. C C C V I.



GHERARDINVS. COTTIVS. EQV.
MANV. PRÆPOTENS. ET. CONSILIO.
MAGNO. CANI. SCALIGERO.
GNAVAM. PRÆSTITIT. OPERAM,
VERONAM. AC. VICETIAM,
NE. CAPERENTVR. A. CÆSARIANIS,
SERVAVIT.
M. C C C. X X I I.



157 PEREGRINVS. COTTIVS.
OMNEM. IVRIS. ET. ASTROLOGIÆ. ADITVM,
PENITISSIME. PENETRAVIT.
CLARISSIMVM. FAMILIÆ. NOMEN.
APVD. EXTERAS. GENTES,
REDDIDIT.
M. C C C L X I I I.



EFFIGIEM.
COZZÆ. COTTII.
PERHONORIFICIS. LEGATIONIBVS.
AD. FINITIMOS. PRINCIPES. ET. EXTEROS.
PERFVNCTI.
A. SCALIGERIS. MONTEBELLO. DONATI.
M. C C C L X.
PICTA. HÆC. REFERT. TABELLA.

BAR.

BARTHOLOMÆVS. HIC. EST. COTTIVS.
SVPREMVS. LATERANENSIVM. CANONICORVM. PRÆFECTVS.
RELIGIOSÆ. QVIETIS. SANCTIQVE. PROPOSITI.
VSQVE. ADEO. TENAX.
VT. MEDIOLANEN. ARCHIEPISCOPATV. QVO. A. NICOLAO. V.
FVERAT. AVCTVS. SE. SE. ABDICAVERIT.
M. CCCC. LIV.

IN. MINACI. ILLA.
CAMERACENSIS. FÆDERIS. TREPIDATIONE. 158
ANTONIVS. COTTIVS.
SAPIENTER. ADEO. ET. STRENVE.
VERONÆ. SE. GESSIT.
VT. NIHIL. AB. EO. PRÆSTANTIVS.
NIHIL. AMANTIVS. DESIDERARE. POTVERIT.
RESPVBLICA. VENETA.

QVANTVS. IN. TOGA. TANTVS. IN. ARMIS.
BARTHOLOMÆVS. COTTIVS.
ENITVIT.
QVEM. ALÆ. CATAPHRACTORVM.
RANGONII. ET. SAVORGNANI. COMITVM.
PRÆFVISSE. CONSTAT.
M. D. LX.

ANTONIVS. COTTIVS. BARTHOL. FIL.
MVLTIPLICIS. SVÆ. VIRTVTIS. ADMIRATIONE.
DESIDES. HOMINES. TENVIT.
ET. CVRIOSOS.

INSCRIPTIONES
VIRORVM LITTERATORVM.

Scriptum.

VIDVS. PANCIROLVS. IACOBVS. MENOCCHIVS. ANG. MATTHÆATIVS. VVV. CCC.

HIC.

159 IVS. CIVILE. PROFITENTVR.

SI. IVRISPRVDENTIÆ. AMORE. ADDVCTVS.

HOSPES.

SI. FORTVITO. HOC. IVSTITIÆ. TEMPLVM.

INTRASTI. PELLEGE.

CVM. IN. PATRIAM. INCOLVMIS. REMEAVERIS.

BEATVS. QVEAS. SÆPE. TVIS. DICERE.

PATAVII. SVGGESTVM. VIDI.

EX. QVO.

PANCIROLVS. MENOCCHIVS. MATTHÆATIVS.

IVRIS. ORACVLA. EFFVNDVNT.

DED. QVARTO. NONAS. IANVARII.

M. D. L X X X I X.

FRANCISCVS. POLA. C.

Scriptum.

ISABELLÆ. ANDREINÆ.

COMOEDÆ.

INCOMPARABILI. RERVM. MIRACVLO.

SI.

IRRETORTOS. INSERVERIS. OCVLOS.

VIX. VOLVM. NON. VLLVM. HOMINEM.

PER. VLLAS. GENTES. PER. VLLA. SECVLA.

IN. CONCIONE. IN. SCHOLIS.

FACVNDIA. INGENIOQVE. PRÆCLARVM.

INVENERIS.

QVEM. DIVINÆ. HVIC. VIRAGINI.

IN. THEATRO. TRIVMPHANTI.

SIVE. ANTEPONAS. SIVE. COMPONAS.

O. FELIX. O. INFELIX.

QVI. SPECTASTI. NON. SPECTASTI.

PLAVDITE. PLAVDITE.

FRANC. P. POLA.

MERITISSIMÆ.

M. DC. I I. NON. IVN.

Vt ante.

160 MARCO. VELSERO.

AVGVSTANO.

DVVMVIRO. CLARISSIMO.

QVI. TANTVM. ANTIQVITATIS. TENET.

VT. NIHIL. SIT.

QVOD. VELIS. DISCERE.

QVOD. ILLE. DOCERE. NON. POTVIT.

FRANC. POLA. L. D. D.

Ad Elo-

Ad Elogium Lipſianum.

MARCO. VELSERO.
AVG. VIND. II. VIR. PRÆF.
AMPLISS.
QVI. MAGIS. ADMIRANDVS. QVO. PENITIVS. INSPECTVS.
FRANCISCVS. POLA. IVRISCONS. VERON.
HOC. I. LIPSII. ELOGIVM.
L. D. D.
VII. KAL. IAN. M. D C. III.

Scriptum,

AMPLISSIMO. 161
MARCO. VELSERO.
VNI. IN. EVROPA. MIRACVLO.
LITTERATORVM. OMNIVM.
VNI. ORACVLO.
FRANC. POLA.
D. D.
OBSERVANTIÆ. CAVSSA.

Scriptum.

IMMORTALI.
VINCENTIO. PINELLO.
IN. CVIVS. FVNERE.
NON. VNVS. IPSE. HOMO.
SED. POLITIORES. OMNES. DISCIPLINÆ.
ELATÆ. REAPSE. VIDENTVR.
HAVE.
ÆSTIMATOR. CVLTOR. PORTVS. PRÆMIVM.
LITTERATORVM. OMNIVM.
HAVE.

Vt Venetijs poneretur, ſed neſcio vbi, & an poſitum.

ANT. FR. DONIVS. PETRVS. ARETINVS. 162
HIERON. RVSCELLIVS. LVDOV. DVLCIVS.
DIONYSIVS. ATHANASIVS.
INGENIA. VARIE. ILLVSTRIA.
PAVPERIE. QVANTVM. NON. PRÆVMBRANTE.
QVOS. ILLAVDATOS.
A. PROMISCVO. PVBLICOQVE. SEPVLCHRO.
INOPIA. OLIM. HAVD. SEPARAVERAT.
PROPRIVM. SINGVLVMQVE. HVNC. TITVLVM.
ÆTERNO. VIRTVTIS. MERITO.
ACCIPIVNTO. HABENTO.
A. IVLIO. CÆSARE. GONSAGA.
BOSIO. ET. SACR. ROM. IMPER. PRINCIPE.
ET. C.
DEVOTO. FAMÆ. GLORIÆQVE. EORVM.
MAGNANIMA. LIBERALITATE.
POSITVM.

Scriptum, ediitumq.

RELIQVIÆ.

CÆLII. MAGNI. V. C.

163 Non inuenustè forsitan quis quæriter;
Quandò virorum quisque passim paruulus
Dicatur orbis græculo de nomine,
Cur iste vir, cuius vides hic conditum,
Cœli vocatus nomine ex MAGNI fiet.
Non nos fefellit nomen istud nobile,
Et vsquequàque proprium se prætulit;
Cœlestis ille spiritu, atque moribus,
Fideque cana, pectore & recondito
In Principem suum, in suam Rempublicam;
Cœlestis eloquentia grauissima,
Cœlestis atque barbito mellifluo
Effloruit, cœlestis & virtutibus
Cunctis, vbique quotquot illæ prænitent.
Et, nè diuriùs, viator, te morer,
MAGNVM ille COELVM clausit in præcordijs,
MAGNI ille COELI nunc sinu recluditur.
Ergò venustè, maximèque propriè
COELI vocatus nomine ex MAGNI fuit.
Abi beatus, Hospes, ista pellegens.

FRANCISCVS. POLA.

P.

MERITISSIMO.

Scriptum,

RELIQVIÆ.

FABII. NICHESOLÆ. V. C.

QVI.

QVANTVM. IN. TOGA. PATRIAQVE. POTVIT.

MAXIMI. FABII. ROMANI.

MORES.

VIGILIIS. LABORIBVS.

REPRÆSENTAVIT.

VERONA. P. MOESTISS.

CIVI. OPT. MERITO.

ET. IVRISCONS. ELOQVENTISS.

HEV. CAPVT. PRISCIS. SÆCVLIS. INVIDENDVM.

Scriptum.

Scriptum.

OSSA.
IACOBI. RECHIONI. 164
HIC. SITA. SVNT.
QVI.
IN. TENVI. ADVERSAQVE. FORTVNA.
ADMIRABILEM. DE. SE. OPINIONEM.
IN. RE. MEDICA. ET. PHYSICA.
POETICAQVE. ETRVSCA. FACVLTATE.
EGREGIE. PARTAM.
EGREGIE. SVSTINVIT.
VALE. ÆTERNVM.
O. SVAVISSIME. AMICORVM.
QVI. ME. VNVM. MORIBVNDVS. COMPELLASTI.
VIXIT. ANN. PLVS. MINVS. X L I I I.
OBIIT. QVARTO. IDVS. FEBRVARII.
M. D C. I V.
HAVE. HAVE. HAVE.
FRANCISCVS. POLA. IVRISCONS.
P.
MENTE. MANV.
HORRESCENTI.

Bassani, quod est Agri Patav. Oppidum.

In Cœnobio.

QVISQVIS. O. LEGERIS. 165
DOLEARIS. NECESSVM. EST.
VIRVM.
HOCCE. ESSE. SITVM. LOCO.
QVI.
VERO. NOMINE. SACRIS. SCRIPTIS.
LATENS. OCCVLTVS.
FICTO. NOMINE. PROPHANIS. SCRIPTIS.
EMINET. EMICAT.
HAVE.
THEOPHILE. FOLENGE. MANTVA.
CASTISSIME. HVIVSCE. ORDINIS. MONACHE.
VALE.
MERLINE. COGNOMENTO. COCCAIE.
LVDICRVM. CVIVS. OPVS.
IPSE. SVSPICIAT. VIRGILIVS.
MERITISSIMO.

MAGNO. MAGNO.

M. ANTONIO. MONTANO. DEMORTVO.

S.

166 MONTANVS iacet hoc in tumulo Marmoreo situs:
Hoc planè satis est, si properas hospes abire; Abi:
Dixi nàm omnia, cum dixi hominem. Quid trahis ò moras?
Illum forsitàm agnoscere gaudes penitùs magis?
En desiderio nunc faciam iam satis huic tuo.
Heros ille fuit maximus, ac optimus omnium,
Nostra hæc Patria quos præteritis temporibus tulit,
Et quos ijs eadem, quæ venient, temporibus feret.
Prognatus genere est perueterl, nobilioreque;
MONTANO satus idem medico quàm celeberrimo;
Procerus, validus, frontis honore eximio grauis;
Permultisque potens diuitijs, proximitatibus;
Mundus, magnificus, magnanimus, munificus, pius;
Lingua commodus, ac eloquio perplacido nitens;
Quid? Nonnè historiam Romulidum vel penitissimam,
Græcorumque itidem perhiberat? Nonnè locutio
Præstò ei, quæ Latio cognita, quæ cognita Græciæ?
O quas & Statuas, signaque quàmplurima cerneres,
Et numismata, gemmasque apud ipsum, ordine maximo
Distinctas loculos & per eburnos, per & aureos?
Antiquarius omnis dederat perfacilè huic manum;
In cultuque fuit promeritò gentibus omnibus:
Sed nec contigit huic perbreue vitæ spatium viro;
Annos quandoquidem ille octogenos egit, & ampliùs,
Certus posteritatisque suæ perpetuæ, & bonæ.
Est hic vnde nihil conditionis miseræ, & malæ;
Sed felicia sunt omnia, laudandaque plurimùm.
Nàm sic non homines deficiunt: cælicolæ modo
Hoc sedes repetunt æthereas, & proprias domos.

FECIT.

FRANCISCVS. POLA.

HONORIS. CAVSSA.

DIGNO. ET. MERITO.

Scriptum

Scriptum.

MANIBVS.
IVSTI. LIPSII. 167
PVRIS. PIIS. ERVDITIS.
QVEM. EHEV. DEMORTVVM.
DEFLERE. INVIDIA. SIT. NON. DEFLERE. DEMENTIA.
QVEM.
ROMANÆ. LITTERÆ.
ANTISTITEM. MAGNVM. ET. CVLTOREM.
MERITO. PERPETVOQVE.
IN. HONOREM. DESIDERENT. SVVM. IN. HIVS. LAVDEM.
FRANC. POLA. IVRISCONS. VERONEN.
VIRTVTIS. CAVSSA.
P.
VIRO.
BONO. BONO. DOCTO. DOCTO.
NON. KAL. MAII.
M. D C. V I.
VERONÆ.

Romæ vt poneretur, sed aliud positum.

VIATOR. SIC. HABETO.
TEMPLVM. HOCCE. EST. HAVD. SEPVLCHRVM.
T O R Q V A T I. T A S S I.
AD. SVI. IMMORTALITATEM. ALIORVMQVE. NATI.
QVI.
OCCVLTVS. POTIVS. HIC. IACET. QVAM. EXTINCTVS.
RELIGIOSVS. PROINDE. ET. VENERABVNDVS.
ACCEDITO. SPECTATO. COLITO.
BONIFACIVS. BIVILAQVA. CARDINALIS.
MAGNANIMO. F. CONATV.
VIRTVTIS. CAVSSA. ET. AMICITIÆ.
SVMMO. POETÆ. SVMMO.
V. A. M. D.
VIATOR. SIC. ABITO.

Scriptum Mantuæ.

FLOREAS. LICET. FLOREAS.
INVSITATA. LAVDIS. GLORIA. 168
FLORINDA.
THEATRI. HONOS. SCENÆ. PLAVSVS.
QVANDO. TV.
OMNIS. CANENDI. ARTIS.
EXPERS.
MEMORITER. FABVLAS. CANENDO.
EFFICACI. MODO. ET. FLEXANIMO.
CANOROS. INTER. COMÆDOS.
MIRACVLO. ES. MIRABILI.

Patauij

Patavij ut poneretur ,

V. S. F.
M. ANTONIVS. PEREGRINVS.
IVRISCONS. EQVES.
REIPVB. VENETÆ.
CONSVLTOR.
SACRORVM. CANONVM.
PRINCEPS. EXPLICATOR.
IN. PATAVINO. GYMNASIO.
PLVRIMA. CVIVS. SCRIPTA.
SÆPIVS. RECVSA. SVNT. SEMPER. PROBATA.
OBIIT. ANNO. M. D C. X V I.
VIXIT. CÆLEBS.
A. M. D.

Scriptum.

169 IACOBO. GALLO. NEAPOLITANO.
OPTIMO. PRINCIPI. ANTECESSORI. PATAVINO,
IN. QVO.
MEMORABILEM.
PRISCI. GALLI. AQVILII.
BONITATEM. IVRISPRVDENTIAM. AVCTORITATEM.
AGNOSCIT. QVISQVE. ET. APPROBAT.
FRANCISCVS. POLA.
D. D.
HONORIS. ET. OBSERVANTIÆ. CAVSSA.

Scriptum honoris caussa.

STA. QVI. TRANSIS. LEGE.
M. ANTONIVS. MADIVS. HIC. POSITVS. EST.
IVRISCONS. EQVES.
CVIVS. DE. LAVDE.
INNOCENTIA. ET. DOCTRINA.
DOMI. FORISQVE.
INTER. SE. SEMPER. CERTARVNT.
QVO. RARO. EXEMPLO.
VRBS. NOSTRA. NOSTRVM. SECVLVM.
ORNATVR.
HVNC. ANNOS. L X I I X. NATVM.
MORS. TRADIDIT. IMMORTALITATI.
X I V. KAL. IANVARII. M. D C. I X.
IN. DVVMVIRATV.
FRANCISCVS. F. POLA.
PATRONO. MERENTI.
RESTA. QVI. TRANSIS. RELEGE.

In

In fronte Libelli qui de agitur.

LECTOR. QVOD. DICO. PAVLLVM. EST. 170
STA. LEGE.
IO. IACOBO. TONIALO. VERONENSI.
VIRO
CONSVMMATÆ. IN. OMNI. DOCTRINA. PERITIÆ.
VERA. NON. SIMVLATA. NOBILITATE.
PRÆSTANTISSIMO.
QVO. OMNIBVS. AMORIS. ET. OFFICIORVM. EXEMPLIS.
DE. IOANNE. ILLO. BAPTISTA. PONA.
CVIVS. NVNC. CARMEN. PROPERAS. LEGERE.
BENE. MERITVS. SIT.
IOANNES. PONA. FRATRE. DEFVNCTO. INFELICISSVMVS.
GRATI. CAVSSA. ANIMI.
HVNC. POSTHVMVM. LIBELLVM.
L. D. D.
PATRONO. INCOMPARABILI.
DIXI. ABI.
ET. QVÆ. SEQVVNTVR. PELLEGE. VENERATOR.

In fronte Hippocampi nostri carminis.

AVRELIO. PRANDINO.
IVRISCONS. CLARISS.
IN. QVO. MAXVME. EFFLORESCIT.
QVICQVID. ITALA. FACVNDIA. HABET.
QVOD. ROMANÆ. ELOQVENTIÆ.
AVT. APPONAT. AVT. PRÆFERAT.
FRANCISCVS. POLA. IVRISCONS.
QVEM.
CARMEN. HOC. EDERE. AMICI. COEGERVNT.
NOMINI. AVCTORITATIQVE. EIVS.
DEVOTISSIMVS.
L. D. D.

C. PLINIVS. SECVNDVS. VERONENSIS. 171
HIC. EST.
LITTERARIVM. SCILICET. NVMEN.
OPTVMVM. MAXVMVM.
MENTI. CVIVS. ET. CALAMO.
GRANDI. DISERTO.
NATVRA.
SE. SE. PENITVS. TOTAM.
ENARRANDAM.
OSTENTAVIT. TRADIDITQVE.

Scriptum

Scriptum honoris gratia.

VIATOR.
HIERONYMVMNE QVÆRITAS FRACASTORIVM.
AD. POETAS, ITO. MAGNOS.
INTER. QVOS. ILLE. MAXIMVS.
AD. PHILOSOPHOS. ITO. PRIMORES.
INTER. QVOS. ILLE. PRINCEPS.
AD. MEDICOS. ITO. ILLVSTRES.
INTER. QVOS. ILLE. ARCHIATROS.
AD. ASTROLOGOS. ITO. EXVMIOS.
INTER. QVOS. ILLE. SVMMVS.
AD. EXCELSA. ITO. ASTRA.
INTER. QVÆ. ILLE. EMICAT. DEMORTVVS.
IPSO. DIGNISSIMVS. COELO.

Vt ante.

VIR. HIC. CONDITVR. INCLVTVS.
QVÆRIS. AN. DOCTVS?
QVÆRIS. AN. BONVS?
172 ÆRI. SVI. OMNIS. ÆVI.
DOCTISSVMVS. SANCTISSVMVS.
HABES. QVOD. QVÆRIS. ABI.
CVPIO. ET. NOMEN. CAPIAS.
PTOLOMÆVS. HEV. EST. HEV. OLIVETVS.
VIRTVTES. CVIVS. EXVMIAS.
MAGIS. NVNC. MIRAMVR. OPTAMVS. QVIA. MAGIS.
QVÆ. ETIAM. ILLI.
FACILEM. IN. COELVM. ADITVM.
STRVXERVNT.
QVARTO. KAL. SEPTEMBRIS.
M. D. C. X.
FRANCISCVS. POLA.
FECI.
MOESTVS. MOESTVS.
MERENTI. PATRONO. MERENTI.

Vt ante.

BREVE. SIT. DICTV. ET. PARVVM.
H. S. E.
FEDERICVS. CERVTVS.
SED. HEV. SED.
LONGVM. LVCTV. SIT. ET. GRANDE.
HIC. ILLE. EST.
CVI. ETIAM. EXTINCTO.
PROFESSORES. OMNES. VERONENSES.
NON. PAVCIQVE. EXTERI.
FASCES. SVBMITTANT. SVOS.
VOLENTES. LVBENTES.
OBIIT. X I X. KAL. FEBRVAR.
M. D C. X I.

Vt ante

Vt ante.

QVIESCIT. HIC. HEV. QVIESCIT. 173
ALOYSIVS. RVDVLPHVS.
VIR. DOCTVS. VIR. SANCTVS. VIR. MAGNVS.
ETIAM. SI. COMPARETVR.
DOCTISSIMIS. SANCTISSIMIS. MAXIMIS.
FRANCISCVS. POLA.
DOLENS. LVGENS.
P.
PATRONO. DIGNO. DIGNISS.
OB. PLVRIMA. CIRCA. ME. MERITA.
VI. ID. IVLII. M. D C. X I.
QVO. IPSE. DIE. ABIVIT. AD. DEOS.

Vt ante.

HONORIS. CAVSSA. SVPREMI.
IN. QVO. MIHI. HABITVS. SVMMO.
BAPTISTA. GVARINVS.
SEMPER. MEMORANDVS. ET. BENE.
HVNC. PONO. TITVLVM.
EX. ANIMO.
FRANCISCVS. POLA.
VIRO. MAXIME. MERITO.
PLENIOR. ILLE. PAVLLO. DIERVM. DECEDERE. POTVIT.
NON. LITTERARIÆ. PLENIOR. GLORIÆ.
INTERFVIT. CVI. DIV. VIVENS. ET. PRÆFVIT.
OBIIT. NONIS. OCTOB. M. D C. X I I.
VENETIIS.

Ferrariæ vt poneretur à Montano.

BAPTISTÆ. GVARINI. EQVITIS. 174
FERRARIA.
MAGNA. GLORIA. ET. LATA.
QVVM.
AD. OMNES. ORBES. FINES.
PER. ORA. MORTALIVM. PER. SCRIPTA.
PERVENISSET.
VITA. QVOQVE. SEPTVAGENARIA. MAIOR.
AD. METAM. EHEV. PERVENIT.
VENETIIS.
NONIS. OCTOB. M. D C. X I I I.
GREGORIVS. MONTANVS.
P.
MARMOR. HOC. LACRVMIS. VDVM.
PATRONO. BENEMERENTI.
OB. ADMIRABILEM. EIVS. CIRCA. SE. AFFECTVM.
DVM. FVIT.
E. NOBILI. ILLIVS. SERVITIO. HONESTOQVE.
QVOD. LONGVM. TEMPORE. FVIT. FORTVNA. VARIVM.

Venetijs.

Venetijs.

VENI. HOSPES. VENI.
SPECTATVM.
HANC. MICHAELIS. MARINI. EFFIGIAM.
CVIVS.
EMENDATAM. ELOQVENTIAM. ET. EFFICACEM.
DVM. VIXIT.
AVDITVM. ET. ADMIRATVM.
OMNIA. VENIEBANT. VENETA. AVDITORIA.
P.
ANNO. M. D C. X I I I.
CVIVS. KAL. IVLIIS.
OBIIT.
LAVDATISSIMVS.

Scriptum honoris caussa.

175 PACE. OMNIVM. ET. VENIA.
PAVLO. DE. ARESIO.
COLLEGIATO. CLERICO.
CONCIONATORE. ADMIRABILI.
SIC. CENSEO.
IVDICIO. NON. AFFECTV.
PERFECTVS. VTI. QVIS. FIERET. ECCLESIASTES.
DOCTIS. IPSE. DOCVIT. LIBRIS.
PLENVS. QVAM. IPSE. SIET. ECCLESIASTES.
PLENIS. IPSE. PROBAT. CONCIONIBVS.
IN. QVIBVS.
NATVRA. SI. FORTE. NON. OMNIA. OMNIA. CERTE. INGENIVM.
PRÆSTAT. ABVNDE. ET. SVPERAT.
SIC. OLIM. CLERO.
QVAM. ABSOLVTVM. FORMAVERAT. ORATOREM.
TAM. SE. IPSE. PRÆBVIT. ABSOLVTVM.
SIC. OLIM. POLYCLETVS.
TALEM. PERFECIT. STATVAM.
QVALEM. ALIIS. FACIENDAM. PERSCRIPSERAT.
SI. QVIS. MEAM. HANC. SENTENTIAM.
NEC. PROBASSIT.
AVT. ÆMVLATIONIS. AVT. DIVIDIÆ.
SERVOS. ESTO.
FRANCISCVS. POLA. IVRISCONS.
F.
BENEMERENTI.
ET.
CLARO. AVO. MATERNO. NEPOTI. CLARIORI.
DIE. PASCHATIS. SANTISSVMO.
M. D C. X I I I.

Vt ante.

Vt ante.

VTINAM. ITA. FAXIS.
DIONYSI. SERENELLE.
QVANDO. CLARA. TVM. NOMINIS. TVM. IVRISPRVDENTIÆ. LVCE.
PATRIAM. FACIS. SERENISSIMAM.
VT. EGO. FOELIX. SCIAM. INTELLIGAMQVE.
IN. HAC. MEA. CAPITIS. FAMÆQVE. PERICLITATIONE.
ME. TVO. SERENIORE. IVDICIO.
PERFRVCTVM. MERITO. ESSE.
FRANCISCVS. POLA. IVRISCONSVL.
D.

176

Vt ante.

TE. QVOQVE.
NICOLAE. VVLPINE. V. CLAR.
QVEM.
AB. INCOMPARABILI. IVRISPRVDENTIÆ. LAVDE.
VLPIANVM.
COMPELLARI. MERITO. OPORTERET.
SVPPLEX. PRECOR. VENEROR.
ME. MEAQVE. OMNIA.
SALVA. ESSE. IVSTVS. SINAS.
FRANCISCVS. POLA.
D.

Vt ante.

VIVAT. ÆTERNVM.
CAVICHIOLVS. CAROLVS.
A. IVRIS. NOTITIA. A. NOBILITATE. GENERIS.
A. PATRVI. GLORIA.
PERHONORIFICVS.
O. SI. ÆS. DECVSQVE. MEVM.
A. RAPACI. MERETRICIÆ. AVDACIÆ. MANV.
SERVATVM. IVSTVS. VELIS.
IMMORTALEM. TE. HOC. IVDICIVM. FACIET.
FRANCISCVS. POLA. D.

Ad Centenem noſtrum Lucretianum.

M. ANTONIO. MONTANO. 177
CL.
CLARITVDO. CVIVS. NICTANS.
PATERNO. SIDERI.
AVT. PAR. AVT. INLVSTRIOR.
CORVSCAT.
FRANCISCVS. POLA. IVRISCONS.
HOC. TVMVLTVARIVM. CARMEN.
L. M. D. D.
PATRONO. OPTIMO.
IDIBVS. APRIL.
M. DC. I V.

Salodij.

PRÆCLARIVS. POSTHAC. FVIT
MVNICIPIVM. HOCCE. NOSTRVM
AB. ILLVSTRI. LITTERARVM. GLORIA,
IOACHYMI. SCHAYNI.
QVI. ADVLESCENS. PRIMVM.
VOCE. SCRIPTISQVE.
INTER. ÆTHEREOS. INSIGNIS. ACADEMICOS.
DEINCEPS. VIR. FACTVS
MAGISTRATIBVS. ADSEDIT. NON. SEMEL. VENETIS.
BONONIENSIQVE. IVRIDICÆ. ROTÆ.
ANNOS. INSEDIT. DECEM.
PRÆTVRAM. SIMVL. IBIDEM. GERENS. BINAM.
IVS. SIMVL. DOCENS. PONTIFICALE.
AD. POSTREMVM.
CÆSAREAM. DISCIPLINAM,
ANNOS. IPSOS. X I V.
PROFESSVS. EST. EGREGIE. PATAVII.
VBI. GENTIVM. OBIIT.
TERTIO. IDVS. FEBRVAR. M. D C. V I I I.
VIXIT. ANN. L X X I I I.
DECVRIONES. SALODIENSES
POSVERE
MERENTI. CIVI. MERENTI.

Ibidem.

IOACHYMO. SCHAYNO.
178 CLARISS. IVRIS. PROFESSORI.
MEMORIAM. HANC. IMMORTALEM.
COMPARAMVS.
MVNICIPES. SALODIENSES.
LVBENTES. VOLENTES.
VTI. GRATA. EXISTIMATIO. NOSTRA.
ÆTERNVM. RESPONDEAT.
MAXIMO. VIRTVTIS. MERITO.
CONTERRANEI. NOSTRI. INCOMPARABILIS.
POSITVM.
EX. DECVR. DECRETO.
SVMPTV. PVBLICO.
VIXIT. ANNIS. L X X I I I.
MORTIS. POTITVS. EST.
TERTIO. IDVS. FEBRVAR.
M. D C. V I I I.

Patauij.

Patauij erat ponendum ad D. Antonij. Patauini.

FELICISSVME.

CONSTET. SEMPER. SEMPER. VIGEAT.

ANGELI. MATTHEATII.

MARVSTICA.

VIRTVS. DOCTRINA. INDVSTRIA.

QVI.

INTER. PHILOSOPHOS. INTER. ORATORES.

AGNITVS. MERITO. COMMENDATVSQVE.

IN. PATAVINIS. CATHEDRARIIS. IVRECONSVLTIS.

ANN. X X I V. VIXIT. MEMORABILIS.

PRIMVS. PRINCEPSQVE. EORVM. DECESSIT.

M. D. C.

PETRVS. MATTHÆATIVS.

PATRVO. DIGNO. DIGNISSIMO.

POSVI.

ANNO. M. D C. I X.

ADMIRATIONE. EIVS. IMBVTVS. SINGVLARI.

V. AN. M. D.

Ad Librum Centonum nostrum.

CLARITATI. 179

MARCI. VELSERI.

PATRIC. AVGVST. VINDEL.

NATALIBVS. DOCTRINA. MORIBVS.

COMPARANDI.

PRISCIS. ILLVSTRIBVS. VIRIS.

SERVANDÆ. ET. DOCENDÆ. ANTIQVITATIS.

EXEMPLI.

IN. QVO. EST.

QVICQVID. LAVDIS. IN. HOMINEM. MAGNVM. DICI. POTEST.

PROPITIATIS. CVIVS. AVSPICIIS.

IN. REPVB. LITTERARIA.

VBIQVE. GENTIVM.

PALMARIÆ. IAMPRIDEM. RES. GERVNTVR.

FRANCISCVS. POLA. IVRISCONS. VERON.

CENTONES. HOS. VARIOS.

DONO. DICO.

VTI. TESTATIOR. SIET. ERGA. EVM. ADFECTVS. MEVS.

PATRONO. MVNIFICENTISSIMO.

O. VTINAM. O.

VNIVERSOS. MEOS. OBLATOS. CENTONES.

ANIMO. PRONO. LVBENTI.

SVSCIPIAT.

QVI.

SINGVLOS. PROBAVIT.

INSCRIPTIONES
VIRORVM LITTERATORVM.

Scriptum.

VIDVS. PANCIROLVS. IACOBVS. MENOCCHIVS. ANG. MATTHÆATIVS. VVV. CCC.

HIC.

159 IVS. CIVILE. PROFITENTVR.

SI. IVRISPRVDENTIÆ. AMORE. ADDVCTVS.

HOSPES.

SI. FORTVITO. HOC. IVSTITIÆ. TEMPLVM.

INTRASTI. PELLEGE.

CVM. IN. PATRIAM. INCOLVMIS. REMEAVERIS.

BEATVS. QVEAS. SÆPE. TVIS. DICERE.

PATAVII. SVGGESTVM. VIDI.

EX. QVO.

PANCIROLVS. MENOCCHIVS. MATTHÆATIVS.

IVRIS. ORACVLA. EFFVNDVNT.

DED. QVARTO. NONAS. IANVARII.

M. D. L X X X I X.

FRANCISCVS. POLA. C.

Scriptum.

ISABELLÆ. ANDREINÆ.

COMOEDÆ.

INCOMPARABILI. RERVM. MIRACVLO.

SI.

IRRETORTOS. INSERVERIS. OCVLOS.

VIX. VOLVM. NON. VLLVM. HOMINEM.

PER. VILLAS. GENTES. PER. VILLA. SECVLA.

IN. CONCIONE. IN. SCHOLIS.

FACVNDIA. INGENIOQVE. PRÆCLARVM.

INVENERIS.

QVEM. DIVINÆ. HVIC. VIRAGINI.

IN. THEATRO. TRIVMPHANTI.

SIVE. ANTEPONAS. SIVE. COMPONAS.

O. FELIX. O. INFELIX.

QVI. SPECTASTI. NON. SPECTASTI.

PLAVDITE. PLAVDITE.

FRANC. F. POLA.

MERITISSIMÆ.

M. D C. I I. NON. IVN.

Vt ante.

160 MARCO. VELSERO.

AVGVSTANO.

DVVMVIRO. CLARISSIMO.

QVI. TANTVM. ANTIQVITATIS. TENET.

VT. NIHIL. SIT.

QVOD. VELIS. DISCERE.

QVOD. ILLE. DOCERE. NON. POTVIT.

FRANC. POLA. L. D. D.

Ad Elo-

Ad Elogium Lipsianum.

MARCO VELSERO.
AVG. VIND. II. VIR. PRÆF.
AMPLISS.
QVI MAGIS ADMIRANDVS QVO PENITIVS INSPECTVS
FRANCISCVS POLA IVRISCONS. VERON.
HOC I. LIPSII ELOGIVM
L. D. D.
VII. KAL. IAN. M. DC. III.

Scriptum,

AMPLISSIMO. 161
MARCO VELSERO.
VNI. IN. EVROPA. MIRACVLO
LITTERATORVM OMNIVM.
VNI. ORACVLO.
FRANC. POLA.
D D.
OBSERVANTIÆ. CAVSSA.

Scriptum.

IMMORTALI.
VINCENTIO. PINELLO.
IN. CVIVS. FVNERE.
NON. VNVS. IPSE. HOMO.
SED. POLITIORES. OMNES. DISCIPLINÆ,
ELATÆ. REAPSE. VIDENTVR.
HAVE.
ÆSTIMATOR. CVLTOR. PORTVS. PRÆMIVM.
LITTERATORVM. OMNIVM.
HAVE.

Vt Venetijs poneretur, sed nescio vbi, & an positum.

ANT. FR. DONIVS. PETRVS. ARETINVS. 162
HIERON. RVSCELLIVS. LVDOV. DVLCIVS.
DIONYSIVS. ATHANASIVS.
INGENIA. VARIE. ILLVSTRIA.
PAVPERIE. QVANTVM. NON. PRÆVMBRANTE.
QVOS. ILLAVDATOS.
A. PROMISCVO. PVBLICOQVE. SEPVLCHRO.
INOPIA. OLIM. HAVD. SEPARAVERAT.
PROPRIVM. SINGVLVMQVE. HVNC. TITVLVM.
ÆTERNO. VIRTVTIS. MERITO.
ACCIPIVNTO. HABENTO.
A. IVLIO. CÆSARE. GONSAGA.
BOSIO. ET. SACR. ROM. IMPER. PRINCIPE.
ET. C.
DEVOTO. FAMÆ. GLORIÆQVE. EORVM.
MAGNANIMA. LIBERALITATE.
POSITVM.

Scriptum, edituma.

RELIQVIÆ.

CÆLII. MAGNI. V. C.

163 Non inuenustè forsitan quis quæritet;
Quandò virorum quisque passim paruulus
Dicatur orbis græculo de nomine,
Cur iste vir, cuius vides hic conditum,
Cœli vocatus nomine ex MAGNI fiet.
Non nos fefellit nomen istud nobile,
Et vsquequàque proprium se prætulit;
Cœlestis ille spiritu, atque moribus,
Fideque cana, pectore & recondito
In Principem suum, in suam Rempublicam;
Cœlestis eloquentia grauissima,
Cœlestis atque barbito mellifluo
Effloruit, cœlestis & virtutibus
Cunctis, vbique quotquot illæ prænitent.
Et, nè diuiùs, viator, te morer,
MAGNVM ille COELVM clausit in præcordijs,
MAGNI ille COELI nunc sinu recluditur.
Ergò venustè, maximèque propriè
COELI vocatus nomine ex MAGNI fuit.
Abi beatus, Hospes, ista pellegens.

FRANCISCVS. POLA.

P.

MERITISSIMO.

Scriptum,

RELIQVIÆ.

FABII. NICHESOLÆ. V. C.

QVI.

QVANTVM. IN. TOGA. PATRIAQVE. POTVIT.

MAXIMI. FABII. ROMANI.

MORES.

VIGILIIS. LABORIBVS.

REPRÆSENTAVIT.

VERONA. P. MOESTISS.

CIVI. OPT. MERITO.

ET. IVRISCONS. ELOQVENTISS.

HEV. CAPVT. PRISCIS. SÆCVLIS. INVIDENDVM.

Scriptum.

Scriptum.

OSSA.
IACOBI. RECHIONI. 164
HIC SITA SVNT.
QVI.
IN. TENVI. ADVERSAQVE. FORTVNA.
ADMIRABILEM. DE. SE. OPINIONEM.
IN. RE. MEDICA. ET. PHYSICA.
POETICAQVE. ETRVSCA. FACVLTATE.
EGREGIE. PARTAM.
EGREGIE. SVSTINVIT.
VALE. ÆTERNVM.
O. SVAVISSIME. AMICORVM.
QVI. ME. VNVM. MORIBVNDVS. COMPELLASTI.
VIXIT. ANN. PLVS. MINVS. XLIII.
OBIIT. QVARTO. IDVS. FEBRVARII.
M. DC. IV.
HAVE. HAVE. HAVE.
FRANCISCVS. POLA. IVRISCONS.
P.
MENTE. MANV.
HORRESCENTI.

Baſſani, quod eſt Agri Patav. Oppidum.

In Cœnobio.

QVISQVIS. O. LEGERIS. 165
DOLEARIS. NECESSVM. EST.
VIRVM.
HOCCE. ESSE. SITVM. LOCO.
QVI.
VERO. NOMINE. SACRIS. SCRIPTIS.
LATENS. OCCVLTVS.
FICTO. NOMINE. PROPHANIS. SCRIPTIS.
EMINET. EMICAT.
HAVE.
THEOPHILE. FOLENGE. MANTVA.
CASTISSIME. HVIVSCE. ORDINIS. MONACHE.
VALE.
MERLINE. COGNOMENTO. COCCAIE.
LVDICRVM. CVIVS. OPVS.
IPSE. SVSPICIAT. VIRGILIVS.
MERITISSIMO.

MAGNO. MAGNO.
M. ANTONIO. MONTANO. DEMORTVO.
S.

166 MONTANVS iacet hoc in tumulo Marmoreo situs:
Hoc planè satis est, si properas hospes abire; Abi:
Dixi nàm omnia, cum dixi hominem. Quid trahis ò moras?
Illum forsitàm agnoscere gaudes penitùs magis?
En desiderio nunc faciam iam satis huic tuo.
Heros ille fuit maximus, ac optimus omnium,
Nostra hæc Patria quos præteritis temporibus tulit,
Et quos ijs eadem, quæ venient, temporibus feret.
Prognatus genere est perueteri, nobilioreque;
MONTANO satus idem medicoquàm celeberrimo;
Procerus, validus, frontis honore eximio grauis;
Permultisque potens diuitijs, proximitatibus;
Mundus, magnificus, magnanimus, munificus, pius;
Lingua commodus, ac eloquio perplacido nitens;
Quid? Nonnè historiam Romulidum vel penitissimam,
Græcorumque itidem perhiberat? Nonnè locutio
Præstò ei, quæ Latio cognita, quæ cognita Græciæ?
O quas & Statuas, signaque quàmplurima cerneres,
Et numismata, gemmasque apud ipsum, ordine maximo
Distinctas loculos & per eburnos, per & aureos?
Antiquarius omnis dederat perfacilè huic manum;
In cultuque fuit promeritò gentibus omnibus:
Sed nec contigit huic perbreue vitæ spatium viro;
Annos quandoquidem ille octogenos egit, & ampliùs,
Certus posteritatisque suæ perpetuæ, & bonæ.
Est hic vnde nihil conditionis miseræ, & malæ;
Sed felicia sunt omnia, laudandaque plurimùm.
Nàm sic non homines deficiunt: cœlicolæ modo
Hoc sedes repetunt æthereas, & proprias domos.

FECIT.
FRANCISCVS. POLA.
HONORIS. CAVSSA.
DIGNO. ET. MERITO.

Scriptum

Scriptum.

MANIBVS.
IVSTI. LIPSII. 167
PVRIS. PIIS. ERVDITIS.
QVEM. EHEV. DEMORTVVM
DEFLERE. INVIDIA. SIT. NON. DEFLERE. DEMENTIA.
QVEM.
ROMANÆ LITTERÆ
ANTISTITEM MAGNVM, ET. CVLTOREM.
MERITO. PERPETVOQVE.
IN. HONOREM. DESIDERENT. SVVM. IN. EIVS. LAVDEM.
FRANC. POLA. IVRISCONS. VERONEN.
VIRTVTIS. CAVSSA.
P.
VIRO.
BONO. BONO. DOCTO. DOCTO.
NON. KAL. MAII.
M. D C. V I.
VERONÆ.

Romæ vt poneretur, sed aliud positum.

VIATOR. SIC. HABETO.
TEMPLVM. HOCCE. EST. HAVD. SEPVLCHRVM.
T O R Q V A T I. T A S S I.
AD. SVI. IMMORTALITATEM. ALIORVMQVE. NATI.
QVI.
OCCVLTVS. POTIVS. HIC. IACET. QVAM. EXTINCTVS.
RELIGIOSVS. PROINDE. ET. VENERABVNDVS.
ACCEDITO. SPECTATO. COLITO.
BONIFACIVS. BIVILAQVA. CARDINALIS.
MAGNANIMO. F. CONATV.
VIRTVTIS. CAVSSA. ET. AMICITIÆ.
SVMMO. POETÆ. SVMMO.
V. A. M. D.
VIATOR. SIC. ABITO.

Scriptum Mantuæ.

FLOREAS. LICET. FLOREAS.
INVSITATA. LAVDIS. GLORIA. 168
FLORINDA.
THEATRI. HONOS. SCENÆ. PLAVSVS.
QVANDO. TV.
OMNIS. CANENDI. ARTIS.
EXPERS.
MEMORITER. FABVLAS. CANENDO.
EFFICACI. MODO. ET. FLEXANIMO.
CANOROS. INTER. COMÆDOS.
MIRACVLO. ES. MIRABILI.

Patauij

Patauij vt poneretur.

V. S. F.
M. ANTONIVS. PEREGRINVS.
IVRISCONS. EQVES.
REIPVB. VENETÆ.
CONSVLTOR.
SACRORVM. CANONVM.
PRINCEPS. EXPLICATOR.
IN. PATAVINO. GYMNASIO.
PLVRIMA. CVIVS. SCRIPTA.
SÆPIVS. RECVSA. SVNT. SEMPER. PROBATA.
OBIIT. ANNO. M. D C. X V I.
VIXIT. CÆLEBS.
A. M. D.

Scriptum.

169 IACOBO. GALLO. NEAPOLITANO.
OPTIMO. PRINCIPI. ANTECESSORI. PATAVINO.
IN. QVO.
MEMORABILEM.
PRISCI. GALLI. AQVILII.
BONITATEM. IVRISPRVDENTIAM. AVCTORITATEM.
AGNOSCIT. QVISQVE. ET. APPROBAT.
FRANCISCVS. POLA.
D. D.
HONORIS. ET. OBSERVANTIÆ. CAVSSA.

Scriptum honoris caussa.

STA: QVI. TRANSIS. LEGE.
M. ANTONIVS. MADIVS. HIC. POSITVS. EST.
IVRISCONS. EQVES.
CVIVS. DE. LAVDE.
INNOCENTIA. ET. DOCTRINA.
DOMI. FORISQVE.
INTER. SE. SEMPER. CERTARVNT.
QVO. RARO. EXEMPLO.
VRBS. NOSTRA. NOSTRVM. SECVLVM.
ORNATVR.
HVNC. ANNOS. L X I I X. NATVM.
MORS. TRADIDIT. IMMORTALITATI.
X I V. KAL. IANVARII. M. D C. I X.
IN. DVVMVIRATV.
FRANCISCVS. F. POLA.
PATRONO. MERENTI.
RESTA. QVI. TRANSIS. RELEGE.

In

In fronte Libelli quo de agitur.

LECTOR. QVOD. DICO. PAVLLVM. EST. 170
STA. LEGE.
IO. IACOBO. TONIALO. VERONENSI.
VIRO
CONSVMMATAE. IN. OMNI. DOCTRINA. PERITIAE.
VERA. NON. SIMVLATA. NOBILITATE.
PRAESTANTISSIMO.
QVO. OMNIBVS. AMORIS. ET. OFFICIORVM. EXEMPLIS.
DE. IOANNE. ILLO. BAPTISTA. PONA.
CVIVS. NVNC. CARMEN. PROPERAS. LEGERE.
BENE. MERITVS. SIT.
IOANNES. PONA. FRATRE. DEFVNCTO. INFELICISSVMVS.
GRATI. CAVSSA. ANIMI.
HVNC. POSTHVMVM. LIBELLVM.
L. D. D.
PATRONO. INCOMPARABILI.
DIXI. ABI.
ET. QVAE. SEQVVNTVR. PELLEGE. VENERATOR.

In fronte Hippocampi nostri carminis.

AVRELIO. PRANDINO.
IVRISCONS. CLARISS.
IN. QVO. MAXVME. EFFLORESCIT.
QVICQVID. ITALA. FACVNDIA. HABET.
QVOD. ROMANAE. ELOQVENTIAE.
AVT. APPONAT. AVT. PRAEFERAT.
FRANCISCVS. POLA. IVRISCONS.
QVEM.
CARMEN. HOC. EDERE. AMICI. COEGERVNT.
NOMINI. AVCTORITATIQVE. EIVS.
DEVOTISSIMVS.
L. D. D.

C. PLINIVS. SECVNDVS. VERONENSIS.
HIC. EST. 171
LITTERARIVM. SCILICET. NVMEN.
OPTVMVM. MAXVMVM.
MENTI. CVIVS. ET. CALAMO.
GRANDI. DISERTO.
NATVRA.
SE. SE. PENITVS. TOTAM.
ENARRANDAM.
OSTENTAVIT. TRADIDITQVE.

Scriptum

Scriptum literis gratia.

VIATOR.
HIERONYMVMNE. QVÆRITAS. FRACASTORIVM.
AD. POETAS. ITO. MAGNOS.
INTER. QVOS. ILLE. MAXIMVS.
AD. PHILOSOPHOS. ITO. PRIMORES.
INTER. QVOS. ILLE. PRINCEPS.
AD. MEDICOS. ITO. ILLVSTRES.
INTER. QVOS. ILLE. ARCHIATROS.
AD. ASTROLOGOS. ITO. EXVMIOS.
INTER. QVOS. ILLE. SVMMVS.
AD. EXCELSA. ITO. ASTRA.
INTER. QVÆ. ILLE. EMICAT. DEMORTVVS.
IPSO. DIGNISSIMVS. COELO.

Vt ante.

VIR. HIC. CONDITVR. INCLVTVS.
172 QVÆRIS. AN. DOCTVS ?
QVÆRIS. AN. BONVS ?
ÆRI. SVI. OMNIS. ÆVI.
DOCTISSVMVS. SANCTISSVMVS.
HABES. QVOD. QVÆRIS. ABI.
CVPIO. ET. NOMEN. CAPIAS.
PTOLOMÆVS. HEV. EST. HEV. OLIVETVS.
VIRTVTES. CVIVS. EXVMIAS.
MAGIS. NVNC. MIRAMVR. OPTAMVS. QVIA. MAGIS.
QVÆ. ETIAM. ILLI.
FACILEM. IN. COELVM. ADITVM.
STRVXERVNT.
QVARTO. KAL. SEPTEMBRIS.
M. D. C. X.
FRANCISCVS. POLA.
FECI.
MOESTVS. MOESTVS.
MERENTI. PATRONO. MERENTI.

Vt ante.

BREVE. SIT. DICTV. ET. PARVVM.
H. S. E.
FEDERICVS. CERVTVS.
SED. HEV. SED.
LONGVM. LVCTV. SIT. ET. GRANDE.
HIC. ILLE. EST.
CVI. ETIAM. EXTINCTO.
PROFESSORES. OMNES. VERONENSES.
NON. PAVCIQVE. EXTERI.
FASCES. SVBMITTANT. SVOS.
VOLENTES. LVBENTES.
OBIIT. X I X. KAL. FEBRVAR.
M. D C. X I.

Vt ante

Vt infra.

QVIESCIT. HIC. HEV. QVIESCIT. 173
ALOYSIVS. RVDVLPHVS.
VIR. DOCTVS. VIR. SANCTVS. VIR. MAGNVS.
ETIAM. SI. COMPARETVR.
DOCTISSIMIS. SANCTISSIMIS. MAXIMIS.
FRANCISCVS. POLA.
DOLENS. LVGENS.
P.
PATRONO. DIGNO. DIGNISS.
OB. PLVRIMA. CIRCA. ME. MERITA.
VI. ID. IVLII. M. D C. X I.
QVO. IPSE. DIE. ABIVIT. AD. DEOS.

Vt ante.

HONORIS. CAVSSA. SVPREMI.
IN. QVO. MIHI. HABITVS. SVMMO.
BAPTISTA. GVARINVS.
SEMPER. MEMORANDVS. ET. BENE.
HVNC. PONO. TITVLVM.
EX. ANIMO.
FRANCISCVS. POLA.
VIRO. MAXIME. MERITO.
PLENIOR. ILLE. PAVLLO. DIERVM. DECEDERE. POTVIT.
NON. LITTERARIAE. PLENIOR. GLORIAE.
INTERFVIT. CVI. DIV. VIVENS. ET. PRAEFVIT.
OBIIT. NONIS. OCTOB. M. D C. X I I.
VENETIIS.

Ferrariæ vt poneretur à Montano.

BAPTISTAE. GVARINI. EQVITIS. 174
FERRARIA.
MAGNA. GLORIA. ET. LATA.
QVVM.
AD. OMNES. ORBES. FINES.
PER. ORA. MORTALIVM. PER. SCRIPTA.
PERVENISSET.
VITA. QVOQVE. SEPTVAGENARIA. MAIOR.
AD. METAM. EHEV. PERVENIT.
VENETIIS.
NONIS. OCTOB. M. D C. X I I I.
GREGORIVS. MONTANVS.
P.
MARMOR. HOC. LACRVMIS. VDVM.
PATRONO. BENEMERENTI.
OB. ADMIRABILEM. EIVS. CIRCA. SE. AFFECTVM.
DVM. FVIT.
E. NOBILI. ILLIVS. SERVITIO. HONESTOQVE.
QVOD. LONGVM. TEMPORE. FVIT. FORTVNA. VARIVM.

Venetijs.

Venetijs.

VENI. HOSPES. VENI.
SPECTATVM.
HANC. MICHAELIS. MARINI. EFFIGIAM.
CVIVS.
EMENDATAM. ELOQVENTIAM. ET. EFFICACEM.
DVM. VIXIT.
AVDITVM. ET. ADMIRATVM.
OMNIA. VENIEBANT. VENETA. AVDITORIA.
P.
ANNO. M. D C. X I I I.
CVIVS. KAL. IVLIIS.
OBIIT.
LAVDATISSIMVS.

Scriptum honoris caussa.

175 PACE. OMNIVM. ET. VENIA.
PAVLO. DE. ARESIO.
COLLEGIATO. CLERICO.
CONCIONATORE. ADMIRABILI.
SIC. CENSEO.
IVDICIO. NON. AFFECTV.
PERFECTVS. VTI. QVIS. FIERET. ECCLESIASTES.
DOCTIS. IPSE. DOCVIT. LIBRIS.
PLENVS. QVAM. IPSE. SIET. ECCLESIASTES.
PLENIS. IPSE. PROBAT. CONCIONIBVS.
IN. QVIBVS.
NATVRA. SI. FORTE. NON. OMNIA. OMNIA. CERTE. INGENIVM.
PRÆSTAT. ABVNDE. ET. SVPERAT.
SIC. OLIM. CLERO.
QVAM. ABSOLVTVM. FORMAVERAT. ORATOREM.
TAM. SE. IPSE. PRÆBVIT. ABSOLVTVM.
SIC. OLIM. POLYCLETVS.
TALEM. PERFECIT. STATVAM.
QVALEM. ALIIS. FACIENDAM. PERSCRIPSERAT.
SI. QVIS. MEAM. HANC. SENTENTIAM.
NEC. PROBASSIT.
AVT. ÆMVLATIONIS. AVT. DIVIDIÆ.
SERVOS. ESTO.
FRANCISCVS. POLA. IVRISCONS.
F.
BENEMERENTI.
ET.
CLARO. AVO. MATERNO. NEPOTI. CLARIORI.
DIE. PASCHATIS. SANTISSVMO.
M. D C. X I I I.

Vt ante.

Vt ante.

VTINAM. ITA. FAXIS. 176
DIONYSI. SERENELLE.
QVANDO. CLARA. TVM. NOMINIS. TVM. IVRISPRVDENTIÆ. LVCE.
PATRIAM. FACIS. SERENISSIMAM.
VT. EGO. FOELIX. SCIAM. INTELLIGAMQVE.
IN. HAC. MEA. CAPITIS. FAMÆQVE. PERICLITATIONE.
ME. TVO. SERENIORE. IVDICIO.
PERFRVCTVM. MERITO. ESSE.
FRANCISCVS. POLA. IVRISCONSVL.
D.

Vt ante.

TE. QVOQVE.
NICOLAE. VVLPINE. V. CLAR.
QVEM.
AB. INCOMPARABILI. IVRISPRVDENTIÆ. LAVDE.
VLPIANVM.
COMPELLARI. MERITO. OPORTERET.
SVPPLEX. PRECOR. VENEROR.
ME. MEAQVE. OMNIA.
SALVA. ESSE. IVSTVS. SINAS.
FRANCISCVS. POLA.
D.

Vt ante.

VIVAT. ÆTERNVM.
CAVICHIOLVS. CAROLVS.
A. IVRIS. NOTITIA. A. NOBILITATE. GENERIS.
A. PATRVI. GLORIA.
PERHONORIFICVS.
O. SI. ÆS. DECVSQVE. MEVM.
A. RAPACI. MERETRICIÆ. AVDACIÆ. MANV.
SERVATVM. IVSTVS. VELIS.
IMMORTALEM. TE. HOC. IVDICIVM. FACIET.
FRANCISCVS. POLA. D.

Ad Centonem nostrum Lucretianum.

M. ANTONIO. MONTANO. 177
CL.
CLARITVDO. CVIVS. NICTANS.
PATERNO. SIDERI.
AVT. PAR. AVT. INLVSTRIOR.
CORVSCAT.
FRANCISCVS. POLA. IVRISCONS.
HOC. TVMVLTVARIVM. CARMEN.
L. M. D. D.
PATRONO. OPTIMO.
IDIBVS. APRIL.
M. DC. I V.

Patauij erat ponendum ad D. Antonij Patauini.

FELICISSVME.

CONSTET. SEMPER. SEMPER. VIGEAT.

ANGELI. MATTHEATII.

MARVSTICA.

VIRTVS. DOCTRINA. INDVSTRIA.

QVI.

INTER. PHILOSOPHOS. INTER. ORATORES.

AGNITVS. MERITO. COMMENDATVSQVE.

IN. PATAVINIS. CATHEDRARIIS. IVRECONSVLTIS.

ANN. X X I V. VIXIT. MEMORABILIS.

PRIMVS. PRINCEPSQVE. EORVM. DECESSIT.

M. D. C.

PETRVS. MATTHÆATIVS.

PATRVO. DIGNO. DIGNISSIMO.

POSVI.

ANNO. M. D C. I X.

ADMIRATIONE. EIVS. IMBVTVS. SINGVLARI.

V. AN. M. D.

Ad Librum Centonum nostrum.

CLARITATI. 179

MARCI. VELSERI.

PATRIC. AVGVST. VINDEL.

NATALIBVS. DOCTRINA. MORIBVS.

COMPARANDI.

PRISCIS. ILLVSTRIBVS. VIRIS.

SERVANDÆ. ET. DOCENDÆ. ANTIQVITATIS.

EXEMPLI.

IN. QVO. EST.

QVICQVID. LAVDIS. IN. HOMINEM. MAGNVM. DICI. POTEST.

PROPITIATIS. CVIVS. AVSPICIIS.

IN. REPVB. LITTERARIA.

VBIQVE. GENTIVM.

PALMARIÆ. IAMPRIDEM. RES. GERVNTVR.

FRANCISCVS. POLA. IVRISCONS. VERON.

CENTONES. HOS. VARIOS.

DONO. DICO.

VTI. TESTATIOR. SIET. ERGA. EVM. ADFECTVS. MEVS.

PATRONO. MVNIFICENTISSIMO.

O. VTINAM. O.

VNIVERSOS. MEOS. OBLATOS. CENTONES.

ANIMO. PRONO. LVBENTI.

SVSCIPIAT.

QVI.

SINGVLOS. PROBAVIT.

Ad librum de Nutibus Ioannis Bonifacij.

ST. LECTOR. QVISQVIS. ES. ST.
180 SI. TACITVRNVS. ES. ADESTO. SI. LINGVAX. ES. ABESTO.
NVTV. HVC. TE. APPELLAT. REPELLIT. HINC. TE. RENVTV.
IOANNES. BONIFACIVS.
NOVVS. RETHOR. ET. ADMIRANDVS.
CVI
DVM. PER. SILENTIA. PROGREDIENS. LOQVACIA.
MVSSITANS. ET. ANNVENS.
MVTILOQVENTIAM. FACIT. MVLTILOQVENTIAM.
FACVNDIAMQVE. DOCET. ELINGVEM.
ET. TACITVM. PRÆCIPIT. SERMONEM.
NVPERO. STVDIO. ET. LABORIOSO.
GRÆCVS. QVISQVE. ROMANVSQVE.
ELOQVENTIÆ. FASCES. SVÆ.
SVBMITTIT.
P.
FRANCISCVS. POLA. VERONENSIS.
PATRONO. MAXVMO.
ET.
PRÆTORIA. VERONÆ. VICE.
IVDICANTI.
M. D C. X I V.

Interamna.

ADVENÆ. PEREGRINI.
QVIBVS.
C. CORNELIVS. TACITVS.
PRINCEPS.
HISTORICORVM. ROMANORVM.
LECTVS. AVDITVS. SVSPECTVS.
HOC. EST.
OMNES. OMNIVM. GENTIVM. HOMINES.
QVI. DOCTI.
MARMOREAM. HANC. EIVS. STATVAM.
VENERABVNDI.
COGNOSCITE. SPECTATE. COLITE.
POSVERVNT.
INTERAMNATES. MVNICIPES.
CIVI. SVO. IMMORTALI.
ET. CONSVLI.
CAVSSA.
ACCIPIENDI. HONORIS. HAVD. DANDI.
ANNO. M. D. C. X I V.
POST. EIVS. EXCESSVM.
ANNIS. M. D. C. C C C. X C V.
PLVS. MINVS.

Birelliani

Birelliani

OSSA. HIC. ET. CINERES. 181
REQVIESCVNT.
IOANNI. BEDVLLO.
SCIENTISSIMO.
IVRIS. ET. ARTIVM. CLARIORVM.
HIC.
GVLIELMO. VINCENTIOQVE.
MANTVANIS. DVCIBVS.
HEROINISQVE. EORVM. CONIVGIBVS.
BARBARÆ. ET. ELEONORÆ.
CVM. A. SECRETIS.
AD. VLTIMAM. VSQVE. SENECTVTEM.
OPERAM. NAVASSET. GRATISSIMAM.
HONESTE. MISSVS.
IN. PATRIAMQVE. TANTVMNON. REVERSVS.
VIVENDI. FECIT. FINEM.
BENE. MEMORANDVS. ET. SEMPER.
ANNO. M. DC. XIV.

Scriptum,

OSSA. HIC. OCTVAGENARIA.
CONDITA. SVNTO.
IO. IACOBI. TVDESCHII.
VIRI. INCOMPARABILIS.
SIVE. IVRIS. SAPIENTIAM. SIVE. ELOQVENTIAM.
ADMIREMVR.
FINITA. CVIVS. MORTALITAS.
SI. TALE. ALIVD. SPERARI. POSSET. DEINCEPS. SIMVLACRVM.
ÆQVIVS. NOBIS. FERENDA. SIET.
VALE. CAPVT. O. SEMPER. MEMORABILE. VALE.
FRANCISCVS. POLA.
DEVOTVS.
DIGNATIONI. EIVS. EXIMIÆ.
FILIORVMQVE.
QVOS.
EX. ANIMO. EX. MERITO.
AMAT. COLIT.

Scriptum rogatu amici.

DELIA.
H. S. E.
COMOEDA. EXVMIA.
MELLITA. MELLIFLVA.
BENE. TIBI. FVAT. FVAT. ILLI. BENE.
SI.
TANTVM. AD. TVMVLVM. DEFLEATVR.
QVANTVM. OLIM. IN. SCENA. PLAVDEBATVR.
VIVENTI. QVI. DIXIT. DELIÆ.
PLAVDITE. PLAVDITE.
DEMORTVÆ. IS. DICAT. DELIÆ.
VALE. VALE.

Brixiæ non memini vbi.

TITVLVS. HIC. ESTO. ACADEMICVS.
182 IOSEPHI. BANNOTII.
QVI.
PRIMVS. PRINCEPS.
OCIOSORVM.
MERITA. IAM. FVLGEBAT. DIGNITATE.
APVD. BRIXIANOS.
VTI.
PRIMVS. PRINCEPS.
PHILOSOPHORVM. THEOLOGORVM. IVRISCONS.
SINGVLARI. DOCTRINARVM. FAMA.
EMINEBAT.
APVD. OMNES. GENTES.
ANIMA. PRINCEPS. ANIMA. DOCTA.
HAVE. VALE.

Rhodigij.

TITVLVS. HIC. ESTO. ÆTERNVS.
ANTONII. RICCOBONI.
RHODIGIO. PATAVIO.
QVI.
POLITIORES. ELOQVENTIÆ. ARTES.
PVBLICE. ET. GLORIOSE.
PROFESSVS.
PER. ANNOS. X X I X.
IN. PATAVINIS. IPSIS. SCHOLIS.
E. VITA. GESSIT. HONORIFICA.
SEXAGENARIO. PROPIOR.
ANNO. M. D. L X X X X I X.
P.
BARNABAS. RICCOBONVS.
ABBAS. OLIVETANO.
FRATRI. LAVDATISSIMO.
M. D. C. X V.



INSCRI.

INSCRIPTIONES
CONIVGVM.

Veronæ ad D. Catharinæ Senensis.
MARGARITÆ. FORCATVRÆ. 183
CONIVGI. DVLCISSIMÆ.
RARI. EXEMPLI.
HOC CONTRA. VOTVM. FECI.
QVOD. CARIVS. FVERAT.
IPSA. FACERET. MIHI.
ALEXANDER. VICOMERCATVS.
BENEMERENTI.
ET. MIHI.
VIXIMVS. VNA. SINE. BILE. ANN. V I I.
OBIIT. X I V. KAL. IVNII.
M. D. V I I C.

In Agro Veronensi in Ecclesia Vigasiorum.
HIERONYMO. MORANDO.
QVEM. PRÆMATVRA. FATI. VIS.
DOLOSO. SCLEPPETI. ICTV.
CONFECIT.
CASSANDRA. PINDEMONTIA. VXOR.
CONIVGI. CARISSIMO.

Veronæ ad D. Claræ.
L. CAMVTIA.
P. PETERLO. VIRO. SVO. ET. SIBI. AC. SVIS. 184
PRIMVM. FECIT.
DEIN. ET. LOCVM. SEDIS. L. V. DEDIT.
FRANCISCO. CALCEOLARIO.
PHARMACOPOLÆ. CLARISSIMO.
POSTERISQVE. EIVS.
AMORIS. AFFINITATISQVE. ERGO.
M. D C. KAL. IVNII.

Mantuæ nescio vbi.
BELISARIVS. CAMBIVS. BOMBARDA. CREMONEN.
LIBERALITER. ERVDITVS. CÆLATOR. EGREGIVS.
CVDENDIS. MONETÆ. FORMIS. AFFABRE. INSIGNIS.
FLORVIT.
ET. OB. HÆC. REGVLIS. MANTVÆ. ALLOBROGVMQVE.
GRATISSIMVS.
VIXIT. ANNIS X X X I V.
ANGELA. INDIA. MOESTISSIMA.
P.
CONIVGI. DVLCISS.
B. M.
QVARTO. NON. OCTOB. M. D. I C.
D. M. S.

Vero-

Veronæ.

BONIFACIVS. MADIVS.
185 V. MIHI. F.
ET.
LVCRETIÆ. SPVLVERINÆ.
CONIVGI. EHEV. IVCVNDISSIMÆ.
ITEM.
ZENONI. MORANDO.
PRIVIGNO. DVLCISS.
CAMILLÆQVE. FRACASTORIÆ.
VXORI. SVAVISSIMÆ
CVM. QVA. DVLCITER. VIVO. DIVQVE. VIVERE. CVPIO.
QVVM. SEMPER. NEC. FAS. SIET.
M. D. C. I I.

In Oppido D. Martini ad Padum.

BENE. QVIESCAT.
FERDINANDVS. GONSAGA.
SINGVLARE. POSTERIS. EXEMPLVM.
FORTITVDINIS. MILITARIS. ET. GLORIÆ.
EFFARE. BELGIVM. EFFARE. PANNONIA.
PRÆCLARA. DVCIS. INSIGNIS. FACINORA.
DVOBVS. SVMMIS. IMPERATORIBVS.
MAXIMILIANO. I I. RVDVLPHO. I I.
PROBATISSIMA.
ET. REGI. OMNIVM. MAXIMO.
PHILIPPO. I I. HISPANO.
VIXIT. ANN. L I V. MILIT. X L. PLVS. MINVS,
OBIIT. V I. KAL. FEB. M. D C. V.
ISABELLA. GONSAGA.
INFELICISSVMA.
SENI. FILIOLI. VLVLANTES.
POSVERE.
MARITO. PARENTI.
INCOMPARABILI.
BENE. TIBI. SIT. VXOR. PIENTISS. ET. FILIIS.
QVI.
ME. VESTRIS. VDVM. LACRVMIS.
HIC. BENE. CONLOCASTIS.

Vbinam?

HAVE. HAVE.
GVITTIARDINA. CAMILLA.
186 ET. VALE. ÆTERNVM.
MELLITISS. VXOR. ET. PVDICISSIMA.
CVM. X X. QVA. VIXI.
A. M. D.
SINE. VLLA. ANIMI. LÆSVRA.
QVA. PRÆ. TEMPORE. CARVI
HORATIVS. ORICELLARIVS.
MARITVS. P. MARITÆ.
BENEMERENTI.

Leonici

Leonici, quod est Vicetini Agri Oppidum.

MARITÆ. DVLCISSIMÆ.
CATHERINÆ. PELITIARIÆ.
AVSPICATÆ. CVIVS. NVPTIÆ.
SANCTISSIMO. AMORE. PRONVBO.
DELITIAS. MARITO. OPTATAS. PACEM. PATRIÆ. INSPERATAM.
DEDERVNT.
ANTONIVS. VANDINELLVS.
DECEPTVS.
AMISSIONE. EIVS. IMMATVRA.
CVM. QVA. ANNOS. PLVS. MINVS. OCTO. DVLCITER. FVIT.
P.
VIXIT. ANNIS. X X X I. PATAVII. OBIIT.
IN. HOC. SEPVLCHRVM.
ME. INFERTO. VNVM.
ALIVM. INFERTO. NEMINEM.

Veronæ.

ALETHIPHILVS. FVMANELLVS.
V. E. S.
VIRGINIÆQVE. COLLALTÆ. MARITÆ.
BONIS. IVDICIIS.
INTEGERRIMÆ. ET. OPTIMÆ.
ET. FILIIS.
POSTERISQVE. OMNIBVS.
M. D. C. V I I I.

Mantuæ nescio vbi.

DORALICE. CADRIANÆ. ANDREASIÆ.
VXORI. LECTISSIMÆ.
QVÆ. HIC. SITA. EST.
ALOYSIVS. ANDREASIVS.
QVI. SE. ILLA. FOELICITER. OBLECTABAT.
DOLENS. ET. MOERENS.
F.
VIXIT. ANN. X X V I. MENS. V I I.
OBIIT. SEXTO. NONAS. MAII.
M. D C. I X.

Veronæ ad D. Bernardini.

LOCVM. HVNC.
SOLITARIÆ. SEPVLTVRÆ.
FECIT.
LVDOVICVS. VERITAS.
IVSTÆ. PINDEMONTIÆ.
MARITÆ. BENEMERENTI.
EX. TESTAMENTO.
OBIIT. VI. IDVS. MAII. M. D. I X.

187

Nescio

Nescio ubi positum.

188 ANGELÆ. BALCIANELLÆ.
P.
IOANNES. BALCIANELLVS.
MEDICVS. PHYSICVS.
ANIMO. LABORANS.
VXORI. SVAVISSIMÆ.
CVM. QVA. VIXIT. ANN. X X I I X.
ANNOS. NATA. X L I I X.
EX. QVA. LIBEROS. X I I. SVSCEPIT.
OBIIT. X V I I. KAL. APRILIS.
ANNO. M. D C. X.

Venetijs, vt poneretur; non positum, tamen credo.

PETRA. HIC. IACEO. BENEDICTIA.
FLORIS. VIRENTIS.
BARBARA. DIRI. MARITI. MANV.
CONFOSSA.
QVARTO. IDVS. IVLII. M. D C. X I.
AST. AH.
CRVENTA. HÆC. QVÆ. CERNIS. VVLNERA.
VESTIGIA. ZELOTYPIÆ. ILLIVS. IMMANIA.
NON. MERITA. INIVRIÆ. MEÆ. SIGNA.
EXISTIMATO. HOSPES. DICITO.
SINE. MACVLA. VIXI. OCCIDI. SINE. MACVLA.
NEC. NISI. HIC. MEVS. SANGVIS. INSONS.
ME. COMMACVLAVIT. VNIVIRIAM.
MANES. TESTOR. MEOS.
ET. FORMAM. MEAM. INAVSPICATAM.
MATHÆE. BARBADICE.
AMANS. MARITE. AMENS.
IMPVNE. HOC. NE. TIBI. FVAT. SCELVS.
VTI. EXEMPLO. DEINDE. TVO.
MATRONIS. LICEAT. PVDICIS.
FORMOSAS. ESSE. ET. VENVSTAS.
IMPVNISSVME.

Verona ad D. Thoma Carmelitarum.

189 DAVIDI. RAVENOLDO.
PROBISSIMO. HOMINI.
IVLIA. CHIAPPERIA.
IOANNES. ET. PETRVS.
FECERVNT.
CONIVGI. PATRI.
BENEMERENTI.
OBIIT. SEPTIMA. KAL. IAN.
M. D. C. V I I I.

Rimini.

Rimini.

INFANDVM. HVNC. TITVLVM.
MARITA. PONO. MARITO. 189
ILLVBENS. ILLACRVMANS.
ELISABETHA. MARCHESELIA.
QVÆ. PRIOR. MORI. DEBVI.
VALERIO. NANIO.
QVI. SERISSIME. MORI. DEBVIT.
OB. INCOMPARABILEM. PRÆSTANTIAM.
NATALIVM. FORMÆ. ÆTATIS.
INGENII. IVRISPRVDENTIÆ. ELOQVENTIÆ.
BONITATIS. DIVITIARVM. MAGNIFICENTIÆ.
QVÆ. OMNIA.
HONORVM. DIGNISSIMA. FVERE. OMNIVM.
QVIBVS. ILLE. SPLENDIDE. FVNCTVS.
VIXIT. ANN. M. D.
OBIIT. M. DC. XIII.

Cremonæ.

MARITA. MEA.
BONÆ. MEMORIÆ. RARI. EXEMPLI.
CONSTANTIA. APHAICTATA.
LVDOVICI. FILIA. APHAICTATI.
ROMANENGII. COMITIS.
QVÆ. IN. GRVMELLO. MARCHIONISSA.
HAVE. HAVE.
P.
OCTAVIVS. APHAICTATVS.
COMES. MARCHIO.
OB. INSIGNEM. CIRCA. TE. AFFECTVM.
SEQVAR. EGO. HOC. MONIMENTVM. LIBERI. SEQVENTVR.



INSCRI-

INSCRIPTIONES
PARENTVM
Circa Liberos.

Ad Ædiculam nostram in Nigrariensi.

HAVETE.
190 MANES. INTEGELLVLI.
POLÆ. VESPASIÆ. PRIMIGENIÆ.
HAVE. INFANS. DELICATVLA.
NE. FLETE.
MELLITISSIMI. PARENTES.
PVSTVLÆ. IAM. NON. ME. CRVCIANT. STELLÆ. BEANT.
V. M. V I. D. X V I I. H. X V I.
FRANCISCVS. PATER. IMPERIA. MATER.
TANTVM. NON. FLENTES.
P. P.
CONTRA. VOTVM.

Ibidem.

HAVE. VALE.
ATTILIA. POLA. ANIMVLA. NOSTRA.
HEV. QVEM. NVNC. ABIS. IN. LOCVM.
PALLIDVLA. RIGIDVLA. NVDVLA.
EHEV.
O. IOCOS. NON. AMPLIVS. DABIS. TVOS. MELLITVLOS.
O. VAGVLA. O. BLANDVLA.
VALE. ÆTERNVM.
VIXIT. MENS. I I I. DIES. I V. HOR. X I I X.
RHEVMA. MISELLAM. CONFECIT.
PARENTES. IAM. NON. PARENTES. MOESTISS.
P. P.

Venetijs.

RELIQVIÆ.
191 IACOBI. FADALDII.
HEV. QVAM. ILLE. IVVENIS.
OMNI. CORPORIS. ANIMIQVE. LAVDE.
PERAMABILIS. FLORVIT.
VIXIT. ANN. X X I I X.
PAVLVS. PHENARIVS.
MONVMENTVM. HOC. QVOD. HÆREDEM. N. S.
PROPRIO. ÆRE.
F.
ALVMNO. DVLCISS.
QVEM.
ET. GENTILI. COGNOMENTO.
VIVENTEM. COHONESTAVIT.

Ad Sa-

Ad SacramCellam nostram in Nigrariensi.

HAVETE. VALETE.
MANES. INFANTILES.
RAYMVNDÆ.
PARTVS. OCTIMESTRIS.
SCILICET.
EX. VTERO. AD. TVMVLVM.
PROSILISTI.
PROECOCI. VTROBIQVE. FATO.
VIXIT. SI. VIXIT. DIES. XVI.
IMPERIA. POLA. INFANTARIA.
P.
CONIVGE. DEFLENTE.
QVARTO. NONAS. APRILIS.
M. D C. I I.

Pisis: nescio quo in Templo.

COSMVS. BRENZONVS.
VERONA.
FR. MED. FIL.
IN. PATERNIS. STVDIIS.
EXIMIÆ. ADVLESCENS. SPEI.
IN. IPSA. HAC. VRBE.
IMMATVRO. OCCVBVIT. FATO.
IVLIA. RHEGIA. MATER.
P.
HOC. MONIMENTVM.
CONTRA. VOTVM.
FILIO. DVLCISSIMO.
ET. FRATRES.
VIXIT. ANN. X X I. MENS. I I. DIES. X X I I X.

192

Scriptum.

DII. MANES. ADVLESCENTES.
SI. QVID. PII. SI. QVID. HVMANI.
ISTHIC. LOCORVM. EST.
OBLECTATE.
ANIMVLAM. IVCVNDISSIMAM.
ALEXANDRI. ANTELMI.
QVI.
DVM. INGENIO. LITERISQVE. PRÆCOX.
IN. NIMIAM. ME. TOLLIT. SPEM.
PRÆCOQVO. ECCE. FVNERE.
IN. NIMIVM. ME. TVLIT. LVCTVM.
VIXIT. EHEV. ANNOS. XII.
BONIFACIVS. ANTELMVS.
A. SECRETIS. X. VIR.
P.
FILIOLO. AMABILISSIMO.
VIII. IDVS. IANVARII. M. D C. I V.

Scriptum ex animo.

IOANN. BAPTISTÆ. MONTANO.
PVERO. INNOCENTISSIMO.
193 ET. INGENTIS. CERTISSIMÆQVE. SPEI,
QVAM.
MORS. EHEV. PRÆPROPERA.
INVIDIT.
AVO. PATRI.
INSPERATOS. TITVLOS.
POSVERE.
M. ANTONIVS. MONTANVS. AVVS.
IO. FRANCISCVS. MONTANVS. PATER.
MOESTISS. AMBO.
X I V. KAL. IVNII.
M. D C. I V.

Venetiis,

CINERARIVM.
BENEDICTÆ. SCARAMELIÆ.
FVTVRARVM. CVIVS. NVPTIARVM.
SPEM.
INFREGIT. ANGINA. ET. DISSOLVIT.
QVVM. SPONSALIBVS. TANTVM. NON. CONSTITVTIS.
FAVCES. EI. EHEV. PRÆOCCVPASSET.
PARENTES. FILIÆ.
P. P.
CVI. QVISQVIS. IMMERITÆ.
NOBILEM. INVIDIT. TVMVLVM.
MALE. EI. ESTO. VTI. FRAVS. EIVS. FVIT.

Nescio ubi positum,

H. S. E.
PAVLVS. TORELLIVS.
IVRISCONS.
PROTHONOTARIVSQVE. APOSTOLICVS.
ADMIRABILIS. CVIVS. VIRTVS.
IN. FLORENTI. VITÆ. ÆVO.
ITA. VENERAT. AD. PERFECTVM.
VT.
APVD. MAXIMOS. PEREGRE. PRINCIPES.
MAXIMORVM. ITIDEM. PRINCIPVM.
MANDATV.
INDVSTRIVS. FIDVS. SATAGENS.
MAXIMA. EMOLIRETVR. NEGOTIA.
BENEQVE. PVBLICO. GERERET. BONO.
VIXIT. ANN. X X X II. MENS. VII.
PATER. NON. FECIT. LVBENS.
DEVS. FECIT.
OBIIT. ROMÆ. ANN. M. D C. V I.

Vt ante.

Vt ante.

BENEDICTÆ. SCARAMELIÆ. 194
NVPTIAS, TONSILLÆ PRÆRIPIVNT. PACTAS.
DOLVS. ALIENVS. MALVS.
CONDITORIVM. DEDIT. SORDIDVM.
PARENTES. VDI. LACRVMIS.
HVNC. FECERE. TITVLVM.
MERENTI. MERENTI.

Augustæ Taurinorum.

MISERRVMVM. FATV. EST.
QVOD. IN. HOC. PROLOQVOR. MARMORE.
ME. ME. COGITANTEM.
PROMERITOS. FACERE. TITVLOS.
FRANCISCO. PATRI. HYPSICRATEÆ. SORORI.
OCTAVIANO. FRATRI. CAROLO. FILIO.
ELISABETHÆQVE. ARCIMBOLDÆ. VXORI. SANCTISSVMÆ.
ME. ME. LABORANTEM.
CONTENTIONES. PACARE. GLISCENTES.
SABAVDIVM. INTER. DVCEM. ET. MANTVANVM.
NVPTIASQVE. CONFICERE. AVGVSTAS.
PRIMIGENIORVM. VTRIVSQVE. FILIORVM.
ME. ME. SPERANTEM.
INVIDIA. HAVD. ILLVBENTE.
MELICRA. IN. DIES. OMNIA.
ME. ME. OBLECTANTEM.
PARVVLO. FILIOLO. PAVLO. ANDREA.
SPEI. INCOMPARABILIS.
MEO. DELICIO.
ME. EHEV. ME.
PVERVLVS. IPSE. PRÆVERTIT. GNATVS.
VENEFICIS. RAPTVS. INCANTATIONIBVS.
P.
ALEXANDER. RAVDENSIS. COMES.
LOZOLI. TOPARCHA. ET. BVRGETI.
PATER. MOESTISSIMVS. FILIO. SVAVISSIMO.
QVI. VIXIT. ANNIS. VII. MEN. VIII. DIES. XXII.
OBIIT. III. IDVS. DECEMB. M. D C. VII.
COETERISQVE. OMNIBVS.

Veronæ.

ANIMVLÆ. BEATÆ. 195
THOMÆ. CAPREOLI.
BRIXIA.
F.
CAMILLVS. CAPREOLVS. COMES.
FILIOLO. INFANTI.
DOLENS. MOERENS.
OBIIT. IV. KAL. IANVARII. M. D C. IX.

Veronæ in Ecclesia D. Anastasiæ.

FLAMINIO. ALIPRANDO.
INGENIOSO. ADOLESCENTI. NEC. INSTRENVO.
QVI.
ANNOS. ASCENDENS. XIIX.
ANIMAM. DEPOSVIT. SVAM.
CORPORE. LAXATVS. NON. CARCERE.
F.
ANTONIVS. ALIPRANDVS.
PATER. FATV. INFOELIX.
CONTRA. SPEM. CONTRA. VOTVM.
HVMANÆ. PRÆPOSTERITATE. NATVRÆ.
DECEPTVS.
FILIO. SVAVISSIMO.
ET. SIBI. POSTERISQVE. SVIS.
ANNO. M. D C. X I I I.

In Nigrariensi nostro ad Aediculam.

SEPVLTVRA. HÆC. EST.
196 IOANNIS. BAPTISTÆ. POLÆ
FILIOLI. SVAVISSIMI.
EXIMIÆ. BONITATIS. EXIMIÆ. INDOLIS.
OBIIT. VIII. KAL. APRILIS. M. D C. X I I.
VIXIT. ANNIS. XII. MENSIS. V. DIES. XXVI. HOR. XIIX.
SED. AH. SED. AH.
PVERVM. ME. NE. CREDITO. AMISISSE.
VIRVM. EHEV. AMISI. AMISI. EHEV. HEROEM.
IMMANES. ECCE. ILLE. DIVTINI. MORBI. CRVCIATVS.
TAM. MIRIFICA. TVLIT. PATIENTIA.
VT.
PARENTIBVS. CIRCA. SE. SEMPER. FLENTIBVS.
NVNQVAM. FLEVERIT. NVNQVAM. INGEMVERIT.
FORTISSIMVS.
ITO. NVNC. VIATOR. NVNC. ITO.
MAGNVMQVE. MAGNI. ALEXANDRI. PVERVM.
CLARVM. SCÆVOLAM. MVTIVM.
QVI. EXVSTI. BRACHII. QVI. EXVSTÆ. MANVS.
DOLOREM. EGREGIE. VICERVNT.
PRÆFERTO. SI. POTES. SI. AVDES. ANTEPONITO.
P.
FRANCISCVS. POLA.
PATER.
PIETATE. RATIONE.
SENTIENS. MOEROREM. ET. OPPRIMENS.

Verona

Veronæ vt ponerentur in Aede Carmelitarum.

HOCCE. IN. LAPILLO. 197
LVCIOLA. BOCHINA. PRIMIGENIA.
CONDITA. EST.
LACRIMIS. VDA. PARENTVM.
QVÆ. VIXIT. MEN. V I. DIES. V I I. HOR. I X.
OBIIT. PRID. KAL. IANVAR. M. D C. I X.
VALE. TATA. VALE. MAMMA.
QVI. HVNC. MIHI. FECISTIS. TITVLVM.
MOESTISSIMI.

Venetijs in Aedibus Quirini.

HOC. LATET. IN. MARMORE.
DOMINICVS. QVIRINVS.
ALOYSII.
LÆTÆ. ÆTATIS. TRISTIS. FATI.
CÆSAR. BALBVS. FRANCISCVS. MARIPETRVS.
AMITINVS. AFFINIS.
PRODITORES. IMMANES.
ANNOS. AGENTEM. X X I V. DIES. I X.
CONFODERVNT.
IMPIISSVME.
X I. KAL. IAN. M. D C. X I V.
QVOD. FACINVS. INFANDVM.
HOC. LATET. IN. MARMORE.
PARENTES.
MOESTI. INDIGNABVNDI.
PRO. FILIO. CONTRA. SICARIOS.
ÆTERNVM. HVNC. TITVLVM.
STATVERE.
AD. DETESTANDAM.
SANGVINARIAM. CONSANGVINEORVM. IMPIETATEM.



INSCRIPTIONES LIBERORVM

Circa Parentes.

Verona in Aede D. Andreæ ponendum.

198 DVLCISSIMÆ. MEMORIÆ.
VIOLANTIS. CANOSSÆ. SEREGIÆ.
MATRIS. PIENTISS.
QVAM.
VTI. PRÆMATVRO. EREPTAM. FATO.
INFANS. NEC. NOVI.
ITA. HOC. EIVS. CONDITVM.
VNVS. NATORVM. OMNIVM. SVPERSTES.
MONVMENTO. POSITO.
ÆTERNVM. EHEV. DEFLEO.
LVDOVICVS. SEREGIVS.
M. D C. I I.
KAL. IVNII.

Veronæ in Aede D. Thomæ.



TVO. HOC. IN. TEMPLO.
CANTVARIENSIS. ANTISTES.
THOMA. SANCTE.
AGNOSCE. ET. ACCIPE.
TVVM. CERTVM. GENVS.
IO. BAPTISTAM. BECHETVM. FABRIANVM.
HONORATISS. HOMINEM.
HIERONYMVS. ALBERTVS. F. MARTYR.
MOERENTES. FILII. MOERENTES.
FECERE.
MERENTI. PATRI. MERENTI.
SIBIQVE. SVISQVE.

Verona in D. Thomæ Carmelitarum.

OSSA.
IACOBI. OCTELII.
HIC. IACENT.
DOMINICA. FILIA.
P.
PARENTI. DESIDERATISS.
M. D C. V I I.

E o O

Verona

Veronæ in æde D. Laurentij.



199

Verona

Veronæ in Aede D. Ioannis in Fonte.

HOMINI.
BONÆ. MEMORIÆ.
BERNARDINO. CAFONTANÆ.
VIXIT. ANNIS. L X X.
POSVERVNT.
PIENTISS. FILII.
HIERONYMVS. FRANCISCVS.
PARENTI. BONO. BONO.
ET. SIBI. POSTERISQVE. SVIS.
ANNO. M. D C. V.

Taruiſij.

200 HIC. POSITVS. EST.
DOMINICVS. ACTIOLINVS.
IVRISPRVDENTIÆ. VIR. ET. IVSTITIÆ.
NATALIBVS. COLLEGIO. EQVESTRI. DIGNITATE.
MVNICIPALIBVS. HONORIBVS.
CLARISSIMVS.
QVI.
QVVM. GRAVISSIMO. ADSESSORIS. OFFICIO.
TRICIES.
PER. PRÆCIPVAS. IMPERII. VENETI. VRBES.
ITA, EGREGIE. PERFVNCTVS. ESSET.
VT.
CÆTERIS. CONSILIARIIS.
DOCVMENTO. ESSE. POSSET.
ANIMÆ. DEFECTIONE. EXTINCTVS. EST.
PATAVII.
KAL. NOVEMBRIS. M. D C. I I I.
VIXIT. ANN. LXIII. MEN. IX.
NICOLAVS. ACTIOLINVS.
IVRISCONS. POSVIT.
PARENTI. INNOCENTISSIMO.

Veronę in Aede D. Franciſci de Paula.

HAVE.
PATER. FEDERICE, CERVTE. PATER.
ERVDITIONIS. OMNIS. LIBERALIORIS.
PARENS.
INCOMPARABILIS. MEMORANDE.
PROMERITVMQVE. HVNC. TITVLVM.
ÆTERNVM.
A. FILIO. PIENTISSIMO.
BENEDICTO. CERVTO. MEDICO. PHYSICO,
HABE.
ANNO. M. D C. X L.
X I X. KALEN. FEBRVARII.
QVI. DIES. FINITIONIS. EIVS. FVIT.
VIXIT. ANNIS. L X X I X. MEN. V. DIES. I V.

Salodij

Salodij Benacensis.

ÆTERNVS. HIC. ESTO. TITVLVS. 201
IOACHIMI. SCHAYNI.
DOMO. SALODIO.
INTEGERRVMI. VIRI. ET. ERVDITISSVMI.
QVI. PARVM. ESSE. RATVS.
LEGES. SERVARE. CIVILES.
AD. QVAS. EGREGIE. EDOCENDAS.
NATVM. ILLVM. ESSE. ET. FACTVM.
BONONIA. PATAVIVMQVE.
PERDIV. SENSERVNT.
LEGEM. QVOQVE. NATVRALEM.
ORTA. OCCIDVNTQ.
AD. QVAM. HOMINES. NASCIMVR.
SERVAVIT.
FEBRVARII. M. D C. V I I I.
FECERVNT.
GABRIEL. IO. BAPTISTA.
FILII. PIENTISSIMI.
MERENTI. PATRI. MERENTI.

Verona.

FRANCISCO. CALCEOLARIO.
SEPLASIARIO. MEMORABILI. ET. BOTANO.
BONIS. DOCTORVM. HOMINVM. ET. REGVLORVM. IVDICIIS.
FRANCISCVS. CALCEOLARIVS.
AVO. BENEMERENTI.
MEMORIAM. COMPARAVIT. ÆTERNAM.
VIXIT. ANNIS. X.I.C.
EX. IIS. POSTREMOS. CÆCVS. X X. V.

Venetijs.

NOMEN. ELOQVENTIÆ. IMMORTALE. 202
MARINVS. QVIRINVS.
ALOYSII.
H. P. E.
QVI. ANNO. M. D. XXIII. SPIRITVM. PONENS.
TRISTE. POSTERIS. DESIDERIVM.
PRVDENTIÆ. AVCTORITATIS. PIETATIS.
RELIQVIT.
VTI. ET. OPES. BENE. PARTAS. BENE. FRVENDAS.
VIXIT. ANNIS. L X. V.
ALOYSIVS. TIBERII. FILIVS.
ATAVO. DIGNO. DIGNO.
P.
QVVM. SANCTAM. HANC. TABVLAM.
A. IACOBO. PALMA. OLIM. PICTAM.
ÆVO. CONSVMPTAM.
CVRARET.
A. IACOBO. PALMA. ALTERO. REPINGI.
EXORNARIQVE.
ANNO. M. D C. X I.

Venetijs.

Venetijs.

H. S. E.
M. ANTONIVS. ERITIVS.
SENATORII. ORDINIS.
IN. IVDITIIS. IN. MAGISTRATIBVS.
PRVDENTIA. IVSTITIA. SANCTITATE.
CLARVS. CLARVS.
POSVERVNT.
FILII. PIENTISSIMI.
PARENTI. MAXVMO. ET. BENEMERENTI.

Colonia, quod est Veneti Imperij Oppidum.

203 HONORÆ. MEMORIÆ. ET. MAGNIFICÆ.
FRANCISCI. MERCANTII.
OPTIMI. VIRI. AC. PROBATISSIMI.
F.
ANTONIVS. MARIA. MARCANTIVS.
IVRISCONSVLTVS.
DIGNO. PARENTI. DIGNO.
ET. SIBI. POSTERISQVE. SVIS.
DVM. VERONENSI. PRÆTORI. ADSIDERET.
M. D C. X I.

Verona in Ecclesia D. Euphemia.

BETEGI. FRATRES.
M. ANTONIVS. MARIVS. CLAVDIVS.
HOC. FECERVNT. SEPVLCRVM.
PARENTI. HORATIO. OPTIMO.
ET. SIBI. POSTERISQVE. SVIS.
KAL. APRILIS. M. D C. XIII.

Vicetia ad D. Corona.

ANNO. M. D C. X V.
204 SVPERNAM. QVAM. CERNIS. MEMORIAM.
PROAVI. MEI. BENE. MEMORANDI.
LONGO. CORRVPTAM. ÆVO.
RESTAVRAVI. EXORNAVI.
IO. BAPTISTA. MACRADVS.
AD. PRISCAM. GENTIS. MEÆ. HONESTATEM.
DECLARANDAM.
QVÆ. VTI. TESTATIOR. SIET. POSTERIS.
INFERIOREM. QVEM. LEGIS. TITVLVM.
PATRVI. MEI. MAGNI.
QVI. ROMÆ. AD. D. LAVRENTII. IN. LVCINA. VISITVR.
HISCE. DESCRIBENDVM. NOTIS.
CVRAVI.

Colonia

Coloniæ in Templo Maiori.

IO. ALBERTO. BRIXIANO.
QVI.
MVNICIPALIBVS. OMNIBVS. HONORIBVS.
FVNCTVS.
ANNO. M. D C. X. XI. KAL. SEPTEMB.
OBIVIT.
SEXAGENARIO. MAIOR,
DOMINICVS. IVRIS. ANDREAS. PAVLVS.
F.
PARENTI. OPTIMO.
ET. SIBI. POSTERISQVE.

Ad Tabellam quamdam in qua orbis omnis descriptus.

HABE. TORNE. PATER. HABE. 205
IOANNES. PAVLE.
DESCRIPTVM. HIC. ORBEM.
MANV. ARGVTISSIMA.
DONAT. TIBI. TIBI. DICAT.
VINCENTIVS. FILIVS.
QVEM.
VTI. ORBEM. INVISERET. TOTVM.
E. PATRIO. EMISERAS. SINV.
HAVE. TORNE. PATER. HAVE.

Bergomi.

HAVE. FRANCISCE. PATER. HAVE.
SAVI. NOMINE. REAPSE. SAPIENS.
QVI.
VENETAM. OMNEM. DITIONEM.
QVVM. PLVRIES. PERAGRASSES.
ADSESSOR. VNDIQVE. ADMIRANDVS.
HACCE. OBIISTI. IN. VRBE.
ANNO. M. D. LXXXV.
QVÆ.
VTI. AD. SE. PROPRÆTOR. VENIRES.
INTRA. TEMPVS. LEGE. EIVS. VETITVM.
SPONTE. INDVLSIT. MERITOQVE.
POSVIMVS.
M. ANTONIVS. SAVIVS.
CASTRI. ARCHIPRESBYTER. FRANCI.
SAVIVS.
DVM. HIC. QVOQVE. ADSIDEREM.
IVDEX. QVÆSTIONVM.
PATRI. INCOMPARABILI.
M. D C. X V.
FILII. PIENTISSIMI.

Verona in Ecclesia D. Bernardini.

206

STATVIT.
V. S.
DOMVM. HANCCE. ÆTERNAM.
BERNARDINVS. ROSA. MORANDVS.
ELISABETHÆQVE. BOTTÆ.
QVÆ. VXOR. IVCVNDISSIMA,
FECERE.
FILII. PIENTISSIMI.
EVANGELISTA.
FRANCISCVS.
ANTONIVS.
PARENTIBVS. BENE. MEMORANDIS.
ANNO. M. DC. XV.

Scriptum.

LVCIVS. QVARTIVS.
V. F.
ET. PARENTIBVS. SVIS. SVAVISSIMIS.
ANTONIO. QVARTIO. IVLIÆ. PASINÆ.
ET.
IACOBO. QVARTIO.
IVRISCONS. PRIMVM. ET. ADVOCATO.
AD. PRINCIPALE. VENETORVM. COLLEGIVM.
ABBATI. DEINDE. PESCANO,
CANONICOQVE. VERONENSI.
FRATRI. BENE. MEMORANDO,
ET. SIBI.
POSTERISQVE. SVIS.
M. D C. X V I.



INSCRI-

INSCRIPTIONES CONSANGVINEORVM.

Scriptum non sculptum.

D. M. 207
VIXISSES. IO. BAPTISTA. CONSOBRINE. MI.
VTI. DECVIT.
VIXISSES. PONA. MI.
NON. EGO. FRANCISCVS. POLA. NVNC. SOLLICITARER.
TIBI. VIRO. TER. AMPLISSIMO.
MONVMENTVM. HOC. FACERE.
INFELICISSVMVS.
KAL. IVLIIS. M. D. LXXXXIIX.

Vt ante.

DIIS. MANIBVS.
IO. BAPTISTÆ. PONÆ. PHIL. MED. AC. POETÆ. VERON.
VIXI. QVEMADMODVM. VIRTVS. ET. GLORIA. VOLVERVNT.
QVEMADMODVM. DEVS. VOLVIT.
MORTVVS. SVM.
VTRVMQVE. MIHI. ACCEPTVM.
QVOD. SI. VOBIS.
BENE. EST. SIN. MINVS. BENE. BENE.

Veronæ in Ecclesia D. Euphemiæ.

HORATIVS. RVPHONIVS.
HANC. SIBI. SEDEM. 208
QVAM. ET. HÆREDES. SEQVANTVR.
TESTAMENTO. VOVIT.
ANTONIVS. ET. IO. BAPTISTA.
TITVLVM. POSVERE.
FRATRI. PIENTISSIMO.
D. D. KAL. MARTIIS.
M. D. IIIC.
HAVETE. MANES. BENEMERITI.

Vbi positum, non memini.

CAROLO. PARATICO. BRIXIANO. V. M.
QVI.
SACERDOTIO. BELLVNENSI.
ANNOS. XVII.
INCOMPARABILI. PIETATE.
PRÆFVIT.
CAROLVS. ET. HIERONYMVS. FRATRES.
GEMEBVNDI. F.
HAVETE. QVI. ME. SALVTATIS.
CVM. POSTERIS.

Lendenaria vt poneretur: ſed cum Dominicus Cattaneus curaſſet, vt à Baptiſta Guarino notaretur; accidit, vt ipſi Dialogum noſtrum de Epitaphijs ederemus.

209 BENE. VOBIS. SIT.
CAMILLE. PATER. MALMIGNATE. FRATER.
TV. PATER.
VNDIQVE. OPTIMVS. MAXIMVS.
ET. MVLTA. VENETORVM. GRATIA. LATE. POTENS.
TV. FRATER.
A. MIRA. INGENII. DOCTRINARVMQVE. LAVDE.
VEL. ROMÆ. IAM. EXCELLENS.
PROPINQVIORE. EHEV. FVNERE.
OBIISTIS.
O. DVO. CAPITA.
INTER. GRAVISSIMAS. NOSTRÆ. PATRIÆ. IACTVRAS.
ENVMERANDA.
DOMINICVS. CATANEVS. IVRECONS.
P.
ET. SIBI. POSTERISQVE.
M. D. I I I C.

Venetijs, neſcio vbi.

D. M. S.
SIMONIS. QVADRII. PONTINI.
MEDICI. IVPPITER. INGENTIS. SPEI.
QVI. VIX. ANN. XXIII. MEN. IX. DIES. VI.
CONDITVM. EHEV. HIC. VIDES.
CHRISTOPHORI. EIVS. PATRIS.
MED. ITIDEM. MAX.
QVI. VIX. ANN. LXV. MENS. VI. DIES. VII.
SEPVLCHRVM. IPSE. FILIVS. EST. IVCVNDVM.
VTI. MORS. FVIT. ACERBA.
FRANCISCVS. QVADR. VTRIQVE. F. C.
KAL. APRILIS. M. Q. R. I I O.

Non poſitum; ex controuerſia inter Decuriones Veron. & Monachos D. Anaſtaſiæ, vbi ponendum, orta.

QVIETI. PERENNI.
210 PETRVS. RVPHONIVS.
EQVES. ALÆ. PRINCIPALIS. VENET. EMER.
MOX.
PRÆF. COHORT. DVCEN. EVOCATVS.
IN. MINITABVNDA. BRIXIENSI. EXPEDITIONE.
M. D. C. I.
QVVM. HONESTA. MISSIONE. MISSVS. ESSET.
OBIIT. XVI. KAL. APRIL. M. DC. II.
VIXIT. ANN. XXXVII. MEN. IX. DIES. XVII.
IO. BAPTISTA. BARTHOLOMÆVS. RVPHONII.
OPTIMA. PIETATE.
TITVLVS. FECERVNT.
FRATRI. DESIDERATISSIMO.
M. DC. III.

Verona

Verona in Eccleſia Sancti Franciſci de Paula.

HAVE. HOSPES. HAVE.
ALEXANDER. LANTES.
ROMA.
EQVES. EX. ORDINE. HIEROSOLYMO.
HIC. SVM. CONDITVS.
MEO. VOTO. MEO. IVSSV.
QVI.
DVM. DIRÆ. ÆGRITVDINI. MEDICINAM. ANQVIRENS.
TOTAM. PERAGRO. ITALIAM.
VERONÆ. TANDEM.
DIVTINA. CONSVMPTVS. TABE.
OBII
X. KAL. IVL. M. DC. III.
MARCELLVS. LANTES.
AVDITOR. CAM. APOST.
FRATRI. DVLCISS.
F.

Ad D. Marci Verona.

CONSANGVINEI.
BARZISII. BERNARDI.
QVORVM. NOMINA. INFERIVS. LEGITO.
ÆRE. CONLATO.
HOC. COMMVNE. MONIMENTVM.
F.
SIBI. FILIIS. POSTERISQVE. SVIS.
HVMANDI. CAVSSA.
M. DC. IV.

ANTONIVS. } FRATRES.
ALEXANDER.
ROLANDVS.

IO. ANTONIVS. } FRATRES.
FRANCISCVS.
NICOLAVS.

ANTONIVS. } FRATRES.
ANDREAS.

Scriptum, non ſcalptum. neque ſcalpendum.

HOSPES.
LEGE. NE. LEGE.
MARITVS. VXOR.
SORORIVS. SOROR. VXORIS.
PATER. FILIA.
SOCER. NVRVS.
HASCE. HABENT. ÆDES.
AST. O. CAVETO.
NE. PVTES. HOSCE. OCTO. ESSE. HOMINES.
QVINQVE. TANTVM. SVNTO.
LEGE. NE. LEGE.
HOSPES.

Venetijs. Nescio vbi positum.

212 PHILIPPO. TERTIO.
EXCELSI, CVIVS. INGENII.
IN. OMNI. TOTIVS. DISCIPLINARVM. ORBIS. PARTE.
SINGVLARIA. MONIMENTA.
CVRIOSVS. QVILIBET. OBSERVANS.
ADMIRARI. POTVISSET.
NISI
IN. VNA. INCOMPARABILI. EIVS. ELOQVENTIA.
QVA. IN. FORO. VENETO. TRIVMPHAVIT.
ATTONITVS. OBSTVPVISSET.
ALBERTVS. TERTIVS. IVRISCONS.
P.
PATRVO. CLARISS.
ET. BENEMEREN.
M. D C I V.

In Agro Veronensi, in pago Domus Oppiorum.

D. M.
IOANNIS. FRANCISCI. BERQLDI.
VNVS. HIC. SENSVS. SCILICET. MORTVO. SVPEREST.
VT.
NOVISSIMAM. VITÆ. REPARATIONEM.
SECVRVS. EXPECTET.
HAVE. VALE. QVI. LEGISTI.

Bononiæ, non memini vbi.

213 HAVE. FRATER. BENE. MEMORANDE.
ANTONIVS. PERSIVS.
DOMO. MATERA.
P.
ASCANIO. PERSIO.
QVI.
INLVSTRI. PHILOSOPHIÆ. TITVLO. ERVDITIONISQVE. OMNIS. LAVDE.
PRÆCLARISSIMVS.
QVVM. GRÆCAS. PVBLICE. LITTERAS.
ANNOS. X X I V. BONONIÆ. PROFESSVS.
OMNIBVS. GYMNASII. DESIDERIIS. SATISFECISSET.
EODEM. PERPETVO. PERFVNCTVRVS. ERAT. MVNERE.
IPSOSQVE. ADEO. ARISTOT. LIBROS. GRÆCOS. AD. VERBVM. EXPIANATVRVS.
EX. NOVO. HONORIFICO. SENATVS. CONSVLTO.
NISI. AD. EXCESSVM. FINITÆ. SVÆ. MORTALITATIS. ACCESSISSET.
KALEN. FEBRVARII. M. D C. X.
VIXIT. ANNIS. L V. MENS. X. DIES. X X I I I.
SED. ET. HIC. LOCVS. SEPVLTVRÆ. DATVS. EST.
CONSTANTIÆ. VIRGILIÆ.
VXORI. EIVS. LECTISSIMÆ.
HAVE. FRATER. BENE. MEMORANDE.

Colonia

Colonia, nescio vbi.

POMPEIO. PEROTIO. 214
IVRISCONSVLTO. OPTIMO. VIRO. OPTIMO.
MATTHÆI.
IVRIS. BENE. PERITI.
FILIO.
P.
M. D C. X.
DOMINICVS. PEROTIVS.
CASSINENSIS. PRÆSES. CONGREGATIONIS.
HOCCEQVE. TEMPORE.
IN. VENETO. MONASTERIO.
AD. MAIVS. DIVI. GEORGII. TEMPLVM.
VTI. ET. OLIM.
IN. PATAVINO. D. IVSTINÆ. CÆNOBIO.
FRATRI. SVAVISSIMO.

Ratisbona ad Saluatoris.

BARTHOLOMÆVS. NORIVS.
DOMO. VERONA.
QVI.
DVM. IN. MVRIS. VRBIS. HVIVSCE. LVDIT.
PRÆCIPITI. EXTINGVITVR. LAPSV.
EST. HIC. COLLATVS.
ALEXANDER. NORIVS.
F. C.
FRATRI. SVAVISSIMO.
M. D C. X I.
KALEN. IVLIIS.

Verona in Ecclesia D. Anastasia.

ANDREAS. BATTALEA.
DOMINICI. F. 215
FAMILIA. CVIVS. HONESTISSIMA.
ANNIS. AB. HINC. CXIIX.
CONTINENTER. REFERTVR.
IN. CENSORIAS. TABVLAS. VERONENSES.
DOMVM. HANC. ÆTERNALEM.
QVAM. MAIORES. SVI. POSVERVNT.
IN. ÆDE. D. MARIÆ. ANTIQVÆ.
HIC. VIVENS. SIBI. FECIT.
HÆREDIBVSQVE. SVIS.
ANNO. M. D C. VIII.

Ferrariæ.

MEMORIÆ. ÆTERNÆ.
ÆTERNI. POETÆ.
LVDOVICI. ARIOSTI.
MONIMENTVM. HOC. ÆTERNVM.

Ne positum credito.

MONIMENTVM. ESTO. AMABILE.
EXVMIÆ. PIETATIS.
ET. OBSERVANTIÆ.
LVDOVICI. ARIOSTI.
MAGNI. NEPOTIS.
CIRCA.
MAGNVM. PATRVVM.
P.
ANNO. M. D. C. X I I.

Romæ.

216 GVARDINVS. ZVCCHIVS.
BERGOMO.
HOC. IACET. IN. CINERARIO.
ANGVSTA. INFELIX. VITA:
PRÆALTA. FELICISSIMVS. INDOLE.
LITTERARVM. ET. MILITIÆ.
QVA.
IMMORTALITATEM. PROMERVIT.
VIXIT. ANNIS. X X I I.

Nigrarij circùm Cimiterium Ædicula nostra.

D. M.
TRANSMVNDI. DE. POLA.
BONÆ. HOMINIS. MEMORIÆ.
QVEM. VERONÆ. VIXISSE. CONSTAT.
ANNO. M. D. LXXXV.
F.
FRANCISCVS. POLA. IVRISC.

Ibidem.

THOMASINVS. DE. POLA.
217 IN. VERONENSI. DECVRIONVM. ALBO.
QVI. ANNO. M. D. C C. X X V I I.
SALVTAREM. CONCILIARVNT. PACEM.
ACTIOLINVM. DE. ROMANO. INTER. ET. RITIARDVM. DE. S. BONO.
LEGITVR.
HONORATO. DOMINI. PRÆNOMINE.
INSIGNITVS.

Ibidem.

ALDO. DE. POLA.
QVI.
PACI. EIDEM. FACIVNDÆ.
DECVRIO. INTERFVIT.
MONVMENTVM. HOC. VELIM. FACTVM.

Ibidem.

Ibidem.

NEC. ILLAVDATVS. ESTO.
GABRIEL. DE. POLA. CONSVL.
GVILELMO. DE. PERSICO. CREMONA. PRÆTORE.
VERONÆ.
M. C C. X X X I I.

Ibidem.

ADAMO. DE. POLA.
SVMMÆ. VIRQ. BONITATIS.
VIXIT. ANNO. M. C C. X X X V I.
P.

Ibidem.

TITVLVS. HIC. ESSIT.
PECORARII. DE. POLA. 218
QVI.
ANNO. M. C C. XXXIIX.
HASTÆ. VENDITIONIS. VERONENSI.
PRÆFVIT. IVRIDICVS.

Ibidem.

NOMEN. SIET. NEC. OBSCVRVM.
PECORINI. DE. POLA.
QVEM.
IN. LITIBVS. CAPITALIBVSQVE. CAVSIS. IVDICANDIS.
ANNVS. M. C C. LXV. MEMORAT.

Ibidem.

GRATA. HÆC. ESTO. SCRIPTVRA.
BONAVENTVRÆ. POLÆ.
QVI. IN. VIVIS. FVIT.
ANNO. M. C C C C. X.

Verona in Ecclesia D. Euphemia.

HÆREDES. POSTERIQVE. NOSTRI.
HÆC. NOBIS. VOBIS. SEDES. ESTO.
LEONARDVS. DANIELQVE.
BANDÆ.
COMITES. SANGVINETHIL.
SIC. EDICIMVS.

Leonici, quod in Agro Vicetino Oppidum, sed mancum positum.

ANTONIVS. VANDINELLVS. 219
HANC. SIBI. SEDEM.
VIVOS. F. SVISQVE.
DVM. PRIMORES. DITIONIS. VENETÆ. CANCELLOS.
NEC. SEGNITER. NEC. INVTILITER.
OBEVNDO.
SVPREMVM. VITÆ. DIEM.
SE. ALIQVANDO. OBITVRVM.
SÆPE. COGITAT. SÆPE. MEMORAT.
M. D C. X I I I.

Florentiæ, nescio vbi.

CINERIBVS.
ALLEGRIORVM.
HIC. LOCVS. SACER. ESTO.

Ibidem ex alio latere.

MONIMENTVM.
QVOD. ACCATTAPANES. AB. OPPIDO. LEGRI. ORIVNDI.
OLIM. SIBI. ET. SVIS. P. C.
ALLEGRII. NVNC. POSTERI. EORVM.
RESTAVRARVNT.

---

220 *In Ecclesia Diui Francisci de Paula Veronæ.*

M. D C. X V.
VIVA. SIBI. POSVIT.
GENTILIS. LACISIA. SESSA.
COMITISSA.
QVVM. ESSET. ÆTATIS. ANNORVM. LXVIII.
VIDVITATIS. X X V.

Nescio vbi positum.

VIATOR.
NE. HINC. ABEAS. NI. HOC. HABEAS.
QVOD. EHEV. LACRIMABILE. SIET.
IOANNA. BVSSALA.
MATRONA.
EXVMIÆ. VENVSTATIS. PVDICITIÆ. EXVMIÆ.
NIMIVM. QVAM. FACVNDA. NIMIVM. QVAM. INFOECVNDA.
FLORENTI. EREPTA. IN. IVVENTVTE.
QVOD. EHEV. LACRIMABILE. EST.
QVVM. HOC. HABEAS. IAM. HINC. ABEAS.
VIATOR.



INSCRI-

INSCRIPTIONES
AMICORVM.

Nescio: an sculptum.

TARVISANÆ. SILIS. 221
INFANDAM. HANC. MEMORIAM.
LAPIDE. HOC. AD. RIPAM. POSITO.
SEMPER. HABETO.
QVOD. DVOS. ADOLESCENTES. INSIGNES.
GENERE. VVLTV. ANIMO. MORIBVS.
IOANNEM. RAYNALDVM.
ANTONIVM. VONICVM.
PER. INFIDAS. TVAS. ISTAS. VNDAS.
SECVRE. COLLVDENTES.
PRÆCEPS. VIOLENTVS. INSANVS.
FASELO. EXCVSSERIS. OBRVERIS. VORAVERIS.
IMMERITISSVMO.
POSVERE.
CVM. MISERABILI. VLVLATIONE.
SOCII. NAVFRAGI.
LACRVMIS. MAGIS. QVAM. FLVMINE.
MADIDI. FLVENTES.
M. D C. I I I.

---

scriptum.

D. M. S.
IACOBVS. SEMPERVIVVS.
HIC. IACET.
QVAM. PIVS. QVAM. CANDIDVS.
QVAM.
OMNI. LIBERARIORE. DOCTRINA.
POLITISSIMVS.
NISI. EXCORS. ES. NOVISTI. SATIS.

Vt ante.

SOMNO. ÆTERNALI. SACRVM. 222
IACOBI. SEMPERVIVI.
QVID. ME.
NON. SEMPER. VIXISSE. QVÆRERIS?
QVANTVLACVNQVE. VITA.
SI. VTI. EGO. FECI. VTI. SCIAS.
SEMPITERNA. ESTO.
FRANCISCVS. POLA. IVRISC. F.
CONTRA. VOTVM.
AMICO. AMABILISSIMO. ET. B. M.

Vt ante.

Vt ante.

D. M. S.
QVEMQVAM. PROPTER. RVGAS. ET. CANOS. DIV. VIXISSE.
NE. PVTATO.
DIV. ILLE. FVIT. NON. DIV. VIXIT.
DIV. VIXIT.
QVI. VIRTVTI. VIXIT.
ID. EGO. SEMPER. FECI.
SEMPERVIVVS. ERGO. FVI. EVAMQVE. MERITO.
BENE. VALEAS. QVI. LEGISTI.

Verona in Templo maiori.

CINERIBVS.
223 PETRI. STRIDONII.
ADOPTIONE. IVSTINOPOLITANI.
ORTV. VENETI.
PROANTISTITIS. VERONENSIS.
QVOD. IN. SACRO. IPSE. MVNERE. OBEVNDO.
CONSVMATA. IVRISPRVDENTIA.
INCORVPTAQVE. IVSTITIA.
X X X. ANNIS.
VSVS. SIET.
IN. QVO. ETIAM. DEFVNCTVS.
P.
AVGVSTINVS. VALERIVS. CARDINALIS.
GENEROSA. LIBERALITATE.
VIRO. B. M.
ET. DESIDERATISSIMO.
TERT. IDVS. SEPTEMB. M. D C. I V.
VIXIT. ANN. L XI.

Romæ in Eccleſia D. Laurentij in Damaſo.

CADAVER. HIC. QVIES. ESTO.
IOANNIS. MATLARTII.
LEODIO.
MVSICARII. PERITISSIMI.
ET.
HOMINIS. PLANE. BONI. PIIQVE.
VIXIT. ANNIS. L X X.
EX. IIS. X L. PHONASCVM. EGIT.
IN. LAVRETANO. TEMPLO.
AD. DAMASVM.
ASSIDVITATE. INCOMPARABILI.
ROMANI. OMNES. SYMPHONIACI.
AD. EXEQVIAS. HONESTANDAS.
CONVENERVNT.
FLAMINES. LAVRENTIANI.
TITVLVM. FECERVNT.
B. M.
M. D C. I V.

Haud ſcio

Haud ſcio, an inciſum.

TITVLVM. HVNC. ÆTERNVM.
MERET. MERET. 224
ANDREAS. CALDERINVS.
QVI.
DVM. SE. IN. FLOREM. ÆTATIS. INDVIT.
MAGNAQVE. SPE.
MAGNVM. PATREM. MAGNAM. PATRIAM.
TOLLIT.
IPSE. VITA. EHEV. SPOLIATVR.
DOLENTIBVSQVE. EFFERTVR. HOMINIBVS.
AN. NON. ET. DIIS. LACRVMANTIBVS?
F.
FRANCISCVS. POLA.
INDOLE. BONA. ADVLESCENTIS. BONI.
CAPTVS.
PARENTISQVE. EIVS. CLARISSIMI.
B. DE. SE. M.
VICEM. DOLENS. MOESTAM.

Qui iuſſit ſciat is, an incidi curauerit.

MEMORIÆ. CAVSSA. PERENNIS.
HÆC. PONITVR. SCRIPTVRA.
LAVRÆ. BELFANTIÆ. DELPHINÆ.
FÆMINÆ. OMNINO. LECTISSIMÆ.
OB. MERITVM. MORESQVE. EIVS. SVAVISSIMOS.
FECI.
IGNOTVS. HOMO. ET. GRATVS.
AMICÆ. DESIDERATISSIMÆ.
M. D C. X.

Scriptum in Libro Clariſſi.

CLARISSE. LVDOVICE.
PERPETVVM. HOC. HABETO. MONIMENTVM.
A. ME. FRANC. POLA. IVRISC. VERON. 225
QVI. TE.
EXIMIASQVE. TVAS. VIRTVTES.
AMABILI. FLORENTES. IN. ADOLESCENTIA.
PENITISSIMO. AMPLECTOR. ANIMO.
QVI. TIBI. ÆTERNVM.
VERI. AFFECTVM. AMICI.
PRÆSTABO.
PER. SANCTA. AMICITIÆ. IVRA. IVRO.
VERONÆ.
ANNO. M. D C. V I.
XII. KAL. OCTOB.

Ad quod.

Ad quoddam Reſponſum meum legale.

DII. DEÆQVE.
QVAM. BENE. MIHI. SIET. QVAM. VOLVPE.
SI. QVAM. EGO. NAVAVI. OPERAM.
ACCVRATAM. LABORIOSAM. FIDAM.
IN. TVA. ILLVSTRI. CAVSSA.
MVSELE. IACOBE.
ACCEPTA. ILLA. TIBI. FVAT. ET. FELIX.
FRANCISCVS. POLA. IVRISCONS.
D. D. D.
TIBI.
VIRO. OPTVMO. VIRO. ERVDITO. VIRO. LIBERALI.
BENEMERENTISSIMO.
KAL. SEPTEMB. M. D C. X I.
HOC. INSCRIPTO. TITVLO.
HONORIS. CAVSSA. ET. OBSERVANTIÆ.
O. VTINAM. EVENTVS. LITIS.
VTI. ÆQVVS. IVDEX.
VICTORIAM. TIBI. DVAT. MERITAM.
VNDE. IVS. STAT. CERTVM.

Scriptum.

226 DIVIACÆ. HIERONYME.
DIVES. DIVES.
BONITATE. INGENIO. PRVDENTIA.
SALVOS. SIS. FELIX. SIS.
QVAQVE. POTES. MIRABILI. DEXTERITATE.
FAXIS. O. FAXIS.
VTI.
HERMOLAVS. NANIVS.
HEROS. INCLVTVS. PRÆTOR. INCLVTVS.
ME. VIRVM. NEC. MALVM.
RESQVE. MEAS.
FORTVNA. MALAS. NON. VITIO.
QVICQVID. MALI. MALEDICANT. VIRI.
PROPITIA. AVRE. PROPITIO. OCVLO.
RECIPIAT. RESPICIAT.
NE. TE. OFFICII.
NE. ILLVM. BENEFICII.
VSQVAM. POENITEAT. ET. VNQVAM.
IPSE. EFFICIAM. GRATVS.
PER. GENIVM. ET. AMPLITVDINEM. NANIAM.
IVRO.
FRANCISCVS. POLA.

Scriptum.

Scriptum, editumque ad Libellum carminum Hetruscorum Nardi.


AVGVSTINO. NARDO.
E. FRANCISCANIS. FRATRIBVS. MINORIBVS. 227
BONO. DOCTO. ERVDITO.
QVO. DE. SI. ILLVD. SACRVM. DICAS.
NARDVS. MEA. DEDIT. ODOREM. SVAVITATIS.
NEC. PROFANVS. ESTO. NEC. FALLAX. ESTO.
FRANCISCVS. POLA. IVRISCONS.
DAT.
HANC. FAVSTÆ. AMICITIÆ. TESSERAM.
MERENTI.

Scriptum.

SACRAMOSII. FRATRES.
ALOYSIVS. ET. FEDERICVS.
PALATINI. COMITES.
VERONA.
HOC. AMICITIES. PIGNVS.
HANC. HOSPITII. TESSERAM.
F.
NICOLAO. CILLADIO.
VIRO. NOBILI.
EQVITIQVE. ET. IVRISCONSVLTO.
M. D C. X I V.

Veronæ ad D. Bartholomæi in Monte, ni fallor.

MANFRIDIIS. FRATRIBVS.
CHRYSOSTOMO. IO. BAPTISTÆ.
MANFRIDO.
F.
EX. EORVM. VOTO.
IVLIVS. CARMINATVS.
CHRYSOSTOMI.
HÆRES. EX. TESTAMENTO.
M. D C. X.



INSCRI-

INSCRIPTIONES
BELLVARVM.

Meciani in Horto Turrianis.

228 DIIS. MANIBVS. CANINIS.

FIDELIS. MOLOSSI. INCOMPARABILIS.

HIC.

CVM. NATVRA. FEROX. CORPORE. VASTVS. VVLTV. ATROX.

VILLIS. HORRIDVS. RICTV. PROCAX. MILLO. AVDAX.

VILLÆ. HORTORVMQVE. CVSTOS.

FVRVMQVE. TERROR. ET. FERARVM. POPVLATOR.

SVMMO. DOMINI. APPLAVSV.

EXVLTARET.

TAM. IMPROBVS. REPENTE. EVASIT.

VT. OVES. IVVENCOSQVE. ET. PVEROS. INVADERET.

PROINDE.

SVMMO. DOMINI. ODIO.

EXTORRIS. DOMO. RVRE. VRBEM. PETIT,

VILLÆQVE. SEQVITVR. MANCVPIVM.

A. QVO. EXIN. MAGNI.

MILITI. VENIT. PVGNACI.

HOSTIS. PLVRIMVS. VNVM. MILITEM. AGGREDITVR.

HIC. FORTIS. ILLOS. FVGAT. IMBELLES.

ACCVRRIT. ASSVLTAT.

FIDELIS. RINGIBVNDVS.

ET. CVM. HVMEROS. FVLGENTIVM. ARMATOS.

DENTE. FRVSTRA. TENTASSET. RABIDO.

BRACCHIVM. INERME. TENACI. MORSV. COMPRENDIT,

IAMQVE. VICTOR. HOSTEM. PROSTERNEBAT.

QVVM. IMPROVISO. ICTV. CAPVT. EI. DETRVNCATVR,

QVOD. MORDICVS. HÆRET. PENDVLVM. HOSTI.

CRVENTO, PROCVMBENTE. TRVNCO.

O. FATVM. CANIS. INSIGNE. NEC. IMMERITVM.

VIXIT. ANNIS. V I. MENS. I I. DIES. V.

P.

ALOYSIVS. TVRRIANVS. COMES,

MECIANARVM.

BENE. MERENTI. NON. BENE.

Scriptum.

229

DIIS.
MANIBVS. PVLLARIIS.
S.
GALLINA. MATER. NIOBE. MATER.
SINGVLTANS. GLOCIDANS.
PROPRIIS. VNGVIBVS.
FECI.
HVNC. TVMVLVM.
SEPTEM. TENELLVLIS. PVLLICENIS.
QVOS.
INFELICI. DECAPVLLATIONE.
RECENS. EXCVSOS.
ME. FRVSTRA. PROPVGNANTE.
DOMINA. FRVSTRA. ACCVRRENTE.
INSIDIOSA. MARTES.
NOCTVRNO. CLANDESTINOQVE. ASSVLTV.
PEREMIT.
HAVETE. EHEV. HAVETE.
INVIDENDO. FVNERE. DONATI.
MATER. GLOCIO.
PVLLI. FRATRES. PIPIVNT.
DOMINA. DEFLET.
DOMINVS. F. TITVLVM.
IDIBVS. IVNIIS.
M. D C. V.

Volarnijs, pago Veronensi in Villa Marci Antonij Delbenij.

HIC. SITVS. SVM.
TRVPHALDINVS. CINGARI. ADNEPOS.
GENTE. BELGA. SEXV. SPADO.
STATVRA. PARVVLVS. PELLE. FERRVGINEVS.
NARIBVS. ODORVS. AVRIBVS. FLACCIDVS.
LVSIBVS. LEPIDVS. VARIIS.
DELBENII. DELITIVM. DOMINI.
QVI. PRIMVS.
MAIORES. VERONAM. DEDVXIT. MEOS.
VIXI. AN. PLVS. MINVS. NOVEM.
OBIIT. X. KAL. MARTII. M. D C. X I I I.
BAVBANTIBVS. AGNATIS. ET. VLVLANTIBVS.
IAM. ME. PVTO. CANEM. NOSCIS.
QVI. ME. PVTARAS. HOMINEM.
HIC. SITVM. ESSE.

Verona

Veronæ in Ædibus Maroneanis ad imaginem Falconis.

230 ACCIPITRARIVS. QVISQVIS. SISTAT. LEGAT.
FALCO.
PEREGRINVS. MIGRATOR.
EVOLANS. E. CRETA. IN. MALO. NAVIS. CAPTVS,
DONO. MISSVS. VERONAM. VENI.
ANNOSQVE. IPSOS. QVINDECIM.
SERVITIVM. VNVM. TVLI. GRATISSIMVM.
FAMA. VOLANDI. PVGNANDI. RAPIENDI. INGENTI.
MEMORABILIS. LATE. ET. MEMORANDVS.
DOMI. AD. PERTICAM. IN. CARPO.
MITIS. MANSVETVS. INNOX.
FORIS. IN. CAMPO. IN. AERE.
CONTRA. GRANDES. QVOSQVE. VOLVCRES.
PVGNAM. FEROX. RAPAX.
SEMPER. CAPITII. IMPATIENS. ALIQVANDO. ET. COMPEDVM.
NON. VSQVAM. CONTVMAX. REFRACTARIVS. NONVSQVAM.
NEC. RARO.
SINE. SIBILO. SINE. VOCE. SINE. SCARPO. ALATO.
A. PRÆDA. REVORTENS. AD. PVGNVM.
VERTIGINE. EXTINCTVS. SVM. REPENTINA.
ANNO. HOC. M. D C. X L.
APRILI. MENSE. EXEVNTE.
LVGENTE. EHEV. DOLENTE.
MAGNANIMO. MEO. DOMINO.
FAVSTO. MARONEA.
QVEM.
NVLLVM. IMMANE. PRÆTIVM. MVNVS. IMMANE. NVLLVM.
PELLICERE. VNQVAM. POTVIT.
VTI. ME.
PRINCIPIBVS. VIRIS. ET. REGIBVS.
EXPETENTIBVS. VNDIQVE. EXPOSCENTIBVSQVE.
VENVNDARET. MANCIPARET.

Finis Inſcriptionum, & totius Voluminum
Variorum Opuſculorum.



INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM,
Quæ in epiſtolari Encyclopędia continentur.

Productus numerus eſt marginalis.

a *Nuptia-*

Charta

Exce-

Sacra-

N

O

P

Petrus.

Super-

Vrbs.


Vrbs.

Vsura, Vsurarius.

Vxor.



IN-



INDEX

RERVM PRÆCIPVARVM,

Quas Opuſculum offert, quod DELITIÆ AMORIS DIVINI dicitur.

Productus numerus eſt marginalis.

R r *Bellum*

Index Rerum Præcipuarum

D

E

Infen-

Tem-

T.

V.



INDEX

I N · D · E X

RERVM · PRÆCIPVARVM,

Quæ in Risùs Sardonici Opuſculo continentur.

Productus numerus eſt marginalis.

A

Index Præcipuarum Rerum

Gaudij

Luxu-

Amaris-

Impu-

Res

Mor-

F I N I S.

